CODICIS IURIS CANONICI FONTES

CURA

EMI PETRI CARD. GASPARRI

EDITI

VOLUMEN II

ROMANI PONTIFICES

A. 1746-1865

N. 365-544

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXXXVIII

Emo Petrus Card. Gasparri sibi reservat Ius proprietatis in haec Collectanea sicut in Codicis Praefationem., Fontium Annotationes et Indices Analytico-Alphabeticos.

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA PRÁVNICKÉ FAKULTY U.J.E. STARÝ FOND č. inv.: 234 833

ELENCHUS OPERUM

AD QUAE PRO REPERIENDIS FONTIBUS IN HOC VOLUMINE RELATIS VIRI STUDIOSI REMITTUNTUR.

BENEDICTI Papae XIV, *Bullarium,* Romae (1746-1757). Typis S. C. de Propaganda fide.

BENEDICTI Papae XIV, *Bullarium,* Mechliniae (1826, 1827). Typis P. I. Hanicq.

Bullarum, Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum Amplissima Collectio, opera et studio CAROLI COCQUELINES, Romae (1739-1744). Sumptibus Hieronymi Mainardi.

Bullarii Romani Continuatio, Romae (1835-1858). Typographia Rev. Camerae Apostolicae.

Acta GREGORII Papae XVI, Romae (1901-1904). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

PII IX Pontificis Maximi *Acta,* Pars prima, Romae (1854, sq.). Typographia Bonarum Artium. Typographia Vaticana.

A. BIZZARRI, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcoporum et Regularium,* Romae (1885). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1907). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

IOANNES DOMINICUS MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio,* Florentiae (1759. sq.). Expensis Antonii Zatta Veneti.

Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, Romae (1898-1912). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide. Typis Polyglottis Vaticanis.

Ius Pontificium de Propaganda Fide, Romae (1888-1897). Typographia Polyglotta.

Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche tra la Santa Sede e le Autorità civili, Roma (1919). Tipografia Poliglotta Vaticana.

AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY, *De Matrimoniis mixtis,* Quinque Ecclesiis (1842). Typis Lycei Episcopalis.

INDEX FONTIUM

QUI IN HOC VOLUMINE REFERUNTUR

II. - ROMANI PONTIFICES.

N.			PAG.
365.	Benedictus XIV,	ep. *Declarasti,* 16 mart. 1746	1
366.	»	const. *Praeclaris,* 18 mart. 1746	11
367.	»	ep. *Redditae Nobis,* 9 apr. 1746	20
368.	»	ep. *Accepimus,* 16 apr. 1746	24
369.	»	ep. *Pontificia,* 27 maii 1746	26
370.	»	const. *Ubi primum,* 2 iun. 1746	28
371.	»	const. *Ad universae,* 3 sept. 1746	31
372.	»	ep. *Redditae sunt,* 17 sept. 1746	41
373.	»	const. *Ad eradicandum,* 28 sept. 1746	44
374.	»	ep. *Ex quo,* 14 ian. 1747	45
375.	»	ep. *Per binas,* 24 ian. 1747	54
376.	»	const. *Impositi Nobis,* 27 febr. 1747	56
377.	»	ep. *Postremo mense,* 28 febr. 1747	62
378.	»	ep. *Iampridem,* 28 febr. 1747	91
379.	»	const. *Inter multa,* 4 apr. 1747	102
380.	»	const. *Pia Mater,* 5 apr. 1747	110
381.	»	const. *Apostolici ministerii,* 16 sept. 1747	119
382.	»	const. *Causarum,* 16 nov. 1747	122
383.	»	ep. encycl. *Inter caetera,* 1 ian. 1748	125
384.	»	ep. *Praeclara,* 19 ian. 1748	129
385.	»	const. *Si datam,* 4 mart. 1748	132
386.	»	litt. ap. *Exemplis Praedecessorum,* 19 mart. 1748	142
387.	»	ep. encycl. *Magnae Nobis,* 29 iun. 1748	146
388.	»	const. *Pastoralis curae,* 5 aug. 1748	152
389.	»	ep. *Ad tuas,* 8 aug. 1748	162
390.	»	const. *Rerum Ecclesiasticarum,* 12 aug. 1748	165
391.	»	const. *Quod expensis,* 26 aug. 1748	169
392.	»	decr. *Non multi,* 14 nov. 1748	180
393.	»	ep. *Ex tuis precibus,* 16 nov. 1748	185
394.	»	ep. *Singulari,* 9 febr. 1749	193

N. PAG.

395. Benedictus XIV, ep. encycl. *Annus qui,* 19 febr. 1749 199
396. » const. *Inter arduas,* 22 apr. 1749 215
397. » const. *Suprema,* 26 apr. 1749 220
398. » const. *Quamvis iusto,* 30 apr. 1749 222
399. » litt. encycl. *Peregrinantes,* 5 maii 1749. 237
400. » ep. encycl. *Apostolica Constitutio,* 26 iun. 1749 . . . 240
401. » ep. encycl. *Gravissimo,* 31 oct. 1749. 252
402. » const. *Convocatis,* 25 nov. 1749 254
403. » const. *Unigenitus,* 26 nov. 1749 258
404. » ep. encycl. *Inter praeteritos,* 3 dec. 1749 265
405. » const. *Apostolici ministerii,* 9 dec. 1749 287
406. » const. *Officii Nostri,* 15 mart. 1750 291
407. » ep. encycl. *Anno vertente,* 19 iun. 1750. 298
408. » allocut. *Postquam,* 30 sept. 1750 301
409. » litt. encycl. *Benedictus Deus,* 25 dec. 1750 303
410. » const. *Imposito Nobis,* 29 mart. 1751 307
411. » litt. ap. *Fra le moltiplicità,* 1 maii 1751 311
412. » const. *Providas,* 18 maii 1751 315
413. » ep. encycl. *Magno cum,* 2 iun. 1751. 318
414. » ep. encycl. *A quo primum,* 14 iun. 1751 332
415. » allocut. *Perspectam,* 5 iul. 1751. 334
416. » const. *Iniuncta Nobis,* 6 iul. 1751. 336
417. » const. *Cum nuper,* 8 nov. 1751 339
418. » ep. *Probe,* 15 dec. 1751 344
419. » ep. *Urbem,* 19 mart. 1752. 354
420. » const. *Ad honorandam,* 27 mart. 1752 360
421. » const. *Pias Christifidelium,* 21 aug. 1752. 376
422. » const. *Detestabilem,* 10 nov. 1752. 378
423. » litt. ap. *Ex sublimi,* 26 ian. 1753 383
424. » ep. *Ad audientiam,* 15 febr. 1753. 384
425. » ep. encycl. *Apostolicum ministerium,* 30 maii 1753 . . 390
426. » const. *Sollicita ac provida,* 9 iul. 1753 404
427. » const. *Fidelis Dominus,* 25 mart. 1754. 422
428. » ep. *Cum encyclicas,* 24 maii 1754. 426
429. » litt. encycl. *Cum religiosi,* 26 iun. 1754 432
430. » const. *Pastoralis,* 15 iul. 1754 434
431. » litt. encycl. *Quod provinciale,* 1 aug. 1754 436
432. » const. *Ex pastorali,* 25 aug. 1754. 439
433. » ep. *Beatus Andreas,* 22 febr. 1755 440
434. » ep. encycl. *Allatae sunt,* 26 iul. 1755 456
435. » ep. *Cum, ut recte nosti,* 27 iul. 1755. 474

N. PAG.

436. Benedictus XIV, ep. encycl. *Quam ex sublimi,* 8 aug. 1755 487
437. » ep. *In superiori,* 29 dec. 1755 491
438. » ep. encycl. *Ex quo,* 1 mart. 1756. 494
439. » ep. *Quadam,* 24 mart. 1756 514
440. » ep. *Iam inde,* 12 maii 1756 520
441. » ep. encycl. *Ex omnibus,* 16 oct. 1756 534
442. » ep. *In postremo,* 20 oct. 1756 538
443. » ep. encycl. *Quam grave,* 2 aug. 1757 549
444. » const. *Divinarum,* 2 aug. 1757. 555
445. » ep. *Aestas,* 11 oct. 1757 556
446. » const. *Emanavit nuper,* 21 ian. 1758. 569
447. » ep. *Paucis abhinc,* 19 mart. 1758 571
448. Clemens XIII, const. *Inter graviores,* 30 sept. 1758. 577
449. » const. *Inter multiplices,* 11 dec. 1758 579
450. » const. *Ci è stato,* 13 febr. 1759 584
451. » const. *Gravissimum,* 6 mart. 1759 585
452. » ep. encycl. *Cum primum,* 17 sept. 1759 588
453. » ep. *Mirum sane,* 14 mart. 1760 594
454. » ep. *Cogitantibus Nobis,* 26 mart. 1760 596
455. » const. *Religiosam pacem,* 26 apr. 1760. 598
456. » ep. *Et paternus,* 4 mart. 1762 599
457. » const. *Inexhaustum,* 3 sept. 1762. 600
458. » ep. *Cum a multo,* 18 dec. 1762 603
459. » ep. *Quemadmodum,* 25 maii 1763 604
460. » ep. *Quantopere,* 16 nov. 1763 607
461. » ep. encycl. *Christianae reipublicae,* 25 nov. 1766. . . . 609
462. » ep. *Cum a venerabili,* 21 febr. 1767. 611
463. » ep. *Opinionem,* 11 mart. 1767 613
464. » const. *Alias ad Apostolatus,* 30 ian. 1768. 614
465. » ep. *Cum sicut accepimus,* 9 febr. 1768. 620
466. Clemens XIV, ep. encycl. *Inter multiplices,* 21 sept. 1769 621
467 » ep. encycl. *Decet quam maxime,* 21 sept. 1769 628
468. Pius VI, ep. *Cum sicut accepimus,* 10 apr. 1775. 647
469. » const. *Alias emanavit,* 15 maii 1775. 647
470. » encycl. *Inscrutabile,* 25 dec. 1775. 649
471. » rescript. ad Card. Archiep. Mechlinien., 13 iul. 1782 655
472. » const. *Mediator,* 11 nov. 1784 658
473. » const. *Super soliditate,* 28 nov. 1786. 663
474. » ep. encycl. *Charitas,* 13 apr. 1791 671
475. » const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. Synodi Pistorien., damn. 682

N. PAG.
476. Pius IX, const. *Ecclesia Christi*, 15 aug. 1801 714
477. » breve ad Archiep. Moguntin., 8 oct. 1803 717
478. » const. *Iamdiu*, 19 apr. 1816 720
479. » const. *Ecclesiam*, 13 sept. 1821. 721
480. » litt. ap. *Non sine magno*, 24 aug. 1822. 725
481. Leo XII, const. *Quo graviora*, 13 mart. 1825. 727
482. Pius VIII, litt. ap. *Litteris altero*, 25 mart. 1830. 733
483. Gregorius XVI, ep. encycl. *Inter gravissimas*, 3 febr. 1832 736
484. » ep. encycl. *Summo iugiter*, 27 maii 1832 740
485. » ep. encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832 744
486. » ep. *Quo ex tuis litteris*, 24 iul. 1833. 752
487. » litt. ap. *Cum in Ecclesia*, 17 sept. 1833 754
488. » ep. *Maiori certo*, 13 dec. 1833 758
489. » allocut. *Cum pro pastorali*, 1 aug. 1834 759
490. » ep. encycl. *Commissum divinitus*, 17 maii 1835. . . . 762
491. » ep. *Accepimus*, 8 febr. 1836 768
492. » allocut. *Officii memores*, 5 iul. 1839. 769
493. » ep. *Dolorem*, 30 nov. 1839 773
494. » litt. ap. *In supremo*, 3 dec. 1839 776
495. » ep. encycl. *Probe nostis*, 18 sept. 1840. 779
496. » allocut. *Afflictas*, 1 mart. 1841. 783
497. » litt. ap. *Quas vestro*, 30 apr. 1841 788
498. » ep. *Dudum*, 22 aug. 1841 791
499. » ep. *Officium*, 16 febr. 1842 793
500. » ep. *Litteras accepimus*, 9 iul. 1842 794
501. » ep. *Allatum isthinc*, 12 oct. 1843 796
502. » ep. encycl. *Inter praecipuas*, 5 maii 1844 797
503. » ep. *Non sine gravi*, 23 maii 1846. 805
504. Pius IX, ep. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846 807
505. » litt. ap. *Quum illud*, 1 iun. 1847 817
506. » allocut. *Ubi primum*, 17 dec. 1847 820
507. » allocut. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849. 823
508. » ep. encycl. *Nostis et Nobiscum*, 8 dec. 1849 837
509. » allocut. *In consistoriali*, 1 nov. 1850 850
510. » litt. ap. *Multiplices inter*, 10 iun. 1851. 855
511. » litt. ap. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851 857
512. » allocut. *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851. 861
513. » ep. encycl. *Nemo certe ignorat*, 25 mart. 1852. 865
514. » ep. *La lettera*, 9 sept. 1852. 869
515. » allocut. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852 873
516. » ep. encycl. *Neminem vestrum*, 2 febr. 1854 879

N. PAG.
517. Pius IX, ep. encycl. *Optime noscitis*, 20 mart. 1854 888
518. » allocut. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854 891
519. » allocut. *Probe memineritis*, 22 ian. 1855 897
520. » allocut. *Cum saepe*, 26 iul. 1855 899
521. » ep. encycl. *Singulari quidem*, 17 mart. 1856. 901
522. » allocut. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856 911
523. » ep. encycl. *Cum nuper*, 20 ian. 1858 916
524. » allocut. *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858. 920
525. » allocut. *Ad gravissimum*, 20 iun. 1859. 926
526. » ep. *Verbis exprimere*, 15 aug. 1859 928
527. » allocut. *Maximo animi*, 26 sept. 1859 931
528. » litt. ap. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 mart. 1860 933
529. » allocut. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860. 937
530. » allocut. *Iamdudum cernimus*, 18 mart. 1861 941
531. » const. *Romani Pontifices*, 6 ian. 1862 946
532. » const. *Ad universalis*, 7 febr. 1862 953
533. » ep. encycl. *Amantissimus*, 8 apr. 1862. 955
534. » allocut. *Maxima quidem*, 9 iun. 1862 961
535. » ep. *Quo graviora*, 8 iul. 1862 967
536. » ep. encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10 aug. 1863. . . . 970
537. » ep. encycl. *Incredibili*, 17 sept. 1863 976
538. » ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863 979
539. » ep. *Quum non sine*, 14 iul. 1864 984
540. » litt. ap. *Ubi Urbaniano*, 30 iul. 1864 987
541. » ep. encycl. *Maximae quidem*, 18 aug. 1864 990
542. » ep. encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864 993
543. » Syllabus errorum (a. 1864) 1000
544. » allocut. *Multiplices inter*, 25 sept. 1865. 1009

II. - ROMANI PONTIFICES.

365.

Benedictus XIV, ep. *Declarasti*, 16 mart. 1746.[1]

§ 1. Declarasti Nobis, in sacra Visitatione, qua Dioecesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus alia quoque Ecclesia a Parochiali longe seiuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii Sacerdoti committere nequeunt, qui Pro-Rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut Rectores ipsi rem Divinam in utraque Ecclesia Festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiae praecipienti Fidelibus, ut festis diebus Missae Sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo id minime licere Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, quoties alius Sacerdos praesto sit, qui Sacrum facere possit in una ex iis Ecclesiis, quae Rectoribus subiiciuntur; id autem attulisse tam gravem Rectoribus ipsis molestiam, ut Synodalis Decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram, Nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispanae gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuae Synodi Decretum aequitati ac disciplinae Ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari executioni debeat, nec vanis omnino Rectorum querimoniis imminui, vel labefactari.

§ 2. Quamvis nonnulli ex Theologis Moralibus (et quidem nimis indulgenter) plures rationes et causas excogitaverint, ob quas Sacerdos eodem die Sacrificium Missae bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest, 3 *Summae* Sancti Antonini, tit. 3, cap. 6, n. 5, item lib. 3 *Summae* Sancti Raymundi, tit. 24, et in Summa Hostiensis ad tit. *de celebratione Missarum*, n. 14 et seqq. et in Summa Sylvestrina in verb. *Missa primo*, § *Septimo quaeritur*, et in Summa Armilla in verb. *Missa*, num. 15, id tamen unanimi consensu permittitur Sacerdoti, qui duas Parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam: tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant eiusmodi Rectori, cum festi dies incidunt, bis Sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez in 3 part. *Divi Thomae*, tom. 3, quaest. 73, art. 2, disput. 80, sect. 3, de hac hypothesi loquens, inquit, in ea tantum hodie licere duas Missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus Parochiis est proprius, ac fere solus in usu.*

[1] Venerabili Fratri Antonio Episcopo Oscensi.

At vero si in altera ex his Parochiis Sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem Divinam facere possit, tum illarum Rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius Sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Pasqualigus, *de Sacrificio Missae*, tom. 1, quaest. 381, num. 2; Vericellus, *de Apostolicis Missionibus*, tit. 1, *de Privilegiis Regularium*, dub. 18, § 31, n. 201; Giribaldus, *de Sacramentis*, tract. 5, cap. 7, dub. 2, num. 15; Rotarius, *in Theologia Morali Regularium*, tom. 3, cap. 2, punct. 11, num. 5; Tournelius, *in Praelectionibus Theologicis, de Sacramento Eucharistiae*, part. 2, iuxta Parisiensem editionem, p. 346; Schmalzgrueberius, tit. *de celebratione Missarum*, num. 41. Quod si Scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe Cardinalis Zabarellae, in cap. *Consuluisti*, num. 3, *de celebratione Missarum*, ubi haec habentur: *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit Sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, et sit ieiunus*; Petri de Ancharano, *in Commentariis ad eumdem Textum*, num. 1: *Intellige, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum, et ille sit ieiunus*; Cardinalis Toleti, *in Summa*, lib. 2, cap. 3, num. 4; Laymann, *in Theol. Morali*, lib. 5, tract. 5, cap. 4, num. 6; Salmanticensium, *Theolog. Moral.*, tom. 1, tract. 5, *de Sacrificio Missae*, cap. 5, punct. 1, num. 12, iuxta quartam editionem, quae Matriti facta est anno 1717; Gavanti, *ad Rubricas Missalis*, part. 3, tit. 12, num. 7.

§ 3. At supervacaneum est plures auctoritates praestantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex septima Synodo Dioecesana, quam Sanctus Turribius anno 1592 celebravit, cap. 3, tom. 4, Conciliorum Hispanorum, quae simul collegit vir eximius inter Hispanos Cardinalis de Aguirre, pag. 687. Porro haec sunt verba: *Iuxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac Civitate anno 1567, quantum convenit, et per locum iuris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque Parochis nostri districtus, ut diebus Dominicis, et festivis ex praecepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius Ecclesiae assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.*

§ 4. Ex his apertissime deprehenditur concedi Parocho, qui duas Ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis Sacrificium Missae instituere, ne diebus festis Ecclesiae praeceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem Capite tertio Limanae Synodi, quae mox subiiciemus, certi limites eidem Parocho statuuntur, ipsique praescribitur, ut uno tantum loco Sacrum conficiat, si in altero Sacerdos occurrat, qui populo rem Divinam operari possit: *Cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

§ 5. Non ignoramus, auctoritatem Limanae Synodi suae Dioecesis finibus solum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendae Ecclesiae peritissimus, et virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus, ac Dioecesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem, vimque, ut aiunt, directivam, adhibendam et adscribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam S. Caroli Borromaei Synodis omni tempore praestiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cuius Canonizatione, cum Promotoris Fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus) conferre plurimum, ut, si propositae rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; laetandumque idcirco Nobis iure merito videmus, qui Commentarium *de Sacrificio Missae* in lucem proferentes, Italico sermone a Nobis conscriptum, cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane asseruimus, quod pro illustranda praesenti questione superius attulimus, et opinionem nostram auctoritate confirmavimus eiusdem Synodi Sancti Turribii, uti liquido constat ex nostro Commentario, quod commemoravimus, tom. 2, part. 4, sect. 2, num. 38 et seqq. et praecipue num. 40, quod quidem primo Bononiae Typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

§ 6. Quod si Limanae Synodo alia quoque Concilia adiungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi anno 1231 coactum est, quemadmodum legitur in *Collectione Regia Maxima Conciliorum* ab Harduino compilata, tom. 7, pag. 186: *Nullus audeat Missam bis in die celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in humana necessitate etc. et hoc, ubi non est, nisi unus Sacerdos;* alterum, quod Nemausi anno 1284 coactum fuit, cum Martinus IV Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex *Collectione Labbeana*, tom. 11, part. 1, pag. 1213: *Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes, et, dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis, et Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare.*

§ 7. Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est, nisi unus Sacerdos;* nec non alia: *nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes:* ex quibus clare perspicimus, non licere Parocho, si alius Sacerdos praesto sit, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus Missae Sacrificio intersit, sive Missa celebranda sit in duabus Ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata Synodo Limana, sive una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem iure censendi sunt, uti praecipue advertit Theophilus Raynaudus, tom. 17 *Operum*, editionis Lugdunensis, pag. 8.

§ 8. Quae huc usque dicta sunt, Canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque vero copiam Ecclesiasticae eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo praeclari Scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus ante Decretales Praedecessorum Nostrorum Innocentii III atque Honorii III plures uno die Missae ab eodem

Sacerdote celebrabantur. Hi sunt Saintebeuvius, tom. 3 *Resolutionum casuum conscientiae,* cas. 83, et Pontas in *Dictionario casuum conscientiae,* in verb. *Missa,* cas. 15. De hoc ipso argumento luculenter disseruit is, qui suis adnotationibus undecimam Sancti Leonis Epistolam illustravit, iuxta editionem, quae ultimo facta est. De ipso Nos quoque verba fecimus in *Commentario de festis diebus Domini Nostri ac Beatae Virginis Mariae,* part. 1, n. 667 et seq. Quamobrem, his praetermissis, illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiae disciplina permitti tantum Sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris Nostri ter Sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur Fideles, uti ostendit Canon: *Nocte sancta, de Consecratione,* dist. 1, vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus author Telesphorus illius Canonis impugnatur) Parens ac Magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam Sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id Nos testimoniis praestantium virorum indicavimus in Commentario nostro, quod superius nominavimus, part. 1, num. 665 et seqq.

§ 9. Excepta die Dominicae Nativitatis, iuxta hodiernam disciplinam non licet Sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex Decreto Alexandri Papae II, Can. *Sufficit, de Consecratione,* dist. 1, ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum Mundum redemit. Non modica res est, unam Missam facere; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest:* etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit;* quibus verbis Alexander II non improbare videtur eum Sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem.* Porro ex his facili coniectura perspicere quisque potest, Alexandrum II Decreto solum cavere, ne sordidae utilitatis, sive assentationis gratia Sacrificium iteretur. Vasquesius idem Decretum sic explicat in 3 part. *Divi Thomae,* tom. 3, quaest. 83, art. 2, cap. 5, num. 43: *In praedicta Epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quae Thomassinus scripta reliquit, *De veteri et nova Ecclesiae disciplina,* part. 3, lib. 1, cap. 72, num. 6, ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi, necessario coercendam fuisse, ut quorumdam Sacerdotum avaritiae modus imponeretur.

§ 10. Igitur omittentes Alexandri II Decretum, alterius Praedecessoris nostri, nimirum Innocentii III auctoritate, ac Decretali rem nostram comprobamus, Cap. *Consuluisti, de celebratione Missarum: Respondemus,* inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicae etc., sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II, uti superius commemoravimus, et Innocentius III usi sunt hoc eodem verbo *sufficit*: at

secundo tantum loco per id verbum praeceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice, *utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat,* idem prorsus significat, ac *liceat.* Cum igitur responsum dederit Pontifex, sufficere *Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare;* illud *sufficit,* Sacerdotes adigit praecepto, ne plura Sacrificia uno die faciant.

§ 11. Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus, num. 44. *Nam quod quaesitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex,* sufficit etc., *hoc verbum denotat praeceptum prohibens, plusquam semel celebrare.* Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit,* consilium uno loco, alio autem praeceptum praeseferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet.* quod iuxta varias rerum circumstantias, in Iure Canonico modo solum honestatis officium ac decentiam denotat, modo vero necessitatem atque praeceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus, *disput. Theolg.,* tom. 1, lib. 5, dub. 21, num. 4. Verum ex Honorio III, qui post Innocentium III Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente,* sub eodem titulo, *de celebratione Missarum,* manifesto deprehenditur, illud verbum *sufficere,* de quo in Decretali Innocentii III, cum praecepto coniungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui Decretalem integram eiusdem Honorii describit.

§ 12. Sypontinus Archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta maioris hebdomadae Sancta Olea de more in Ecclesia Cathedrali rite consecrabat. Eadem die mane se conferebat ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eum locum Religionis causa confluebant. Eius loci Clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut Sacrum iteraret; quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III Praedecessoris sui, nempe: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam et valde est felix, qui celebrat digne unam.* Post haec praecipit Archiepiscopo, ut Syponti rem Divinam peragat, ubi Sacrum Chrisma conficere debebat, et in Ecclesia Montis Gargani Sacrificium offerre praetermittat; hisque utitur verbis, quibus illud *sufficit,* ab Innocentio III scriptum cum praecepto omnino copulari declarat: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicae, prohibuit Sacerdoti plures Missas una die celebrare, in cit. Cap. *Consuluisti, de celebratione Missarum,* addidit: *nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius, qui in Cap. *Te referente,* eodem tit. *de celebratione Missarum,* Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem Divinam peractam, dum Sacrum Chrisma conficiebat in Ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in Ecclesia Montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam, nunquam adesse, cum alius invenitur Sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest:

secundam quippe Missam noluit ab Archiepiscopo in Ecclesia Montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset Sacerdos, qui Missam in eadem Ecclesia celebrare posset, iuxta monitum Cardinalis de Turrecremata, in Can. *Sufficit,* sub num. 4, *de Consecratione,* dist. 1. En eius verba: *Quod autem in Decretali: Te referente, Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Coenae, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa Ecclesia, in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest, nisi Episcopus, et aliam Missam celebrare poterat simplex Sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per Vicarium celebrare, et in illa Ecclesia plures Sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata iam fuerat adnotatum ab Hostiensi, in Cap. *Te referente,* num. 3, ab Antonio de Butrio *super eodem textu,* num. 3, et ab Abbate *super eodem quoque textu in fine tit. de celebratione Missarum.*

§ 13. Praeterea casum proponunt Episcopi, qui praeesset duobus Episcopatibus inter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III et Innocentius III sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, Ecclesiam suam Episcopalem esse, et unitam Ecclesiae Sypontinae, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem, tom. 7, *Italiae Sacrae:* quaeruntque, an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque Ecclesia, quod sine celebratione Missae consecrari decenter nequit, posset ea die bis Sacrificium offerre; et unanimiter respondent, id non licere: et sic rem componunt, quod uno anno in una Ecclesia celebret Missam feria quinta in Coena Domini, et conficiat Chrisma; et alio anno id ipsum faciat in alia Ecclesia, et ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti moris est, transmittat. Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis Ecclesiis Chrismate carituram esse, subditosque unius, vel alterius Episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quinta feria in Coena Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; ea quippe celebrari poterit a Sacerdote in Ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri Sacerdotem, qui ea ipsa die Sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio, et Abbas locis citatis.

§ 14. Haec sunt, quae ex Iure Canonico desumpsimus. Sed cum Glossa in Cap. *Consuluisti,* in verb. *necessitatis, de celebratione Missarum,* necessitati addat utilitatem, et vel utilitatem, vel necessitatem satis esse dicat, ut unus Sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, Parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit Sacerdos, qui Sacrum facere valeat: utilitatem quippe in eo constituent, quod bis ipsi celebrando non subministrabunt Sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri Sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

§ 15. Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis; qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella in Cap. *Consuluisti,* num. 3, *de celebratione Missarum.* En eius verba: *Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis.* Et concordant super eodem Capitulo Antonius a Butrio, num. 4, Abbas, num. 2, et caeteri, quos vocant Repetentes; et praeclare inter recentiores docuit Vericellus, *de Apostolicis Missionibus,* tit. 1, *de privilegiis Regularium,* dub. 18, num. 201. Utilitas autem proposita non populum, sed Parochum respicit, et sic celebrantem, et non audientem.

§ 16. Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera Parochi tanta premantur egestate, ut alteri Sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, Episcopali auctoritate, iuxta Caput quartum Concilii Tridentini, sess. 21, *de Reformatione,* adigi poterunt, ut Sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel ad tit. Decretalium, *de celebratione Missarum,* num. 3. Secundo, si Parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti Sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur, sess, 23, cap. 14, *de Reformatione,* ubi haec leguntur: *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus etc. Missas celebrent*: siquidem illud verbum *Curet,* praeceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit, *de Sacrificio Missae,* quaest. 844, num. 11: *Si in aliquo oppido sit unus tantum Sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices Sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam; et ideo cum Sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis Sacerdotibus pro substentatione; quia, cum ministrent populo, aequum est, quod accipiant aliquid pro substentatione.*

§ 17. Porro difficile prorsus videtur, omnia haec simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re Divina facienda Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius Sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

§ 18. Post haec, quae a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quae ab ipsis Parochis proponi audimus. Vehementur ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis ipsis adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solum constituitur in celebranda et applicanda Missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis Religionis mysteriis, tradendaque

pueris Christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in Ecclesiam conveniunt.

§ 19. Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus. Etenim quum olim fel. record. Praedecessor Noster Innocentius Papa XIII ad discutienda Hispani Cleri gravissima negotia ab insigni viro bonae memoriae Ludovico huius S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem praestantium aliquot eiusdem S. R. E. Cardinalium deputasset; Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis, plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam Parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque Christiana doctrina pueris, eo quod huiusmodi exercitationes in aliis quoque Ecclesiis haberentur; aut quia Concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quae Parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quae omnia leguntur in Constitutione quae incipit *Apostolici ministerii,*[1] quam praefatus Innocentius Praedecessor promulgavit, in qua § 11 recensentur ac refelluntur ea omnia, quae modo commemoravimus.

§ 20. His autem per transennam adnotatis, iam responsum quaestioni faciamus, videlicet non esse iterandum die festo Sacrificium, si Parocho alius Sacerdos operam suam navare possit, etiamsi Catechismus eodem die, Fideique mysteria populo explanari debeant. Haec enim fieri possunt eiusdem Sacerdotis ministerio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi Dioecesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse Decretis, quae super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id Nos ostendimus Instit. 3, tom. 3, nostrarum *Institutionum Ecclesiasticarum,* quae Bononiae impressae fuerunt. Accedit, quod Parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque Ecclesia libenter suscepisset, si iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum Ecclesia rem Divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat Ecclesiam, ubi Sacrificio abstineat, et Christianae Legis instituta dumtaxat populo declaret.

§ 21. Tui praeterea Parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis Decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis vero Sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cuius sane iudicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Vericellus, *de Apostolicis Missionibus,* tit. 4, *de privilegiis Regularium,* quaest. 19, num. 202: *Quaeres primo, an ad celebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis necessitas, requiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, seclusis privilegiis Missionariorum. Ita a Sacra Congregatione resolutum.* Certum quoque est, facultates eiusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel, si aliquando concedantur, non

[1] Cf. N. 280.

haberi tamquam alicuius Sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur, Cap. *In ordinanda,* num. 37, *de Simonia: Miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt Sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum Fidei, vel quid simile etc. Nec concedi potest haec licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicuius Sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Itaque cum eiusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam Parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur, Nos prudentiam Fraternitatis Tuae magnopere commendamus, Teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo praedicti Sancti Caroli Borromaei, qui *in prima Synodo Provinciali,* cap. 5, abrogavit *licentias a suis Praedecessoribus concessas plures Missas celebrandi.*

§ 22. Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos, utrum ratione, an temere id asserant, examinare praetermittimus. Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis, aut praesumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum, et alienum iudicamus. Non utique Ius Divinum, sed Ius Ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem Sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia, quae Iuris tantum Ecclesiastici sunt, praescribi possunt. Si etenim iuxta Civiles Leges, *sanctae res* praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit, uti colligitur ex Decreto *de observandis, et evitandis in celebratione Missae.*[1]

§ 23. In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod Parochi duarum Parochiarum feria sexta maioris hebdomadae Officium faciebant, primum in una ex Parochiis, et deinde illud iterabant in altera. Ieiunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est Iuris Divini, sed Ecclesiastici, teste Cardinali Bona, *Rerum Liturgicarum,* lib. 1, cap. 21, num. 2, ubi refert, initio non omnibus in locis universos praedicta lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minime obstante, animadversum fuisset, Parochum celebrantem Officium in secunda Parochia, non ieiunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in Officio, quod celebravit in prima Parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti, una cum vino non consecrato, et sic ieiunium fregerat naturale, reprobata fuit consuetudo, etsi, uti afferebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii Parochi duarum Parochiarum, aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque Parochia Officium feriae sextae maioris hebdomadae celebrare possent; praetermittendi videlicet haustum vini in primo Officio, quod in prima Parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut ieiuni in secunda Parochia Officium facerent, Missamque, quae dicitur Praesanctificatorum, celebrarent. At haec quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui Ecclesiastico, quem et Ordo Romanus, et Sacramentarium Sancti Gregorii praescribunt, et adhibet

[1] Sess. XXII.

universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius, magni nominis Theologus, tom. 5, suorum *Operum,* editionis Antverpiensis, Orat. 1, quae est unica, *de Officio Parasceves,* rem graphice exponit, nec Parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez, in 3 part. *Divi Thomae,* tom. 3, quaest. 73, art. 2, disput. 80, sect. 3. Et Nos ipsi haec omnia exposuimus in nostro *Tractatu de Sacrificio Missae,* typis Patavinis edito, sect. 2, § 39. Et in alio *Tractatu de Festis Domini Nostri Iesu Christi,* part. 1, typis quoque Patavinis edito, § 336 et seqq. confutavimus errorem Graecorum Schismaticorum, qui volunt, in Missa Praesanctificatorum, per immersionem Particulae in Calicem ex Sacratissima Hostia detractae, transubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi; et diximus, Sacerdotem in Officio feriae sextae maioris hebdomadae, sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis, praecedenti licet die consecrati.

§ 24. Praescriptionem excipit praesumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus Iurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis immemorabilis afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, et etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, praesumptum appellatur. Sed, caeteris praetermissis, ne haec epistola longior evadat, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt; ne praesumptio plus habeat roboris, et momenti, quam veritas.

§ 25. Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quae ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes reiiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno 1657, cum in Civitate, quam dicunt *de Assumptione,* in Provincia Paraguariensi, pars magna Nobilium domi se contineret, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad Ecclesiam, ut Sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam Nobilium praedictorum gratia, et aliam ante meridiem, ut reliquus populus Missae praecepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii die 1 Septembris 1657, nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse Sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus; quemadmodum colligitur ex lib. 21, *Decretor,* pag. 56.

§ 26. Praeterea vobis omnibus notum est, in Regnis Aragoniae, Valentiae, et in Comitatu Catalauniae, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quemlibet Sacerdotem Saecularem bis Missam celebrare posse, et ter quemlibet Sacerdotem Regularem; quod singulare privilegium antiquae consuetudini, et famae Apostolici privilegii concessi vel a Iulio III, vel a Paulo III Summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus in supra citato nostro *Commentario de Sacrificio Missae,* sect. 2, § 31, et latius dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cum Causa quaedam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in *Thesauro Resolutionum* praedictae Congregationis, tom. 2, pag. 168, et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonae memoriae Cardinali Lanfredino, dum ipsum Secretarii munus obiret, et de quadam Causa *Oriolen.* ageret, de qua tom. 5 eiusdem *Thesaur.,* pag. 384 et seqq. Viri, qui dignitate, et praestantia supra caeteros eminebant, Summis Pontificibus humillime supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantum ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod Presbyteri tum Saeculares, tum Regulares, in die Commemorationis omnium Defunctorum rem Divinam iterato faciebant, precesque suas singulari pietate, et rationibus undequaque petitis cohonestarunt: negotioque a Summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, haec precibus huiusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbane dimisit, quemadmodum recensuimus in citato nostro *Tractatu de Sacrificio Missae,* sect. 2, § 32, editionis Patavinae.

§ 27. Porro si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut Nobiles satisfacerent praecepto audiendi Missam, eo quod alius aderat Sacerdos, qui Sacrum facere poterat; si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extensione privilegii precabantur, et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat: unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices Parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset Sacerdos, qui Parocho operam suam praestare posset, et bis celebrandi, non unica die intra annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus praecipiuntur.

§ 28. Ut Fraternitati Tuae postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus Nos absolvere potuisse, dicendo nimirum, tuam Constitutionem Synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus Iuris Canonici Professor, in *Comment ad cap. Te referente,* num. 2, *de celebratione Missarum,* docet, a nemine binas Missas eadem die celebrari posse, si id sit vetitum in Constitutione Synodali. Sed haec scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium nostris laudibus prosequeremur, certamque normam, ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua, tuamque mentem tutissime conformares. Quapropter tres dies in privata nostra Bibliotheca mane insumpsimus, quos vacuos, ac liberos ab audiendis Ministris, molestisque negotiis nacti sumus, ut has literas conficeremus. Postremo te summopere iterumque commendantes, qui huius Sedis Apostolicae in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, Benedictionem Tibi nostram, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 14-23].

366.

Benedictus XIV, const. *Praeclaris,* 18 mart. 1746.

Praeclaris Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum institutis inhaerentes, ab inita suprema universalis Ecclesiae procuratione nihil curavimus impensius, quam ut suus unicuique ecclesiae ac nationi debitus honor,

sua dignitas, suae leges, suae consuetudines, sui ritus, ac quaecumque alia, quae cum integerrima orthodoxae fidei sinceritate in unitatis centro, et inviolabili ecclesiasticae disciplinae observantia vigere constabat, non modo sanctissime custodirentur, verum etiam, quoad integrum nobis fuit, adaugerentur.

Inter caetera autem, quae pro natione graeco-melchita catholica patriarchatus antiocheni a Nobis hactenus praestita sunt, adornari mandavimus instructionem tenoris sequentis, videlicet:

Istruzione per la nazione greco-melchita cattolica del patriarcato antiocheno sopra l'osservanza de' riti, digiuni, astinenze e consuetudini della Chiesa greca, ed altre pendenze riguardanti la medesima nazione, secondo le risoluzioni prese nelle congregazioni particolari tenute avanti la Santità di Nostro Signore li 28 e 31 decembre 1745 e 3 gennaro 1746.

La Santità di Nostro Signore mossa da quell'ardente zelo, che conserva per la dilatazione della religione cattolica nelle vaste regioni dell'Oriente, e per l'osservanza de' riti e della disciplina delle chiese orientali, si degnò nell'anno 1743 di tenere alla sua presenza varie congregazioni particolari con l'intervento di alcuni Cardinali, che compongono la Congregazione de Propaganda Fide, e di alcuni teologi. In queste furono esaminati varii dubbii ed alcune istanze proposte in nome del Patriarca antiocheno de' Greci-Melchiti, Cirillo Serafino Tanas: il quale seguendo l'esempio del suo zio Eutimio Arcivescovo di Tiro e Sidone (uomo per altro di molto zelo e sollecitudine di propagare la fede cattolica), e nell'idea di rendere più mite la disciplina della Chiesa greca, per allettare con ciò gli scismatici all'unione colla Chiesa cattolica, nella quale non sarebbero stati obbligati alla rigida osservanza di quei lunghi digiuni, de' quali per altro si sono sempre i greci gloriati con somma gelosia di non infrangerli; erasi avanzato a concedere sopra di essi dispense generali, e più particolarmente a ridurre il digiuno dei santi Apostoli Pietro e Paolo, e le astinenze del Natale e dell'Assunta, al solo giorno che precede tali feste. Aveva inoltre permesso, che più Messe si celebrassero nello stesso giorno sopra del medesimo altare, e che nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì e Venerdì di tutta la Quadragesima, nei quali per antichissimo uso ed immemerabile consuetudine celebrasi nella Chiesa greca la sola Messa dei Presantificati, potesse celebrarsi ancora la Messa intiera.

Queste ed altre simili introduzioni ed innovazioni, come quelle ch'erano contrarie alla dovuta osservanza del rito greco, e piuttosto inducevano confusione ne' cattolici, e scandalo negli scismatici (i quali procurano di mostrarsi, almeno nell'esteriore, rigidi e gelosi osservatori della loro disciplina, introdotta presso di essi da molti secoli), non furono approvate da Sua Santità; e quindi con una sapientissima decretale diretta al medesimo Patriarca ed a tutti i Vescovi greci-melchiti cattolici ad esso subordinati, e pubblicata sotto li 24 decembre dello stesso anno,[1] riprovò ed annullò ogni novità introdotta da qualunque prelato della Chiesa greca, foss'egli Patriarca o Vescovo, la quale tendesse ad alterare la disciplina della medesima Chiesa:

[1] Cf. N. 338.

e ne ingiunse la totale e piena osservanza al Patriarca, ordinandogli d'invigilare, che non s'introducesse alcuna novità nella materia de' riti, de' digiuni, delle astinenze e degli antichi costumi.

Più particolarmente dichiarò irrita e nulla la suddetta dispensa generalmente data dal Patriarca, in un congresso tenuto l'anno 1736 co' suoi Vescovi, a tutti i greci-melchiti abitanti dei villaggi del Libano e dell'Anti-Libano, di digiunare nel solo giorno precedente la festa de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, dell'Assunzione e del Natale di Cristo: ed insieme ordinò che in tutta l'estensione del patriarcato antiocheno si osservasse il lodevole antichissimo costume di astenersi dal pesce nei Mercoledì e Venerdì di tutto l'anno.

Ciò non ostante, compassionando con viscere di paterno affetto la povertà di quei cattolici, e la mancanza in quei luoghi di cibi quadragesimali, si compiacque di confermare la facoltà, con decreto di una congregazione particolare di Propaganda Fide dei 22 gennaro dell'anno 1732, conceduta al Patriarca di dispensare con qualche ceto, ed anche comunità, acciocchè ne' tempi dei suddetti digiuni ed astinenze possano cibarsi di latticinii, ed anche di carne; purchè la dispensa sia particolare di anno in anno, e non generale, nè perpetua, ma per il solo tempo che dura la necessità: dovendo altresì egli procurare con ogni cautela, che con tali dispense non vadano in disuso e dimenticanza i riti antichi, e l'osservanza de' digiuni e delle astinenze.

Non credette però di condiscendere all'istanza fatta dal medesimo Patriarca, che fosse permessa la celebrazione di più Messe su lo stesso altare nel medesimo giorno, e che nei giorni, nei quali si celebra la Messa de' Presantificati, potesse celebrarsi la Messa intiera: mentrechè la Santità Sua riconobbe che ciò sarebbe stato un pervertire, anzi togliere, un precetto ed una consuetudine introdotta dagli antichi Santi Padri della Chiesa greca, ed osservata in essa inviolabilmente fino al tempo presente. Bensì, per soddisfare alla pietà dei sacerdoti, ed alle molte oblazioni de' fedeli, permise, che possano erigersi altri altari nelle chiese in luogo decente; e quando il numero degli altari non corrisponda a quello de' sacerdoti, o alla molteplicità degli oblatori, dichiarò che concelebrando più sacerdoti su lo stesso altare, secondo il costume della Chiesa greca, insieme con un Vescovo o con altro sacerdote, ogni concelebrante possa applicare il sacrificio secondo la mente degli oblatori; purchè ognuno di essi sia vestito co' paramenti sacri, reciti intieramente tutta la liturgia, proferisca le parole della consacrazione, ed esplori la mente degli oblatori, se con ciò restino essi soddisfatti per l'elemosina somministrata.

Con tali provvedimenti, coerenti in tutto alla disciplina della Chiesa greca, volle Sua Beatitudine smentire li falsi clamori degli scismatici, soliti ne' passati tempi a lagnarsi che la Chiesa latina procurava di distruggere il rito greco, rimise questi in una piena osservanza, e diede a tutti una regola certa e fissa, alla quale dovessero conformarsi; ingiungendo l'obbligo alli Vescovi e sacerdoti di togliere dalla mente degli ignoranti la sciocca credenza che un sacerdote, servendosi di quei medesimi paramenti de' quali

altri siasi servito in quel giorno, e celebrando su quel medesimo altare sopra cui altri abbia celebrato, rompa il digiuno; con altre simili stolte opinioni, le quali ne' passati secoli ha saputo spargere la malizia o l'ignoranza degli scismatici.

Quindi, perchè il Patriarca Cirillo nel medesimo tempo fece premurose istanze che gli fosse trasmesso il sacro Pallio, la Santità Sua con eccesso di clemenza si degnò di mandarglielo insieme con alcuni sacri doni, col mezzo di Monsignor Emmanuele Vescovo di Babilonia, a cui conferì il carattere di delegato di questa Santa Sede. Ingiunse però a questo, che prima di rivestire il Patriarca del sacro Pallio, oltre alli giuramenti soliti prestarsi in simili occasioni, altro da questo ne esigesse, con cui si obbligasse di osservare per sè stesso, e fare osservare in tutto il patriarcato antiocheno dai suoi Greci-Melchiti la suddetta decretale.

Prestollo egli in presenza di due Vescovi del suo rito, di molti monaci e di alcuni missionarii latini, e quindi lo sottoscrisse di proprio carattere, e lo confermò col sigillo patriarcale. Ma dopo pochi giorni spedì in Roma il suo vicario D. Giuseppe Papilla, con commissione di fare istanza a Sua Santità della dispensa da quelli medesimi digiuni, astinenze e riti, de' quali aveva poco prima giurato l'osservanza. Espose questi che, attesa la lunghezza dei digiuni e delle astinenze, e la povertà dei cattolici, riusciva ad essi difficile di osservarli per tanti giorni, quanti erano enunciati nella decretale, e quindi fece istanza:

Primo: che fosse lecito ad essi di osservare il digiuno degli Apostoli per quei soli dodici giorni, che precedono la festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, allegando esser questo l'uso introdotto nel tempo del Patriarca Atanasio, col consenso degli altri patriarchi de' greci di Costantinopoli e di Gerusalemme.

Secondo: che togliendosi l'obbligo dell'astinenza dell'Avvento per quaranta giorni interi, si lasciasse ad ognuno la libertà di digiunare quel numero di giorni che gli venisse ispirato dalla propria divozione.

Terzo: che parimente si togliesse il precetto dell'astinenza del pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell'anno, asserendo l'uso contrario essersi già talmente introdotto e radicato, che non possa sperarsene l'abolimento.

Rappresentò ancora essersi già da dieci anni introdotto il costume di celebrare più Messe sullo stesso altare nel medesimo giorno, e che ne' giorni della Quaresima, oltre alla Messa dei Presantificati, si celebri il sacrificio intiero, e ciò non solo attesa la scarsezza ed angustia delle chiese non corrispondenti al numero dei cattolici e dei sacerdoti, ma ancora per riflesso alla quantità delle elemosine, le quali si offrono da essi a titolo di celebrazione di Messe; ed inoltre perchè possa aversi pronto il Sagramento della Santissima Eucaristia in tutti i tempi, nel caso che sia bisogno di ministrarlo agl'infermi.

Tali cose si è degnata Sua Santità di esaminare maturamente in tre congregazioni particolari tenute alla sua presenza, coll'intervento di alcuni Cardinali della Congregazione di Propaganda Fide; ed avendo riconosciuto, che le suddette istanze sono contrarie alla disciplina della Chiesa greca, e

che il permettere simili novità contro l'uso, sì antico che moderno, di essa, può apportare delle confusioni e dei disordini, anzi dello scandalo, e motivo di divisione alli nemici della religione cattolica (i quali devono restar convinti ed allettati a venerarla ed abbracciarla per la sua verità e santità, e non per la rilassazione dei digiuni e mutazione de' riti e consuetudini introdotte dalli Santi Padri della medesima Chiesa), ha determinato di comandare, come in fatti colla presente ordina e comanda al Patriarca di osservare intieramente la decretale da esso medesimo giurata.

Ad esso pertanto incombe il peso di esortare tutti i greci cattolici del patriarcato, e più particolarmente quelli della diocesi patriarcale, a riprendere i digiuni ed astinenze in tutta quella estensione di giorni, ed in que' tempi ne' quali sono stati quelli e queste osservate prima delle dispense da esso concedute, e prima delle innovazioni e moderazioni introdotte dall'Arcivescovo di Tiro e Sidone, Eutimio; ad astenersi dall'uso del pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell'anno; ed osservare il lodevole costume di celebrare una sola Messa sopra lo stesso altare, e di celebrare la sola Messa de' Presantificati nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì, e Venerdì della Quadragesima. E quindi, dovendosi egli servire con cautela, e precisamente nelle forme espresse nella decretale, della facoltà concessagli di dispensar con essi in caso di necessità, non dovrà dare dispense generali o perpetue, ma concedendole a qualche ceto o comunità, dovranno queste essere particolari di anno in anno, e per quel solo tempo che durerà la necessità della dispensa.

Dovrà altresì con tutta l'efficacia esortare i Vescovi del suo patriarcato a praticare lo stesso nelle loro diocesi, e a darsi tutta la cura che in esse sia pienamente osservata la medesima decretale.

Lo stesso dovrà praticarsi riguardo alla celebrazione delle Messe; tanto più che non è difficile l'erezione di nuovi altari e di nuove chiese in tutti i villaggi esistenti nelle montagne del Libano e dell'Anti-Libano; ed in molti luoghi è praticabile il costume, che molti sacerdoti concelebrino insieme: ciò che dovrà farsi nelle forme e regole prescritte nella suddetta decretale.

Perchè poi gl'infermi nell'estremo della vita non sieno privi dei santissimi Sagramenti, procurerà ogni Vescovo che in quelle chiese le quali sono possedute dalli cattolici, si conservi continuamente il santissimo Sagramento della Eucaristia, non già nella forma che dicesi praticarsi dagli scismatici, cioè di conservare indecentemente il Pane consagrato, seccato o al sole o al fuoco e di poi pesto, e che quindi è stata giustamente riprovata dalla Congregazione del Santo Offizio, ma con tutto rispetto e decenza nei ciborii; usando tutta l'attenzione, che le chiese sieno ben custodite dalle irriverenze degli infedeli.

Avendo Sua Santità inteso con sommo dispiacere quali disordini e confusioni provenissero dalle continue discordie dei missionarii latini, intorno ad alcuni cattolici, i quali, sebbene nati da genitori greci, eransi fatti battezzare dalli sacerdoti latini in mancanza di sacerdoti cattolici del proprio rito greco, e che perciò si chiamano *latinizzanti;* e quindi volendo togliere

ogni occasione di litigi e di scandali che con troppa frequenza da ciò nascevano, colla su accennata decretale determinò di dare ad ognuno di essi la libertà di scegliere quel rito che più ad ognuno piacesse, con obbligo di seguitarlo intieramente senza commistione di altro rito, e che se ne dichiarasse avanti la persona che da Sua Beatitudine sarebbe destinata.

A questo fine con suo breve speciale concedette le facoltà necessarie al suddetto Vescovo di Babilonia, di esplorare la mente di tali *latinizzanti*. Gli fu congiuntamente data istruzione di portarsi in Damasco, interrogare ognuno, qual rito volesse seguitare, il latino oppure il greco, secondo la piena libertà loro conceduta da Sua Beatitudine; e quindi formate due note distinte, una di quelli che avessero voluto restare nel rito latino, l'altra di quelli che avessero scelto il rito greco, quella consegnasse alli Padri di Terra Santa come parrochi de' latini nella chiesa di Damasco, l'altra trasmettesse al Patriarca Cirillo, acciocchè riconoscendoli per sudditi, li provedesse di sacerdoti greci cattolici, i quali amministrassero loro i sagramenti.

Si portò il delegato in Damasco, e visitò ad una ad una le case de' *latinizzanti*: ma avendo riconosciuto, conforme asserisce, che giammai in Damasco erano mancati sacerdoti cattolici di rito greco, pubblicò un decreto, con cui ordina, che tutti i suddetti *latinizzanti* debbano riprendere il rito greco.

Siccome pertanto, quand'anche il fondamento di questo decreto sussistesse, egli nel pubblicarlo ha ecceduto li limiti delle sue facoltà, e con esso ha tolto alli sudditi *latinizzanti* quella libertà di scegliere il rito, la quale ad essi concedesi nella decretale (poichè piuttosto avrebbe dovuto notificare alla Santa Sede Apostolica una circostanza non nota, e sopra di essa esplorare la mente di Nostro Signore); quindi è che la Sua Santità inerendo anche su questo punto alla disposizione della decretale, e previa l'irritazione del suddetto decreto del delegato, quale dichiara nullo e di nessun valore ed efficacia; e non ostante che alcuni di essi in esecuzione di tale decreto fossero nuovamente passati al rito greco, rimette tutti e singoli i suddetti *latinizzanti* nella piena libertà di sceglier l'uno o l'altro rito, latino o greco, sebbene sieno nati da genitori greci, e, quando furono battezzati dalli latini, vi fossero in Damasco o nelle vicinanze i sacerdoti greci cattolici.

In vigore pertanto di tale permissione dovrà ognuno di essi scegliere o il rito greco o il latino, e dichiararsene avanti la persona la quale sarà a questo fine specialmente deputata da Sua Beatitudine. E perchè si è preinteso che di simili *latinizzanti* se ne trovino alcuni nei villaggi vicini alla città di Damasco, ed altri in altre città del patriarcato antiocheno, perciò Sua Santità dichiara compresi tutti nella disposizione della decretale, e concede a tutti la medesima licenza di seguitare il rito latino quando lo vogliono, oppure di ritornare al rito greco: colla condizione però che quelli tra *latinizzanti* i quali non sono ancora giunti all'uso della ragione, seguano il rito de' loro genitori, se questi avranno scelto un medesimo rito, altrimenti abbraccino il rito del padre. Dovranno bensì tutti questi, quando bramino di restar latini, conformarsi intieramente al rito latino, e perciò

osservare esattamente le astinenze ed i digiuni della Chiesa latina, santificarne le feste secondo il calendario gregoriano, ed essere immediatamente sottoposti alli parochi latini: e nella stessa maniera, quelli che avranno scelto di ritornare al rito greco, dovranno osservare tutti li digiuni, astinenze ed altre lodevoli consuetudini della Chiesa greca, secondo le disposizioni della decretale; e quindi essere soggetti alli loro sacerdoti cattolici, ove questi si trovino.

E perchè, attese le presenti circostanze delle cose, non in tutte le città del patriarcato antiocheno i greci-melchiti cattolici hanno chiese del proprio rito, e dall'altro canto devono con ogni cautela astenersi dal comunicare *in divinis* cogli scismatici; perciò sì li Padri di Terra Santa, come anche gli altri missionarii latini dovranno dare ad essi tutto l'aiuto, anzi espressamente permetter loro di esercitar le funzioni del loro rito nelle chiese, oratorii o cappelle delle missioni; destinare i giorni e le ore, nelle quali possano i sacerdoti greci celebrare le Messe, ascoltare le confessioni, predicare alli loro nazionali, ed istruirli nei rudimenti della fede cattolica: ricordandosi essere eglino mandati nel Levante a solo oggetto di purgare que' popoli dagli errori e ricondurli al grembo della Chiesa Cattolica con mezzi dolci e soavi, e non già per dilatare la propria giurisdizione con pregiudizio di quella de' prelati della Chiesa orientale.

Per questo medesimo fine Sua Santità ordina che si osservi esattamente ciò che nella decretale si prescrive, intorno al passaggio dei greci al rito latino. E perciò proibisce espressamente a tutti i missionarii latini di qualunque Ordine ed Istituto, anche della Compagnia di Gesù, sotto le pene espresse nella suddetta decretale, che veruno di essi ardisca d'introdurre presso i Greci-Melchiti novità alcuna, la quale possa tendere al disprezzo, o alla alterazione, o imminuzione del loro rito e lodevoli consuetudini, e molto meno di insinuare, o persuadere alcuno de' greci di lasciare il proprio rito e di passare al latino: rinnovando in ciò la dichiarazione, che quelli i quali in avvenire riceveranno il Battesimo dalli sacerdoti latini, in deficienza di sacerdoti greci cattolici, non s'intende perciò che debbano esser latini: ma, sebbene per i suddetti motivi ricevano i sagramenti dalli latini, dovranno almeno osservare il rito greco ne' digiuni ed astinenze, ed in tutte le altre cose che non riguardano i sagramenti.

Similmente sebbene per lo passato, attesi i decreti della Congregazione del Sant'Offizio e di quella di Propaganda Fide, sia stato lecito agli Orientali di passare da un rito orientale all'altro; ciò non ostante volendo togliere ogni occasione di litigio e di animosità alli rispettivi prelati di quelle chiese, rinnova l'ordine già espresso nella decretale, con cui si proibisce al Patriarca ed alli Vescovi maroniti non solo d'ingerirsi in qualunque maniera nelle cose spirituali della nazione greco-melchita, e quindi di usurparsi quella giurisdizione ed autorità che sopra di essa compete al Patriarca greco-melchita antiocheno ed ai suoi Vescovi; ma ancora di insinuare alli greci il passaggio al rito maronita, e di ammetter quelli che volessero spontaneamente abbracciarlo, quando non ne abbiano precedentemente ottenuto la speciale licenza dal Sommo Pontefice Romano.

ÚSTREDNÍ KNIHOVNA
právnické fakulty UJEP
BRNO

Ma siccome quelli greci e que' soriani, i quali per lo passato abbandonando il proprio rito sono passati tra maroniti, hanno ciò fatto sull'autorità dei decreti delle sovraccennate Congregazioni, delle quali quella di Propaganda, nel 1713 e nei due anni susseguenti, non ostanti le replicate premurose istanze di Eutimio Arcivescovo greco di Tiro e Sidone, che fosse proibito alli monaci maroniti di ricevere i greci, e di farli passare al rito maronita, lo esortò a desistere da tali premure, sul riflesso che i decreti di essa proibitivi del passaggio da un rito all'altro hanno luogo solamente tra li greci e li latini, e non tra orientali ed orientali, tra quali non v'era proibizione alcuna; e quella del Sant'Offizio nel 1740 dichiarò che quei soriani, i quali già da molti anni erano passati al rito maronita, non dovessero essere obbligati a ripigliare il proprio rito, ma piuttosto doveansi lasciare nel rito da essi abbracciato; quindi è che la Santità Sua, previa la circoscrizione del decreto del Delegato Apostolico fatto contro il tenore della decretale, cioè che tutti quei greci i quali sono passati al rito maronita, debbano ritornare al proprio antico rito, e di altro simil ordine in coerenza di quello del Delegato, pubblicato dal Patriarca dei Maroniti, e forse anche da' suoi Vescovi; dichiara che tali greci e soriani non siano tenuti di lasciare il rito maronita, ma possono restare in esso quando lo vogliano; proibisce però che in avvenire verun greco possa passare al rito maronita senza averne precedentemente ottenuto la permissione del Romano Pontefice.

Riguardo poi al monastero eretto nel villaggio di Zuc Micail nel Kesroano, per quelle zitelle della nazione e rito greco-melchita, le quali eleggano di servire al Signore in perpetua castità, sebbene colle risoluzioni e provvedimenti espressi nella decretale doveasi sperare che si fossero tolte le discordie, e che, sottomettendosi tutti intieramente alle decisioni di questa Santa Sede, non venisse più lungamente impedito un benefizio, il quale la nazione ha procurato alle proprie figliuole colla spesa di molto danaro; ciò non ostante si è inteso con sensibile dispiacere, che siano più che mai cresciute le discordie, e che non ostante l'incombenza data al Delegato di fare eseguire i decreti sopra di ciò emanati, questi non abbiano ancora prodotto l'effetto che dovevano: anzi con decreto provisionale del medesimo Delegato se ne sia sospesa l'esecuzione, avendo egli posto il monastero sotto la direzione di un sacerdote secolare, ed in assenza di questo sotto quella del solo Patriarca, e con ciò sospesa ogni ingerenza de' monaci e la giurisdizione dell'Ordinario. Quindi è che Sua Santità, volendo por fine a questa controversia, la quale già da molt'anni tiene in discordia e divisione la nazione greco-melchita, ed impedisce che altre simili divote zitelle non entrino nel monastero, previa la circoscrizione del decreto provisionale del Vescovo di Babilonia, rinnova gli ordini su questo punto espressi nella decretale: e perciò nuovamente dichiara che il suddetto monastero è proprio della nazione greco-melchita, talmente che non sia lecito nè al Patriarca nè alli Vescovi di ammettervi zitelle di altra nazione e rito; ordina e vuole che il governo sì spirituale che temporale di esso spetti alli monaci basiliani della Congregazione di S. Giovanni in Soairo, con l'immediata subordinazione all'Arcivescovo di Berito, Ordinario del luogo, e mediata al Patriarca greco

antiocheno, quando e questi e quello sieno cattolici; ed in deficenza di Patriarca e di Ordinario cattolico, il monastero sia immediatamente soggetto all'abate generale, come a delegato della Santa Sede.

Attribuisce all'abate generale de' suddetti Monaci il *ius* di deputare uno de' suoi monaci per confessore ordinario, ed altro per istraordinario di esse, previa l'approvazione del suddetto Arcivescovo, il quale possa altresì destinare altro confessore straordinario, quando lo richiegga il bisogno delle monache, desumendolo da missionarii latini, sì secolari che regolari, di qualunque Ordine ed Istituto.

E siccome in questo monastero non deve osservarsi altra regola che la genuina di S. Basilio, quale è stata trasmessa alli monaci, e da essi abbracciata, così le monache di questo dovranno riceverla ed osservarla, e quindi astenersi dall'uso della carne nel senso della medesima regola: concedendosi al suddetto abbate generale la facoltà di permetterne l'uso a qualcheduna in caso d'infermità, e nella maniera che sarà espressa nelle costituzioni da formarsi.

Queste poi permettendosi che possano desumersi da quelle di S. Francesco di Sales, eccettuatone però tuttociò che possa essere contrario al rito, alla disciplina e consuetudini della Chiesa greca, ed al costume della nazione del paese, dovranno compilarsi dall'abbate generale de' monaci soariti, il quale le presenterà all'Arcivescovo ordinario. Questi dopo averle diligentemente esaminate ed approvate, le esibirà alle zitelle, dando ad esse un congruo tempo per riconoscerle, e quando convengano di accettarle, si sottoscrivano di proprio carattere dalle medesime: e poscia dall'Arcivescovo dovranno trasmettersi alla Congregazione di Propaganda Fide, acciò le esamini, e trovandole degne di approvazione, le presenti al Romano Pontefice per ottenerne la confermazione.

Inoltre non essendo giusto che quelle zitelle le quali si trovano fuori del monastero, per aver voluto osservare le convenzioni da esse fatte nel 1736 nella città di Aleppo coi monaci soariti, restino più lungamente prive del diritto che loro compete sopra del monastero, per la di cui costruzione sì esse che i loro congiunti hanno contribuito gran parte del denaro occorso per la fabbrica, e non possano soddisfare il pio desiderio che nutrono, di consagrare a Dio la loro verginità co' voti solenni; perciò Sua Beatitudine ordina e vuole che esse sieno subito ammesse nel monastero, e quando persistano nel santo proponimento di monacarsi, queste e tutte le altre che vorranno professare, siano ammesse ancora alla professione solenne. I voti solenni poi sì ora, che in avvenire dovranno farsi nelle mani dell'abate generale *pro tempore* de' monaci della Congregazione di S. Giovanni in Soairo.

Che se alcune delle zitelle, le quali si trovano attualmente nel monastero, non vorranno professare, dovranno ciò non ostante conformarsi intieramente al modo di vivere delle altre, osservare le regole e le costituzioni del monastero, essere subordinate alla immediata giurisdizione dell'Ordinario, ed alla direzione sì spirituale che temporale de' monaci soariti, e finalmente sottomettersi a quanto si prescrive nella decretale dei 24 decembre 1743 e nella presente Istruzione. In caso contrario dovranno essere subito dimesse,

acciò non siano all'altre di disturbo: e sebbene avessero contribuito qualche danaro per la fabbrica del monastero, ciò non ostante non avranno alcun diritto di ripeterlo, avendone esse fatto una pia limosina, e perciò irrepetibile.

Siccome poi questo monastero viene computato tra quelli che appartengono alla Congregazione de' Monaci di San Giovanni in Soairo, ad essa unito ed incorporato, perciò qualora per il sostentamento delle monache, e di quelle vergini che eleggeranno di stare in esso, e vi saranno ammesse, e per i loro alimenti ed altre cose simili, non sieno sufficienti le elemosine le quali saranno date dalla pietà de' fedeli, e ciò che potrà ricavarsi dal lavoro delle loro mani, con tanta lode praticato sempre ne' monasteri della Chiesa orientale; l'abbate generale de' suddetti monaci sarà tenuto di somministrare sì li alimenti, come tutto quello che possa esser necessario per il mantenimento del monastero, e ciò con i proventi di tutta la Congregazione.

Dato in Roma dal Palazzo della medesima Sagra Congregazione li 15 febbraio 1746.

V. Card. PETRA *Prefetto*

NICCOLÒ LERCARI *Segretario.*

Loco † Sigilli.

Praeinsertam itaque Instructionem, quo firmius subsistat et servetur exactius, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes easdem praesentes litteras, etc.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 356].

367.

Benedictus XIV, ep. *Redditae Nobis*, 9 apr. 1746.[1]

§ 1. Redditae Nobis sunt Literae Tuae, quibuscum una ad Nos misisti disceptationem Advocati Petri Brogiani, ut de iis, quae a Te proponebantur, quae nostra sententia sit, diceremus.

Primum: *An Patronus Ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad Beneficium Curatum eum, qui inter approbatos ab Examinatoribus magis idoneus, et magis dignus est?*

Secundum: *An Episcopus, ad quem spectat dare institutionem, debeat sequi iudicium Patroni de magis idoneo, magisque digno, an potius inquirere, rectum ne sit Patroni iudicium, an secus?*

Tertium: *Si appellaverit, qui se digniorem esse putat, et posthabitus est: an suspendi debeat institutio praesentati, an vero haec debeat suum effectum sortiri; paucis, an appellatio interposita locum habeat in devolutivo tantum, an potius etiam in suspensivo?*

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Florentino.

§ 2. Ut igitur exordiamur a prima quaestione, in qua quaeritur, an Patronus Ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad Beneficium Curatum eum, qui magis idoneus, magisque dignus est inter approbatos ab Examinatoribus; respondemus, *teneri*. Nam antiquis omnibus disputationibus omissis, cum iuxta Concilii Tridentini praescriptum in Beneficiis Curatis coram Examinatoribus Synodalibus concursus haberi debeat, debeantque Examinatores Synodales approbare eos, qui magis idonei sunt, quorum deinde unum debet Patronus Ecclesiasticus Episcopo praesentare, ut ei institutionem praebeat, haec agendi ratio, ac methodus necessario secum fert, ut Patronus Ecclesiasticus teneatur praesentare eum, quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus existimat.

§ 3. Verba Concilii satis per se clara sunt in cap. XVIII, sess. 24, *de Reformatione: Si vero Iurispatronatus Ecclesiastici erit,* loquitur de Beneficio Curato, *ac institutio ad Episcopum, et non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo praesentare tenetur, ut ab eo instituatur.*

§ 4. Quod procedit, etiamsi Episcopus Patrono non intimaverit, ut digniorem praesentet, quam cautionem memorat Abbas *in cap. Constitutis 2, de appellationibus.* Quoniam quidquid sit de utilitate huius cautionis ante Concilium Tridentinum, superflua certe est post idem Concilium, a quo in Beneficiis Curatis Patronatus Ecclesiastici demandatus est concursus; et iniunctum fuit Patrono Ecclesiastico, ut eum praesentet, quem inter probatos, ab Examinatoribus digniorem, magisque idoneum censebit, quod valet amplius quacumque admonitione, seu interpellatione, quam Episcopus Patrono Ecclesiastico faciat.

§ 5. Expediti a prima quaestione, ad alteram transibimus, in qua quaeritur: An Episcopus, ad quem pertinet instituere, sequi debeat iudicium Patroni circa magis idoneum, magisque dignum, an potius inquirere, iudicium eiusdem Patroni rectum ne sit, an non; et quod ad hanc quaestionem attinet, censemus necesse unum ab altero casum distinguere.

§ 6. Nam, aut inter probatos ab Examinatoribus nemo est, qui de Patroni iudicio queratur, a quo, puta Titius magis idoneus, magisque dignus aestimatus est, isque Episcopo praesentatus, et tum Episcopus sequi debet iudicium Patroni, neutiquam vero in eius iudicium inquirere. Nam a Sacro Concilio non praescribitur, ut digniorem instituat, sed quem Patronus inter approbatos ab Examinatoribus digniorem iudicaverit: *quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit.* Ut bene animadvertit Fagnanus in suis manuscriptis, quae apud Nos extant super cap. XVIII, sess. 24, *de Reformatione. Et non potest Episcopus opponere, quod Patronus Ecclesiasticus non vere digniorem, sed quem ipse Patronus digniorem arbitratur, elegerit, et Episcopo praesentaverit, quia Concilium voluit absolute institui illum, quem Patronus tanquam digniorem elegerit.*

§ 7. Et in huiusmodi facti specie locum habet rescriptum Congregationis Concilii ann. 1573, ut videre est lib. 1, *Decretorum*, pag. 167. Verba autem haec sunt: *Sacra etc. censuit, si Parochia sit Iurispatronatus Ecclesiastici, et institutio ad Episcopum pertineat, facultatem iudicandi digniorem*

inter idoneos probatos ab Examinatoribus, spectare ad Patronum Ecclesiasticum, et Episcopum teneri instituere eum, quem dictus Patronus iudicaverit digniorem, et ipsi Episcopo praesentavit.

§ 8. Aut inter ab Examinatoribus idoneos probatos aliquis est, qui iudicio Patroni minime acquiescens coram Episcopo, cuius est dare institutionem, queritur, se posthabitum fuisse, licet magis dignus, et idoneus altero sit, quem Patronus tanquam digniorem, et magis idoneum Episcopo praesentavit; et hoc secundo casu cum Episcopus Iudicis Personam sumere cogatur, sequi non debet Patroni iudicium circa magis idoneum, magisque dignum, sed priusquam institutionem concedat, in Patroni iudicium inquirere, ut inter alios recte considerant *Garzia, de Benefic.*, par. 9, cap. 2, num. 265 et seq. et praecipue num. 268 et seq. et *Ventrilia in prax. rer. Eccles.*, tom. 2, adnot. 5, § 2, num. 5, 6.

§ 9. Non obstat, si quis assereret etiam hoc secundo casu clausis oculis sequendum esse Patroni iudicium de magis idoneo, magisque digno, perinde ac si id consentaneum sit verbis Concilii superius laudatis: *Quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit.* Nam praetermissis, quae a Doctoribus dicuntur, nempe ea verba intelligenda esse de iusto, vero, proboque iudicio, ut videre licet apud *Massobrium in praxi habendi concursum,* requis. 5, dub. 1, num. 43, 44. Concilium agens de Beneficio Curato Patronatus Ecclesiastici inquit: *quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit.* Non multo autem superius loquens eodem loco de Beneficio Curato liberae collationis Ordinarii, his verbis utitur: *Episcopus,* inter eos, qui probati sunt tanquam idonei ad Examinatoribus Synodalibus, *eum eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.*

§ 10. At vero si quis ab Examinatoribus probatus tanquam idoneus contra iudicium, quod secundum alterum tulit Episcopus eum praeeligendo, institerit, auditur, et ab appellationis Iudice expenditur, Episcopi iudicium rectumne probumque sit, an pravum, atque iniustum, ut quotidie re ipsa contingit, et definitum legitur a San. mem. Pio V Praedecessore Nostro in sua Constit. XXXIII *In conferendis.*[1] Multo magis quaeviscumque sint Concilii verba; si quis inter probatos ab Examinatoribus actionem moveat contra iudicium a Patrono latum, aequum iustumque erit, ut audiatur, et munus erit Episcopi, ad quem instituere in beneficio pertinet, diligenter inquirere, Patroni iudicium utrum valeat, nec ne; regulisne iustitiae, an secus innitatur.

§ 11. Superest tertia quaestio, in qua, ut superius diximus, quaeritur, si is, qui se digniorem existimat, et posthabitus est, suspendi debeat institutio praesentati, an potius eam exequi oporteat; paucis, si appellatio interposita locum habeat in devolutivo dumtaxat, an etiam in suspensivo. Et hic etiam opus esse videtur unum casum ab altero distinguere. Nam aut iudicium Episcopi convenit cum illo Patroni Ecclesiastici, adeo ut is, qui praesentatus est a Patrono Ecclesiastico tanquam magis idoneus, et dignus, talis etiam ab Episcopo iudicetur, et isti institutio ab Episcopo concedatur, si posthabitus a Patrono, et ab Episcopo appellat, eius appellatio in devolutivo

[1] Cf. N. 119.

tantum locum habebit, et illi, qui institutus est ab Episcopo, Parochiae possessionem minime retardabit.

§ 12. Et quidem si agatur de Ecclesia Parochiali liberae collationis Episcopi, et ab Episcopo uni ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus tanquam digniori, et magis idoneo institutio detur, is, qui inter probatos ab eisdem Examinatoribus se iniuste posthabitum ab Episcopo contendit, sibique, et non alteri debitam esse institutionem, appellans obtinere nequit, ut sua appellatio suspensiva sit, quae non alia ratione admittitur, nisi in devolutivo iuxta paragraphum octavam laudatae Constitutionis *In conferendis* San mem. Pii V, multo magis cum agitur de Ecclesia Parochiali Iurispatronatus Ecclesiastici, et in digniori magisque idoneo iudicando Patronus et Episcopus consentiunt, qui inter probatos ab Examinatoribus Synodalibus contendit, a Patrono, et ab Episcopo iniuriam sibi illatam esse, si appellationem interponat, eius appellatio non in suspensivo, sed dumtaxat in devolutivo admittetur. Nam primo casu appellanti iudicium solius Episcopi; secundo autem casu praeter Episcopi iudicium etiam Patroni ei adversatur.

§ 13. Aut enim, ut alteram distinctionis partem prosequamur, in ferendo iudicio de magis digno, magisque idoneo sententia Episcopi, et Patroni Ecclesiastici minime concordant, et tum si quis ex approbatis ab Examinatoribus, et tanquam magis dignus praeelectus est a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, neque eius iudicio acquiescere vult, et ideo provocet, eius appellatio ad suspensionis effectum operari debet, et Ecclesia Parochialis sub Oeconomo remanere, donec lis inter eum, qui dignior habitus est a Patrono, et alterum, qui ab Episcopo, et ideo ut dignior in Parochiali Ecclesia institutus est, finiatur. Nam hoc casu considerari debet praeelecto ab Episcopo refragari iudicium Patroni, nempe eius, cui praecipue Concilium electionem inter idoneos elargitum est; cuius iudicio, si nemo sit, qui adversetur, standum esse voluit, ut paulo ante adnotavimus; eius demum, ad quem in paritate meritorum pertinet uni, vel alteri gratificari, ut apud *Grat.* loc. laudat., num. 264, et apud *Ventrill.*, loco pariter cit., num. 5.

§ 14. Quae cum ita se habeant, nimis durum esset, si quis causa cadens in secundo iudicio, quod fert Episcopus, et propterea appellationem interponeret; deinde eius appellatio non operaretur nisi in devolutivo, et non etiam in suspensivo, cum regula in iure certa sit, cum aliquis in primo iudicio victor in altero succumbit, si a secundi Iudicis sententia appellet, eius appellationem non solum in devolutivo, sed etiam in suspensivo valere.

§ 15. Si opponeretur in huiusmodi causis omne appellandi ius sublatum esse a Concilio Tridentino, cit. cap. 18, vers. *in omnibusque*, sess. 24, *de reformatione*, scire oportet, Concilium ibi loqui de eo, qui a relatione Examinatorum Synodalium provocat, a quibus idoneus probatus non est, cum se talem esse existimet, quod nihil pertinet ad speciem facti a Nobis propositam, in qua agitur de appellante ab irrationabili iudicio Episcopi, cuius generis appellatio ignota fuit Sacro Concilio, sed usu introducta est a San. mem. Pio V in laudata Constitutione, ut bene etiam considerat Fagnanus in suis mss. superius citatis. Insuper et illud opus est intelligere, si quis

contenderet argumentari posse a casu appellantis a mala relatione Examinatorum ad casum appellantis ab irrationabili iudicio Episcopi, eius argumentatio longius procederet, quam vellet, cum nec ipse velit provocantem ab irrationabili iudicio Episcopi non audiri saltem in devolutivo, et Doctores doceant appellantem a mala relatione Examinatorum, eius appellationem aut neque in devolutivo admitti, aut certe ad eum dumtaxat finem, ut famae, atque existimationi suae appellans consulere possit, amovendo notam ab Examinatoribus sibi inustam, nunquam vero, ut Ecclesiam Parochialem consequi possit, ut ad propositum nostrum bene disserit Massobrius *in praxi habendi concursum*, requis. 5, dub. 4, Ventrill. *in praxi rerum Ecclesiasticarum*, part. 2, annot. 5, § 2, num. 48.

§ 16. Haec quidem sunt, quae opportunum esse duximus exponere, ut responderemus iis, quae a te quaerebantur ea hebdomada, quae Nobis omnium totius anni laboriosissima est, nempe Hebdomada Sancta. Te autem interea benevolo animo in caritate Dei complectentes tibi, tuisque omnibus in Florentina Dioecesi commorantibus Apostolicam Benedictionem impertimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 24-30].

368.

Benedictus XIV, ep. *Accepimus*, 16 apr. 1746.[1]

§ 1. Accepimus in Civitate vestra frequenter exponi publice Divina Mysteria, et imperitam multitudinem in eo errore versari, ut arbitretur non lucrari Indulgentias, quae conceduntur Christifidelibus ad Ecclesiam accedentibus, nisi publicae venerationi in iisdem sacris aedibus Divina Eucharistia proponatur.

§ 2. Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum indulgentias assequantur illi, qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quae praescribuntur ab eo, qui sacras Indulgentias elargitus est. Quamobrem si minime praecipiatur Fidelibus, ut sacra Mysteria publice exposita venerentur, apertissime constat in errorem maximum adduci eos, qui asserunt Indulgentias, quae tribuuntur Fidelibus Ecclesiam invisentibus, haud comparari, nisi sacrum Eucharistiae Sacramentum in ipsa adorationi publicae exhibeatur.

§ 3. In Dioecesi Tullensi (uti deprehenditur ex Rituali probati Viri Cardinalis de Bissy, pag. 255) quidam Regulares contenderunt se posse Divina Mysteria publice exponere, licet Episcopi facultas non intercederet, ob eam causam, quod Indulgentias ipsorum Ecclesiis concessas lucrari populus minime posset, nisi, cum ad easdem Ecclesias accederet, Divinam Eucharistiam publice expositam adoraret. Itaque Cardinalis de Bissy in Rituali, quod superius nominavimus, inanem prorsus ipsorum opinionem demonstravit, eo quod in illis Indulgentiis concedendis indictum non fuerat, ut

[1] Venerabili Fratri Episcopo Warmiensi.

Fideles pro Indulgentiis lucrandis ante Sacramentum Eucharistiae publice expositum preces effunderent.

§ 4. Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quae Fidelibus conferuntur, qui Deum precantur in illis Ecclesiis, ubi Divina Mysteria spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt; etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a quadraginta horis continuis nomen accepit. Equidem veteris disciplinae severitate remissa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum publice relinquatur. De hac re plura tradita sunt in Libro Patris Theodori a Spiritu Sancto Carmelitae discalceati adhuc superstitis, qui inter Consultores Congregationis Indulgentiarum adnumeratur, tom. 2, cap. 2, art. 3, § 2. Ipse quoque commemorat in eadem Congregatione propositum ac disceptatum fuisse, utrum abroganda videretur inducta iam consuetudo, ob quam peculiares quaedam Indulgentiae concedi solent, cum Divina Mysteria minori pompa in Ecclesiis adoranda proponuntur, responsumque fuisse, nihil certi statui oportere, cum a diversis rerum, ac temporum circumstantiis id omnino pendeat, ac diiudicandum sit.

§ 5. Hactenus de illorum errore, qui se carere Indulgentiis putant, nisi Eucharistiae Sacramentum prostet in Ecclesia, licet inter opera praescripta id minime recenseatur, nunc ad alia, quae a Nobis postulantur, respondeamus, videlicet, an sacra Eucharistia, quae frequentissime in ista Civitate publice exponi solet, deinceps adorationi Fidelium rarius exponenda videatur; an etiam Ecclesiae, an dies, in quibus id permittendum iudicabitur, ab Episcopo designari debeant.

§ 6. Illud in primis certissimum est huic Sedi Apostolicae, in quibuscumque Ecclesiis etiam privilegio immunibus sive saecularibus, sive Regularibus, non licere exponi publice Divinam Eucharistiam, nisi causa publica, et Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut causae publicae meritum expendat, ac declaret. Id Nos ipsi luculenter ostendimus in nostra Institutione, quam Bononiae in lucem emisimus, cum illam Ecclesiam praesentes administraremus, et quae italico sermone a Nobis confecta decimo loco tomi secundi continetur. Ipsa nuper cum reliquis latine reddita fuit, quae omnes typis quamprimum committentur. In illa igitur Institutione cognitum perspectumque fecimus, quam difficile reipsa sit decernere, utrum probanda, an improbanda sit Eucharistici Sacramenti frequens expositio. Haec sane quaestio conferri potest cum alia quaestione, utrum consentaneum magis iudicetur rem Divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere; utrum pariter illi, qui Sacerdotes non sunt, et tamen ad percipiendam Eucharistiam quotidie accedunt, laude, an censura digni videantur. Nullum his quaestionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiae, ex quibus omnis solutio difficultatis desumenda est.

§ 7. Ii, qui frequentes Eucharistiae expositiones improbant, in medium afferunt irreverentiam, quae plerumque cum eiusmodi frequentia coniungitur. Contra vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter in

ista Civitate Sacra Mysteria publice exponantur, quae si abrogetur, fore ut populi Religio, ac pietas imminuatur, ac turbae concitentur. Itaque, qui praesens isthic versaris, et animarum curae ac gubernio praepositus es, omnem operam, studiumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac veneratione Divinam Eucharistiam prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum existimes, frequentes Eucharistiae expositiones diminuere, ea prudentia consilioque hoc negotium administres, ita ut pusilli nullum scandalum, et offensionem patiantur; Rectores Ecclesiarum convoces, cum quibus tempus idoneum constituas, quo sacra Mysteria exponenda in qualibet Ecclesia sibi videantur; ipsas Divinae Eucharistiae expositiones ita distribuas, ut in singulis urbis Regionibus sacra Mysteria publicae venerationi quotidie exhibeantur, ne populus cultum deserat, quem Sacrae Eucharistiae praestare consuevit. Interim, si plebem in eodem errore permanentem deprehendas, videlicet Indulgentiam nullam haberi, nisi in Ecclesia Divinum prostet Eucharistiae Sacramentum, tum populo pollicearis te rogaturum abs Sede Apostolica, ut novam, ac veram Indulgentiam elargiatur illis, qui deinceps Ecclesiam, vel Ecclesias invisent, ubi Sacra Mysteria exposita publice fuerint. Quod si a Nobis haec postulentur, populi votis obsecundabimus, eumque Thesauris Indulgentiarum cumulare non omittemus. Haec scribenda ad te putavimus, ut responsum propositis quaestionibus redderemus. Postremo Tibi Benedictionem Apostolicam impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 31, 32].

369.

Benedictus XIV, ep. *Pontificia*, 27 maii 1746.[1]

Pontificia commendatione nostra prosequimur debitum tuae erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem obstrictae obedientiae obsequium, et laudabile pastoralis sollicitudinis, ac vigilantiae officium, quo supplex ab eadem Apostolica Sede consulta petis, quibus instructus in commissa Tibi istius Dioecesis administratione Te pro munere Fraternitati Tuae iniuncto provide sapienterque cum aeterna Christifidelium salute gerere debeas. Reperiri siquidem, ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositam refers, quamplurimos in ipsa Dioecesi Tua Regulares Viros, qui habitu, et super habitu Mozzettam induti extra Claustra in Saecularium Hominum domibus degentes, ad Terram colendam, saecularia negotia obeunda, ac mercaturam faciendam incumbunt; adeoque mores a Religiosa vita longe alienos pravosque non sine bonorum offensione, ac scandalo praeseferunt. Alios praeter ea significas Regulares Viros esse, qui ex uno ad alterum Religiosum Ordinem se Apostolica auctoritate translatos fuisse asserunt; atque adeo in hoc altero Ordine constituti, facultatem licentiamque sibi inesse iactant, qua sibi liceat extra Claustra itidem commorari, agriculturam pariter exercere, et mercaturae operam navare. Nos itaque Fraternitati Tuae in memoriam revocamus, omnes et singulos Regulares Episcopo in Civilibus subiectos esse, eosdemque Religiosos, cuiusvis Ordinis, et Instituti sint, extra Claustra degentes, et delinquentes subiectos esse Ordinario Loci, ut Sedis Apostolicae Delegato, qui eos visitare, punire, et corrigere potest, uti conceptis verbis statutum est a Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 3, *de Reformatione*. Praeterea laudatum Concilium Tridentinum, sess. 14, *de Reformatione*, cap. 11, quoad translatos statuit, ac praescribit, ut quilibet translatus in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in Claustro perpetuo maneat. Unde fit, ut super quolibet translatorum huiusmodi extra Claustra commorante, ac degente Antistes loci Ordinarius vigore memorati Decreti Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 3, *de Reformatione*, omnem habeat iurisdictionem, illamque libere, et licite exercere possit, et valeat. Quo autem pacto Te cum translatis quibuscumque sibi Apostolica auctoritate, ut extra Claustra libere vivant, indultum fuisse asserentibus agere oporteat, certiorem facimus, nemini iuxta ordinatas, statutasque regulas ex una ad aliam Religionem, nisi in illa, ad quam quemvis transferri contigerit, vigeat Claustralis, ac Regularis observantia, et quae non sit hospitalaria, aut militaris, transitum impertiri. Quod si vero aliquando audieris cum aliquo Religioso Viro ab Apostolica hac Sancta Sede benigne dispensatum fuisse, ut vel in habitu Sacerdotis Saecularis permanere, vel ad aliam Religionem, in qua Claustralis, et Regularis observantia non vigeat, transire posset, Te doctum volumus, id sane perraro, et gravissimis, rationalibusque de causis fieri. Hisce demum ita expositis, cum ad Fraternitatem Tuam relatum fuerit, esse ac reperiri quemlibet Religiosum Virum, qui se Indulto quocunque huiusmodi donatum uti, frui, ac gaudere contendat, eumdem opus est, ut ad tale Indultum Tibi ostendendum primum, etiam adhibita vi, compellas, atque insimul, postquam illud perlegeris, diligenter expendas causas in ipso Indulto contentas et expressas, verae ne, an falsae sint. Quod si illud Indultum commonstrare, et tradere detrectaverit, adversus ipsum, iuris ordine servato, statim procedas iuxta facultatem Tibi attributam in supradicto Tridentinae Synodi cap. 3, sess. 6, *de Reformatione*. Et si Indulti causas minime veras esse compereris, ne dubites super eius subreptione, seu obreptione pronuntiare, et adversus Religiosum procedere extra Claustra sine facultate degentem. Caeterum Fraternitati Tuae persuasum esse optamus, Nos nunquam passuros esse, ut quaecumque Apostolicae nostrae caritatis supremaeque auctoritatis ad oves Tibi creditas, de quibus districta a Te non minus Nobis, quam Pastorum Principi Iesu Christo Aeterno Iudici ratio reddenda est, saluberrime pascendas regendasque conducentia exoraveris, officia a Fraternitate Tua desiderentur. Interim Fraternitati Tuae Apostolicam Benedictionem peramanter elargimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 53, 54].

[1] Venerabili Fratri Bernardo Episcopo Sancti Pauli in America Lusitana.

370.

Benedictus XIV, const. *Ubi primum*, 2 iun. 1746.

Ubi primum de perversa quadam, et absurda praxi in Sacramento Poenitentiae administrando apud nonnullos Confessarios in Portugalliae, et Algarbiorum Regnis introduci coepta, non sine animi Nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; praetermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum, ac Ditionum Archiepiscopos, et Episcopos Apostolicis Nostris Literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero Literarum die septima mensis Iulii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas praesenti huic nostrae Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. *Suprema*, etc.

Omittuntur litterae, quia eas habes supra, in N. 360.

Has porro Nos Literas in forma Brevis tunc datas iterum praesentibus Nostris confirmamus, et roboramus, easque ab omnibus, et singulis fideliter, exacteque observari iniungimus, atque praecipimus.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, et ordinis, etiam speciali, et individua, ad effectum, ut hisce Nostris praesentibus comprehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse huiusmodi praxim prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur, vel scribere, aut loqui praesumpserit, in eiusdem damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a Nobis in praeinsertis Literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, et immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat; idcirco omnibus et singulis Confessariis utriusque Cleri tam Saecularis, quam Regularis, quantumvis exempti, et quacumque speciali, et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, Divini interminatione iudicii, atque in virtute sanctae obedientiae, prohibemus, ne, conformiter ad praedictam reprobatam praxim, poenitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cuius socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Poenitentiae confiteantur

interrogare praesumant, de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis huiusmodi adiunctis, sive circumstantiis, expressionem magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subiiciendos.

Praeterea quoniam contra damnatum huiusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, et ultrices adversus reos poenas imponendi, statuere, atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam iam exortas dissensiones componere, et penitus amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis iam reprobatam, vel in eiusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel eiusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes, in Officio Sanctae Inquisitionis praedictorum Regnorum, atque Ditionum severe puniantur, et contra eos, et eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus, ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas, et condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, et procedi volumus, ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine complicis poenitentem interrogantes, eidemque poenitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: dummodo tamen huiusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis coniunctus sit, ac convestitus, quae sic agentem Confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

Itaque contra praedictos omnes, et singulos Delinquentes tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis, ac praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, et quorum specialis, et nominatim mentio facienda sit, praedictorum Regnorum, ac Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis tradita, et quatenus opus sit, praesentium tenore de novo concessa, prout in causis Fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non Sancti Officii Inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, et decreta, diligenter inquirant, et procedant, et quos in aliquo ex eiusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae ac passivae, si Regulares fuerint, aliasque poenas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii eiusmodi

Inquisitionis praefigi solitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin poenas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas incurrant. Veruntamen ab huiusmodi onere denunciandi iustis de causis eximi volumus, et eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quod suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim poenitentem huiusmodi ab obligatione eundem Confessarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum et ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat eiusmodi esse, ut, quamvis imprudens, et malus, simplex tamen quidam, et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto Nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii praedicti cognitioni subiectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cuiusque Dioecesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra eiusmodi delinquentes procedendi, ut praefertur, constitutis, ac suis unicuique Iudici Ecclesiastico iuribus assignatis, et distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari, ac custodiri volumus, et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quae tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper praeclara inclytae Lusitanae Nationis universae erga Sedem Apostolicam observantia, et obedientia, nec non eximia tum istius Sanctae Inquisitionis Officii, tum cuiusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quaecumque aliter, quam praesentibus Nostris decrevimus et constituimus, sive in Edictis praefati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Literis, vel Decretis antehac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu iudicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere iam, et cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 54-59].

371.

Benedictus XIV, const. *Ad universae*, 3 sept. 1746.

§ 1. Ad universae Christianae Reipublicae statum, ad Ecclesiasticarum Legum custodiam, et Fidelium Populorum salutem, tam magni refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis praepositos, in ipsis Ecclesiis, vel Dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque Decretis, aut Apostolicae Sedis Constitutionibus et Sanctionibus, tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora Canonica statuta praetereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus, sess. 6, cap. 1 et sess. 23, cap. 1, *de Reform.;* tum ea quae recol. mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII praescripsit in sua Constitutione data apud S. Petrum die XII Decembris Anni MDCXXXIV, quae incipit *Sancta Synodus,*[1] et in qua praecedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV, Gregorii XIII, et Clementis VIII Leges et Constitutiones retulit, confirmavit, et ampliavit. Neque opus est recensere omnes Encyclicas Literas, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos de implendo huiusmodi Residentiae onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex Epistola iussu Ven. Servi Dei Innocentii Papae XI Praedecessoris quoque Nostri scripta die V Februarii Anni MDCLXXVIII, item ex alia die XXIV Decembris Anni MDCCVII a felic. rec. Clemente Papa XI ad suum et Apostolicae Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius Regni Praesules ad residendum in propriis Ecclesiis et Dioecesibus adigerentur; necnon ex eiusdem Clementis Literis in forma Brevis datis die XXV Maii Anni MDCCIX ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo Regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque Dioeceses.

§ 2. Neque porro Nos hac in re Apostolici Officii nostri partes desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili Divinae Providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem Praedecessorum Nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Ecclesiarum Antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter caetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis peculiari studio iis inculcare, et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia concreditis ipsis Dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est in § 4 Epistolae Encyclicae die III Decembris Anni MDCCXL a Nobis conscripta, quae in Tomo I Bullarii Nostri nuper vulgati num. II impressa est.[2] Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam

[1] Cf. N. 215.
[2] Cf. N. 304.

acerbo animi Nostri dolore nonnunquam acceperimus, Ecclesiasticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per Literas, praesentes vero ipsa voce ad debitum Residentiae Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, in Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula, qua Beneficia Ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipsi apud Ecclesias aut Dioeceses suas vere et personaliter residerent, de Beneficiis huiusmodi Ecclesiasticis, quae extra Romanam Curiam in Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicae reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus: quo scilicet iidem Episcopi, et maiorum Ecclesiarum Praesules, ampliorem potestatem in Beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicae Nostrae liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem Residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

§ 3. Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt, et huiusmodi occasiones incidere, propter quas, praevio Romani Pontificis assensu, et approbatione, liceat Episcopo a propria Ecclesia, et Dioecesi per aliquod definitum tempus abesse; ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae Residentiae reum constituit; ideo et in Conciliis, et in Apostolicis Constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa huiusmodi causarum et occasionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum spatia, providae statutae Leges et Regulae reperiuntur. Et quidem iustae ac legitimae absentiae Causae a praefata Tridentina Synodo citat. cap. 1, sess. 23, non aliae agnitae fuerunt, quam Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum Canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt, et statim sunt reversuri; omnibus Ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duos aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, extra proprias Dioeceses commorari; eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis Cathedralibus abessent, nisi forte Episcopalia munia in aliis Dioecesum suarum locis eos detinerent; eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id *aequa ex causa fiat;* quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur.

§ 4. Praefatus autem Praedecessor[1] ad peculiares occurrentes casus descendens, Episcopis in Curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum

[1] Urbanus VIII, const. *Sancta Synodus,* 12 dec. 1634, § 9. - Cf. N. 215.

esse), quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII Praedecessore pariter Nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali suo, et Romani Pontificis pro tempore in Urbe, eiusque Districtu Vicario, ut praefatum unius mensis terminum, iuxta casuum contingentiam, et causa cognita, ad alios quadraginta dies, et non ultra, prorogare posset.

§ 5. Praeterea Episcopis ad Sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus, supradictus Urbanus Praedecessor indulsit, ut, qui Ecclesiis citra Montes, et citra Mare positis praesiderent, per quatuor; qui vero Ultramarinis, et Ultramontanis Ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a Residentia in suis respective Sedibus facienda, huiusmodi Visitationis gratia, excusarentur.

§ 6. Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea, quae in suis praefatis Literis constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortae quaestiones, et varia condita sunt Decreta, ab eodem Urbano eiusque Successoribus approbata; cuiusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam praedictam coniungere, sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Visitationem eisdem concessum fuit: neque fas esse absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est praedictos menses coniungere cum eo anni tempore, quo, propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur extra Dioecesim degere; ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra Dioecesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cuiusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

§ 7. Et quoniam Tridentina Synodus sub Legibus de Residentia huiusmodi ipsos etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales nominatim comprehendit; praefatus Urbanus Praedecessor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, seu Metropolitanae, aut Episcopali Ecclesiae praepositus, unam simul ex Episcopatibus Suburbicariis obtineret, constituit, ut huiusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis, non autem apud Episcopatus Suburbicarios, residere tenerentur.

§ 8. Denique tam in praedicto Concilio, quam in citata Urbani Constitutione, contra Transgressores huiusmodi Legum, quae ad Residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori Causarum Curiae Camerae Apostolicae.[1] Verum biennio post totam huius materiae cognitionem dele-

[1] Const. *Cum residentia,* 15 sept. 1635; const. *Exposuit Nobis,* 10 iun. 1636. - Bull. Rom., tom. 6, II. p. 35, 36; 57, 58.

gavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc, et pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non eiusdem Pontificis Datario, et Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis et consultationibus Episcoporum, et Regularium, ac interpretationi, et executioni Decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositarum. Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, iustis ex causis, et cum consilio praedictorum Praelatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis, et Dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani Literis datis die prima Ianuarii Anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctius praescribitur.

§ 9. Huius Congregationis Caput, seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum eiusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super Residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quae sane Congregatio, ut ex illius Secretariae Regestis apparet, tam ipsius Urbani Praedecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis Annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Praedecessore pariter Nostro Clemente Papa XI in usum revocatum fuit, et identidem peractum, Nobismetipsis praefatum Secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis, et impressis foliis, ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

§ 10. Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis, vel Dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam Canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat, de aequitate causae iudicium facere; hinc est, quod quaecumque huius generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes huiusmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sane morem a praecessoribus Secretariis invectum, Nos quoque servavimus.

§ 11. Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, et decem apud Bononiensen Ecclesias regimini Nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi, et ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis praefatae sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut Folia signanda Nobis oblata fuerunt; sed facta Nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super executione, et interpretatione Concilii, et super Residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a Residentia postulabant, quam Causarum, quibus huiusmodi petitiones, innitebantur, relatione, nostroque desuper accepto responso, opportuna singulis Decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam saepedictae Congregationis super Residentia Episcoporum Praefecto, signari consueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam iudicaverimus, visum est Nobis Motu proprio, et ex certa scientia, non solum pro debita, ut aiunt actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei subsistentia, et pro maturiori examine causarum, quae ad huiusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges, et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

§ 12. Primum itaque relata superius Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreta, sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1, *de Reformat.*, laudatasque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII, et Urbani pariter VIII Constitutiones, et Ordinationes, nec non omnes et singulas, quas supra innuimus, Resolutiones Apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes, et tam Decretorum, quam Constitutionum, Ordinationum, et Resolutionum huiusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes, et haberi volentes, illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes, et confirmantes; omnia et singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat, et pro tempore in posterum spectabit, attendi, et in his omnibus, quae Nostris hisce Literis non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, atque praecipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse, aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de praedictae Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus.

§ 13. Secundo loco, et consequenter ad praemissa, adversus praedictarum Legum, et Constitutionum Transgressores, omnes et singulas poenas in eisdem Decretis, et Constitutionibus latas et comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus et innovamus; amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento, seu iustis et rationabilibus causis cessantibus, et absque expressa, ut praefertur, Apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam Dioecesim morando abfuerint; et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi huiusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur; ut in praedicto Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 1, *de Reform.*, statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam praevia declaratione, eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas, seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventione, seu compositione pro huiusmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio, sess. 23, cap. 1, praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV Praedecessore poenam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus huiusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad maiores Dignitates, et Ecclesias obtinendas, quam praefatus quoque Praedecessor Clemens VIII

indixit, per omnia confirmamus, et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus et singulis Indultis, et Privilegiis, quae forsan ipsis, tamquam Pontificio Solio Assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur. Decernentes, sub Transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa, et expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias Dioeceses commorantur: sed eos etiam, qui huiusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint; vel ea semel rite recteque obtenta, praescriptos in eadem limites, ac praefinitum tempus praetergressi fuerint. Quod si nihilominus, aliqui, non minus Canonica statuta, quam propositas huiusmodi poenas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint: volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, iuxta mentem eiusdem Concilii Tridentini, quod in citato cap. 1, sess. 6, Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis auctoritate in huiusmodi Transgressores ad severiorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

§ 14. Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super Residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII institutae exercitium, atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius Praefecturae munus dilecto Filio Nostro Ioanni Antonio Tituli S. Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe eiusque Districtu in spiritualibus Vicario, eiusque in Officio Vicariatus huiusmodi Successoribus; sicut etiam Officium Secretarii eiusdem Congregationis dilecto Filio Magistro Ioseph Alexandro Furietto, eiusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis; eosdemque statuentes in huiusmodi Congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere, et suffragium ferre, quicumque ea officia, et munera obtinent, sive obtinebunt in posterum, quae in praecitatis Urbani Praedecessoris Literis designantur. Praeterea quum minime expediat huiusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in Tribunali praedicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiscalis, eiusque in Officio Successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata Congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si Congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a Dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi, et parvipendi posset; volumus atque statuimus, eandem tunc tantum cogendam, habendamque esse, quum aut a Nobis, sive a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, alicuius negotii cognitio ipsi remissa, et delegata fuerit, aut, huiusmodi etiam remissione cessante, quoties de poenis superius constitutis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem huiusmodi poenarum modus, prout cuiusque maior, aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis, seu Successoribus Nostris relatione, approbataque Congregationis resolutione, ad huiusmodi poenarum executionem cum effectu procedatur, aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria Dioecesi ratione alicuius muneris, sive officii, cuius ea dicatur natura esse, ut Apostolicum Indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum. Nos etenim huiusmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus, nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo, Nostraque et Successorum Nostrorum scientia, et approbatione, et mediante expeditione Literarum Apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis Supplicum Libellorum Secretario, aliisque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam Congregationem super Residentia Episcoporum omnino remittant; simulque prohibemus Nostro, et Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Literarum Apostolicarum super Indultis huiusmodi exempla Nobis, aut Successoribus Nostris signanda, ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apostolica approbatione, et assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

§ 15. Quarto loco statuimus, ut Folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra Dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis, et spatio temporis ad quod huiusmodi Indulta conceduntur; quae quidem Folia a Romano Pontifice subscripta, in Tabulario praedictae Congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quae per Apostolicas Literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus; sed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque, post Pontificium assensum a Secretario requisitum et obtentum, expediri debebunt per Decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae Congregationis Praefecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis super praedictis Foliis, in quibus singulorum Indultorum tenores, et causae a Secretario descriptae erunt; quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum huiusmodi Secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

§ 16. Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Dioecesim, infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent: nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seu controversiae, in qua Ecclesiae, aut Cleri sui, vel etiam propriae Familiae res agatur, quaeque in Romana Curia introducta sit, vel alia in Urbe, in qua resideant maiora Tribunalia, quorum ea de re iudicium esse debeat; aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra Dioecesim, Conciliaribus mensibus utens, morabatur, ita ut ad eandem Dioecesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa Dioecesi contracta, ad quam depellendam Medici putent necessarium fore, Episcopum aërem, et solum aliquantisper mutare; aut denique malignitas aëris in Dioecesi vigens, quam

aliquibus anni mensibus devitari oporteat. Et quoniam nec ulla ex praemissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; et nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad huiusmodi approbationem rite recteque procedere; necessarium Nobis visum est infrascriptas Regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, observari mandamus, atque praecipimus.

§ 17. Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a Dioecesi sibi concredita, ut iudiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit: exprimere debebit in precibus tum Locum, sive Urbem, in qua huiusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam, seu Clerum, vel potius ad ipsius Familiam. Et quidem si ad Familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut Orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis iam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de eius Ecclesiae, vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt, tum status litis, eiusdemque gravitas, tum causae, propter quas necessaria creditur in loco iudicii Oratoris praesentia; tum etiam declarandum, an mensibus Conciliaribus usus fuerit. Et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in huiusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit, (qua in re nec dolus, nec fraus intercesserit), et alioquin ipsius instantia iusta videatur, tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra Dioecesim tribuatur, quantum iudicatum fuerit necessarium esse, ad Causae Defensores, Advocatos, et Iudices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a Dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque Dioeceses complurium annorum spatio suorum Pastorum praesentia carerent.

§ 18. Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra Dioecesim contractae dum vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam Dioecesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium Medici iuramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum, ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clausula *si tamdiu infirmitas duraverit.*

§ 19. Ab iis autem, qui huiusmodi licentiam postulaverint, eo quod aëris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium Medici, qui iureiurando testetur, utile ac necessarium Oratori esse, ut in aliam Regionem, atque aërem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit. Si enim id nondum fecerit, et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut

per quatuor menses in quibus tamen Conciliares Menses comprehendantur, a Residentia absens permaneat. At si praedictos Conciliares Menses, remoto omni dolo et fraude, iam extra Dioecesim transegerit; tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter iudicabitur.

§ 20. Qui tandem licentiam commorandi extra Dioecesim postulabit propter malignitatem aëris, quem in sua Dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam, atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit Regionis aër. Item an eadem Coeli temperies totam comprehendat Dioecesim, ita ut nullus intra eius tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo an Conciliaribus Mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit Indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aëre tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt. Si autem huiusmodi Concilii indulgentia iam usus fuerit, frustra novum Indultum praedicta de causa ab Apostolica Sede postulabit; sibique imputare debebit, quod quum sciret certo anni tempore in sua Dioecesi aërem insalubrem fore, concessos vacationis Menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae Indultis, quae ratione aëris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adiici volumus: *Dummodo intra Dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aër salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit.*

§ 21. Sane praedictus Urbanus Praedecessor non praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut Reipublicae officiis, quae ipsorum Episcopatibus, Ecclesiisque adiuncta sunt, ad certum tempus extra Diocesim occupari solent, ac debent: et his quidem in praecitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo eiusmodi Concilia, Congregationes, et Assembleae peragentur, exercitiumque muneris, seu officii publici eorum Ecclesiis adiuncti, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese conferrent; cuius concessionis aequitatem Nos quoque agnoscentes, eandem approbamus, et confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis, qui a Residentiae suae loco discedunt pro Processuum in causis Beatificationum, aut Canonizationum compilatione, Apostolica auctoritate ipsis delegata; necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

§ 22. Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum Literae, quas vocant Remissoriales, et Compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti Processus auctoritate Apostolica conficiantur; eaeque diriguntur tribus Episcopis, aut Superioribus Praelatis, cum clausula, ut *duo ad minus procedant.* Cumque in huiusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo Processus construitur: fere contingit, e tribus, ad quos Literae sunt directae, unum dumtaxat a Residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus Titularis Ecclesiae in partibus Infidelium constitutae haberi possit,

volumus eum in praefatis Literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omnino Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad huiusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, ut Literae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt Dioecesi, in qua Apostolicus Processus conficiendus erit. Quoniam vero non de re agitur, quae duabus tribusve hebdomadibus perfici queat, sed quae plurium saepe mensium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Episcopi, qui eiusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a Dioecesi, causam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant, sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra Dioecesim commorantur. In huiusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut Conciliares Menses semper comprehendantur, et praeter eos, triginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adiiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est; et, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

§ 23. Haec sunt, quae salubriter in Domino statuenda iudicavimus, quaeque pro regula, et norma in posterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, Residentiae officium exacte impleatur. Itaque Dilecto Filio moderno Praefatae Congregationis super eadem Residentia Secretario, eiusque Successoribus in perpetuum, iniungimus, et in virtute sanctae obedientiae, sub poenis contra inobedientes mandatis Apostolicis in re gravi, praecipimus, atque iubemus, ut supplices Libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adiuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In Decretis autem, quae post Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali eiusdem Congregationis Praefecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermittant; illud etiam expresse cavendo, ut quae conceduntur Indulta, a die Datae ipsorum Decretorum decurrere intelligantur.

§ 24. Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos, et Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de Residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint Decreti a Sancta Tridentina Synodo editi, sess. 6, cap. 1, *de Reformatione*, quo iubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigliare, et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque, et Apostolicae Sedis Nuntiis hoc idem demandamus, et iniungimus; ubi intra ipsorum Nuntiaturae Districtum aliquis Episcopus, seu Superior Praelatus existat, qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoscatur.

§ 25. Et quia Nobis relatum est, nullibi frequentius praedictas Leges ab Episcopis violari, quam in proximo Neapolitano Regno, (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero), volumus, atque statuimus, ut in Indultis absentiae, quae pro Episcopis praedicti Regni in posterum expediri contingat, ad caeteras clausulas superius praescriptas, haec etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, et momenti habeatur. Nos siquidem praedicto Nuntio earundem praesentium tenore committimus, ut huiusmodi Licentias in acta sui Tribunalis referri faciat, itemque de causis, propter quas concessae fuerint, inquirat, ac tempus in iis praefinitum observet, ad hoc scilicet, ut et per eum resciri possit, si quid obreptum, aut subreptum fuerit in precibus; et ipsum latere nequeat, si quis praescriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicae Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab Ecclesia, et Dioecesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, Dioeceses suas deserunt, et non quidem in Urbem Regni principem, ubi Apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt eiusdem Regni Civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat: iniungimus eidem Nuntio, ut per Officiales suos, atque Ministros, quos in omnibus Dioecesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis Dioecesibus recedunt: ut et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio marte se gerere praesumunt, (dum vel absque praevia licentia, praeter tempus a Concilio indultum a suis Dioecesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, huiusmodi licentiam, statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere et impetrare non curant), severiori sacrorum Canonum, et Apostolicarum sanctionum censurae subiiciantur.

§ 26. Caeterum intendimus sub praesentium Literarum Nostrarum ordinatione, et dispositione etiam ipsos Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Ecclesiis praedictis ex concessione, et dispensatione Apostolica nunc praesunt, et in futurum praeerunt, comprehendi, ac comprehensos esse, et fore.

Praesentes quoque Literas, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 128-138].

372.

Benedictus XIV, ep. *Redditae sunt*, 17 sept. 1746.[1]

Redditae sunt Nobis per Dilectum Filium, eumdemque primarium administrum nostrum, Silvium Cardinalem Valenti, vestrae litterae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque iudicio nostro subiicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis, eiusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent, et sequerentur, non tanta succresceret in dies, inter Evangelicos Operarios, opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum

[1] Dilecto Filio Paulo Simoni a Sancto Ioseph, Carmelitae Excalceato.

populum, eamque scindi mentium animorumque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos praedixerit.

§ 1. Exposuistis itaque Nobis, non raro istic contingere, ut Catholici Matrimonium inter se contracturi, Civilem adeant Magistratum, aut Haereticum Ministellum, quibus se sistere legibus Patriae coguntur, et coram illis mutuum exprimant in Coniugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico et duobus Testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi Coniuges iam forent, non dubitant omnem Coniugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit, coram Civili Magistratu aut haeretico Ministello praestito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum Matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta exinde proles, absque ulla dubitatione, esset legitima reputanda.

§ 2. Iam vero, ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem iudicio nostro praecidamus, sic habete: Ubicumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum, cap. 1, sess. 24, *de Reform. Matrim.*, ibi nulla prorsus, atque in omni ratione irrita esse coniugia, aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices agente, et duobus Testibus, celebrata. Scimus profecto esse Theologos, qui in ipso Fidelium Matrimonio Contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat; sed quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur. Etenim qui praeter formam a se praescriptam, Matrimoninm contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo, sed Contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque ut eius verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter Catholicos in istis Provinciis degentes et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini; perspicuum est, Matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu aut Acatholico Ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus Testibus, neque in ratione Sacramenti, neque in ratione Contractus sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronunciavimus Matrimonia, quae aut ab haereticis inter se, aut a Catholicis cum haereticis, in istis foederatis Provinciis contrahuntur, non servata forma Tridentini, aptari queunt Coniugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit, eiusque se auctoritatem sequi profitetur.

§ 3. Sciant itaque Catholici vestrae curae concrediti, cum Civili Magistratui, aut haeretico Ministello Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga Leges et Instituta Principum obsequium ostendunt: caeterum tunc quidem nullum a se contrahi Matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro Catholico et duobus Testibus nuptias celebraverint, numquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos Coniuges fore: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesiae foro.

§ 4. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere, ut siquidem Regionis consuetudini, et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium Matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis, ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christifidelibus cavendum est. Ad eiusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus, consultius utique fore, ut Catholici, nonnisi Matrimonio iam antea in faciem Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam, saecularem Magistratum, seu haereticum Ministellum adirent; sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo, et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut, postquam Reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et coniugale foedus iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire; et si quid tum super hac re, tum super aliis, quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

§ 5. Epistola haec nostra tibi, dilecte fili, Paule Simon a Sancto Ioseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Duck Pastori Leidensi, cuius scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia, a supradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

§ 6. Postremo vos hortamur maiorem in modum, ut istam Dominici Gregis non contemnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis; Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 583-585].

373.

Benedictus XIV, const. *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746.

Ad eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitaniae primum Regiones pullulare compertum fuerat, ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in administrando Sacramento Poenitentiae, perversa quaedam et absurda praxis, Ecclesiasticis Regulis contraria, eidemque Sacramento iniuriosa, et ad avertendos Fideles ab ipsius salutifero usu quammaxime tendens, introduci coeperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Literas direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, per Portugalliae et Algarbiorum Regna atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias Nostras sub plumbo expeditas Literas, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi mensis Iunii,[1] confirmavimus et innovavimus, adiectis nonnullis ordinationibus et declarationibus, quas ad meritas poenas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus, irrogandas, et ad rectum, adversus eos procedendi ordinem in praedictis Regnis, et Ditionibus servandum, opportune expedire in Domino iudicavimus.

Earum autem Literarum, quas ad huiusmodi erroris et abusus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

Sequitur integer tenor Literarum Sanctissimi Domini Nostri relat. in tom. 1, const. CXXXIV, fol. 535. - Cf. supra, in N. 360.

Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantiae cautelam superfluam esse ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicie, deque subvertenda sanae doctrinae integritate, et recta Sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse poenitentium querelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus, pro investigandis complicum nominibus aliisque notitiis, iuxta praxim in praeinsertis Nostris Apostolicis Literis relatam atque damnatam; erroneas vero quorundam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes et applicationes, in eisdem Literis enunciatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas praemissas Literas, quas, utpote ad Lusitaniae Regnorum atque Ditionum opportunitatem accommodatas, et pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa scientia, huius Nostrae generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, easdem praeinsertas Literas iterum confirmantes et roborantes, decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum

[1] Cf. N. 370.

esse contra doctrinam in praefato Nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire; sub poenis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas et condemnatas; et respective adversus contra facientes mandatis Apostolicis, et Ecclesiasticis sanctionibus statutis atque praescriptis.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 143, 144].

374.

Benedictus XIV, ep. *Ex quo*, 14 ian. 1747.[1]

§ 1. Ex quo Dilectus Filius Leander Chizzola Archidiaconus Ecclesiae tuae Cathedralis Brixiensis, ex improviso isthinc digressus, Bononiam se contulit, ibique habitum suscepit Clerici Regularis Societatis Iesu; statim a Te, Dilecte Fili Noster, datae fuerunt ad Nos Litterae, quibus querebaris, eum tanti momenti consilium, Te inconsulto, cepisse, Teque penitus inscio, ad exitum deduxisse; non sine magno detrimento pauperum istius Civitatis atque Dioecesis, quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum, quibus se iugiter exercere consueverat; suorum quoque Nepotum in minori aetate constitutorum, quorum curae, atque educationi praeesse debebat, ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa Societate Iesu, cui iam prope septuagenarius nomen dederat. Haec eadem, quum ipse proximo Autumno in Urbem advenisses, Nobis coram inculcare non omisisti; deque iisdem nuper in Epistola Nobis directa, ac Typis vulgata, iterum expostulasti; petens praeterea, Nosque excitans, ut auctoritatis Nostrae ope, certaque lege proposita, huiusmodi licentiam reprimamus, qua Saeculares Clerici atque Presbyteri ad Regularium Claustra, quum libet, se conferentes, a Regularibus Superioribus illico recipiuntur; quod sane non aliter fieri debere autumas, quam communicatis consiliis cum Episcopis ipsorum Clericorum seu Presbyterorum Ordinariis; siquidem ipsi Episcopi nunquam Regularibus Viris Ordines conferunt, sine Praelatorum Regularium consensu, in eorum Litteris Dimissorialibus declarato.

§ 2. Duae sunt res in hoc universo negotio expendendae; peculiare scilicet factum Leandri Archidiaconi; et generale constitutum, quod a Nobis fieri et publicari velles. Ad primum quod attinet, aptiorem querelis Tuis responsionem comparare non possumus, quam si eadem ipsa Tibi rescribamus, quae olim Sanctus Gregorius Magnus Praedecessor Noster Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia in simili prorsus casu rescripsit. Quum enim Pancratius quidam Ecclesiae Viennensis Diaconus Monasticam vitam amplexus esset, et in eodem Diaconi gradu in Monasterio degeret; Episcopus autem Pancratium diligens magnique faciens, ipsum e Monasterio abducere, et ad

[1] Dilecto Filio Nostro Angelo Mariae Tit. S. Praxedis Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Quirino nuncupato eiusdem S. R. E. Bibliothecario.

Ecclesiae servitia retrahere vellet: Sanctus Gregorius, cuius opem Pancratius imploraverat, scripsit ad Desiderium, ut ipsum potius hortaretur, ne a Monasterio discederet, neve se iterum saeculi procellis committeret. Habes Gregorii Epistolam Tom. II ipsius Operum anno MDCCV a Monachis Sancti Mauri accurate editorum, *Epistola 35*, lib. 12, Indict. V, ubi ita scribit. *Hortamur igitur, ut tam promptae devotioni eius, quam in sancto studet habere proposito, minime vestra sit impedimento Fraternitas: magis autem, quibus valetis adhortationibus, Pastorali admonitione succendite, ut fervor huius desiderii in eo non tepescat, ut qui a turbulento curarum saecularium tumultu se segregans, quietis desiderio, portum Monasterii appetiit, rursum in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere.*

§ 3. Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit; quamvis Pancratius, *in Clericatus officio Ecclesiae Viennensi*, ut ipse ait, *mancipatus* existeret, ipsius nempe servitiis reipsa addictus; quamvis etiam eo tempore huiusmodi disciplina vigeret, de qua late Thomassinus agit, *de Beneficiis*, par. II, lib. 1, cap. 3 et 4, ut Clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset, eiusque Ecclesiae ministerio, cui in Ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo iure devinctus haberetur. Quamvis denique idem Sanctus Gregorius optime nosset, nemini licere ab huiusmodi ministerio Ecclesiae, cui semel addictus fuisset, discedere, sine permissu Episcopi, a quo quis ordinatus, eiusque Ecclesiae servitiis in Ordinatione fuerat adscriptus: unde in alia *Epistola*, quae est 17, lib. 5, Indict. XIII, quum ageret de electione Ioannis Archidiaconi Catanensis ad Episcopalem Cathedram Syracusanam, inter alia, requirebat ut Leonis Episcopi Catanensis consensus accederet: *Quod si factum fuerit, etiam Frater et Coepiscopus Noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri;* ad quae verba Editores ita observant in Notis: *Tam erant Clerici suae Ecclesiae addicti, ut ne eos quidem in Episcopos alterius Ecclesiae fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive, ut vocant, cessione.*

§ 4. Non itaque dubitamus, quin Tu cum Archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum Diacono suo Pancratio agere, Sanctus Gregorius optavit; tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc Nobis suadet; tum quia in ea Epistola, quam publici iuris fecisti, postquam praedicti Archidiaconi in Saecularis Presbyteri statu eximiam operam disertissime, ut soles omnia, demonstrasti, circa finem deinde addis: *Te habere causas, cur ultro sinas eundem in Castris, ad quae discessit, militare.*

§ 5. Unum tamen, quod Tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus; non scilicet debitae erga Te observantiae defectui tri buendum esse, quod praedictus Archidiaconus tuus, ante discessum, opportunam abs Te veniam minime requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exequendi, iustoque timori, ne forte ab eius implemento revocaretur. Qua ratione bon. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta in quadam Epistola ad Praedecessorem Nostrum Innocentium Papam VIII conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad Eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, Cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportune obtenta, minime necessarium sibi putaret assensum Collegii S. R. E. Cardinalium; consilium vero suum, ne interverti posset, necessario occultandum esse cognovisset; delato deinde ad ipsum murmure eorum, qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem, in praecitata Epistola: *Quod autem, dimisso Cardinalatus habitu, dissimulata veste, me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves, et prudentes Viros contrahere potuisse. Nam cum vellem, quod hactenus feceram, secretissimum esse, idque fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quam cum vero habitu incedere, et propterea a poena et a culpa, et ab omni alia nota me immunem esse existimo.* Haec Epistola refertur in eius vita edita ab Attichy in Libro, cui titulus: *Flores Historiae Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

§ 6. Atque haec de prima quaestionis parte. Quod vero ad alteram attinet, ad generalem scilicet Legem, quam pro similibus casibus a Nobis constitui postulas; hoc Tibi respondere posse arbitramur, satis huic rei in Ecclesiasticis Canonibus provisum esse. In Concilio Toletano IV anno DCXXXIII sub Sancto Isidoro celebrato, *Canone* 50 ita legitur: *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Textus habetur *in Collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre*, tomo II, pag. 487, et refertur etiam in Decreto Gratiani, Can. *Clerici* 19, quaest. 1. Quin immo in eadem Causa 19, quaest. 2, Can. *Alienum*, postquam regula posita est, quod Clericus absque permissu Episcopi ab Ecclesia sua discedere, et alterius servitio se adiungere nequit, huiusmodi exceptio subnectitur: *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitae transire voluerit; tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo contradicente, Monasterium ingredi.* Concordat Canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duae sunt*; in quo distinctio fit inter Legem publicam, et privatam; et posito, quod publica quidem Lex vetat Clericum ab una ad aliam Ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi; privata vero Lex, quae instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur, et dignior est Lege publica, nequaquam id prohibet; ex huiusmodi principio arguitur, licere Clerico Beneficiato, etiam contradicente Episcopo, Beneficium relinquere, et in Monasterium sese recipere: *Si quis horum in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, si, afflatus Spiritu Sancto, in aliquo Monasterio vel Regulari Canonia salvare se voluerit, quia Lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut Lege publica obstringatur; dignior est enim Lex privata, quam publica etc. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

§ 7. S. Thomas 2, 2, quaest. 189, art. 7, quaestionem proponit, *utrum Presbyteri Curati possint licite Religionem ingredi:* eamque affirmative resolvit; ea ratione ductus, quod nulla lege obligantur toto vitae tempore curam animarum sustinere. Articulum vero ita concludit, facta de Archidiaconis expressa mentione: *Unde manifestum est, quod Archidiaconis et Presbyteris*

Curatis licet ad Religionem transire; et paulo infra: *Dicendum, quod Presbyteri Curati et Archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam Subditorum, quamdiu retinent Archidiaconatum, vel Parochiam; non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo Archidiaconatum, vel Parochiam retineant.* Haec S. Thomae sententia confirmatur a S. Antonino in sua *Summa,* part. 3, tit. 16, cap, 2, § 2, in Editione Veronensi, pag. 881, ubi praeterea addit, Episcopi dissensum minime obstare: *Archidiaconis, Presbyteris Curatis, licet ad Religionem transire, etiam Episcopo contradicente.* Quae verba similiter leguntur *apud Sylvium,* 2, 2, quaest. 189, art. 7, in postrema eius Editione Antverpiae facta, Tom. III, pag. 945.

§ 8. Et quoniam alicui in mentem venire poterat, huiusmodi libertatem transeundi ad Claustra, quae saecularibus Presbyteris a Canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro Claustris Monachorum, de quibus ipsi Canones expresse loquuntur, idem Sylvius, loco citato, affirmat, eam facultatem aeque competere, sive de Instituto agatur contemplativae vitae unice dedito, sive de eo, in quo vitae activae opera exerceantur: *Possunt Religionem etiam illam ingredi, quae in vita mere contemplativa, aut potissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata; quoniam plus excedit status Religionis cuiuscumque, statum seu potius officium Archidiaconi vel Plebani, quam status altissimae Religionis, statum cuiuscumque infimae;* propter solemnia nimirum Vota Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae, quae in unaquaque Religione emittuntur.

§ 9. At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est, Clericum saecularem suum locum deserere, et in Religiosis Claustris se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter Episcopum et Superiorem Regularem, impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est, Virum Ecclesiasticum, qui, in suscipiendo Presbyterii Ordine, conceptis verbis, Episcopo suo reverentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo inconsulto atque inscio, ad Regularia Claustra discedere, ac Regularis Instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se iunctis, certam aliquam regulam tradi, et generalem Legem a Nobis promulgari opus esse contendis.

§ 10. Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum esse Regularem vitam amplecti. Meminimus Epistolae S. Augustini ad Bonifacium Comitem, quae in Editione Monachorum Sancti Mauri impressa est num. 220, Tom. II, pag. 212, et cuius etiam pars refertur in Can. *Novimus* 17, quaest. 2, ubi nimirum Sanctus Doctor testatur, se, una cum Alypio, ipsum Bonifacium a Monasticae vitae proposito dissuasisse, ob praeclaram, quam in saeculo manens, Ecclesiae et Reipublicae navabat operam, dum Africam a Barbarorum incursionibus tuebatur: *Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensae ab infestationibus barbarorum, quietam et tranquillam vitam agerent?* Vidimus etiam apud S. Thomam 2, 2, quaest. 101, art. 4 et quaest. 189, art. 6, quaestionem hanc solidis rationibus examinari, utrum posset Filius Religionem ingredi, et Parentes in saeculo relinquere, si ab ipso deserti, inopia sint laboraturi. Ulterius inquirunt Moralistae, an idem dicendum sit de Avo; et an id, quod de Ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad Filios, Fratres, et Nepotes; et quatenus illius ope, qui Religionem vult ingredi, praedicti omnes indigere debeant.

§ 11. De reverentia quoque et obedientia, quam non modo Sacerdos, sed quilibet etiam Clericus, proprio Episcopo praestare debet, iustam profecto opinionem fovemus. De huiusmodi obedientia agitur in Cap. *Cum Clerici, de verb. signif.,* ubi Innocentius Papa III exponens formam iuramenti, quod a Clericis Ecclesiae Placentinae praestabatur, in haec verba conceptum: *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, et obediens Plācentinae Ecclesiae, et Domino meo Episcopo Placentino;* docet, per Ecclesiae Placentinae vocabulum intelligi Capitulum Ecclesiae Cathedralis; eum vero, qui praestat huiusmodi iuramentum, Episcopo tamquam capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae, et reverentiae sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis Ritualibus colligitur, quae expendit Catalanus *ad Pontificale Romanum,* Tom, I, pag. 149 in notis ad § 29. Quin immo libenter agnoscimus, Presbyterum, huiusmodi promissionis vigore, ea lege, inter alias, adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat Hallier, *de Sacr. elect. et Ordin.,* part. 1, sect. 6, § 12, Editionis Romanae, ubi docte graviterque refellit auctorem cuiusdam libelli Gallico sermone editi, qui huiusmodi reverentiam, et obedientiam Episcopo in Ordinatione promissam angustis nimium limitibus coercere tentaverat.

§ 12. Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam generalem Legem hac de re minime necessariam Nobis videri; vel quia in Ecclesiasticis sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus; vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis Constitutionis subiecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quae in huiusmodi casibus considerari possunt: primum videlicet, an Presbyter ab Ecclesiae servitio ad Regularia Claustra transiturus, permissionem ab Episcopo petere debeat; secundum, quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat; tertium, quid statuendum sit de Parochia, seu Canonicatu, aut Archidiaconatu, quem Presbyter obtinebat. Verum haec omnia iam Sacri Canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

§ 13. Quod enim pertinet ad Episcopi permissum, nemo dubitat, quin Presbyter, Ecclesiae regimen, aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum, eiusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim Presbyteri, in animarum cura, aliisque gravibus muneribus ad Pastorale regimen spectantibus, Episcopi Ministri sint, ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, et negotiorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte

loquitur Passerinus, licet Ordinis Regularis scriptor, *de statibus hominis*, tom. III, quaest. 189, art. 7, num. 8: *Minister, qui habet custodiam rerum, et bonorum Domini sui, quae absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui, tenetur bona sibi commissa Domino reddere, et illum monere, ut de alio custode provideat; et si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas, inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si Minister Pastoris, Ovium Domino, ac Pastore non admonito, gregem errantem sine custode dimitteret;* cum his, quae sequuntur.

§ 14. Haec autem permissio vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si concedatur, iam controversiae locus non erit. Sin vero denegetur, huiusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, Presbyterum non adstringet, quominus Religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim Presbyter Episcopo reverentiam et obedientiam in sua Ordinatione promisit, multo solemnius Regulares eam promiserunt proprio Superiori in Religiosa Votorum Professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori Professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a Superiore laxioris licentiam petere: verumtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in Cap. *Licet, de Regularibus*, ubi sic legitur: *Talis ergo, postquam a Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quae publicae legi praeiudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Praelati; quia privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate.*

§ 15. Denique de Beneficiorum vacatione, in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per Professionem Regularem dumtaxat; quemadmodum videre est in Cap. *Beneficium, de Regular.* in 6. Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem Regularem, et Professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad Beneficia Curata, id ipsum agere, quod alias praestare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad Beneficia vero Choralia relictis Tyroni Religioso, qui Choro interesse nequit, ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribunt; iuxta opinionem in praxi receptam, de qua agit Suarez, *de Religione*, tom. III, lib. 5, Cap. 16, num. 12. Quin immo si quis forte Religionem ingressurus, Beneficium suum dimitteret, (quo casu potest Episcopus, per Constitutionem LVIII S. Pii V,[1] huiusmodi renunciationem admittere); vel etiam si tempore Novitiatus huiusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quae ex praescripto Sacri Tridentini Concilii Cap. 16, sess. 25, *de Regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in Beneficiorum Ecclesiasticorum renunciationibus servari debent; nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad Beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem Professionem; uti late ostendit doctus, et in hoc toto rerum genere expertissimus Scriptor,

[1] Cf. N. 125.

bon. mem. Ioannes Baptista Riganti, in suo *Commentario ad Regulas Cancellariae*, tom. III, regul. 46, a num. II ad finem. Qua in re olim dubitatum est, an Vota simplicia, quae a Clericis Regularibus Societatis Iesu, post biennium Probationis emittuntur, huiusmodi Beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti loc. cit., num. 30 et seq., et monet Pitonius, discept. 126, num. 11 et seq. Quamvis in Congregatione quinta Generali ipsius Societatis Canone 19 statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam Vota simplicia emittat, Ecclesiastica Beneficia dimittere debeat; quo casu huiusmodi Beneficia, si minus propter Professionem, at propter renunciationem, vacare intelliguntur; ut notant Sanchez *ad Praecepta Decalogi*, lib. VII, Cap. 4, num. 7; Pellizzarius *in manuali*, tom. I, tract. 3, Cap. 4, num. 52, cum aliis, quos citant praefati Rigant., loc. cit., num. 32, et Piton., num. 12.

§ 16. At enim dices, praemissa omnia recte procedere; verum per ea non tolli propositam difficultatem, de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit Presbytero Saeculari ad Regularem vitam transire; et quidem necessarium esse, earum cognitionem et examen institui; id quod obtineri nequit, nisi, lata Constitutione, praescribatur aliqua consultationis species inter Episcopum, et Superiorem Regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valet de idoneitate illius, qui Religioni nomen suum offert, ne forte eidem inutilis inveniatur; qualem profecto, ob ingravescentem illius aetatem, repertum iri suspicaris Archidiaconum Chizzola, qui inter Clericos Societatis Iesu, Te inconsulto admissus fuit.

§ 17. Porro nec interdicta fuit unquam huiusmodi consultatio inter Episcopum, et Superiorem Regularem, neque Nos eam vetare intendimus; quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis Legis mandato, tamquam necessaria, praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in iure cautum reperitur, ut duorum Ordinum, laxioris, atque strictioris Superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter praefatos Superiores oriatur controversia, an huiusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur, Ecclesiasticae Leges Superioris Maioris iudicium requiri voluerunt: *Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris est iudicium requirendum.* Ita legitur in citat. Cap. *Licet, de Regularibus.* Quod si, huiusmodi controversia pendente, Religiosus in altero illo Ordine recipiatur, atque etiam in eo Professionem emittat, tunc ex ipsius controversiae exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat; ut recte monet Abbas Panormitanus in citat. Cap. *Licet*, num. 15, *de Regular.* Hodierna vero praxis est, per quam omnes huius generis controversiae, et morarum prolixitates devitantur, ut Religiosis Viris, qui a laxiori ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas coram competentibus Apostolicae Sedis Tribunalibus exposuerint, atque probaverint, haud aegre a Romano Pontifice indul-

geantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.

§ 18. Quod vero ius, certis in casibus, certisque de causis, competit Superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum Regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem Professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat: idem similiter, certis in casibus, iustisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut suum Clericum Saecularem Ordini Regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus Canonum doctor Innocentius IV ad saepe citatum Cap. *Licet, de Regular.*, cuius haec sunt verba, ibi, num. 3: *Clericus potest transire ad Religionem, non petita licentia, etiamsi contradicatur. Crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima Ecclesia gravem sustineret iacturam.* Concordat Abbas in idem Cap. 14, ubi sic ait: *Ulterius quaeritur, quid in saeculari Clerico? Numquid potest intrare in Religionem, non petita licentia ab Episcopo? Innocentius tenet quod sic: sed si Ecclesia graviter laederetur, esset revocandus.* Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum Clerici sui, ad Regularia Claustra, se invito, digressi, impugnare velit. Unde nec ulla nova Constitutione opus est, ut Episcopalia iura hac in parte asserantur; neque porro, ut peculiares indicentur casus, quibus huiusmodi iuris exercitio locus esse possit, quum satis sit Regulam generalem tradidisse, quam Iudex sequatur, quamque ad peculiares causas, pro sua prudentia, iustoque arbitrio, valeat applicare.

§ 19. Huius tamen iuris, quo Episcopus Clericum Saecularem sibi subiectum, qui Regulari Instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, et ad Ecclesiae servitium revocare potest, huius, inquam, iuris persequutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum Clerico Beneficiato, cum Canonico, cum Archidiacono; vel (quoniam de simplici Beneficiato, aut Canonico, minus fortasse laborabit) de Archidiacono videamus. Huius dignitatis, sive Officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo Ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam Ordinationem evocaturus. Si vero agatur de Parochis, aliisve Animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *Praelationis munus, seu statum,* (ut inquit Suarez, *de Religione*, tom. III, lib. 1, Cap. 21, ubi de animarum cura loquitur) *minus securum esse, Religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem;* unusquisque Parochus, Religiosae vitae cupidus, hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad Animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus Legem ab Imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat Militibus Monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem afferebat: *Multi sunt, qui possunt Religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere, et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt,* ut videre est in ipsius *Epistola* 65, lib. 3, indict. VI, tom. 2, praefatae Editionis Parisinae. Nunc ergo quilibet Beneficiatus, Canonicus, Archidiaconus, Parochus,

qui officium, aut ministerium suum cum Religiosa vita commutaverit, se non inter *multos*, sed inter *plerosque* a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit.

§ 20. Si autem ipsi obiiciatur, quod in saeculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis Religiosis Claustris, si bonorum suorum possessionem ad Religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indigentiis subventurum. Sane quum in praefata Lege Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici Aerarii in Monasteriis reciperentur, Sanctus Gregorius eam partem Legis impugnans (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati Editores, in Notis, litera d.) ita scribebat in citata Epistola: *Quod vero in eadem Lege dicitur, ut ei in Monasterium converti non liceat, omnino miratus sum; dum et rationes eius possunt per Monasterium fieri; et agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita suscipiantur.*

§ 21. Quod si obiiciatur gravis aetas Presbyteri ad Religionem transeuntis, facilis et obvia erit responsio, quod multi sunt in Regularium Familiis Religiosi Viri in senili aetate constituti, qui pro modo virium suarum, laudabilem operam Religioni praestant; quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adiungi nil vetat. Ita pariter Sanctus Gregorius, contra propugnatores supradictae Legis, qui dicebant, Milites ad Monasteria convolantes, bonos Monachos non evadere, affirmabat: *Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio Milites conversi, miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt.*

§ 22. Denique, huic Epistolae iam nimis prolixae finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum Archidiaconis non facile duos inventum iri, qui Archidiaconatum dimittere, et Religionem ingredi velint. Contra vero, in pari Regularium numero, multos sane inveniri posse, qui Regularem vitam pro Archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum Leges versari oporteat circa ea, quae frequenter accidunt: profecto non tam nova Lege opus erit ad retinendos Clericos, et Presbyteros Saeculares, ne Religiones ingrediantur; quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra Religiosa Claustra continerentur ii, qui Regularem vitam amplexi, et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a Regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de Apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitatem Professionis suae iudicio experiri aggrediuntur, illam apud Iudices probarent; si omnes, qui Dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos aditum invenirent eorum instantiae, qui e Claustris exire, et in habitu Presbyteri Saecularis, sub obedientia Episcoporum, et cum obligatione servandi Vota Religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu Clerici Saecularis, in Saeculo manere vellent: longe utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

§ 23. Dum itaque, Dilecte Fili Noster, consiliis tuis, quae tum privatis Litteris, tum etiam Typis impressis, non minus docte, quam eloquenter proposuisti, obsecundandum Nobis esse non arbitramur, in eo tamen singularem existimationem, quam de Te merito fovemus, agnosces, quod Tibi causas,

atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his Litteris Nostris; quibus etiam tibi, novum benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 169-176].

375.

Benedictus XIV, ep. *Per binas*, 24 ian. 1747.[1]

Per binas alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum unae quidem datae fuerunt die I mensis Iunii anno MDCCXLI incipientes: *Cum Sacrarum Virginum*,[2] alterae vero die III mensis Ianuarii anno MDCCXLII itidem incipientes: *Salutare in Catholica Ecclesia institutum*,[3] ea opportuna adhibere curavimus Apostolicae providentiae supremaeque auctoritatis nostrae remedia, quae ad instaurandam regularem quoad clausuram Monialium observantiam, a primaeva disciplina per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices, et Sacros Canones confirmata sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi nostri angore accepimus novas artes, ac nova inventa, etsi antiqua sint, ac toties proscripta, sub variis exquisitisque causis, et rationibus in dies excogitari, quae non solum per praescriptas leges prohibentur, sed quamplurimis etiam inordinationibus, et offendiculis aditum patefaciunt: ac primum quidem eo pervenit famularum ad Monialium ministerium in Monasteria admittendarum abusus, ut indultum, quod ab Apostolica hac Sancta Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus executioni demandetur, deinceps tamen quoties admissam famulam, aut e Monasterio egredi, aut viam universae carnis ingredi contingat, toties, nulla indulti huiusmodi habita ratione, ad libitum Monialium, sine alia Antistitum Ordinariorum locorum, ad quos spectat, scientia, et licentia, sed de Superiorum Regularium eorumdem Monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliae, atque aliae in Monasterium inducantur famulae, de quarum moribus, fama, vitiis, ac virtutibus nulla praecesserit legitima cognitio; unde fit, ut sub Famularum nomine ac praetextu, foeminae quaecumque in Clausuras, non sine Clausurae violatione admittantur. Illud praeterea in more positum esse dolentes audivimus, ostia nimirum Monasteriorum, quae semper clausa esse, nec nisi ad necessaria eorumdem Monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut Moniales, et quaecumque aliae in Monasteriis degentes Virgines in propatulo sedentes, sive stantes, cum quibusvis utriusque sexus hominibus illuc accedentibus indiscriminatim colloqui, et iocari etiam non erubescant, ut saepe quamlibet foeminam in quacumque aetate constitutam sive consanguineam, sive affinem, sive tamquam famulam cuiuslibet earum-

[1] Venerabili Fratri Iosepho Mariae Episcopo Portugalliensi.
[2] Cf. N. 310.
[3] Cf. N. 323.

dem Monialium in ipsam Clausuram accersant; et quamvis ipsae Moniales impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant; nec Religioni ducant censuras, ac poenas canonicas, quibus eapropter obnoxiae fiunt. Nos sane, qui pro imposita Nobis divinitus suprema Apostolicae servitutis procuratione saluberrime occurrere debemus hisce abusibus, et inordinationibus, etsi abusus, et inordinationes huiusmodi in ista Fraternitatis Tuae Dioecesi neque unquam irrepsisse, neque unquam irrepturos esse in Domino confidimus; Fraternitati tamen Tuae notum esse volumus, quod Nos non solum omnes, et singulas Constitutiones tam ab iisdem Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, quam a Nobis ipsis super clausura Monialium editas, verum etiam omnia et singula decreta tam a Concilio Tridentino, quam a Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super eadem clausura, et admissione, et receptione Educandarum puellarum, et famularum, sive quarumcumque foeminarum promulgata, quatenus opus sit, tenore praesentium auctoritate Apostolica confirmamus, et sub poenis etiam per easdem Constitutiones, et Decreta contra inobedientes inflictis, servari mandamus, ac praecipimus. Insuper tenore, et auctoritate paribus statuimus, ac declaramus, admissionem receptionemque quarumcumque foeminarum, sive puellarum Educandarum, sive Famularum in Monasteria, quacumque ex causa, sine legitima authenticaque eiusdem Apostolicae Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, et praevio examine super moribus, fama, habilitate, et necessitate ipsarum Educandarum puellarum, vel famularum, per Antistites locorum Ordinarios tantummodo, et non alios quoscumque Superiores toties itidem, quoties necessitas postulaverit, habendo, non obstante quacumque consuetudine etiam longi temporis, fieri non debere. Quod si secus factum, ac fieri in posterum contingat, statuimus pariter ac declaramus, tam Moniales, et quascumque in Monasteriis degentes, quae foeminas quascumque in eadem Monasteria quomodocumque admiserint receperintque, quam ipsas foeminas admissas et receptas, canonicis censuris, et poenis obstrictas esse, ac fore, a quibus easdem Moniales, et foeminas huiusmodi eiusdem tuae Dioecesis, si fortasse hac in parte deliquisse contigerit, de praeterito tantum absolvendi facultatem Fraternitati Tuae, cum facultate etiam alios subdelegandi, tribuimus et impertimur. Caeterum Fraternitati Tuae iniungimus, ac praecipimus, ut omnium, et singularum ordinationum per laudatum Concilium Tridentinum, et Apostolicas Constitutiones, et dictarum Congregationum decreta, super clausura Monialium, et delegata Antistitibus locorum Ordinariis Visitatione tam interna, quam externa praescriptarum memor, easdem ordinationes sub poenis desuper inflictis debitae executioni mandare satagas et studeas, nec non mandari facias, cures, et adnitaris. Interim, ad prosperi successus auspicium, Tibi, Venerabilis Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 177, 178].

376.

Benedictus XIV, const. *Impositi Nobis*, 27 febr. 1747.

§ 1. Impositi Nobis licet immerentibus Apostolici Ministerii ratio postulat, ut ad tuendum Ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum Leges provide constituamus; verum etiam veteres a Praedecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudentur effectibus, novis et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

§ 2. Sane quae olim de Ordinationibus Regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque Catholico Antistite indistincte ordinari possent, an vero id iuris privative pertineret ad Episcopum illius Dioecesis, intra quam sita est Religiosa Domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et declarationibus iamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi Locorum Ordinarii iura sua fundantes in generalibus Canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quae Regularis indulta sunt, aiebant, ipsorum Ordinationes, utpote Dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum Originis, quam Regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipsi ad titulum Beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad Episcopos Ordinarios eorum Domicilii, nimirum illius Dioecesis, ac Loci, in quo ipsi Ordinandi commorantur. Contra vero Regulares Apostolicis Privilegiis innixi, quae certis Ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant Sacros Ordines a quocumque Catholico Antistite, iuxta eorum Privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

§ 3. Verum quum felicis recordationis Praedecessor Noster Gregorius Papa XIII per suam Apostolicam Constitutionem, quae incipit *In tanta rerum*, datam apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDLXXIII Kalendis Martii,[1] iustis gravibusque de causis, alteram Constitutionem sui nostrique pariter Praedecessoris S. Pii Papae V, cuius initium est, *Etsi Mendicantium*,[2] ad iuris communis et Sacri Concilii Tridentini terminos[3] reduxisset; eodem quoque anno in Causa Monachorum Ordinis Carthusiani Decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis Dioecesum, in quibus eorum Monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur Lib. I Decretorum Congregationis Concilii, pag. 75 a terg. Dub. *An nostri Ordinandi obligentur habere*

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 4, III, p. 251, 252.
[2] Cf. § 1, n. 7, § 2, n. 7. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 373-379.
[3] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 8, 10.

expressam licentiam Ordinarii, in cuius Dioecesi sunt, pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius Dioecesis: Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii, declaravit, obligari.

§ 4. Contigit autem, sub illius Successore Sixto Papa V eandem quaestionem retractari, instante universo Ordine Fratrum Praedicatorum. Qua de re idem Praedecessor, post maturum Causae totius examen in praefata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere Superioribus Regularibus Literas Dimissoriales concedere suis respective Subditis, ad Ordines suscipiendos, sed eas tamen Dioecesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a Dioecesi abfuerit, aut, quatenus in Dioecesi extiterit, Clericorum tamen Ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur Lib. IV praedictorum Decretorum, pag. 108: *Sanctissimus Dominus Noster Sixtus V, ex sententia Congregationis, respondit, Regulares posse concedere Dimissorias ad Episcopum Dioecesanum, eoque absente, vel etiam praesente, et Ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

§ 5. Demum a sanctae memoriae Praedecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII, ad huiusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens Decretum editum fuit: *De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papae VIII tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de caetero observent, et observari faciant ea, quae in Decreto Sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, et, si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Dioecesano absente, vel Ordinationes non habente, Literae Dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activae, et passivae privationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc. Datum Romae, die 15 mensis Martii 1596.*

§ 6. Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, iure sperandum videbatur huius generis lites non amplius auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse Regularibus Dimissorias etiam Ordinariorum eorum Originis, quo possent ab Episcopis aliorum Locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes, in praefato Clementis VIII Decreto derogatum non fuisse Apostolicis Privilegiis, quae eorum Ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fue-

rant, ut scilicet a quocumque Catholico Antistite ordinari possent, huiusmodi Decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

§ 7. Verum, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28 Febr. anni MDCLIV, ut notatum reperitur Libro XIX ipsius Decretorum, pag. 316, ita rescripsit: *Regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri ostendere Dimissorias Ordinariorum propriae Originis, sed sufficere ut observent formam praescriptam in Decr. san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17 martii anni MDCLXXIV, Decretorum Libro XXVIII, pag. 261, et sequentibus.

§ 8. Quod vero spectat ad Regulares, quum eorum praesumptum ius, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a felicis recordationis Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum, et examinatum fuisset; cumque ad huiusmodi quaestionem definiendam, id potissimum visum esset in iure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a praefati Decreti Clementini observantia, sufficeret, quod Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque, ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo huiusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis Praedecessoris Decretum; ac praeterea an huiusmodi Privilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt: idem Innocentius Praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod huiusmodi Privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino Decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione Privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis Literis, incipientibus *Apostolici ministerii,* die 23 Maii anni MDCCXXIII datis,[1] ac deinde confirmatis a sanctae memoriae Praedecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII per alias similes Literas datas die 23 Septembris anni MDCCXXIV, quarum initium est *In supremo,*[2] aperte declaravit, his verbis: *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piae memoriae Clemente VIII Praedecessore etiam nostro confirmatum die 15 Martii 1596, quo sancitur, ad Episcopum Dioecesanum Literas Dimissorias pro eorundem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo Dioecesanus a Dioecesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in Literis Dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de praedicta Episcopi Dioecesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet quod Ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad praedicta, Regularibus illis, quibus per speciale Privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus.*

[1] Cf. N. 280.
[2] Cf. N. 283.

§ 9. Porro si aliqui vigilias laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quaestionibus, vel forte in rebus profanis, et ab Ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum Legum, quibus Ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praeiudicata opinio pro ratione, atque, in Legum etiam clarissimarum interpretatione, suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digressus, suique Supesioris Dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos Clericorum Ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet, nullaque interiecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata Pastorali mansuetudine, vindicare non praetermisimus, ut videre est in Monito Pastorali a Nobis tunc edito, inter *impress. Monit.* 3, lib. 11. Neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum Fratrum Nostrorum querelae ad Apostolatum Nostrum delatae fuissent; qui nimirum, non sine magno animi nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe Regularibus in eorum Dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum Ecclesiasticarum Legum, atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in autographo supra relati Clementini Decreti distincte legitur *incurrant;* non autem, quod falso nonnemo asseruit, *incurrent*), dum scilicet, Superiores Regulares, qui Subditis suis non ad praescriptum eiusdem Decreti Dimissorias Literas concedunt, suorum Officiorum, ac Dignitatum, et vocis activae, atque passivae amissione mulctantur, Ordinati vero, suspensionis poenam, atque etiam, si in suscepto Ordine ministraverint, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt Canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos Subditos absque sufficientibus Dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures Regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi Dioecesani, cuius hac in re iurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi praemisso examine, Ordines ipsis impertiatur; quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi Decreta delinquunt. Ea siquidem sess. 23, cap. 12, *de Reformatione,* sic statuit: *Regulares quoque, nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

§ 10. Nos autem consueta Sedis Apostolicae clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum querimoniae

ad Nos delatae fuerunt. Quaecumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris iudicii inquisitione liberamus. Quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive Superiores Regulares, sive Regulares ad Ordines promotos, sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostrae plenitudine, ac de Apostolica benignitate, tenore praesentium absolvimus, et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa et occasione praemissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et Presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De caetero tamen infrascriptas Leges in posterum omnino observandas, Motu proprio, et ex certa scientia Nostra, ac matura deliberatione praemissa, edicimus atque statuimus.

§ 11. Quaecumque nimirum hac in re a praefatis Praedecessoribus Nostris Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, et Innocentio XIII, in supra citatis ipsorum Literis seu Decretis, statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, earundem praesentium serie, confirmamus, roboramus, et innovamus; atque ab omnibus, ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et iubemus. Transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis, aliisque per Apostolicas Constitutiones, et per sacros Canones latis atque statutis, cum effectu subiacere, easque ipso facto et absque alia declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII Praedecessor constituit et sanxit; Regulares autem, qui contra illius Decreti praescriptum promoti fuerint, et Antistites eos promoventes, Canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram Ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus Episcopos, alienos Subditos indebite ordinantes, in iure Canonico, et in Constitutionibus Apostolicis statutae habentur.

§ 12. Praeterea volumus atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus Dioecesanus extra Dioecesim commoretur, vel Ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a Dioecesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas Leges ad hunc effectum statuto. Hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum Privilegio gaudeant suscipiendi Ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad Ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, iam dici posset, Ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis Ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis Antistes Regularem virum, in sua Dioecesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius Superioris dimissorialibus Literis contentus, sine adiuncta praefata attestatione in forma probanti, ad Ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in poenas Canonicas adversus eos constitutas, qui alienum Subditum legitimis Dimissoriis destitutum ordinaverint.

§ 13. Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium Privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alumni a quolibet Catholico Antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant; dummodo huiusmodi Privilegia post Tridentinum Concilium, et ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint: ita porro omnia similia Privilegia, quae aliis Ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede, et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate, et tenore, nulla et irrita, omnique vigore ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus. Decernentes, huiusmodi Privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa, et posterius confirmata esse asserantur, huiusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literali veteris Indulti insertione, eiusque expressa innovatione, factae dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae *in forma communi* nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorundem Privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, iuxta praemissa, pleno iure competere dignoscuntur, ut non sine iusta causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum Privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo Dioecesano Clericorum Ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi Dioecesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem Ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt; idque se facere aiunt, ut iurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica Privilegia, nonnisi cum aperto Episcopi Dioecesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

§ 14. Denique tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, quam Dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Professores, quam maximo possumus Apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei Nostri, et per charitatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in caeteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus, et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta Oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X habita, inculcatum fuit, per haec verba: *Eosdem insuper Fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et Nostra ac Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore,*

et congruenti observantia venerentur. Neque obliviscantur Episcopi, Regulares viros ipsis datos esse adiutores in Dominicae vineae cultura; subdit enim eadem Sancta Synodus: *Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant etc., et tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant.* Demum et Episcopi et Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subiicitur: *Una est Regularium et Saecularium Praelatorum et Subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, et propterea decet eos, qui eiusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*

§ 15. Haec profecto Christianae veritatis, et charitatis documenta quum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram Ordinationem administrare, praeterquam in Temporibus ab Ecclesia statutis, eorum Privilegia de Ordinibus extra Tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini observantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos Ordines, falsis de causis ad pristinum Monasterium reverti iubeant; siquidem Regulares huiusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros Ecclesiarum Antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

§ 16. Praesentes vero Nostras Literas, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 178-185].

377.

Benedictus XIV, ep. *Postremo mense*, 28 febr. 1747.[1]

1. Postremo mense superioris anni cum de more ad Nos accessisses, retulissesque Antonium quemdam Vivianum in Hebraeorum vico domum Perlae Misani Hebreae ingressum esse, ibique cum tres eius Filias, quibuscum puer dumtaxat aderat, earum frater, annos natus duodecim, invenisset, eam, quae nonum annum agebat, baptismate abluisse, Sacramenti verbis rite eodem tempore pronunciatis, quo caput aqua lustravit, idemque deinceps cum reliquis duabus sororibus primae adhuc aetatulae peregisse, marem autem non baptizasse, quod aquam sibi deesse viderit. Tunc Nobis quoque significavisti, quid ad mulctandam Viviani audaciam statueras, quidque de puellis Sacro

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Tarsen. Vicesgerenti.

Baptismate initiatis statuere in animo habebas: id porro a Nobis omnino probatum fuit.

2. Sed quoniam facta huiusmodi frequenter Romae, et alibi audiuntur; quotiescumque vero id accidit, multae hinc statim opiniones, maximeque diversae, perinde quasi tunc id primo evenerit, excitantur, quod sane inde oritur, quia bene multi temere obloquuntur, cum hac de re scriptos neque expenderint libros, neque noverint; alii vero, qui Scriptores legerunt, cum eosdem non semel videant sibi invicem adversantes, non satis ingenii, et facultatis habent ad iudicandum quis eorum prudenter senserit, quis vero secus; alii demum aut nunquam Tribunalium iudicata cognoverunt, aut eorum certe non reminiscuntur. Ideo operae pretium existimavimus epistolam hanc scribere, eamdemque typis impressam in lucem edere, quae si tibi usui non erit, quia probe iam nosti omnia, quae hic continentur, non parum opinor iis fortasse proderit, qui in eodem Vicesgerentis munere tibi succedent, vel aliis extra Romam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad Vicesgerentem Romae spectat, huiusmodi casibus providere, aut non omnino diversis, aut huic plane similibus, qui novissime in Urbe accidit, quique, ut vulgo dicitur, *dat causam Edicto.*

3. Atque ut omnis, quoad fieri potest, confusio evitetur, materiam duximus in duas partes distribuendam. In prima enim de Hebraeorum infantium; in secunda de Adultorum baptismate disseremus. Prima autem pars multifariam dividitur. Primo enim expendetur, utrum invitis parentibus, ac reluctantibus, Hebraei infantes baptizari licite possint. Secundo, si hoc nefas esse dixerimus, an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed etiam liceat, planeque deceat. Tertio, baptismum Hebraeis infantibus tunc impertitum, cum fas non sit, ratum ne, an vero irritum haberi debeat. Quarto, quid sit faciendum, quum Infantes Hebraei afferuntur, ut baptizentur, aut compertum sit eos iam fuisse Sacro Baptismate initiatos; demum quomodo probari possit, eosdem aquis salutaribus iam lustratos fuisse.

4. De primo primae partis capite si sermo sit, utrum nempe dissentientibus Parentibus hebraei infantes baptizari possint, aperte asserimus, hoc iam a Sancto Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe in *quodlibet* 2, art. 7, in 2, 2, qu. 10, art. 12, ubi ad examen revocans quaestionem in quodlibetis propositam: *Utrum pueri Iudaeorum, et aliorum Infidelium sint invitis Parentibus baptizandi*, ita respondet: *Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, etc. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod Iudaeorum Filii invitis Parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut, praeter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, Iudaeorum filii, invitis Parentibus baptizarentur.* Transitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait in 3 par., quaest. 68, art. 10. *Respondeo*

dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent, etc. Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad Parentes; et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii Infidelium invitis Parentibus baptizentur.

5. Scotus *in quarto sententiarum*, distinct. 4, quaest. 9, num. 2, et *in quaestionibus relatis ad quest. 2*, censuit laudabiliter posse Principem imperare, ut, invitis etiam Parentibus, Hebraeorum, atque infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem Infantes a Parentibus occidantur. Habet sectatores haec sententia suos non solum in Scholis, verum etiam apud Auctores recentiores in saecularibus negotiis apprime versatos, quos inter recensendus est *Loaysa in notis ad Concilium decimumseptimum Toletanum*, pag. 761, tom. 2, *collect. Concil. Hispan. clar. mem. Cardinalis Aguirre.* Praevaluit tamen in Tribunalibus S. Thomae sententia, ut testatur Cardinalis Albizi, *de inconstantia in Fide*, cap. 11, n. 32, atque inter Theologos, Canonumque peritos vulgatior est, quorum nomina recensentur a Cardinali Santorio in Rituali Sacramentorum, ut videre licet pag. 209 et seqq., in quo Rituali complures viri doctrina illustres multum laboris, atque operae insumpserunt, quos inter Cardinalis Bellarminus.

6. Ut colligi potest ex nuper allatis S. Thomae verbis, sententiae ipse suae praecipuum statuit in Ecclesiae consuetudine fundamentum; quod si, ad gravissimi huius argumenti vim labefactandam, Matathiae, aliorumque exemplum proponeretur, qui nimirum, ut legitur in lib. 1 *Machabaeorum*, cap. 2: *Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israël;* quod quidem invitis eorum Parentibus evenit: respondet Liranus, solos Hebraeorum filios circumcisos fuisse, cuius sententiam sequutus est Verhost, *de lib. Machabaeorum*, pag. 88. Concedit Sotus in Hebraeorum filios hoc gestum esse, sed ulterius procedens addit, quod si hoc pariter in Ethnicorum liberos factum esset, Matathias erravisset. Scriptoris haec sunt verba in 4 sent., dist 5, quaest. unic., art. 10, § *Quod si historiam: Respondetur, eos, qui Iudaeis Parentibus erant prognati, iure poterat vi circumcidere; si quos autem inter eos circumcidit Gentilium, fecit zelo fidei, sed tamen non secundum scientiam.* At enimvero cum in Divinis Literis nulla occurrat distinctio inter Hebraeorum, et infidelium filios, illa sane responsio videtur certior, ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius, et sanctitate clarus, id iure gessisse optimo, cum illi infantes lege belli captivi essent sui, quos propterea merito quidem, vel invitis Parentibus circumcidi iussit, quemadmodum multa cum laude Christiani solent Turcarum filios in bello captos sacrosancto Baptismate initiare. Sapienter ita disserit Suarez in 3 parte S. Thomae, tom. 3, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sess. 4, § *Secundo est certum.* Cornelius a Lapide, lib. 1 Machab., cap. 2, vers. 46.

7. Hoc igitur posito, quod nefas sit Hebraeorum infantes, reluctante parentum arbitrio, baptizare, nunc iuxta ordinem initio propositum descendere iam oportet ad alteram partem; an videlicet contingere unquam possit occasio aliqua, in qua id liceat et conveniat. Ex his quidem casibus unum modo exposuimus, cum Matathiae exemplum consideravimus. Sed quum eiusmodi eventus nostris hisce temporibus contingere nusquam possint, cum neque Hebraeorum quisquam contra Christianos stipendia mereatur, neque talis eorum conditio sit, ut bellum indicere Christianis valeant, rem fore opportuniorem ducimus, si sermo hic noster de frequentibus tantum casibus habeatur, in iisdemque si prudens, si certa methodus proponatur, cuius etiam hoc loco addatur non inutilis aliqua declaratio.

8. Duo, ut plurimum casus evenire solent: cum Christianorum aliquis Hebraeorum infantes invenit in extremo mortis discrimine constitutos; alter autem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus proiecti, destitutique inveniuntur. Cum id eveniat, ut ab aliquo Christiano Hebraeorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam is certe efficiet, qui salutem puero aqua lustrali praebeat immortalem. Inter caetera Congregationis Sancti Officii decreta unum extat latum postridie Kalend. Novembris ann. 1678, cuius verba haec sunt: *Cum filius Hebraeorum consignatus fuisset Nutrici Christianae in deficientia Nutricum Hebraearum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus, et Sacra Congregatio declaravit, praedictum puerum fuisse licite baptizatum.* Cum quo convenit alterum emanatum die 18 Februarii an. 1705, quaestioni respondens fel. mem. Praesulis Caroli Maigrot; illud autem est huiusmodi: *An filii infantes Infidelium possint baptizari invitis parentibus: Eminentissimi, audito voto DD. Consultorum, dixerunt, non licere, nisi in articulo mortis.* Gobat *in Theologia experimentali*, tractatu 2, cas. 11, n. 329, maxime commendat Virum Religiosum de Societate Iesu, qui cum vi quasi coactus Mahumetani domum ingressus esset, veluti Medicus, eius puellam morti proximam invisurus, eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit; quae quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad Coelum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem sententiam Suarez, *in tertiam partem S. Thomae*, disp. 78, quaest. 25, art. 3, § *Ex his autem.* Becanus, *de sacram. Baptismi*, cap. 10, quaest. 7, n. 7. Hurtadus, *de sacr. Bapt.*, disp. 3, diss. 3. Azorius, part. 1, lib. 8, c. 25, q. 10. Castrus Palaus, tract. 19, disp. unic. *de Bapt.*, punct. 9, n. 16. Paschal., *de viribus patriae potestatis*, part. 1, n. 11. Barbosa, *in Canon. Iudaeorum* 28, q. 1, n. 3. Ad hanc rem praeclare facit epistola Sancti Francisci Xaverii, pag. 67, Romae typis edita, in qua confirmans Patrem Franciscum Henricum, quod quereretur paucos a se Infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, sic scribit: *Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per Baptismum Caelo parturiendo.* Nam certum est, Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitae agentibus, quos Pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. *At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.*

9. Si item eveniret, ut puer aliquis Hebraeus proiectus esset, atque a Parentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribus quoque confirmata

iudiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibusque parentibus, ut recte docent Azorius, *Inst. Moral.*, par. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 5. Ricciul., *Lucubrat.*, lib. 2, cap. 32, n. 30. Clericatus, *de Iurisdictione*, discord. 17, num. 12. Sessa, *de Iudaeis*, cap. 51, n. 110 et seqq. At Hebraeorum parentes Patriam se in filios habere potestatem contendunt, nec plane iniuria. Compertum est patriam potestatem neque ad ius Divinum positivum, neque ad ius naturale, neque ad ius gentium pertinere, sed iuris, ut aiunt, *humani Romani* esse; cum autem Civitate Romana Antoninus Imperator omnes Imperio Romano subiectos donaverit, iuxta ea, quae leguntur in l. *in Orbe Romano*, quaeque in aliis exemplaribus incipiunt *in Urbe Roma ff. de statu hominum*, et Hebraei Imperio Romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat pro patria in filios potestate. Sic disserit *Abbas in cap. cit. ex literis*, n. 3, *de convers. Infid. Iudaeus habet filium in potestate; et est ratio, quia Iudaei contrahunt iustas nuptias, sunt sub Romano imperio, et sic gaudent legibus Imperialibus.* Sed itidem plane constat praedictam patriam potestatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur, proiiciturque iuxta responsum Gregorii IX, cap. 1, *de Infantibus, et languidis expositis*, cuius haec sunt verba: *Si a Patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio), infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.*

10. Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter proiectos, expositosque adnumerandum, quem sine Patre, sine Matre, nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebraeorum vicum temere vagantem inveneris; sed quem in loco publico solum, derelictum, abiectum, atque omni cura, et spe destitutum offenderis, is absque dubio proiectus, is sane expositus censendus est.

11. Benigna haec interpretatio nonnullis improbanda videtur; neque enim ignoramus, apud Auctores multas hac de re sententias valde huic nostrae dissimiles inveniri, quae eo potissimum innituntur, quod Hebraei, quamvis non iure belli, Christianorum tamen mancipia sunt. Itaque cum servitutem serviant, tametsi sententia admittatur, eorum infantes sine parentum consensu baptizari non posse, non decere tamen subtiliores addere limitationes. Multa de hac re habet Antonius Francus in *additionibus in Abb., cap. Ex literis, lit. B., de conversione infid.* Nostri autem instituti non est in hanc epistolam omnes congerere limitationes, explicationesque regulae; non enim tractatum, sed simplicem tantum methodum hic proponimus quoad casus et eventus passim obvios, ac frequentes. Sanctus Thomas in locis praefatis docet, Hebraeos in servitute quidem apud Christianos esse, non vero poenali libertatique contraria, sed civili, quae licet in abiectissimo gradu constituat, non eum tamen praebet, quem altera dominatum: quod item in rem nostram sapienter a Suarez consideratur *in 3 par. S. Thomae*, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sess. 4, § *Dico secundo*, et a Sylvio in 3 part. S. Thom., tom. 4, quaest. 68, art. 10, concl. 7.

12. San. mem. Pius V Praedecessor Noster *in sua Constit.* 80, [1] omnes Hebraeos ab omni Ecclesiastica ditione, exceptis Romae, et Anconae civitatibus, eliminavit. Sixtus V iisdem concessit omnia ditionis Ecclesiasticae loca, [1] dummodo septa moenibus essent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII rem in antiquum statum restituit; Romae tamen, Anconaeque, Avenionem adiunxit, ut videri potest *in eius Constit. 19.*[2] Cum vero Apostolica Sedes Urbini, Ferrariaeque Ducatus recepisset, non eiecti fuere Iudaei ab iis Urbibus, Oppidisque, ubi antea per Duces iis licuerat commorari. At si quis peteret, qua de causa non Hebraeis negatum fuerit, nec negetur, in Pontificia ditione, ac Romae etiam libere permanere, is quidem quaestiones adeat Theologicas Piette, qui part. V usitata ingenii sui sagacitate quaestionem agitat, an infantes Hebraeorum possint invitis Parentibus baptizari, tum id affirmantes (quorum et sententiam ipse amplecti videtur) hac interrogatione provocat pag. 335. *Cur ergo Romae Ecclesia Filios Iudaeorum non baptizat, baptizatosque a Parentibus non avellit, ne in odio Christi, multiplicique impietate enutriantur?* Hanc deinde responsionem subiungit: *Respondeo, et peto vicissim ego: Cur infensissimos illos Christi hostes ipse Christi Vicarius Pontifex Romanus in sua Civitate tolerat? Cur eos inde non amandat? sicut ergo suas habet rationes, gentem illam Deo abominabilem, Christoque infensissimam tolerandi, ita et rationes habet, quare infantes eorum, ipsis invitis, non baptizet, nec ab eis avellat.* Et inter caetera, quibus nititur, argumenta, unum extat S. Augustini lib. 18, *de Civitate Dei*, cap. 46, in quo exponit Deum non eos extinguere penitus voluisse, sed tantum disperdere, ac dissipare, ut quocumque pergerent, sacras literas ferentes, id boni Ecclesiae parerent, ut suorum Codicum testimonio, Christi vaticinia vel invito animo ubique terrarum disseminarent. *Ideo parum fuit* (verba sunt Augustini), *ut diceret: Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam; nisi etiam adderet: Disperge eos; quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia, quae ubique est, eos prophetiarum, quae de Christo praemissae sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

13. Hoc vero obiter attigimus, non contendentes veram causam constituere, cur Hebraeis liceat et Romae, et in aliquibus Pontificiae ditionis urbibus, moram facere; id enim ad rem propositam satis est, quod si Hebraei servitutem Christianis serviunt, ea quidem non poenalis est, sed civilis, ac si Romae, aliisque in Pontificiis Urbibus commorantur, id potissimum Summorum Pontificum indulgentiae acceptum referunt; ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum esse, quod iure non potest exigi; tum etiam eorum ad Christum conversionem, atque infantium baptismum, moderate, religiose, pie procurandum esse, sine ulla vi, aut iniuria; quoniam quicquid iniustitiam sapit, Christianorum indignum est; contumelia vero omnis asylo ipsis concesso penitus adversatur. S. Gregorius Pontifex ad Paschasium Episcopum Neapolitanum scribens, eum admonet, ut humaniter, et mansuete in Hebraeos se gerat, qui tunc eam Civitatem incolebant. *Agendum est ergo, ut potius ratione, et mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum Codicibus ostendentes, quae dicimus, ad sinum Matris Ecclesiae*

[1] Const. *Hebraeorum gens*, 26 febr. 1569. – Bull. Rom., tom. 4, III, p. 57-59.

[1] Const. *Christiana pietas*, 22 oct. 1586. – Bull. Rom. tom. 4, IV, p. 265-267.
[2] Const. *Caeca et obdurata*, 1 mar. 1593. – Bull. Rom., tom. 5, I, p. 426-428.

Deo possimus auxiliante convertere. Et quoniam Paschasius quasdam iis celebritates iampridem concessas interdixerat, haec subiungit: *Itaque Fraternitas tua eos monitis, prout poterit, Deo adiuvante, ad convertendum accendat, et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festivitates, feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi, quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi, celebrandique licentiam.* Et quae in eadem Epistola decernebantur, pertinere quoque voluit ad omnes Episcopos, in quorum Dioecesibus Hebraei commorabantur: *Item universis Episcopis per Galliam, et Europam, et Germaniam constitutis.* Haec autem Epistola recensetur in Can. *Qui sincera,* dist. 45.

14. Postquam casus magis obvios exposuimus, in quibus nostra haec regula prohibet, Hebraeorum infantes, invitis parentibus baptizari; aliquas insuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum haec prima est: si parentes desint, infantes vero alicuius Hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit. Sic Azorius, *Inst. Moral.,* par. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 9; Thomas a Iesu, *de Convers. gent.,* pag. 212; Sessa, *de Iud.,* c. 25, num. 30; alios praeterea auctores eadem sentire non ignoramus, a quibus recensendis brevitatis gratia supersedemus.

15. Secunda est, si Pater Christianae Militiae nomen daret, iuberetque infantem filium baptizari, eum quidem vel Matre Hebraea dissentiente baptizandum esse, quum filius non sub Matris, sed sub Patris potestate sit habendus, iuxta textum *in lege Nulla ff. de suis, et legitimis haeredibus, et in § Foeminae, Instit., tit. de adoptionibus,* quod quidem ad verbum statuit Gregorius IX in sua Decretali ad Argentinae Episcopum scripta, et relata *in cap. Ex literis, de conversione Infidelium.*

16. Tertia est, quamvis Mater Filios sui iuris non habeat, tamen ad Christi Fidem si accedat, et infantem offerat baptizandum, tametsi Pater Hebraeus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse. Ita cum caeteris Azorius verba facit in loco praefato, quaest. 3: *Ubi de communi fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriae potestatis, quam leges, et iura Romana sanxerunt; et propterea mater fidelis, quamvis ei ius civile patriam potestatem non tribuat, ius habet ad Baptismum filium offerendi.* Huic quidem sententiae favet praedicta Decretalis Gregorii IX, in qua licet loquatur de patria potestate in eo casu, quem explicabat, Patris nempe Christiani filium aquis lustralibus offerentis, matre Hebraea perperam discrepante: statuit tamen sententiae suae in favorem fidei fundamentum: *In favorem maxime fidei Christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum:* favor autem fidei in utroque casu valere plurimum iure debet.

17. Quarta est, quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse Infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus, ut observatur *in l. Iusta interpretatione 201, ubi Glossa in verb. avus ff., de verb. signif.* cum eo, quod amplius legi potest in discept. 977, num. 4, *Gratiani.* Hinc necessario sequitur, ut, si avus paternus Catholicam Fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad Sacri lavacri Fontem, quamvis mortuo iam patre, mater Hebraea repugnet, tamen infans sit absque

dubio baptizandus. Martinus Navarrus vir Sacrorum Canonum doctrina excellens, cum hic Romae casus huiusmodi evenisset, plus valere contendebat matris dissensum, ut videre licet in eius cons. 4, lib. 3, *de conversione Infidelium.* Contra eum scripsit Praesul Rutilius Benzoni: Pontifex autem Gregorius XIII pro avo sententiam tulit, ut ipse refert in suo *Speculo Episcoporum,* lib. 1, quaest. 9, dub. 1, ubi testatur, hebraeo infanti baptismum se contulisse. Quamobrem in fine Consilii Navarri haec leguntur: *Advertendum autem, contra hanc opinionem latam sententiam, infantemque traditum fuisse Avo Christiano, et demum baptizatum, perseverareque adhuc in fide.* Huiusce facti Marchinus etiam testis est de *Bello Divino,* par. 1, cap. 2. Non desunt alia iudicata, quorum vi avus ad fidem conversus praeferri debet, non solum si Mater, sed etiam si Pater dissentiat, et quamvis ambo pariter protestentur, sese filii baptismati non assentiri, ut videri potest in cit. disc. 977 *Gratiani,* cum praeter favorem Religionis, qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat *Text. in Can. Patrem 32, q. 3,* ubi in neptis nuptiis, avi sententia patris iudicio anteponitur, cum avus liber, pater autem servus existit: *Patrem puellae Ecclesiae nostrae famulum, avum vero eius liberis ortum constat esse natalibus; et ideo avi magis electionem de coniunctione neptis, quam patris eius, cuius nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic ista nupsisse probatur, hanc constat legitime esse copulatam.*

18. Fictitia res non est, quod aliquando Pater Hebraeus se velle Catholicam Religionem amplecti praedicet, ac se ipsum, filiosque Infantes baptizandos offerat, postmodum vero sui se consilii poeniteat, abnuatque filium baptizari. Id Mantuae evenit, ubi Hebraeus quidam non modo cum viro perhonorificum dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum Duce id rei gessit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem, cumque deinceps ad Christi fidem accedere recusasset, Ducisque spem frustratus esset, res ad examen deducta est in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex *die 24 septembris anni 1699* statuit, ea fieri, quae sequuntur: *Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, et filia duodecim, collocentur in domo Catechumenorum, si ea Mantuae adsit, sin minus apud piam, honestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem, eosque instruendi. Uxoris quoque in loco a filiis separato exploretur voluntas. Patrem vero, et Maritum respective, qui a proposito suscipiendae fidei Christianae recessit, non esse cogendum, sed contra eum posse procedi, prout de iure.* Idem ferme accidit Augustae Taurinorum, ubi cum Hebraeus quidam Religionem Catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat, cumque instaret, ut filiola quam baptizandam obtulerat, ideoque a Matre Hebraea iam ablatam Christianae nutrici lactandam dederat, in potestatem rediret suam; Congregationis Sancti Officii auctoritate Romae sancitum fuit, ut puellula Christianos penes esset, et ad Sacrum regenerationis Fontem elevaretur, quod videri potest apud Sessam, cap. 51, num. 98. Hoc autem prudenter statutum est, ne scilicet Parentes Hebraei, quibuscum summa aequitate apud Christianos agitur, eo impudentiae deveniant, ut et nos, et Ecclesiam audeant irridere.

19. Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes Christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur: sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe Baptismi beneficio existimant, eosdem a malignis spiritibus, a foetore, aut morbo aliquo liberandos. Sanctus Augustinus *in epistola ad Bonifacium Episcopum*, tom. 2, *typis Patrum S. Mauri*, num. 5, de hac re ita disserit: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spiritali ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, et verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Mens quippe non infantem baptismo offerentis, sed baptizantis est serio consideranda: *At, non parentum, sed ministrorum mens est spectanda: hi enim si bona, et recta mente voluerunt exequi, quod Ecclesia postulat, omnino baptismum valide contulerunt.* Verba sunt Arcudii, lib. *de Concordia Ecclesiae Occidentalis, et Orientalis*, lib. 1, c. 12.

20. Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1148 sub Patriarcha Luca, de qua Synodo sermonem habet Balsamon super Canone 84 Trullano. Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui ut baptismum reciperent, invitati, illico responderunt, sese iam pridem Sacro Baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad Sacerdotes Catholicos deferri solitos, ac baptizari: *Non tamen admissi fuerunt; audierat enim* (praedictus scilicet Patriarcha) *quod Baptismus, quem Infideles a Christianis petunt, non bona affectione, et orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis, fore, ut sui liberi a daemone vexentur, et tanquam canes male oleant, nisi baptismum Christianum assequantur.* Verba sunt Balsamonis e Graeco idiomate in Latinum versa a Card. Baronio *in annalibus, ad annum praedictum 1148*, unde significari videtur, illius Concilii Patres Baptismum ratum, ac validum nequaquam existimasse.

21. Cum ad Theologos, Canonumque peritos huius quaestionis examen transisset, varii casus propositi, ac discussi fuerunt. Infideles aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, Baptismi gratia Infantes suos a morbis, Daemonumque vexationibus liberatum iri, eo dementiae adducti sunt, ut mortem quoque minitati sint Catholicis Sacerdotibus, qui utpote eorum pravae mentis conscii, baptismum eorumdem liberis constantissime denegabant. Navarrus, in suo cons. 5, de tit. *Bapt.* respondit, pueros iam rationis compotes in casu eiusmodi a Baptismi fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos esse, qui adhuc rationis expertes sint. Alii vero perperam sentiunt, omnibus conferri baptismum posse, mors ut evitetur, dum materia solum, non autem forma adhibeatur. At huic sententiae refragatur Congregatio Sancti Officii coram Pontifice habita die 6 Septembris 1625: *Sacra Congregatio Universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo, relatis literis Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et Lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita Baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est Janua Sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.* Hoc decretum typis editum extat in *Verricello, de Apostolicis Missionibus*, tit. 5, *ad verb. Baptismus*, quaest. 219. Neque hoc loco praetermittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocentio XI damnatas die 2 Martii 1679 esse huiusmodi: *Urgens metus gravis est iusta causa Sacramentorum administrationem simulandi.*

22. Si tamen mortis discrimen absit, omnibus haec opinio insedisse videtur, Baptismum conferre nefas esse, cum dubitari prudenter possit, id futurum, ut baptizatus tractu temporis a Catholica Religione desciscat; quod quidem experientia docet plerumque iis infantibus evenire, qui a Parentibus infidelibus oblati, ut ab infirmitate aliqua baptismo liberentur, postea vero in eorum educationem, ac potestatem revertuntur. Hoc idem comprobat suffragio suo Castrus Palaus, tom. 4, *suorum operum Moralium*, tract. 19, disput. unic., punct. 6, num. 11; Cardinalis Albizi, *de inconst. infid.*, c. 33, num. 47; Verricellus, *de Apostolicis Missionibus*, titul. 6, quaest. 113, n. 8. Hinc vero id sequitur, quod si baptizatus infans non ad Parentes infideles rediret, sed Christiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet, etiamsi non a Parentibus oblatus esset, ut Catholicus evaderet, verum ut ab aegritudine, ac morbo aliquo servaretur. Apposite ita concludit Azorius, *institut. moral.*, par. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 6: *Ex quo perspicuum est, eiusmodi infantes iure donari, et ablui Baptismo posse, quoties commoda occasio sese obtulerit a patrio eos iure, et potestate liberandi.*

23. Negari profecto nequit grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Episcopus Quebec alias significavit, barbarorum aliquot, etiamsi Christianae militiae adscriptos, nullum Religionis specimen exhibere; hoc enim habent in more positum, ut statim ac filius nascitur, eum Christianis offerant baptizandum, is vero ubi adolevit, a Religionis nostrae sanctimonia abhorret, parentum scilicet exemplo edoctus. Quare non sine causa praedictus Episcopus postulavit, iis ne infantibus Sacramentum esset baptismatis conferendum? Huic petitioni diligenter expensae in Congregatione Sancti Officii habita die 3 Maii 1703 responsum fuit, Baptismum conferre infantibus non licere, qui filii Infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur: *Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi; secluso tamen mortis imminentis periculo.* Licere autem, si filii quidem barbarorum sint, sed iam Christi militum, dum tamen, aut a viris Apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis Parentibus, de Sanctae Religionis praeceptis, ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint: *Licere vero, si sint filii barbarorum baptizatorum; curandum tamen per Missionarios, ac per ipsosmet eorum parentes, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se, vel ab aliis instruantur, praesertim in illis regionibus, si non praevideatur in promptu adfuturos Ministros Evangelicos, qui in hoc parentum commode supplere possint defectum.* In Servia audivimus pauperculas

esse Christianas mulieres invito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quae cum filium pariunt, eum Sacerdotibus offerre solent, ut baptizetur. Idcirco postulatum fuit, qui debeant in casu huiusmodi sese gerere Sacerdotes. De hac re decretum habetur in nostro Bullario num. 89, § 8, pag. 304,[1] ubi apparet, conferendum esse baptismum, si constet, mortem oblato puero imminere: *Istarum vero filios, quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, Sacro lavacro abluere praedicti Parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in Christiana Religione educare sedulo curent.* Si nullum adsit vitae periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias, et praesertim, *vel eos in Evangelicae legis, et fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione ab eiusmodi matribus fraudatos, Mahometani patris impietatem secuturos esse.* Si Sacerdotes, postquam pie, et religiose hoc negotium Deo commendaverint, aequum, bonumque existiment, praedictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de gravissimo, quo tenentur, munere filios de Christiana Religione sedulo edocendi.

24. Nos certe ignoramus, accidisse, ut Pater aliquis Hebraeus Romae, aut alibi infantem obtulerit Sacris Baptismi aquis tingendum, non quod eum cuperet Christianum fieri, sed a morbo aliquo liberari. Hoc si unquam eveniat, S. Augustini sententia, nempe pravam parentum intentionem baptismati non obesse rite collato, prae oculis habita, et coniunctim communi opinione considerata, in hoc casu baptismum minime negandum esse, dum nullum sit periculum perversionis, quod sane est maximum, si baptizatus in Infidelium potestatem sit rediturus; prudentum certe iudicio rite lustrari deberet infans, et Christianis tradi, ut probe educatus, aetate, et sapientia coram Deo proficeret; hoc autem si diligenter fieret, ut semper post Baptismi Sacramentum decet, nullum esset periculum perversionis; quod vitari non potest, si Patri Hebraeo filius restituatur; atque hoc pacto omnis difficultas tolleretur, quae saepissime in causa fuit, cur responsio categorica Missionariis negata sit enixe postulantibus, liceret ne Baptismum conferre Infidelium Infantibus Sacro Fonti oblatis, non pietatis, non religionis causa, sed rerum temporalium caducarumque cupiditate. Vid. Card. Albizi, cit. cap. 33, *de Inconstant. in Fide,* num. 47.

25. Satis abunde diximus non solum de primo huius partis capite, utrum nempe, invitis Parentibus, Hebraei infantuli baptizari possint: verum etiam de secundo, an casus unquam contingat aliquis, in quo id aeque licitum sit, ac decorum; ad tertium nunc accedimus, Baptismum videlicet Hebraeis infantibus impertitum, cum fas non sit, ratumne, an vero irritum haberi debeat.

26. Nulla de hac re inter S. Thomam, et Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum Baptismus Hebraeis infantibus sine Parentum consensu conferri valide possit, verum an licite; ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotista in tom. 1, lib. 4, *sententia-*

[1] Cf. N. 339.

rum, disp. 14, art. 5, num. 58. *Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia si baptizarentur, certum est remanare baptizatos; sed de posse licito, id est, an licite fiat, si baptizentur.* Durandus in 4, sent., dist. 4, quaest. 7, art. 13, contendens irritum baptismum esse sine consensu saltem interpretativo illius, qui baptizatur, ideo si hoc Sacramentum Hebraeorum, aut Infidelium filiis, invitis Parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat; ea ratione ductus, quod Infantulis non alia, quam Parentum voluntas sit, quae si desideretur, omnis deest voluntas, cuius necessitas est sane maxima, Baptisma ut validum habeatur. Verum haec Durandi opinio singularis nunquam aut plausum, aut existimationem nacta est; quod revera constet Baptismum esse ratum, ac validum, quotiescumque Baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat. Quamobrem Durandi sententiam Suarez falsam, Caietanus a ratione alienissimam esse affirmant. Praefati argumenti, validitatem Baptismi collati sine consensu Patris contra Durandum comprobantis, Silvius auctor est doctissimus, S. Thomae sectator, in 4 tom., in 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10. *Si Filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptismus, erit validus, etiamsi Parentes sint inviti, quia subiectum est capax, et Minister cum debita intentione adhibet ei materiam, et formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptisma parvulorum teneat; nam intentio Parentum est impertinens.* Et Frassen eximius Scotista, tom. 10 *sui Scoti Academici,* tract. 10, disp. 1, art. 2, quaest. 3, Durandi sententiam refellens, et eiusdem argumento, hoc est, in Baptismo Infantium voluntatem deesse, si Parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, Ecclesiae voluntatem semper inesse: *Quid si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Recte intelligitur respondere tota Mater Ecclesia, quae in Sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit per voluntatem Ministri, suo, et Christi nomine baptizantis.* Quae quidem responsio S. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: *Offeruntur ad percipiendam spiritualem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offerantur, et quorum sancta, et individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adiuvantur. Tota ergo Mater Ecclesia, quae in Sanctis est, pueros gestat, et offert, quia tota omnes, tota singulos offert.*

27. Argumentis per se clarissimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus; quaedam vero Congregationum responsa in medium proferre nullo modo non possumus, inter quae primo loco afferemus illud Congregationis Sancti Officii habitae die 30 Martii 1638. *Circa Baptismum datum parvulae puellae annorum trium circiter, filiae Hebraeorum, a Faustina Christiana, invitis Parentibus, Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma, et intentione; Baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebraeorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere Baptismum, et characterem imprimi, et filiam baptizatam penes Christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios*

Hebraeorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, praesertim stante Bulla Iulii III imponente poenam mille ducatorum, et suspensionem baptizantibus filios Hebraeorum invitis parentibus. Ante hanc resolutionem alia extat die 3 Martii 1633, cuius haec sunt verba: *Quaeritur, an infantulus filius Iudaei a Nutrice Christiana baptizatus inscio patre Hebraeo, sit vere baptizatus, et huiusmodi baptismate teneatur, et apud quem debeat infantulus educari? Respondetur, infantulum esse vere baptizatum, Baptismumque esse validum, eumdemque educandum penes Christianos, a quibus instruatur, et cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in Fide Catholica, eidemque providendum a patre, si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad minus ad sustentationem.* Conveniunt aliae quoque eiusdem Congregationis resolutiones, quarum altera emanavit die 23 Decembris 1698, altera die 8 Martii 1708, et a Leone in suo *Thesauro Fori Ecclesiastici*, part. 4, cap. 4, num. 8, alia huic similis producitur in Congregatione Concilii habita in causa Fossani, quae tamen cum registris conferri non potuit.

28. Nihil aliud nunc restat, ut primi parti finis imponatur, quam exponere, quid sit faciendum, cum infantes Hebraei aut baptizandi offerantur, aut compertum sit, eos iam fuisse sacro baptismate initiatos, demum quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus fuisse rite lustratos; quae postrema sunt huius primae partis capita, et quorum explicationem paucis expediemus.

29. Nihil hoc loco cum iis infantibus nobiscum est, qui vel ad sacrum fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi ius esse constat, vel qui iuxta sacrarum legum vim, invitis licet, reluctantibusque parentibus, sunt baptizandi, ut ante demonstravimus; de his, inquam, infantibus nullus hic sermo est, quoniam patet, omnino esse ad sacrosanctum regenerationis lavacrum elevandos. Ad eos itaque spectat hic sermo noster, qui baptismo neque a parentibus, neque ab aliis qui ius in eos habeant, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis praeterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quae sinit Baptismum conferri, etiamsi maiorum consensus desit: hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod si iam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut ab Hebraeis parentibus recuperandi, tradendique Christifidelibus, ut ab illis pie, sancteque informentur; hic enim Baptismi licet illiciti, tamen veri, validique, effectus est. Ex quibusdam paulo ante citatis resolutionibus hoc eruitur, quibus accedit Concilii Toletani quarti textus expositus in Can. *Iudaeor.*, Caus. 28, quaest. 1: *Iudaeorum filios, vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum Fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quam in Fide proficiant.* Si autem postquam adoleverint, suo ipsi infortunio Catholicam Fidem desererent, et Hebraeorum ritibus adhaererent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra Haereticos, iuxta Decretalem Bonifacii VIII in Cap. *Contra, de Haereticis*, in sexto: *Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Iudaeorum, etiamsi huiusmodi redeuntes, dum erant infantes etc. baptizati fuerunt, erit tanquam contra Haereticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Iudaeos convicti etc. procedendum.*

30. Dura nonullis haec sententia visa est, qui eamdem ut minus asperam facerent, existimarunt fas esse, puerulos Iudaeis parentibus restituere, dummodo ipsi parentes cautione, aut fideiussione data, ingenue spondeant, ab se filios, vix ad convenientem aetatem pervenerint, Christifidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem Catholicam edocendos. Ita opinatus est Calderinus *in suo Consil. 3, de Iudaeis*, quem sequutus est Graffius *in suis decis. cas. conscient.*, part. 2, lib. 2, c. 23, n. 23. Verum haec Calderini sententia a caeteris omnibus erroris insimulata fuit, ut Afflict. decis. 151, n. 13, Sperel. decis. 1, num. 42. Sessa, *de Iudaeis*, cap. 55 et n. 64. Piton., *Discept. Eccles.*, p. 4, discept. 146, dub. 3 et num. 33. Card. Albizi, *de Inconst. in fide*, cap. 11, num. 33. *Et vere scio in hac Sacra Congregatione*, loquitur de Congregatione S. Officii, *sententiam Calderini uti erroneam fuisse reiectam.*

31. In quibusdam praefatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebraeorum filios sine parentum consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, poena mulctandum esse; Baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primae parti huius nostrae instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam praedictarum resolutionum iudicium confirmare, et quidquid in iisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam, rectamque, non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est; et ea quicumque facit, quae Ecclesia fieri vetat, pro Iudicis prudentia mulctari debet, poena scilicet aut mitiori, vel severiori, iuxta circumstantias. Additur etiam, qui infantes Hebraeorum liberos baptizare solent, eos plerumque aut laicos, aut mulieres esse; quod neutris liceat, nisi necessitas interfuerit, ut videri potest *in Can. ad limina 30*, quaest. 2, *in Can. Sanctum, in Can. in necessitate, de Consecr.* dist. 4, *in Conc. Flor. Armen. instruct.*: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, et Haereticus baptizare potest.* Hoc etiam in trigesimo octavo Concilii Illiberitani Canone statutum est, *peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.* Et quamvis Petavius *in not. ad Sanctum Epiph.*, pag. 341 miretur, Concilium, etiamsi necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; *ergo ne a bigamis baptizari tanta necessitate non licuit?* Mendoza tamen, et Albaspineus aiunt, in Canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adsint rei conficiendae magis idonei, quod Catholicus Ethnico, laicus autem non bigamus iure sit bigamo anteponendus. Iam vero baptismati comprobando unius sufficere testimonium, vetus Iurisperitorum axioma est; ut videtur in Glossa *Cap. Nuper, ad verbum: nisi iuratus, de testibus et attestationibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praeiudicium alicui; puta utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset Ecclesia consecrata, et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per Confessorem suum. Et in Can. Placuit, in verbo: testentur, de Consecrat.* dist. 4: *Creditur ergo testimonio unius in Baptismo, et in Consecratione Ecclesiae.* Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi aut mari, aut foe-

minae, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens Baptismum Hebraeo infantulo ministrasse, non rem modo ab se gestam, sed etiam poena dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In S. Spiritus Xenodochium, proiectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam praeferentes, in qua scriptum legitur iam Baptismum eidem collatum esse. Cum adhuc in minoribus a Secretis Sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus Parochus interrogavit, quid sibi agendum esset in huiusmodi casibus? Proposita quaestio fuit in Congregatione *die 18 decembris 1723, ut declarat Thesaurus resolut.*, tom. 2, pag. 412, *die autem 15 ianuarii 1724* ita rescriptum fuit: Si non lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto praestari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse, ac ne Baptismo quidem initiandum *sub conditione,* ut aperte liquet in tom. 3, *praefati Thesauri,* pag. 2.

32. Haec sunt, quae breviter exponenda censuimus quoad primam partem ad Hebraeorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundam descendimus, sermonem de Hebraeis adultis, ac ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine utamur, et claritate, disseremus primo de iis, qui ultro Baptismum petunt, tum de iis, qui iam baptizati ad Ecclesiam se conferunt. Verum in primis constituendum est, quaenam plerumque ea aetas sit, in qua Hebraeus sponte Baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est, et quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos Iurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est; Nattam scilicet in consil. 454, lib. 2, et Bursat. in consil. 231, lib. 3, quibus in casu, de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum aetas; id autem perperam quibusdam decretis probant aeque antiquis, ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus, accuratusque Praesul Sperellus in sua decis. 1, num. 32 et duobus seq., ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus, praeclara quaedam in unum collegit Cardinalis Albizi, *de inconst. in Fide,* cap. 11, num. 39. Ricciul. *in tract. de Personis extra gremium Ecclesiae,* lib. 2, cap. 33, num. 3 Zasius *in tract. de Iudaeis,* quaest. 2. Clericat., *de Iurisdict.*, discord. 18, num. 25. Sessa, *de Iudaeis* cit. cap. 43, quibus addimus Congregationis Concilii resolutionem, quae extat lib. 16 *Decretorum,* pag. 233 a tergo, in quadam causa Vilnae: *Die 16 Iulii 1639 Sacra Congregatio Concilii respondit filios Iudaeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam: et tunc, si ipsi consentiant. Aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.* Animadvertere opus est illud *regulariter,* nam indicat oportere Praesidem Ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit Baptismi petitor, cum possit contingere, ut is etiam non completo septennio sufficienti sit praeditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit Sotus in 4 *sententiar.*, dist. 5, quaest. unic., art. 10, dub. 2. *Certissima regula est, quod si citra illam aetatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, et quemadmodum fit professio Christianae legis, baptizandus est, quoniam aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; Lex autem divina Baptismi neutiquam ab humana dependet.*

33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur, et Baptismum implorantis capacitas anceps, ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui iuxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem Baptismum ad Hebraeos, et ad patrem potissimum, si supersit, necessario remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam eiusmodi approbandam, et axioma, cuius dumtaxat est ratio habenda in causa aequali: nulla vero aequalitas intercedit Hebraeos inter, atque Christifideles; ac multo minus inter patrem, et filium: quum alter patriae potestatis iacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret; aerumnae alter gravissimae provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cuius periculum certe subiret, regressus ad Infidelium curam, ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed hoc qui postulat retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

34. Suarez *in 3 part. S. Thomae,* tom. 3, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sect. 3 ad fin. sic scribit: *Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum, et facultatem usus rationis, utendum est signis, et coniecturis ex experientia desumptis, et hominis prudentis arbitrio iudicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam, et aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest et debet commodior occasio, et maior cognitio.* Magni huius Theologi auctoritas quidquid supra diximus mirifice probat, Baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum: adultum vero id temporis a Christifidelibus detinendum procul a Genitoribus, ex his, quae subiungimus aperte patet. Cardinalis de Lugo lib. 5 *respons. moral.*, ad dub. 4 hoc Romae accidisse narrat aetate sua: *Contigit Romae, ut parvula quaedam puella casu inveniretur longe ab Hebraeorum domibus, quae interrogata de suis Parentibus, respondit, se parentes habere Hebraeos, et velle fieri Christianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quae adhuc sui iuris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui postquam diligenter puellam examinasset, dubitavit, an perfecto rationis usu praeditam iudicaret: *Consultus ergo tunc fui, et examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius.* Cum puella septennium adhuc non complevisset, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, Baptismum protrahendum esse respondit, et puellam interea apud Catechumenos detinendam: *Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat, et de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti eius voluntate; interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiae causa retinendam in eadem Catechumenorum domo.* Atque ita gestum est, ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine praedicti Dubii IV. *Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an Patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficiente; in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, et explorata iam eius voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.*

35. Species facti, quam modo exposuimus, de puella est, quae septennium nondum expleverat; si autem illud superasset, et non constaret de perfecto rationis usu, non ideo Hebraeis Parentibus reddenda esset, sed Christianorum curae mandanda. Etenim idem argumentum et ad puellam detinendam, et ad Baptismum protrahendum in utroque casu valeat necesse est, auctore Sessa, *de Iud.*, cap. 54, num. 8 et seq. *Ego vero adhaerendum puto sententiae Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, sive septennium compleverit, sive non, etc., modo non urgeat periculum mortis, etc. Erit tamen eo casu a Parentibus segregandus, et in domo Catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne a Parentibus subvertatur.* Et ante Sessam id docuerat Sotus loco cit.: *Quid vero quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonae essent coniecturae, et indicia, puerum annum agentem octavum intelligere quid vellet profiteri, Baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.*

36. Tempore constituto, in quo Hebraeus rationis compos prudenter censendus est, statuto etiam quid sit agendum, cum Baptismi petitor, an sit idoneus, dubitatur; de iis iam disseremus, qui aut ab adolescentia, aut aetate etiam maturiori Baptismum postulant. Quoad hanc aetatem, Parentum consensum necessarium omnino non esse, auctor est Sanctus Thomas *in praef. loco, id est in 2, 2,* quaest. 10, art. 12, quo in loco disputans de Baptismo Filiorum Hebraeorum, dissentientibus Parentibus, sic scribit: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus, et potest quantum ad ea, quae sunt iuris Divini, vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad Fidem, non coactione, sed persuasione, et potest etiam invitis Parentibus consentire Fidei, et baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis.* Eadem vero repetit in 3 part. quaest. 68, art. 10: *Respondeo dicendum, quod pueri Infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea, quae sunt Iuris Divini, vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse: et ideo propria voluntate, invitis Parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut et Matrimonium contrahere; et ideo tales licite moneri possunt, et induci ad suscipiendum Baptismum.* Quae quidem cum iis conveniunt, quae scripta reliquit idem *Doctor Angelicus in quodlib. 2,* art. 7.

37. S. Thomae doctrina de modo, quo Hebraei iam rationis compotes ad fidem Catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum Sancti Gregorii sententia *in Can. Qui sincera,* dist. 45, cuius haec sunt verba: *Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probantur attendere.* Accedit Concilii Toletani IV auctoritas *in Can. de Iudaeis,* dist. 45. *De Iudaeis autem praecipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur; et quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Idem sentit Clemens III in sua Decretali, cuius hoc est exordium: *Sicut Iudaei, sub tit. de Iud. et Saracen. Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Iudaeos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

38. Nec plane obest huic sententiae auctoritas Adriani Pontificis, qui Baptismum a Carolo Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, comprobavit, cum infidelium ratio aeque ac Hebraeorum habenda sit, iuxta S. Thomae sententiam *in 2, 2,* quaest. 10, art. 8, ubi sic scribit: *Infideles quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, et Iudaei, et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, etc.; alii vero sunt Infideles, qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur, sicut Haeretici, et quicumque Apostatae, et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, et teneant, quod semel susceperunt.* Nullius quoque momenti sunt, quae gesta fuerunt a Sisebuto Hispaniarum Rege, quem Concilium IV Toletanum *cap. Maiores, de Baptismo,* Principem Religiosissimum compellavit, propterea quod vi, ac minis Hebraeos ad Baptismum impulerit, cuius vestigiis institerunt Rex Aegaea, Ferdinandus, atque Isabella, ut videre licet in Mariana novissimae editionis, ann. 1733, tom. 1, pag. 202 et in tom. 3, pag. 184 et 211.

39. Placet hic vero nonnulla breviter adnotare; ac primo, Pontifex Adrianus gratulatus est quidem Carolo Magno, quod Saxones iussisset ad Baptismum accedere; in eius tamen epistola typis impressa in tom. 2 *Concil. antiqu. Galliae,* pag. 112, quod unum extat facti eiusmodi monumentum, in eius, inquam, epistola ne leviter quidem commemoratur modus, quo fuerant Saxones baptizati; deinde, iidem Saxones fidem Imperatori dederant, sua se sponte ad Baptismum venturos, quum armis superati, et praelio victi se Carolo tradiderunt: *Spoponderunt se esse Christianos, et se sub ditione Domni Caroli Regis, et Francorum subdiderunt:* ut narrat Annalium scriptor Loisselianus, tom. 6, *Annal. Ecclesiastic. Galliae Patris le Cointe,* pag. 110. Tertio, Rex Sisebutus non ubique fuit, neque ab omnibus commendatus; quapropter Rex Sisenandus imperavit, ut nulla vis in posterum adhiberetur, quod Mariana testatur, tom. 1, pag. 207. *Iudaeos amplius ad Religionis Christianae professionem cogere nefas esto.* Quarto, Religiosissimi nomen Sisebutus, non scientiae merito, sed pietatis causa, est consequutus, *propter zelum, quem habebat, licet is non esset secundum scientiam,* ut notat *Silvius* in 2, 2, *S. Thomae,* quaest. 10, art. 8, concl. 4, § *Ad hoc tamen.* Quinto, in Hispania per eam aetatem Ecclesiastica disciplina nimis remissa erat; ideoque Episcopi non ausi sunt Regum voluntati adversari, uti animadvertit Natalis Alexander in sua *Theologia dogmatica, et morali, de Sacr. Bapt.,* lib. 2, cap. 7, proposit. 7 ad fin. *Mores illos in Hispaniarum Ecclesiis viguisse negari non potest, Episcopis Ecclesiasticam disciplinam ad nutum Regum suorum flectentibus; sed saniorem fuisse, ut et antiquiorem, disciplinam de Iudaeis ad fidem Christianam per Baptismum non cogendis, perspicuum est.* Demum Principum gesta legem praescribere

privatis nequeunt, cum fas sit Regibus Infideles devictos, captivosque suos vi ad Baptismum impellere, edictoque sancire, ut illud accipere si recusent, a Regno eliminentur; id autem Regibus licet non sine causa: metuunt enim, ne ipsi aliquando ad rebellionem deficiant, aut alios ad infidelitatem perducere moliantur. Quamobrem S. Augustinus in epistola ad Vincentium, quae nunc XCIII est, olim XLVIII, postquam suam sententiam semper fuisse ait: *neminem ad unitatem Christi esse cogendum;* hoc ad rem nostram addit: *Legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Divino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant... gratias Domino, qui vincula nostra disrupit, et nos ad pacis vinculum transtulit.*

40. Hebraeis igitur, ut Baptismum accipiant, vim facere nefas est; quare si quis Hebraeorum, expleto iam septennio, Catholicam Religionem amplecti cupiat, aut si non dubia, sed certa significatio detur, Hebraeum aliquem praedictae aetatis Baptismum petere, in hoc casu tum Index, qui hoc admonet, est retinendus, tum Sacramenti petitor ex Hebraeorum vico evocandus, Christianisque tradendus est, ut interrogetur, qua potissimum de causa velit ab Hebraeorum institutionibus ad Christi cultum accedere; diligenter demum instrui debet, ut paulo post edocebimus. Hac autem adhibita diligentia, si forte incapax inveniretur, iterum absque dubio Iudaeis tradendus esset. *Et memini* (verba sunt Cardinalis Albizi, *de inconst. in fid.*, cap. 11, sub n. 38) *a Congregatione Consultorum Sancti Officii revocatum fuisse ad examen puerum quemdam Hebraeum, qui supponebatur petiisse Baptismum, et ad domum Catechumenorum redactus fuerat; qui tamen adeo hebetis ingenii visus fuit, ut, etiamsi explevisset septennium, nihilominus Patri Hebraeo restitutus fuit.*

41. Si contingat, ut Hebraeorum aliquis aetate adultus Baptismum cupiat, is quidem est retinendus, aut e vico evocandus, dum eius optimam voluntatem quispiam fide dignus attestatur. Magna hic vero diligentia opus est, experientia edocente, Hebraeas seu mulieres, seu puellas frequenter ad Baptismum confugere, non Religionis, sed matrimonii causa, quod nimirum Christianum aliquem depereant: mares autem Christianae fidei desiderium affectare, quod matrimonii iam contracti laqueos declinare cupiunt, et uxorem Hebraeam relinquere, aut quod aere alieno gravati sunt, ac solvendo impares. Atque utinam in praesentiarum non eveniret, quod Stephanus Tornacensis scripsit in *epist. XXXII. Raro accidit, ut de plebis circumcisae duritia in novam Ecclesiae renatus infantiam, fideliter aliquis conversetur.* Hanc vocem *raro* ita interpretamur, ut non negemus persaepe Hebraeos ad veram fidem divinitus evocatos, ea fecisse omnia, quae bonos viros, et utiles Christianos decent. Eorum Elenchum vide apud Possevinum, et Thomam a Iesu, *de convers. gent.*, lib. 9, par. 2, cap. 1, pag. 635. Praeviam institutionem multum ad hanc rem conferre fatendum est. Sapientes Instructiones pro Missionariis Romae lucem editae an. 1699, pag. 187, haec habent: *Enimvero comprobatum est experientia, Christianos peiores non inveniri, quam qui ante competentem instructionem ad Baptismum admissi sunt, quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimum nuntium ei remittunt etc. quodque miserabilius est, deteriores multo sunt, quam ante Baptismum, et correctionis omnino impatientes.* Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 6, indicat, quae adulto, ad Baptismum

cum spirituali utilitate accipiendum, sunt necessaria. Catechismus Romanus par. 2, *de Baptismo,* moram, et tarditatem in hoc negotio inculcat, cum mortis discrimen abesse videatur: *Dilatio aliquas videtur utilitates afferre; primum enim quantum ab Ecclesia providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, et simulato animo accedat, eorum voluntas, qua ad Baptismum accedunt, magis exploratur, atque perspicitur; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, et Christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius.* Quoad ea, quae ante Baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium, seu quaestio ab Episcopo Quebec Sancti Officii Congregationi proposita, definita 3 Maii an. 1703: *Utrum, antequam adulto conferatur Baptisma, Minister teneatur ei explicare omnia Fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei praescriptum fuerit? Respondetur, non sufficere promissionem; sed Missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis, et Incarnationis.*

42. Hactenus verba fecimus de Hebraeis adultis ultro Baptismum petentibus; modo, finis ut epistolae imponatur, de iis sermonem instituemus, quibus, infantium aetate expleta, nec ipsis quidem petentibus, Baptismus impertitur, ut re ipsa contigit in Viviani facto; unde oblata Nobis huius epistolae conscribendae occasio fuit. Is enim praeter Infantes, filiam annorum novem Baptismate consecravit, idem cum filio iam duodenni facturus, nisi aquam deficere comperisset. Eos itaque et retinere oportet, et diligenter inquirere, a quo baptizati sint, an debita forma et materia adhibita; tum etiam oportet eos instruere et docere supplendo quidquid antea non factum fuit, ac fieri omnino debuit. Neque vero haec satis sunt, sed nonnulla insuper observari necessario debent.

43. Non raro fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienae inservire voluntati, quod solebat olim ex veteri disciplina frequenter usuvenire. Quos enim ab infantia parentes ad Monasterium miserant, ii toto vitae spatio solitudinem colere tenebantur, quamquam ubi adolevissent, sese palam profiterentur ab instituto eiusmodi abhorrere. Vide Can. *Addidistis* 20, quaest. 1. Atqui adultus alienae obnoxius voluntati, nisi sponte sua obligari nequit: quare, quum Baptismo Catholicae Religionis observantia coniuncta sit, hinc sane oritur, hoc sacramentum non esse validum in adulto palam ac libere dissentiente. Sanctus Thomas 3 part. ad quaest. 68, art. 7, quaerit: *Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum Baptismi?* Et quibusdam more suo propositis argumentis intentionem non esse necessariam probantibus, ita quaestionem solvit: *Respondeo dicendum, quod per Baptismum aliquis moritur veteri vitae peccati, et incipit quamdam vitae novitatem etc. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti; et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, seu intentio suscipiendi Sacramentum.* Glossa

Canonica *in Can. Solet,* ad verbum, *implorandum, de Consecratione,* dist. 4, intentionis necessitatem in adulto, qui baptizatur, non requirit, sed baptizantis tantummodo satis esse affirmat: *Si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit Sacramentum: sed, si non intendit baptizare, licet verba proferat, non est baptizatus.* Sed iuxta Sotum in 4 sent., dist. 5, quaest. unic., art. 7, § *His igitur,* supradicta Glossa, sicut et alia in cap. *Maiores, de Baptismo, tum contra veritatem, tum etiam contra textus ipsos aperte pugnant.* Ratio vero, qua Glossa innititur, nempe baptizatum patientis partes agere in Sacramento, intentionem autem quoad agentem, minime quoad patientem necessario requiri, ratio, inquam, eiusmodi refellitur a Sancto Thoma loc. cit. in responsione ad primum argumentum: *Ergo dicendum, quod in iustificatione, quae fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Quidquid Sanctus Doctor in summa de hac voluntatis necessitate scribit, iam antea declaraverat in 4, *Sentent., distinct.* 6, quaest. 1, artic. 6, quaestiuncul. 3.

44. Cum ergo voluntatis sive intentionis in adulto, quoad Baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari, quo esset animo, aut voluntate, cum ab se non postulatum acciperet Sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipso actu intentionem habuerit accipiendi Baptismum, aut quoddam veluti lavacrum in Ecclesia solitum frequentari, aut ut profanam quamlibet lavacri speciem. Nihil prohibet, quo minus ante Baptismum intentio fuerit illius, ut lavacrum est Ecclesiae proprium, accipiendi, et deinde intentione in ipso actu caruerit, cum lustraretur. Contingere item potuit, ut animo, ac voluntate extiterit Sacramento contraria, licet modestam vultus, ac corporis totius compositionem in accipiendo Baptismate praeseferret. Nihil demum impedimento est, quin ipsa rei novitate perculsus, nulla omnino voluntate, nec assentiendi scilicet, nec abnuendi fuerit; et fieri etiam potest, ut animo prorsus a sacris mysteriis alieno, vel voluntate coacta et repugnante Baptismum acceperit.

45. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unice Ecclesiae proprium, ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non potest. Ita Aest. lib. 4, sent., dist. 4, § 10: *In his enim ad veritatem Baptismi, sive ad characteris susceptionem omnino necessaria est intentio suscipiendi Sacramentum, non tamen ut est lotio quaedam in genere, sed ut talis, qualem frequentat Ecclesia.*

46. Verum si quis Baptismum accipiens praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendae lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla praecesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem, vel somnum, Baptismum petunt, accipiunt vero, dum aut insania vexantur, aut somno indulgent, et hoc genus hominum valide baptizatum dicitur *in Conc. III Carthagin.*, cap. 34. Non secus accidit S. Augustini amico, qui febris ardore delirans, *baptizatus est nesciens, mente, atque sensu absentissimus,* ut habetur in lib. 4 *Confess.*, cap. 4. Is enim cum adhuc inter Catechumenos versaretur, propositum absque dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadversione dignissima verba sunt Innocentii III, cap. *Maiores,* ad § *Verum, de Baptismo,* ubi haec leguntur: *Dormientes autem, et amentes, si priusquam in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione perstiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem, si prius Catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi.*

47. Qui vultu, atque oculis, ac toto corpore ad modestiam composito, voluntate tamen alienissima, ad hoc Sacramentum veniat, is aditum aperit ad controversiam non parvi momenti. Quidquid sit de opinione Caterini, qui sustinet, conferenti exteriorem sufficere compositionem, etiam si non id animo proponat facere, quod Ecclesia solet, de qua opinione multa alibi diximus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae,* ad part. 4, sect. 2, num. 76 et seqq. Haec, inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente Baptismum. Propositio autem ab Alexandro VIII damnata, obiici Caterino solita, conferentem respicit, non accipientem: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat, intus vero, et in corde suo resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

48. Quotiescumque sacra haec mysteria suscipiuntur indifferenti prorsus animo ac proposito, neutra silicet voluntate, Cardinalis Caietanus art. 7 in *Summa S. Thomae,* 3 par., quaest. 58, admissa in recipiente intentionis necessitate, docet, intentionem non *per se,* ut scholae loquuntur, sed *per accidens,* necessariam esse, ut nimirum contraria voluntas, si adfuisset, sublata penitus intelligatur. Itaque si quis nec abnuens, nec assentiens, neutra videlicet voluntate, baptizaretur, censendus esset Baptismum valide suscepisse. At enim Sotus 4 sent., dist. 5, quaest. unic., art. 7, Caietano vehementissime adversatur, et ea quidem felicitate, ut plurimos habeat sententiae suae Theologos assertores. Silvius tom. 4 in 3 part. *S. Thomae,* quaest. 68, art. 7, postquam rem prolixe discussit, ita concludit: *Ex iam dictis certum est, non sufficere, quod quis neque sit volens, neque sit nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum.* Valentia tom. 4 *suorum comment. Theol.*, disp. 4, quaest. 3, punct. 2, Caietano valere iusso, adhaeret Soto: *Quod si neuter prorsus aliquis esset, id est qui neque vellet, neque nollet suscipere, putavit Caietanus, si sic baptizaretur, fore Baptismum validum, sed admodum false id putavit, ut multis argumentis probat Sotus.* Consulendus quoque est Cardinalis Lauria lib. 4 sent., tom. 1, disp. 11, quaest. 2, num. 22 et seqq. Caietanus fulcire studet sententiam suam auctoritate Decretalis Innocentii III, de qua mox sermo erit in cap. *Maiores, de Baptismo,* ubi leguntur haec verba: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem:* ubi sentire videtur, Baptismo satis esse, recipienti voluntatem non inesse contrariam. At enim vero animadvertatur necesse est, Pontificem Innocentium respondere quaestioni, utrum amentes baptizari absque consensu possint, ac decernere hoc licere, eorum si consensus adfuerit furori praevius, secus vero, si nullus dementiam consensus praecesserit ac voluntas. Itaque

Pontificis postea asserentis Sacramento imprimi characterem, *quando non invenit obicem contrariae voluntatis,* nemo non videt, hanc mentem esse, Baptismatis haberi effectum, quando quis vel in actu assensum praebeat, vel iam ante praebuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisset, suscipiendo Baptismati satis esse voluntatem non obsistentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiriri antecedentem.

49. Demum si Baptismus violenter, atque animo palam contrario suscipiatur, supradictus Pontifex Innocentius III eadem in Decretali *Maiores, de Baptismo,* distinctione utendum iudicat. Etenim eos, qui minis, ac terrore correpti violentiae cedunt, Baptismum, ut sibi consulant, suscipientes, ab iis distinguit, quibus, vi etiam illata, contradicentibus palam, et reluctantibus, hoc Sacramentum per vim confertur. Decernit autem in primo casu, non in secundo, Baptismatis imprimi characterem: *Is, qui terroribus, atque suppliciis vehementer attrahitur, ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, sicut et is, qui ficte ad Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum etc. Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter.* Distinctio eiusmodi occurrit quoque in Glossa Canonica *in Can. de Iudaeis, ad verbum, coacti sunt,* dist. 45, in cap. *Maiores, § Item quaeritur, ad verbum, conditionaliter, de Baptismo,* et *in cap. Contra Christianos, ad verbum, absolute, de Haereticis, in sexto.*

50. Examen porro si haberi debeat de adulti proposito, aut voluntate, cum Baptismum accepit, is profecto est ante caeteros audiendus, et interrogandus; cavendum tamen, ne inconsulto fides eidem illico habeatur, ubi responderit, se baptizatum non libere, sed invito. Fieri enim potest (nec casus sane hic metaphysicus est) ut ipso in actu intentionem habuerit sufficientem, Diabolicis deinde stimulis incitatus, et victus, ad vomitum rediturus mendacium proferat, et de intentione interrogatus nigrum pro albo, ut inquiunt, repraesentet. Qui in foro, in Curia, in Republica versatus est, non ignorat, et saepe alias contigisse, et frequenter usuvenire, ut Sacris Ordinibus initiati, ac vitam Regularem professi, enixe postulent contractis a vinculis solutionem, dictitantes nimirum, et nonnumquam iureiurando affirmantes, sese illo tempore, aut nullam penitus intentionem, aut omnino contrariam habuisse. In hoc rerum statu quid solet consilii capere Iudex cautus, et prudens? Clamores aspernatur, respuit iusiurandum, nisi hoc idem comprobent adiuncta plurima, et circumstantiae antecedentes, concomitantes, et subsequentes, et eae quidem momenti sint ineluctabilis, et inconcussi. Hac profecto ratione, hoc examine, hac diligentia opus est, ubi adultus post Baptismum aut intentionem sibi fuisse pernegat, aut non idoneam, minimeque sufficientem extitisse contendit.

51. Quod si nulla sit reliqua dubitatio, planeque constet hac luce clarius, adulto Baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restat aliud, quam eumdem et hortari, et admonere, ut rite id faciat, quod iam irrito fecit, et suscipiat *absolute,* ac libere Sacramentum; ac

si obstinate repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit necne, adultus tum retinendus, baptizandusque *sub conditione.* S. Thomas, 3 par., quaest. 68, art. 7, ubi, ut antea diximus, in Baptizato intentionis necessitatem probans, sic sibi obiectum proponit secundo loco: *Cum de intentione Baptizati non constet, quilibet posset petere, se denuo baptizari, propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat Sacramentum:* atque ita respondet: *Dicendum ergo, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum, si non es baptizatus, ego te baptizo.*

52. Demum quotiescumque aliqua ex parte de collato Baptismate dubitetur aut in facto, aut in iure; cum ex facto articulus iuris oriatur, de quo nihil adhuc certi Ecclesia statuit, Theologorum autem, scriptorumque sententiae divisae sunt; Hebraeus iam lustratus non remitti, sed retineri debet, et baptizari *sub conditione,* iuxta regulam Alexandri III *in cap. De quibus, sub tit. De Baptismo: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed, si nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Hi porro ita baptizati tenentur omnino fidem Catholicam observare, eorum instar, qui minis, ac terrore adducti suscipiendo baptismati assensum libere praebuerunt: vide cit. cap. *Maiores, § Verum, de Baptismo: Et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est tamen ad observationem Fidei Christianae.* Et prolixius *in Can. de Iudaeis,* ad dist. 45, ubi sic legitur: *Oportet, ut Fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et Fides, quam susceperunt, vilis, et contemptibilis habeatur.*

53. Statutum hic nobis fuerat, epistolam terminare; sed deinceps audivimus operae pretium esse, quasdem quaestiones solvere huc spectantes, quarum usus haud infrequens esse solet. Tenemur itaque huic epistolae additamentum nectere, et opportunius hoc fore existimamus, quam opus iam perfectum retexere, aut fasciolas, ut dici solet, ac frustula infarcire.

54. Superius, hoc est num. 40 e vico evocandum, tradendumque Christianis diximus, eum, qui nuntio haud dubio, sed certo et indubitato delatus est, et dedisse, et adhuc exhibere indicia desiderii, quo flagrat, suscipiendi Baptismatis. Hoc praemisso, in praesentia quaeritur, quandonam eiusmodi denuntiatio tuta, minimeque dubia habenda sit? Cum non de adulto ad salutis fontem ultro se conferente, sed de eo nunc sermo sit, quem alii significant Baptismum votis omnibus exoptare, iam patet non posse quaestionem solvi, nisi decernatur, cuiusmodi et quot esse testes debeant, eorum ut denuntiatio non incerta, non anceps, sed fide dignissima existimetur.

55. Regula generalis, quam Te non ignorare compertum habemus, aperte iubet non unius testimonio haberi fidem. Haec vero iure Divino innititur, *in ore* scilicet, *duorum, vel trium, stabit omne verbum,* concordat ius Pontificium in cap. *Veniens* 10 et cap. *Licet universis* 23, *de Testibus,* et ius Civile in leg. *Iurisiurandi,* C. *de Testibus.* Aliquae porro sunt huius regulae limitationes, quarum unam paulo ante produximus, nimirum collationem Baptismi unius testimonio probari: praeter hanc si quis alias

undetriginta legere cupiat, Speculatorem adeat tit. *de testib.*, num. 8. Nobis in praesentiarum satis erit earum unam memoravisse, rem nempe aliquam unico etiam teste probari, dum is tamen fultus haud dubiis indiciis fuerit, et claris oppido coniecturis, ita Farinaccius, *de test.*, quaest. 63, cap. 1, num. 35; Pac. Iordan., *elucubr.* lib. 14, tit. 18, num. 66. Panimoll., *decis.* 23, annot. 5, num. 18. Quoad testium conditionem, usus invaluit, tam in iudiciis Canonicis, quam civilibus, admitti mulierum testimonia, ut apud Tiraquell., *de legib. connub.*, leg. 9, num. 64 et seq.; Farinacc., *de test.*, quaest. 59, per tot. Pac. Iordan, loc. cit. num. 529; Pirhing., titul. *de test.*, num. 66 et 69; Anaclet. ad eumdem tit., num. 84; Sperell., *decis.* 81, num. 45. Quidquid hactenus dictum est, probatum suis, ut inquiunt, a principiis videre qui cupiat, suffragium perlegat admodum elaboratum, et 19 Iulii 1709 typis editum a bo. mem. Praesule Frosini Pisarum Archiepiscopo in quadam controversia, quae ipsi cum illius Civitatis Hebraeis intercessit.

56. Ut ergo regulae hae generales in quaestione proposita locum habeant, cavendum est, ne inconsulto ac temere quidquam fiat, si testes Hebraeum aliquem serio Baptismum petere significaverint. Ac in primis videndum, num index, sive mas, sive foemina fuerit, certae sit probitatis, ac notae fidei; deinde examinari debet, et admoneri de gravitate iurisiurandi; tum eius examen est describendum, cui et index ipse subscribat necesse est. Si duo inter se testes concordent quoad locum, tempus, et occasionem, in qua Hebraeus suscipiendi Baptismatis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit Praesidis, Hebraeum ad Catechumenos evocare, eumdemque ibi ad dies duodecim detinere, ut non minus rei veritas, quam voluntatis constantia cognoscatur. At cum rem denuntiant, aut duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, et omnem citra dubitationem idoneus, et multo magis si adminiculis suffultus; tunc habito, ut diximus, testium, vel testis examine, non oportebit Hebraeum ad Catechumenos ducere, sed Iudex Catholicus, qui Romae est Vicesgerens pro tempore, eius voluntatem extra vicum, vel domi suae, vel in Templo aliquo semel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebraei consilio clare perspecto et cognito, eum tuto iubeat, aut ad vicum remitti, aut Catechumenis recenseri.

57. Neque id vero recens inventum est, sed decretum a Congregatione Sancti Officii anno 1727, cum adhuc in minoribus eadem in Congregatione Consultoris munere fungeremur; itemque hoc postea confirmavit per Litteras Apostolicas die 14 Februarii anni praedicti Benedictus Papa XIII fel. rec., cuius in Nos beneficentia haud parva fuit: eius Decreti verba talia sunt: Feria 4, die 7 Februarii 1727. *In Congregatione generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis: Cum plures exortae sint controversiae super intelligentia, et executione Decreti ab hac Sacra Congregatione editi die 8 Iulii 1641 quoad Hebraeos utriusque sexus denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum; Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinales Generales Inquisitores praedicti dictum Decretum declarando, et quatenus opus sit, reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt, et decreverunt: nempe quod Testes, qui Hebraeos denuntiabunt, sive mares, sive foeminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per Notarium, iuxta interrogatoria generalia ab R. P. D. Vicesgerente praescribenda, cum speciali monitione relevantiae Iuramenti, in scriptis corum eodem R. P. D. Vicesgerente, et eo impedito, coram eius Auditore, examinentur: qui etiam examen praefatum subscribere debeant et, quatenus duo Testes sint de loco, tempore et occasione contestes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, et collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, et constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem Testes erunt singulares, vel unus adesset Testis idoneus, et fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denuntiationem, et Testium examen ducendi erunt ad domum Catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra Ghettum, vel in eius domo, vel in aliqua Ecclesia, vel alio loco sibi bene viso, et intra tempus necessarium, et opportunum, iuxta facti speciem et circumstantias, pro arbitrio, et prudentia dicti R. P. D. Vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

58. Hanc alia quaestio sequitur ad sponsas pertinens, atque coniuges Hebraeorum, quae viri iam Christiani, aut sponsi opera Fidei Catholicae offeruntur. Nulla Iudaeorum querela est, quod a viris, aut sponsis Christifidelibus sponsae, aut coniuges ad lavacrum Sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel ipsi Hebraei, nullam hac invitamenti, vel adhortationis specie violentiam includi, ita ut si mulier Baptismum respuat, matrimonium in Iudaismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo 1 *ad Corinth.*, c. 7 et iuxta Decretalem, *Quanto, de divortiis*, quae quidem matrimonii solutio fit statim ac Iudaeus Ecclesiae gremio admissus transit ad alias nuptias, ut a Nobis longa disceptatione probatum est, cum in Congregatione Concilii a Secretis essemus, in quadam causa Florentina proposita 27 Iulii 1726, ut videre licet in tom. 3, *Thesauri Resol.*, pag. 346 et pag. 350 et seq. ac tom. 4, pag. 30 et seq. Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas coniugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet Pontius, *de matrim.*, lib. 7, cap. 48, num. 25. Affirmativae adhaeret Sanchez, *de matrim.*, lib. 7, disp. 77, num. 6. Utramque probabilem Diana existimat in edit. coordinata, *de Matrim.*, tom. 2, resol. 122, tract. 6.

59. Illud quoque Hebraeis est probe cognitum, coniugem viro esse obnoxiam, eiusdemque in potestate constitutam, quod legunt *Geneseos* cap. 3: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Ipsis praeterea compertum est sponsalia plurimum a matrimonio differre, cum haec non sint aliud, quam futuri promissio matrimonii, ut in Can. *Nostrates* 30, quaest. 1, et in leg. 1 ff. *de spons.*, quod et colligitur ex historia Iacobi, *Genes.*, cap. 29, qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret promissam sibi Rachelem. Non id audet Hebraeorum quispiam inficias ire, iuxta eorum mores, per sponsalia ius quoddam Sponso, et auctoritatem in Sponsam dari forsan etiam maiorem illa, quam Christifidelis habet in Chri-

stianam mulierem sibi desponsatam. Nam iure Pontificio gravis est reus culpae, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio coniungatur, ut Nos alibi demonstravimus in nostra *Notificatione* V, tom. 3, pag. 65, edit. Bonon. At apud Hebraeos, ex veteri instituto, qui rem aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut *post Seldenum*. lib. 2, *Uxor Hebr.* cap. 1, animadvertit Calmet in sua dissert. *de Connubiis Hebr.*, et adhuc in praesens apud Hebraeos scelus, quo de nunc agimus, est capitale, ut observat Cardinalis de Luca, *de matrim.*, in discurs. 9, num. 15, quem habuit de quorumdam Iudaeorum Romae connubio. Igitur quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui potestatem in filios, aut filias habent, eorum oblationem Ecclesiae libere, ac iure faciunt; ita vir, aut sponsus Christi legem amplexus iure optimo oblationem facit suae vel uxoris, aut sponsae, in quam ius a Legibus, et auctoritatem sibi concessam habet. Facta haec vero oblatio nec sane potest, nec omnino debet a Christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiae, nullique studio, ut Christiana veritas iam viro, aut sponso cognita, uxori quoque, aut sponsae lucem afferat, ac salutem, eo vel maxime quod Romani Pontifices licet Iudaeis vim fieri quoad Religionem severe prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas Hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eosdemque iubent Sacris hisce concionibus interesse, ut apparet in Constit. 1, Nicolai III [1] et Constit. 106, Gregorii XIII.[2]

60. Verum quanquam Hebraei de uxorum, sponsarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri possint; queruntur tamen, ut primum Hebraeorum aliquis ad Fidem profectus, aut profecturus, suam offert Ecclesiae sponsam, quod haec illico evocatur, domumque Catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum spatio detinetur. Clamant in casu eiusmodi nimiam Christianos incertis vocibus habere fidem, et imprudenter agere, priusquam ullis probationibus demonstratum fuerit, sponsalia rite ac valide contracta fuisse. Hinc dictitant damna, turbationesque oriri plurimas, cum non semel evenerit, ut Hebraeus infima de plebe aliquis, mulieris, aut virginis amore flagrans et divitis et honestae, desperans vero eam in Iudaismo ducere uxorem posse, id consilii ceperit, contracta nempe sponsalia falso, ac temere venditare, illustrem ut ad thalamum perveniret.

61. Magnus ille Praedecessor Noster S. Gregorius laudabili semper methodo, et incorrupta iustitia in Hebraeorum negotiis usus est. Consule eius *epist.* 25, lib. 8, indict. 1, ult. edit. Victori Episcopo Panormitano datam: *Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, opertet, ut Fraternitas Vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quidquid hac de re decretum est, custodire debeat, ac servare, ut nec ipsa aliquid iniustum facere, nec illi pati praeiudicium videantur.* Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateqne perpendantur, ad veritatem rei a Iudaeis propositae cognoscendam; ut colligitur ex alia eius epistola ad Fantinum Panormi Defensorem missam,

[1] *Vineam Sorec*, 4 aug. 1278. – Bull. Rom., tom. 3, II, p. 25,26.
[2] *Sancta mater Ecclesia*, 1 sept. 1584. – Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 74, 75.

quae 55 est. lib. 9, indict. 2, ubi legitur, *ne forte in eorum sola voluntate versari praeiudicium videretur.* A S. Gregorio edocti, ne ullam his de sponsalibus diligentiam praetermisisse videremur, Seldenum, Bustorfium, Leonem Modena, et alios Scriptores, consulendos diiudicavimus. Decreta quoque percurrimus, quae alias in casibus huiusce generis a Congregatione Sancti Officii emanarunt. Sed auctorum lectio praedictorum, quam Nobis utilis extitisset exornandae dissertationi pro aliqua ex Academiis Ecclesiasticis, quae coram Nobis singulis hebdomadis haberi solent; tam plane inutilis, ac supervacanea fuit certo ac tuto decernendo systemati, quod maximopere optabamus. Ex praedictis Decretis, quorum principium est ab anno 1725, licet illud intelligatur, quod si sponsus Hebraeus iam Christianus sponsae adhuc Iudaeae oblationem fecit, hanc inter Catechumenos ad quadraginta dies detentam fuisse; nullo tamen modo cognosci potuit, an, et qua ratione sponsalia probata fuerint, itemque, an eorum probatio solius sponsi, vel plurium testimonio inniteretur; an demum quodlibet mutuae sponsionis genus existimatum fuerit verus, ac legitimus sponsaliorum contractus.

62. Doctor Paulus Mediceus in suo Tractatu de Hebraeorum ritibus, ac institutis, quorum ipse peritissimus erat, quippe qui e Mosaica ad Christianam legem transierat, cap. 27 de sponsalibus agit, et matrimonio Iudaeorum, et id, ut paucis dicam, ostendit, in hoc instituto non admodum a Christifidelibus differre Hebraeos. Nam hanc apud eos consuetudinem esse testatur, ut scriptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam suam aut puellam, aut viduam promittit sponso, hic autem eam se ducturum pollicetur. Tempus quoque decerni solitum, in quo nuptiae celebrentur. Contractui demum subscribere tum sponsus, tum duo praeterea testes de more debent. Sed quia Hebraei eorum, qui Christi fidem amplexi sunt, dictis, ac testimonio aegre acquiescunt, ideo Nos veritatis apprime cupidi, cuidam familiari nostro iurisperito mandavimus, ut convocaret in unum Iudaeos aliquot, quorum unus iampridem Nobis, cum adhuc Anconae Ecclesiam gubernaremus, est probe cognitus, et in Mosaicis ritibus egregie versatus. Ex eo autem conventu, ea, quae sequuntur, evicta sunt.

63. Primo, semper sponsalia contrahi inter virum, et parentes mulieris, aut inter virum, et mulieris propinquos, si parentes mulieri desint: mulierem sponsalia non contrahere pudoris causa et honestatis, imo contractum, qui hebraice dicitur תנאים *Tenaìm*, foeminae plerumque ignotum esse, quae postea explicite praebet assensum suum in solemni nuptiarum celebratione hebraice nuncupata קדושים *Kidduscìm*.

64. Secundo, sponsalibus hac ratione contractis obligari utramque partem; cum autem consensum parentes tantum mulieris, aut consanguinei praebuerint, non vero foemina, ideo hanc, si dissentiat, minime cogi posse, et dissentientem non contractum frangere, sed peccare graviter iuxta Hebraeos, debitam nempe obedientiam parentibus, aut maioribus denegando.

65. Tertio, contractum dici obligatorium, et absolutum, cum a viro, ac foeminae parentibus sponsio facta est, ac descripta, nec non testibus confirmata aut duobus, aut pluribus. Hic contractus Romae describi solet Notarii opera, alibi a Iudaeis hebraice.

66. Additur, contractum dici pariter absolutum, cum pars utraque, vel privatim, vel coram Rabbino sponsionem firmant iureiurando, coram duobus, aut pluribus testibus, et sponsionem insuper describi iubent. Quod si vel absque scripto, et testimoniis, aut coram testibus tantum sine iureiurando sponsio facta fuerit, tunc neque obligationem inducit, nec contractum perficit sponsaliorum, ita ut pars utraque libera omnino sit; at si de sponsione constet, et de iuramento per testes, tunc recedere licet utrique parti, dummodo praeviam a Rabbino impetrent absolutionem a iuramento.

67. Haec Hebraeorum ex conventu collecta sunt. Hinc vero deducitur, duobus tantummodo supradictis modis contracta sponsalia inter Iudaeos haberi valida, atque obligatoria. Mutuae igitur viri, ac mulieris sponsiones, epistolis, aut schedulis expressae nihil ad effectum, de quo quaeritur, valent; ac multo minus munera, vestes, et nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante *Kidduscìm,* seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, sed commissi sceleris poena, et ut crimen admissum luatur.

68. Si de sponsaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contra, deberet iudicium fieri, res autem inter Hebraeum, et Hebraeam intercederet, aequum esset sententiam ferre legibus consentaneam, et consuetudinibus Hebraeorum; communis enim, et probata opinio est, in iudiciis huiusmodi oportere non iuri Pontificio, vel civili, sed legi, et Mosaicae consuetudini adhaerere. Marquard., *de Iudaeis,* part. 2, cap. 5; Ricciul., *de iure person.,* lib. 2, cap. 18, num. 7; Sessa, *de Iudaeis,* cap. 33, num. 6; Card. de Luca, *de Matrimonio,* discurs. 15, num. 3. In praesens vero res in disceptationem venit ad Hebraeam pertinens, et ad Hebraeum iam Christo servientem, aut inservire optantem: negotium nempe agitur sane maximum, quod ad Christianam summopere pertinet Religionem. Consilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re diu ac multum considerata, hoc, quod sequitur, opportune decernendum existimavimus.

69. Quotiescumque sponsus Hebraeus Christianae Religioni nomen dare statuerit, et Evangelio sponsam offerat, Tuum erit, eum prudenter interrogare, vel ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet eius affirmationi unice habere fidem. Editas sponsaliorum probationes Tuum pariter munus erit examinare, aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis, et momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci aperte ac tuto valeant. Apud Christianos scriptura non opus est, cuius defectus testium auctoritate suppleri solet, adhibitis etiam censuris, cum quis post Canonicas admonitiones sponsionem vel sine iuramento factam implere negat. Sponsaliorum itaque probationes si tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quae usui erat ante an. 1725, adhibenda est; e vico scilicet evocanda mulier, et semel atque iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, eius voluntas in templo aliquo, aut alibi exploranda, ac demum aut innata in pervicacia, atque errore relinquenda, si resipiscere nolit, aut inter Catechumenos retinenda est, ut instruatur, si conversionis certa spes aliqua oboriatur.

70. Cum aut sponsus, aut alius quilibet fide dignus eiusmodi argumenta proferat, quibus plane constet, sponsalia ita, ut supra diximus, contracta fuisse, nempe apud ipsos Hebraeos valida, atque obligatoria; ad Te spectabit, sponsam illico inter Catechumenos collocare, ubi tamdiu versabitur, quamdiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur; intra enim hos limites procedere absque dubio putamus supradicta decreta, quae initium habent ab anno 1725.

71. Inter Cassiodori epistolas Regis Theodorici nomine exaratas, septima supra trigesimam ad Hebraeos Mediolanenses transmissa fuit, in qua iis significatur, hoc decretum fuisse, quod nimirum *nullus Ecclesiasticus, quae Synagogae vestrae iura competunt, violentia intercedente, pervadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat, sed ut religionis cultu, ita et actuum sint conversatione discreti.* Et hoc idem Nos hactenus facere procuravimus. Eadem praeterea epistola admonentur Iudaei, ne ingrati sint, Christianorum aequitate temere abutentes: *Hac tamen moderatione Principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad praefatae Ecclesiae ius, vel religiosas personas caeteras, legibus pertinere constiterit, inciviliter attrectare tentetis.* Et id quoque Nos addere non praetermittimus. Experimento enim didicimus, cum Hebraeus palam declarat, Christianorum se velle institutis, ac legibus obtemperare, a Synagoga, si eius volutatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitare de more aliquam, celare scilicet, aut alio mittere eum, qui a bono proposito deterreri non potest. Cum vero sponsus Christiano se nomini devovere statuit, statim id Synagoga efficit, ut sponsa pervicaci aliquo cum Hebraeo matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evanescant sponsaliorum rationes, probationesque. Hi porro eventus cum metaphysicos non esse scias, ideo severitatis erit ac vigilantiae tuae, remediis, ac poenis etiam, si opus fuerit, Hebraeorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Hae sunt, quae nostra hac epistola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 186-237].

378.

Benedictus XIV, ep. *Iampridem,* 28 febr. 1747.[1]

1. Iampridem epistola est reddita Nobis tua IV Idus quintiles superioris anni conscripta, cui nunc dumtaxat licuit respondere, propter gravissimas Ecclesiae res, quibus undequaque sumus occupatissimi. Non enim, de qua scribis, materia Nos deterruit, quippe qui adhuc in minoribus cum versaremur, octo supra viginti annorum spatio eiusmodi de rerum genere per-

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Messanen.

tractavimus, nunc Advocati Personam in Sacrae Consistorialis Aulae muneribus sustinentes, nunc gravissimum Fidei Promotoris officium exercentes; amplissimo demum Purpurae ornamento, et Bononiensis Ecclesiae Infulis illustrati quatuor volumina in lucem edidimus, quae benigna omnium voluntate excepta sunt, quorum si nullum in Siciliam exemplum pervenit (quod vix credibile existimavimus) istuc facile transmitti potest.

2. Res porro, de qua epistola agit tua, ad cultum S. Lucae Casalio tribuendum attinet, de quo Nicosiae dissensio est, cum illum alii delendum, alii contra amplificandum censeant, ideoque enixe id expetunt, ut Officium proprium concedatur, et Civitatis patrocinium, quod eidem S. Casalio iampridem collatum fuit, auctoritate Apostolica confirmetur. At sententiam ut nostram libere proferamus, ingenue fatemur, utramque partem in errore versari: nec enim S. Lucae Casalio Cultus omnino negandus, nec augendus, aut lectionibus propriis, aut patrocinii confirmatione.

3. Anno 1575 Nicosiae Civitas cum peste teterrima laboraret, Senatus, Populique consilio sancitum fuit, ut sacra aedes S. Lucae Casalio conderetur. Item anno 1586 decretum est, ut gratia a Summo Pontifice imploraretur, unde liceret eo plane solemni ritu, quo celebritates ex praecepto solent, dies festos colere Sanctorum Iosephi, Cosmae, et Damiani, tum Francisci de Paula, et Lucae Casalii: deinceps anno 1589 statutus est locus, ubi praedictum templum aedificaretur, quod tamen postea conditum non fuit, ne nova aedes S. Iosephi sacello obesset. Publica quoque auctoritate latum fuit anno 1662, ut S. Lucae celebritas expensis publicis recoleretur: pecuniam vero ex aerario usque ad annum 1744 depromptam fuisse constat. Demum cum eiusdem S. Lucae Corpus in Templo S. Philippi de Argyrio servaretur, cumque Coenobii Abbas Commendatarius esset bon. mem. Cardinalis Carolus Columna, Nicosiae Senatus enixe ab eo postulavit, ut insignes aliquae sibi eius Corporis Reliquiae concederentur, quo scilicet maiori pompa, et religione eiusdem dies festus celebraretur. Concessa petentibus perbenigne fuit Costa, quae consuetis est ritibus, ac caeremoniis tum recognita, tum tradita, ac demum facultate a Praedecessore tuo Praesule Alvarez Messanae Achiepiscopo impetrata, die Dominico Augusti tertio magna Populi frequentia per Civitatem translata fuit, cum icone eiusdem S. Lucae Casalii, cuius in laudem aram quoque erectam scimus in oppido Sancti Michaelis.

4. Quae sunt hactenus commemorata, publici sane cultus, et quidem inveterati, testimonia et argumenta esse nemo negaverit. Id enim prorsus a consuetudine abhorret, ut publicis in Consiliis de Templo agatur illius in gloriam erigendo, qui non apud Populum venerationem habeat, et cultum publicum. Nec minus absurdum esset, si non Reliquiae modo expeterentur, sed etiam a Summo Pontifice facultas imploraretur diei festi ex praecepto eius in laudem instituendi, qui nullo sacello, nullo cultu, nulla sanctitatis fama praeclarus esset, atque admirandus. Ex quo fit, ut intelligere non possimus, quonam iure a certis hominibus contendatur venerationem et cultum publice denegandum huic Servo Dei, qui iampridem et supremis honoribus celebratur, et Sanctus consensu populorum unanimi appellatur.

5. Quamquam vero in scripto quodam ad Nos transmisso legatur, publicam aliquibus venerationem sublatam fuisse, tamen libere respondemus hoc minime Nos latere, cum in nostro lib. 1 *de Canonizatione Sanctorum*, cap. 6, num. 1, et multo etiam clarius lib. 2, cap. 8, num. 1 et seqq., id probaverimus exemplorum auctoritate. Illud autem a Nobis adnotatum animadvertas velim, cultum scilicet aut iis sublatum esse, quibus et recens datus, et inconsulto erat, aut iis, qui ad Sanctorum honores ascenderant, acclamatione Populi, quem falsa quaedam portenta fefellerant, et virtutes inanes, utpote ab hypocrisi non alienae, et interdum ab erroribus ad fidem spectantibus non seiunctae. Rem vero eiusmodi nullam penitus deprehendis in causa, qua de nunc agimus, quin imo momenta occurrunt plurima tum sanctitatis claritatem, tum cultus iustitiam publici comprobantia, ut paulo post videbimus, ac propterea nihil Sancto Casalio obesse hoc debet, quod nonnullorum memoriae cultus publicus interdum sit abrogatus.

6. At enim iisdem in scriptis opponitur, cultum hunc publicum auctoritate Sedis Apostolicae neque probatum, neque concessum esse, sine qua nullo modo licet quempiam vel Beatum, vel Sanctum hominem publice venerari. Id quidem et fatemur, et scimus: in nostro siquidem iam citato *de Canonizatione* Libro Primo non exiguo sane labore id copiose, ac evidenter probavimus, ius esse Romani Pontificis privativum, aliquem aut Beatorum, aut Sanctorum Albo adscribere, nec absque eius consensu posse cuiquam cultum publicum exhiberi quem praebet iis Ecclesia viris, quorum in aeternitate memoria est. Abunde scribunt de Sancto Luca Casalio multi Siciliae historici, et auctores. Nos quidem scripta perlegimus Carrerae, Perdicari, Novarini, Aprilis, et Menniti. Hi vero cum recentiores sint, salva et integra eorum fama, non praetermisimus antiquiores etiam consulere, utpote auctoritate praestantiores, ac fide. Pater Octavius Caietanus, qui vitas exornavit Sanctorum Siculorum, cum omnia illius Regni Tabularia excusserit, auctor est fide quidem dignissimus, quem propterea multa cum laude memorat Antonius Mongitorius, pag. 110, tom. 2, *Biblioth.* suae *de Scriptoribus Siculis*. Eumdem plurimi facit Philippus Labbè in Chronologica Pinacotheca Scriptorum Societatis Iesu anno 1620, pag. 336, tum etiam qui scribunt acta Eruditorum Lipsiae, ad mens. Aprilis ann. 1710, quorum testimonium omni suspicione carere debet, in examine Isagoges ad Caietani Historiam Sacram Siculam, haec habent: *Morum pariter innocentia, et eruditione conspicuus dicitur*. Caietanus porro in Actis Sancti Lucae Casalii ita scribit: *In Sanctorum numerum a Summo Pontifice relatus est efflagitante Oppido Argyrio*, quod videre licet in eius tom. 2 *Sanctorum Siculorum*, pag. 184, itemque eius in Martyrologio die 2 Martii: *In Nicosia S. Lucae Abbatis cognomento Casalis Ordinis S. Benedicti;* additque in margine, ubi eiusdem de cultu mentionem facit, *ex Sedis Apostolicae concessu*. Si quis Rocchi Pyrrhi, qui *notitiam Ecclesiarum Sicularum* edidit, doctrinam habere cognitam velit, is citatum adeat Mongitorem in supradicto tom. 2, pag. 201, et Pyrrhum ipsum in tom. 1 ultimae editionis, pag. 540, ubi de S. Luca Casalio haec profert: *Pontificio permissu apud suos Nicosienses celebrior est dies festus*. Ferrarius, ut nemo ignorat, auctor advena, Lectorque olim in Archigymnasio Papiensi, Catalo-

gum composuit Sanctorum, qui in Martyrologio Romano desiderabantur, et die 2 Martii nomen inserit S. Lucae Casalis: *Nicosiae in Sicilia Sancti Lucae Abbatis Ordinis S. Benedicti cognomento Casalis.* In notis autem addit: *Ex tabulis, et monumentis Ecclesiae Nicosiensis, ex Martyrologio Siculo, fuit ex ordine S. Benedicti circa ann. 890, colitur ibi praecipue ex Romani Pontificis auctoritate.* Bollandistae demum die Martii 2 vitam non praetermittunt S. Lucae typis a Caietano editam, ubi eiusdem cultus dicitur a Sede Apostolica approbatus. Eamdem praeterea vitam Caietani studio exornatam, et apud Pyrrhum, ac Bollandistas laudatam, Mabillonius etiam inseruit Actis Sanctorum Ordinis Benedictini saeculo IV, par. 2, pag. 93, editionis Venetae anno 1738.

7. Verum dicet quispiam, non satis esse, auctores etiam gravissimos attestari, nutu Sedis Apostolicae alicui Servo Dei cultum publice exhiberi, sed oportere insuper praeferri certissimum facultatis Apostolicae documentum. Itaque non abs re erit, si Nos hoc breviter repetamus, quae fusius explicavimus in libris Nostris *de Canonizatione Sanctorum.* Sedente Praedecessore Nostro Clemente VIII actum fuit de veneratione, cultuque publico exhiberi quandoque solito eorum meritis, quos nec Beatorum, neque Sanctorum numero Pontificia Sedes adscripserat. Eo quidem tempore nulla est lata lex; sed quod tunc praetermissum fuit, statutum est postea in Pontificatu Praedecessoris Nostri Urbani VIII, atque a Sancti Officii Congregatione Decreta saluberrima emanarunt, quorum vi interdictum fuit, ne Sanctorum honores iis publice praestarentur, quos Vaticani auctoritas nec Beatos appellaverat, neque Sanctos. Omnem Nos historiam retulimus, et comprobavimus lib. 2, *de Canonizatione Sanctorum,* cap. 10 et 11. At vero cum supradictae regulae generali deesse aliquid videretur, ideo eius Decretis nonnullae declarationes additae sunt, quarum una ad cultum immemorabilem spectat, quem si quis Dei servus consecutus sit, eo privari nullo modo debet, etiamsi probari non possit, eum a Sede Apostolica vel Beati, vel Sancti nomine nuncupatum fuisse, quod videre aperte licet in citato nostro lib. 2, cap. 17. Tum quoque controversia exorta est, quantum temporis necesse esset, ut cultus publicus diceretur immemorabilis, ac idcirco idem Urbanus VIII anno 1634 decrevit, Cultui immemorabili constituendo tempus requiri, quod centum annorum spatium excederet, ut Nos notavimus in supradicto lib. 2, cap. 22. Quare si cultus publicus, scientibus, nec repugnantibus Ordinariis, S. Lucae Casalio praestitus, statuto temporis spatio superior est, iam nemo existet tam iniustus rerum existimator, qui hunc cultum aut illicitum putet, aut a Sede Apostolica improbatum ducat, quamvis documentis evinci nequeat, hunc Heroem Pontificia auctoritate vel Beatorum, vel Sanctorum laurea exornatum fuisse.

8. Fidei Promotoris officium, quod diu sustinuimus, Nos quidem admonet, ubi difficultatis nodus existat maximae, quam dissimulare non possumus. Centum annorum spatium ab Urbano VIII statutum, debet ann. 1634 praecessisse, quo tempore Literae Apostolicae emanarunt; tempus autem, quod ab an. 1634 infra decurrit, probat quidem cultus continuationem, sed non centenarium spatium ab Urbano Pontifice constitutum, ut Nos docemus in cit. lib. 2, cap. 22, num. 3 et seq. Quotquot autem vel auctores, vel documenta supra retulimus, nullum extat, unde probetur Cultus Centenarius ante ann. 1634. Hinc concludere quispiam poterit, absque ullo iure, ac sine permissu Sedis Apostolicae Cultum Sancti Lucae Casalio praestitum fuisse.

9. Argumenti vim probe agnoscimus, sed hoc et fateri adversarii debent, cultui publico ac legitimo iuxta Sedis Apostolicae regulas constituendo nihil plane deesse, quotiescumque documenta non desint cultus publice exhibiti S. Lucae Casalio, non tantum uno, sed aliquot etiam saeculis ante annum 1634, cui tempori si anni posteriores addantur, ac rumor et fama iam inveterata consensum indicans a Summis Pontificibus praebitum, non video quid possit amplius desiderari.

10. S. Lucas Casalius multis abhinc saeculis obiit, ac post mortem tam late coepit eius Sanctitas celebrari, ut eius Corpus in Monasterio, et Arca S. Philippi Argyreorum honorifice sepultum fuerit: *Migravit ad Dominum Lucas in senectute bona VI nonas Martii in Monasterio S. Philippi Argyreorum, ubi Corpus eius servatur in eadem cum Sancto Philippo Presbytero Arca.* Ita legitur in S. Lucae Actis. Et in Breviario Gallo-Siculo Matthaei Caldi opera castigato, typisque Venetiis edito ann. 1527, quod sorte invenimus inter Codices Venerabilis Cardinalis Thomasii in S. Silvestri Collegio Clericorum Regularium, in sexta lectione S. Philippi Argyriorum, pag. 347 legitur, ipsum Belisario cuidam civi apparuisse, eidemque imperavisse, ut Templum ad Crucis imaginem aedificaret, ubi deinceps eius corpus collocatum fuit una cum S. Eusebio, qui miracula S. Philippi ope, ac patrocinio divinitus perpetrata descripsit: *Apparuitque uni Civium regionis illius, qui dicebatur Belisarius, venitque ad Montem Argirionem, ostensumque est ei in somnis, quasi aedificata esset Ecclesia in forma Crucis; aedificatae sunt ab eo duae Cellae; superior quidem Eusebio, qui scripsit vitam, et inferior Sacris Reliquiis Philippi.*

11. Nec mirum tu existimes velim, tanta Nos diligentia usos esse, ut Breviarium Gallo-Siculum inveniremus. Saracenis a Sicilia expulsis virtute, ac fortitudine clarissimi Ducis Roberti, et Comitis Rogerii, qui isthuc e Gallia profecti fuerant, in eo viri principes post victoriam cogitationibus, et consiliis invigilarunt suis, ut antiquam Christianae Religionis gloriam. et Ecclesiasticam disciplinam iam fere ubique iacentem extollerent, et ad primaeva revocarent; cuius ut voti compotes fierent, diligenter curarunt, ut Episcopi e Gallis Sacerdotibus deligerentur, inter quos adnumerantur in primis Robertus antea Episcopus Troianensis, postea Messanae, Ansgerius Cathanae, Girlandus Agrigenti, Stephanus Mazariae, et Rogerius Syracusarum. Hinc paulatim istius Insulae Ecclesiae a Graecis Ritibus desciverunt, qui ab octavo saeculo istic invaluerant, et linguae latinae usu Ritus, et Liturgias Gallicas sequutae sunt, nec primis iis temporibus alios libros, quam Gallicos, ad Sacra officia adhibuerunt, ut animadvertit, qui Bollandi historiam continuavit, Papebrochius in *act. Sanctorum,* mens. Iunii, tom. 4, die 23, *festo S. Agrippinae Virginis, et Martyris,* § 2, num. 2, ac praeter Papebrochium id ipsum erudite ostendit Canonicus Ioannes a Ioanne in perpolito tractatu suo de Divinis Siculorum Officiis Panormi edito ann. 1736, cap. 12, num. 1 et seqq. Temporum pro-

gressu Gallicis retibus quidam alii Siciliae proprii, ac peculiares admixti sunt; Breviario quoque nonnulla Sanctorum Officia particularia sunt addita, unde patuit confusioni locus, ac ideo oportuit Officium Gallo-Siculum refomari emendarique, quam sibi curam sumpsit supracitatus Matthaeus Caldus, quem honoris gratia commemorat Mongitorius in sua Bibliotheca Sicula, tom. 2, pag. 55.

12. Dum S. Lucas Casalius adhuc in vivis erat, lucis usuram amisit, ac propterea Argyrio discedere statuit, Nicosiam profecturus, invisurusque affines suos. Tum Monachis eum comitantibus in mentem venit ipsum illudere. Dixerunt itaque, in quemdam locum magnam Populi multitudinem convenisse, sacrae ut concionis pabulo enutriretur. Vir optimus verba facere non recusavit, et orationem cum id temporis usitata formula conclusisset: *Per omnia saecula saeculorum,* saxa et lapides mirifice responderunt, *Amen.* Tum vero Monachi ipsa admiratione obstupefacti, ac perterriti, in genua prolabi, lacrymas fundere, veniam implorare, quam iis vir Sanctissimus perbenigne concessit. Ad Argyrii Monasterium reversi hoc prodigium unanimes praedicarunt, cuius claritate commoti Nicosiae Cives in eo loco Templum postea erexerunt in honorem S. Lucae Casalis, quod eius in Actis legitur: *Sed Nicosienses honestare Patriam, ac Civem volentes, Ecclesiam, quo in loco concionem habuerat, inclamantibus saxis, Divo Lucae constituerunt, quae prodigium posteris praedicaret ad Dei gloriam, qui regnat per saecula.* Quamvis autem per hosce dies id Templum desideretur, Nobis tamen significatum est, viam quamdam S. Lucae nomine decoratam, lapide insignem esse, in quo imago impressa est ipsius S. Lucae eodem in loco, ubi quondam Templum extiterat. Ad huius portenti memoriam sempiternam in S. Lucae statua Nicosiae posita, haec sunt, quae sequuntur, inscripta carmina:

Civibus exultant urbes, magis Herbita Sancto
Luca Casali Patria clara suo.
Fratribus elusus... praedicat orbus:
Facto fine, Amen, res nova! saxa tonant.

Hisce versibus tute vides existimari, Casalium Herbitae fuisse Civem, cuius Urbis nunc plane dirutae mentionem faciunt, praeter Ciceronem, Plinius et Diodorus Siculus.

13. Apud Caietanum, tom. 2 *de Sanctis Siculis* in perveteri Chronico Benedictino, quod Bollandistae in S. Lucae Casalii vita descriptum putant an. 1483, inter caeteros egregios sanctitate Viros S. Noster Casalius recensetur: *Sanctus Lucas Abbas Monasterii S. Philippi de Argyrio positi in Sicilia, admirandae sanctitatis vir, Kalendis Martii, secundum Usuardum, Coelos petiit.* Et quamvis in Usuardi Martyrologio non id occurrat, prudenter tamen, sciteque animadvertit Caietanus in Sicilia Usuardi Martyrologia usui apud omnes fuisse, cui vero quodlibet Monasterium Sanctos addebat suos. Hinc orta confusio est aliqua, vel potius varietas Martyrologiorum, quae Usuardi nomine legebantur, unde Abbas Maurolicus curam suscepit corrigendi Martyrologii, ut notat laudatus Ioannes a Ioanne suo in *Tractatu de Divinis Siculorum Officiis,* cap. 23, num. 5.

14. Demum invidia temporum iam nulla erat reliqua memoria vel notitia situs, ubi S. Lucas sepultus fuerat; sed an. 1596, dum quoddam aedificium in Templo substrueretur, non sine Divino Consilio inventum fuit Casalii Corpus una cum S. Philippi de Argyrio, et Eusebii corporibus, qua quidem occasione multo in dies magis exarsit pietas in Sanctum Lucam. Idem plane Bononiae accidit, ubi postquam aliquot saeculis latuerat, inventum denique fuit S. Petronii Corpus in S. Stephani Templo sepultum; nostris Civibus locum, ubi is thesaurus iaceret, penitus ignorantibus, uti enarravimus in nostro Opusculo de historia, ac vita Sanctorum Bononiensium.

15. Quidquid paulo ante diximus de S. Luca Casalio, id eiusdem in actis legimus, a Patre Caietano memoriae traditis in tom. 2, *vit. Sanctor. Sicil.,* ubi haec habet *in Animadversionibus,* pag. 63: *Vitam hanc S. Lucae barbara dictione scriptam accepimus ex libris Nicosiensibus manu exaratis: eam ob causam paulo a nobis concinnatam oportuit.* Eadem acta sunt quoque in lucem edita a Bollandistis die 2 Martii. Quod ad huius praeclari Herois Corpus, eiusque inventionem pertinet, ediscere hoc etiam licet praedicto ex Caietano, tom. 1 *Sanctorum Sicil., in Animadvers.,* pag. 25. Itemque ex Pyrrho *in notitia Ecclesiae Catanien.,* pag. 589, § 5 et 6. Haec monumenta luculenter, planeque ostendunt antiquam venerationem publice virtuti exhibitam Sancti Lucae Casalis, et multa quidem saecula ante Decretum Urbani VIII. Separato enim ac peculiari sepulcro mandari, et inter Sanctorum Corpora condi non solet, nisi qui eximiae sanctitatis fama clarescat, et publica populi veneratione dignissimus habeatur; quae quidem S. Lucae debita omnino fuit. Licet enim quo praesertim tempore e vivis cesserit, ignotum sit; liquido tamen constat, multo post SS. Philippum, et Eusebium, quibuscum una sepultus est, mortem eius fuisse in conspectu Domini pretiosam. Templa vero, aut sacella nunquam in eorum honorem publice dicata sunt, qui non tanquam Divini, Sanctique homines colerentur; neque eorum ulla in Martyrologiis, vel Chronicis cum clarissimis Sanctorum nominibus mentio habita fuit.

16. Quaeret hic vero quispiam, cum duo sanctitate celebres Philippi fuerint Argyrienses, uter eorum sit, quocum sepultus colitur S. Lucas Casalius. Huic autem quaestioni satisfacere haud instituti est nostri; quanquam enim non ignoremus duos cognomines fuisse Viros sanctitatis gloria immortales, tamen non oportet id a Nobis decerni, utri eorum cum S. Luca sepulcrum commune fuerit. S. Philippi Argyriensis primi memoria celebratur in Martyrologio Romano die 12 Maii, et de hoc vetus est controversia, missus ne sit in Siciliam a S. Petro, Evangelium ut annnutiaret (quod nimis fortasse mordicus Faxellus sustinet clarus Siciliae Historicus in decade 1, lib. 10) an fidei propagandae causa Siciliam adierit quarto saeculo, Arcadio imperante, uti prolixe, eruditeque probat Placidus Reina *in Notitiis Historicis Civitatis Messanen.,* par. 2, pag. 362 et seqq. De Altero S. Philippo, vulgo Philippello, scribunt Caietanus, tom. 1 *Vit. Sanctorum Sicil.,* pag. 33, tum Ferrarius *in Catalogo Sanctorum Ital.,* 12 Maii, pag. 276. Sermo quoque hoc de Philippello habetur in vita S. Philippi a S. Eusebio descripta, quam Bollandistae anteponendam iudicant alteri eiusdem vitae apocryphae, et temere tributae S. Athanasio Episcopo Alexandrino: *Proferunt,* haec sunt Bollandistarum

verba die 12 Maii, *Vitam aliam eius, quasi a Sancto Athanasio Episcopo Alexandrino scriptam, quam, ut satisfiat horum clamoribus, licet apocrypham, subiungimus.* In lucem prodiisse legitur patrocinio primi S. Philippi, ac severiori se instituto eiusdem in Monasterio devovisse, ibique Diaconi munere functum esse. His de utriusque Philippi notitia constitutis, ea est reliqua difficultas, ac dubitatio, utri scilicet eorumdem S. Lucas Casalius coniunctus tumuli fuerit ac sepulcri honore. Caietani acta si comprobentur, sentiendum est, Casalium fuisse cum seniori Philippo, qui Sacerdos extitit, consepultum: *Corpus eius asservatur in eadem cum Sancto Philippo Presbytero arca.* Animus autem si convertatur ad Pyrrhum in notitia Ecclesiae Cataniensis, verisimilius videtur, conditum fuisse in Philippi iunioris, ac Diaconi monumento. Nam ubi is agit de corporis inventione an. 1596, haec habet: *In cella superiori inventa fuerunt Corpora Beatorum Philippi iunioris Diaconi, Eusebii Monachi, atque Lucae Abbatis.* Caietanus, tom. 2, pag. 33, Bellisarii historiam retexens scribit: *In ea* (Aede nimirum eius opera aedificata) *thecas duas extruxit, superiorem quidem B. Eusebio, inferiorem S. Philippo Presbytero. In praesentiarum Corpora Sanctorum Eusebii, Philippi Diaconi, et Lucae Abbatis eadem in arca servantur; sed caput Eusebii argento tectum ostenditur festo die S. Philippi ad 4 Idus Maias, quo die Eusebius una cum Philippo Argyrii colitur.* Nos autem hoc loco cum id unice contendamus, ut divinos honores antiquitus, ac publice S. Casalio praestitos comprobemus, cumque huiusmodi cultus argumentum ex eo potissimum deduxerimus, quod eius Corpus in SS. Philippi, et Eusebii urna inventum est, nemo non videt Nostrum nequaquam esse constituere ac definire, senioris ne, an iunioris Philippi sepulcro mandatus fuerit S. Lucas. Nam utriusque memoria cultu publico, atque immemorabili celebratur, quemadmodum et S. Eusebii, quorum omnium hoc quoque tempore dies festus in Sicilia recolitur 12 Maii. Quare si tres clarissimi Heroes S. Lucae praemortui Sanctorum in Sicilia honoribus colebantur, et id temporis etiam coluntur, illud iam sequitur necesse est, ut quocumque cum Philippo sepultus sit S. Lucas, eumdem credamus venerationi publicae, atque immortalitati a populo consecratum fuisse. Communis enim ei fuit non sepulcri minus, quam cultus, et celebritatis honor, qui tribus viris sanctissimis iampridem est habitus, et nunc habetur.

17. Illud quoque Nobis obiici fortasse potest, quod in praedictis Chronicis Benedictinis ann. 1483 sermo habetur de S. Leone Luca, cuius memoria celebratur die prima Martii, non de S. Luca Casalio, cuius dies festus est postridie Kal. eiusdem Mensis; haec sunt enim Chronicorum verba: *S. Lucas Abbas Monasterii S. Philippi de Argyrio positi in Sicilia, admirandae Sanctitatis vir, Kalendis Martii secundum Usuardum Caelos petiit.* At enimvero Vir sanctissimus, quem Chronica memorant, non Leo Lucas, sed Lucas nuncupatur; deinde Abbas dicitur Monasterii S. Philippi Argyriensis; cui quidem Coenobio praefuit Abbas Casalius, nunquam Leo, quippe qui eodem ex Monasterio profectus, in Calabriam secessit, ubi et Abbas fuit, et in pace quievit, iuxta Bollandistas *ad primum diem Martii*, cap. 3. Hinc ergo colligi, et concludi merito debet in Chronicis agi de S. Luca Casalio, non de S. Leone Luca. Neque obstat ibidem scribi *Kalendis Martii:* nihil enim facilius, quam

Amanuenses praetermisisse, per negligentiam vocem *postridie*, scripsisseque *Kalendis Martii*, non *postridie*, uti necesse fuerat, *Kalendas Martii*, quod prudenter Bollandistae notant in Commentario vitae praevio Sancti Lucae Casalis: *Quidni Chronicum Benedictinum manuscriptum circa an. 1485 exaratum... censendum de hoc Sancto agere his verbis: S. Lucas Abbas Monasterii S. Philippi de Argyrio positi in Sicilia, admirandae sanctitatis vir, Kalendis Martii, secundum Usuardum, aut certe Usuardi Martyrologium ibidem auctum, Caelos petiit: forsan postridie Kalendas Martii scriptum.* Iidem interpretes cum praedicta Chronica memorant in vita S. Leonis Lucae, haec addunt: *Forsan ea omnia de Sancto Luca Casali Abbate ibidem, de quo secunda Martii agemus, intelligenda.* Ad id opponere quispiam potest, Chronica hoc loco agere de tertio S. Luca Abbate, itemque Monacho in Coenobio S. Philippi Argyriensis. Verum tertius hic Lucas nunquam fuit praedicti Monasterii Abbas, quin imo inde in Calabriam transiit, et Monasterio praefuit Carbonae, ubi mortuus est, cuius dies festus recolitur 13 Septembris auctore Caietano, tom. 2, pag. 96, et *in Animadv.*, pag. 34. Iure itaque sentiendum est, sermonem in Chronicis non de alio haberi, quam de Sancto Luca Casalio.

18. Ex privatae nostrae Bibliothecae voluminibus haec colligere Nobis licuit, et haec tanti esse ducimus, ut pro religiosa quorumdam petitione cultus, ac veneratio S. Lucae Casalis iampridem praestita conservetur. Altera petitionis pars eo spectat, Officium ut proprium concedatur, et S. Lucas decreto nostro Patronus Civitatis Nicosiae confirmetur, adeoque cultus eiusmodi auctoritate Apostolica augeatur. At ingenue fatemur ad cultus incrementum Officii proprii concessione, hoc praesertim inter alia necessario requiri, ut ab Ordinario processus formalis fiat, evincatur nempe cultus immemorabilis illi praestitus, cuius in laudem Officium petitur. Debent in processum praeterea congeri monumenta cultum probantia una cum testium iureiurando, qui sese quadraginta annorum spatio cultum vidisse publicum attestentur, eiusque memoriam accepisse a suis Maioribus, quibus ipsis hanc quoque notitiam tradiderint Maiores sui. Demum Ordinarius processu diligenter examinato, debet ipse hoc de cultu sententiam ferre, quam et oportet a Sede Apostolica confirmari, ut Nos diserte ostendimus *in libro secundo de Canonizatione Sanctorum*, cap. 23. Quamquam modo dixerimus plerumque non concedi solere Officium, neque Missam, quin processus formalis de cultu immemorabili proferatur: non ignoramus tamen interdum eiusmodi privilegium concessum fuisse, propter peculiares aliquas circumstantias, quae huic petitioni accomodari non possunt, ut Nos alias declaravimus in nostro l. 4 *de Canonizatione*, part. 2, cap. 5.

19. Quoniam vero non Officium de Communi, sed proprium, lectiones nimirum secundi nocturni proprias libello a Nobis supplici postulasti, videre tu ipse poteris in nostro lib. 3, *de Canonizat.*, cap. 8, num. 8 et seq., ac lib. 4, part. 2, cap. 10, num. 6, quantae auctoritatis esse historicum deceat, cuius ex monumentis lectiones Officii proprii desumuntur pro Ecclesiae usu sive universalis, sive particularis; consilii ac prudentiae erit tuae etiam, atque etiam considerare, num tales Tibi historici faveant, quales ii debent esse, ex quorum scriptis pro S. Lucae Officio desumere leciones proprias meditaris.

In actis, Caietani studio in lucem editis, legitur, Monachum nescio quem nomine Bonum vitam S. Lucae Casalii exornavisse; sed haec historia in praesens temporum iniuria desideratur, ut coniiciunt Bollandistae. Quidquid Caietanus memoriae tradidit, quibusdam Nicosiae de manuscriptis hausit, stylo quidem rudi admodum, ac plane barbaro exaratis. Nihil ibidem de Casalii parentibus, nihil de nativitatis tempore, nihil de Principe dicitur, quo regnante vitam aut duxerit, aut inchoaverit. Annus vero, quo fuit in lucem editus, cum ignoretur, ne cognoscere quidem licet, instituto ne Basiliano, an Benedectino se devoverit, qua certe in re non Te latet, historicos etiam Siculos dissentire. Pyrrhus supplere contendens, quae in Caietano desiderantur, scribit, Leonem quemdam S. Lucae Casalii Patrem, et Theotistam fuisse Matrem, vixisseque ad centum annos, et morti proximum, successorem suum quemdam Theodorum designavisse; sed Pyrrhi errorem nemo non deprehendit, cum S. Lucae Casalio tribuat, quae S. Leoni Lucae sunt adscribenda, uti acta probant a Caietano diligentissime exornata. Iisdem ex Caietani actis colligitur, S. Lucam Casalium Abbatis dignitatem diu recusavisse, eamque deinceps iussu Pontificis accepisse, quin eius nomen Pontificis declaretur. Illud quoque miraculum memoratur, quo saxa, mutique lapides responderunt *Amen*. Constanter autem Nos credimus, Deum facere plane posse quaecumque velit, ut magnifice servos illustret suos, nec Nobis in mentem venit inficiari hoc portentum S. Lucae Casalio tribuendum esse, cum eius memoriam praedictis in actis, eidemque plausum Nicosiae datum legamus. At hoc miraculum, quod pars esset omnium honorificentissima Lectionibus propriis inserenda, praetermittendum omnino esset. Actorum enim, quae Caietanus edidit, non solum auctor ignoratur, verum etiam latet, an S. Lucae coaevus extiterit, aut a coaevis saltem, atque contemporaneis hoc portentum acceperit. Aetate hac nostra criticen fatemur ad gradum altissimum pervenisse, quae si prudens, si moderata, si talis plane sit, qualem in Cardinali Baronio admiramur, nemini non videbitur cognoscendae rerum veritati apprime utilis, et opportuna.

20. Octavo saeculo vixit, ac floruit Beda, de quo id prorsus scribitur, quod de S. Luca Casalio: *Cum ex nimia senectute oculis caligasset, et discipulo duce ad lapidum congeriem pervenisset, discipulus ei suadere coepit, quod magnus illic esset populus congregatus, qui summa affectione, et silentio eius praedicationem expectabant; cumque Sanctus ferventi spiritu elegantissimum sermonem fecisset, et conclusisset, Per omnia saecula saeculorum, lapides responderunt Amen, Venerabilis Beda.* Hoc factum postquam diu perpendit Cardinalis Baronius ad annum Christi 731, n. 25 ita concludit: *De his cum nihil Bedae assectator discipulus dicat, post ipsum ista excogitata esse videri possunt, quae nec a Trithemio recepta esse noscuntur.* Multa hic addi profecto possent, quae silentio involvuntur: caeterum id videtur opportune statuendum, ut S. Lucae Casalio cultus quidem et veneratio, quae nunc habetur, in posterum praebeatur; Officium tamen proprium denegetur, cum tanti ponderis acta desint, ex quibus liceat absque erroris periculo lectiones sumere peculiares. Neque id vero nunc primum accidit, sed saepe alias. Nam caetera ut missa faciamus, celeberrimum est exemplum S. Crescii, Sanctorumque Sociorum Martyrum. Erat eorum cultus immemorabilis: Sacella iisdem, et Templa dicata

fuerant. Aderant Rituales, praeterea libri veteres charta pergamena descripti, unde cognosci plane poterat, nedum coniici, usum olim invaluisse, ut Metropolitana Florentina eorum in honorem Officium proprium recitaret, quod postea desueverat. Acta demum Martyrii in promptu erant. Orta vero inter eruditos iis de actis controversia, non defuit, qui nimis audacter senserit, omnem cultum dictis Martyribus denegandum. Nimis asperum, atque absurdum hoc visum est. Quid ergo? Cultus fuit in statu pristino conservatus, et Sanctis Martyribus eadem est habita, quae antea, veneratio. At propter graves difficultates, quae in actis occurrebant, Congregatio Rituum concedere Lectiones proprias recusavit, ut ex Decreto constat, quod emanavit die 1 Octobris 1707.

21. Reliquum est, aliqua ut addamus de patrocinio S. Lucae Casalii. Scripta ad Nos translata significant, Nicosiae Civitatem in duas partes divisam esse, quarum altera S. Lucam Patronum Urbis principem esse cupit, altera renuit. Id autem a Nobis enixe petitur, ut S. Casalium Patronum designemus una cum S. Nicolao, quem unanimi consensu omnes Patronum Civitatis principem venerantur. Compertum est, non alios eligi patronos posse, quam *qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat.* Cum vero Cultus S. Lucae non ad Ecclesiam pateat universam, hinc fit, ut Beati potius, quam Sancti proprius videatur, tametsi qui colitur, Sancti nomine nuncupetur. Neque enim non exempla suppetunt, unde edoceamur, iis, qui tempore ab immemorabili Sanctorum numero adscripti sunt, hunc Titulum non auferri, licet eorum cultus certis terminis circumscribatur, nec alius omnino sit, quam qui Beatorum meritis reddi solet. Praeclare hoc videmus in duabus Lusitaniae Reginis Theresia, et Sancia, quarum memoria, licet Beatorum more tantummodo celebretur, iis tamen Sanctarum nomen, de quo controversia erat, Congregatio Rituum non denegavit, quo Nos argumento utimur in nostro lib. 2, *de Canonizatione Sanctorum,* cap. 24, num. 115. Luculentissima est quoque supradictae regulae circumscriptio; id est huic regulae non esse locum, nisi in Patronorum electione, quae fit post ann. 1630, quo tempore statuta est regula, cuius quidem et post ann. 1630 nulla est auctoritas, si praedicto Decreto a Summo Pontifice derogetur. Inficias ire non possumus, ad sedandas Populorum controversias interdum a Sede Apostolica prudentissime statutum esse, alicuius ut Civitatis duo Patroni principes colerentur; quod a Nobis animadvertitur in Nostro lib. 4, *de Canonizatione Sanctorum,* part. 2, cap. 14 et 15. Iam vero cum Nos penitus lateat, quo tempore, aut qua ratione Patronus electus fuerit S. Lucas Casalius, cum nec exposita Nobis argumenta fuerint satis idonea rei obtinendae, quae petitur; nihil novi decernendum existimamus, atque id negotii in gradu pristino relinquendum. Prudentiam interea Tuam Nobis et perspectam, et cognitam ad sedandos Populi tumultus hortamur, ac Tibi, gregique tuo Nobis carissimo paternam Benedictionem benevolentissimo ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 238-256].

379.

Benedictus XIV, const. *Inter multa*, 4 apr. 1747.

Inter multa onera cum Sacrosancti Apostolatus Officio debilibus humeris nostris imposita, ad evitandam, quantum in Nobis esset, inutilis Servi condemnationem, hoc plane connumerandum censuimus, ut non solum praesentia nostra assiduam operam impenderemus Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, in quibus Religionis negotia, aliaque graviora, pro Catholicae Ecclesiae regimine in dies occurrentia tractantur; Generali nimirum Congregationi Sacrorum Rituum, quoties praecipua capita causarum Beatificationis Servorum Dei, aut Beatorum Canonizationis in ea expenduntur; sicut etiam Congregationi Sanctae Universalis Inquisitionis, quae per singulas hebdomadas coram Nobis habetur; saepe etiam illi, in qua de Propagandae Fidei rationibus agitur; atque alteri, quae praeposita est executioni et interpretationi Decretorum Sacri Tridentini Concilii; ac demum praeter alias Congregationes in peculiaribus casibus deputatas, et coram Nobismetipsis coactas, Supremae Signaturae Gratiae, quam vocant, in qua inferiorum Tribunalium iudicata, totaque administrandae Iustitiae ratio ad trutinam revocantur; verum etiam, si quando graviores controversiae inter Ecclesiasticas potissimum personas orirentur, ut eas ad iudicium Nostrum avocaremus, easque, resecatis tum litium diuturnitatibus ac dispendiis, tum partium querelis ac simultatibus, modo cum Auditorum Causarum Palatii nostri coram Nobis congregatorum, modo cum aliorum gravium, atque prudentum Virorum consilio, non sine proprio labore ac diligentia, multique temporis, ut plurimum somno detracti, in discutiendis rationum momentis, evolvendisque domesticae Bibliothecae nostrae libris, impendio, definitionis nostrae oraculo decideremus, penitusque de medio tolleremus.

Quod genus operis a Nobis pro communi utilitate libenter susceptum, quum Nobis propositum sit, donec Omnipotenti Deo valetudinis nostrae vires servare placuerit, nullo pacto deponere; facile adducti sumus, ut exortam nuper litem et controversiam inter bonae memoriae Iosephum huius S. R. E. Cardinalem Accoramboni nuncupatum, cuius ex hac vita migrationem superioribus diebus eluximus, tamquam Episcopum Tusculanum ex una, et dilectum Filium nostrum Ioannem Antonium Tituli Sanctorum Silvestri et Martini in Montibus Presbyterum ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Guadagni nuncupatum, tamquam Monasterii, Abbatiae nuncupati, Sanctae Mariae de Crypta Ferrata Ordinis Sancti Basilii, Abbatem Commendatarium ex altera, partibus ad Nosmetipsos avocaremus, inappellabili iudicio Nostro definiendam ac terminandam. In qua controversia quum praedictus Ioseph Episcopus Cardinalis contenderet praedicti Monasterii Territorium suae Tusculanae Dioecesis portionem esse, proindeque se omnimodam suam Ordinariam iurisdictionem in eo exercere posse; contra vero praefatus Ioannes Antonius

Cardinalis et Abbas Commendatarius defenderet, huiusmodi Territorium ab ipsa Tusculana Dioecesi omnino separatum existere, seque illius Ordinarium esse, cum plena et quasi Episcopali Iurisdictione in Clerum et Populum, privative ad ipsum Episcopum Tusculanum; Nos omnibus mature libratis, quae in copiosi iuris et facti allegationibus, et monumentorum collectionibus tam ex una, quam ex altera parte oblatis, deducta sunt, auditis quoque oretenus utriusque partis Defensorum et Advocatorum Informationibus, atque in consilium adhibitis duobus Viris in Canonica facultate peritissimis, dilecto scilicet Filio Magistro Ildephonso Clemente de Arostegui Cappellano Nostro et Causarum Palatii Apostolici Auditore, qui, edito volumine, cuius Titulus est: *Concordia Pastoralis:* eximium suae in hoc rerum genere scientiae specimen dedit; ac dilecto pariter Filio Magistro Clemente Argenvilliers Consistorialis Aulae nostrae Advocato, ac Praelato Domestico, et Auditore nostro, cuius etiam doctrinae in hac ipsa controversiarum specie plura monumenta extant in consultissimis disceptationibus multorum annorum decursu, dum in exercitio Fori magna cum laude versaretur, ab ipso editis; hisque coram Nobis die XIII elapsi Februarii mensis accitis, ac diligenti cum iisdem tractatu habito, totam huiusmodi controversiam in hunc, qui sequitur, modum dirimere ac definire statuimus.

Quamvis autem, ut supra diximus, ipsius controversiae summa praecipue circa Territorium separatum, et iurisdictionis Ordinariae et quasi Episcopalis competentiam verteretur, quum tamen in ipsius discussione alii quidam articuli excitati fuerint, nimirum circa iurisdictionem Baronalem Abbatis Commendatarii in praefati Monasterii Territorio; circa ipsius Monasterii et Monachorum in eo degentium exemptionem passivam ab Ordinaria iurisdictione Episcopi Tusculani; ac demum circa curam animarum, quae in praefata Ecclesia Sanctae Mariae Cryptae Ferratae, et in ipsius Parochiae ambitu exercetur ab uno ex Monachis ipsius Monasterii: Nos ut omnia litium germina stirpitus evelleremus, ac perpetuae pacis tranquillitatem firmiter stabiliremus, super his etiam matura deliberatione praehabita, opportunas declarationes et ordinationes futuris temporibus observandas, edere, et pronunciare statuimus.

Itaque, quod attinet ad primum, ad temporalem videlicet, seu Baronalem Iurisdictionem Abbatis Commendatarii, quam Episcopus Tusculanus in suis allegationibus impugnabat, decrevimus, et pronunciavimus, ipsum Episcopum in hoc non esse legitimum Contradictorem; ideoque Abbatem Commendatarium praedictum, huiusmodi oppositione nihil obstante, iure suo uti posse, si quod ipsi competit quoad praedictam temporalem et Baronalem iurisdictionem.

Ad secundum, nimirum quod spectat ad exemptionem passivam Monachorum et Monasterii Cryptae Ferratae ab Ordinaria iurisdictione Episcopi Tusculani, diximus et pronunciavimus, huiusmodi exemptionem passivam praedictis Monachis et Monasterio competere, eosdemque ina gaudere debere ad formam Privilegiorum eisdem, ut infra latius dicemus, ab Apostolica Sede indultorum; salvis nihilominus, et firmis remanentibus Sacrosancti Tridentini Concilii, necnon eisdem Apostolicae Sedis posterioribus Constitu-

tionibus, et Ordinationibus, quoad illos omnes et singulos casus, in quibus Regulares, etiam exempti, Episcopi iurisdictioni sive Ordinariae, sive Delegatae, subesse debent.

De tertio, videlicet de animarum cura in Ecclesia praefati Monasterii, ut supra diximus, administrata, decrevimus ac definivimus, constare de legitima existentia Parochiae in praedicta Abbatiali Ecclesia, quamvis illius erectio nequaquam exhibita fuerit; quum satis demonstratum fuerit, huiusmodi Curae Parochialis exercitium in ipsa Ecclesia, et in ipsius Monasterii Territorio, ab antiquo tempore viguisse et vigere. Quocirca statuimus, praedicto Abbati Commendatario competere ius praesentandi coram Episcopo Tusculano unum aliquem pro tempore Sacerdotem sive Saecularem, sive Regularem, qui tamen Latinum Ritum observet, atque hunc a praedicto Episcopo examinandum esse, et ad ipsius Curae exercitium rite approbandum; eumdem vero, quamvis Regularis Monachus existat, tamen eidem Episcopo subesse debere in his omnibus, quae praedictam Curam et Sacramentorum administrationem concernunt, iuxta Decretum praedicti Concilii Tridentini, cap. 11, sess. 25, *de Regularibus*, nostramque Constitutionem, quae incipit: *Firmandis,* VIII Idus Novembris anni MDCCXLIV editam, et impressam in Bullario nostro Tom. 1, n. 109. [1]

De ipsa denique Episcopali Ordinaria iurisdictione in praefato Territorio Cryptae Ferratae, an scilicet ea ad Episcopum Tusculanum, an vero ad Abbatem Commendatarium, aut Monachos ipsius Monasterii, pertineat, quod erat praecipuum, vel potius unicum propositae controversiae caput: decernendo pronunciavimus, et pronunciando decrevimus, huiusmodi iurisdictionem Ordinariam et Episcopalem in Clerum et Populum universum praedicti Loci, et Territorii Cryptae Ferratae, competere Episcopo Tusculano, non autem Abbati Commendatario, aut Monachis ipsius Monasterii.

Et sane dubitari nequit, quin Territorium Cryptae Ferratae situm sit intra fines Dioecesis Tusculanae. Nam, praeterquamquod in eo loco, ubi nunc Monasterium ipsum cum adnexis Aedificiis existit, ex magis recepta Antiquariorum sententia, Ciceronis Villa olim fuit, in qua scilicet ille Philosophicas Quaestiones conscripsit, quas de Loci nomine *Tusculanas* appellavit; id quod magno argumento est, eundem locum deinceps in Dioecesi Tusculana comprehensum fuisse; ipsi profecto eiusdem Monasterii Monachi iam usque ab anno MCXLV in quadam controversia inter ipsos, et Episcopun Tusculanum oborta, quae a Praedecessore Nostro Eugenio Papa III definita fuit, dum exemptionis suae amplitudinem adversus eundem Episcopum, nonnulla iura in eorum Monasterium sibi competere asserentem, strenue tuerentur, ultro tamen professi sunt, Monasterium suum *in Tusculanensi Parochia constitutum* existere. Ubi autem constat de existentia Loci intra alicuius Episcopi Dioecesim, non potest Praelatus inferior iure asserere, in eo loco veram qualitatem Nullius cum Territorio separato sibi acquisitam esse, et iurisdictionem Ordinariam et quasi Episcopalem in eumdem, privative ad Episcopum, sibi competere, nisi clarum exhibeat Apostolicae Sedis privilegium,

[1] Cf. N. 349.

quo idem locus a Dioecesi et iurisdictione Ordinaria Episcopi dismembratus, avulsus, et separatus fuerit, ipsiusque Praelati iurisdictioni per omnia subiectus; vel nisi, deficiente huiusmodi privilegio Apostolico, immemorabilem saltem consuetudinem sibi faventem attulerit, cum omnibus requisitis circumstantiis iuridice probatam, eamque non limitatam ad unum aliquod actuum genus, sed quae omnes complectatur actus, in quibus Episcopalis iurisdictionis iura consistunt, eosque ostendat a se pacifice, et sine ulla Dioecesani Episcopi contradictione, exercitos fuisse; quum ea sit immemorabilis possessionis et consuetudinis natura, ut legitimam Privilegii Apostolici praesumptionem et famam inducat.

His sane principiis in huius generis Litibus definiendis proceditur, et procedendum esse non dubitatur, ex quo potissimum ea de anno MDCCXXI studiose ac mature discussa, et pro regulis constituta sunt in quadam Congregatione particulari ex sapientioribus et doctioribus illius temporis S. R. E. Cardinalibus, Romanaeque Curiae Praelatis composita, cuius Congregationis Nos tunc in minoribus constituti Secretarii munus obtinuimus; eademque a sanctae memoriae Praedecessore Nostro Clemente Papa XI approbata sunt, ut videre est in Decreto V impresso ad calcem illius Bullarii. Nec aliis profecto principiis inhaerendum esse censuimus, quum actum fuit de dirimenda veteri controversia inter Episcopum Conversanum, et Militiam Hospitalem Sanctis Ioannis Hierosolymitani, super competentia iurisdictionis Ordinariae in Oppido Putiniani; quam controversiam Nos ipsi quatuor abhinc annis, cum consilio totius Auditorii Causarum Palatii Nostri, Apostolica auctoritate definivimus, et perpetuo extinximus: qua de re extant Literae Decretales in Bullario Nostro impressae Tom. I, num. 76. [1]

Equidem Praedecessor Noster Callistus Papa II praefatum Monasterium Cryptae Ferratae *sub iurisdictione S. R. E. despondit,* constituitque, ut *nullus Episcopus, praeter Romani Pontificis licentiam, in ipsum excommunicationis seu interdictionis sententiam inferre praesumeret.* Eugenius quoque Papa III similiter Praedecessor Noster praedicti Callisti Privilegia eidem Monasterio confirmavit. Cumque tunc existens Episcopus Tusculanus, non obstantibus huiusmodi Privilegiis, nonnullos Episcopalis iurisdictionis actus in ipso Monasterio exercere contenderet, quae ab Episcopis Praedecessoribus suis exercita fuisse dicebat; ipse Eugenius Praedecessor, re cognita, adversus Episcopum sententiam tulit. Cui quum Episcopus non plane acquievisset, eandem litem sub altero Praedecessore Hadriano Papa IV instauravit, nova veteribus addens postulata, quae tamen omnia ab ipso Hadriano Pontifice reiecta fuerunt, iniunctumque Episcopo fuit, ut sententiae a praefato Eugenio Pontifice promulgatae irrefragabiliter acquiescens, si quid praeterea iuris, praeter id, quod in ipsa sententia continebatur, in praefato Monasterio eundem habere contingeret, id omne, etiamsi post latam sententiam illud obtinuisset, abrenunciare, et resignare deberet. In quorum tamen compensationem ipse Hadrianus Praedecessor aliud Monasterium Sanctae Mariae de Peschio nuncupatum Episcopo Tusculano concessit, eiusque Dioecesi perpetuo univit et

[1] Cf. N. 334.

incorporavit. Atque haec omnia a Gregorio Papa IX Praedecessore pariter Nostro per Literas Apostolicas confirmata et roborata dignoscuntur.

Verum Apostolica huiusmodi Privilegia, ipsum dumtaxat Monasterium Cryptae Ferratae, aut ad summum Monachos in eo degentes respiciunt; atque illius, illorumque demonstrant exemptionem a iurisdictione Ordinaria Episcopi Tusculani, cui de caetero ex iure Canonum subesse debuissent. Sed in ipsis nulla mentio fit iurisdictionis activae Abbatis, aut Monachorum, in Clerum et Populum illius Territorii. Ideoque ad meram exemptionem passivam referri debent; neque eorum vigore dici potest eisdem concessam fuisse Ordinariam activam iurisdictionem in Clerum et Populum, aut constitutum fuisse Territorium separatum, ab ipsius Monasterii Abbate, aut Monachis, cum huiusmodi quasi Episcopali iurisdictione regendum, et gubernandum. Quin immo quum supradictus Eugenius Praedecessor in praefata sententia, de duabus ipsius Monasterii Granciis, nimirum de Cappellis Sancti Benedicti, et Sancti Pancratii, quas Episcopus ad se pertinere, Monachi autem ab illius potestate immunes esse asserebant, statuerit ac decreverit, Episcopum Tusculanum in Ecclesia Sancti Benedicti quartam partem omnium Decimarum, et oblationum mortuorum, et in Ecclesia Sancti Pancratii quartam partem totius medietatis omnium Decimarum, et oblationum mortuorum iure perpetuo habere, presbyteris vero, qui in Cappellis ipsis pro tempore ad animarum curam deputandi essent, ab eodem Episcopo, cum Abbatis consensu, Institutionem authorizabilem concedi debere; ipsos autem teneri de Populi quidem Cura, Episcopo Tusculano, de rebus vero temporalibus ad Monasterium pertinentibus, ipsius Monasterii Abbati rationem reddere; tantum abest, ut sententia ab Eugenio Pontifice lata, et a praedictis illius Successoribus confirmata, ad stabiliendam Ordinariam, et quasi Episcopalem Abbatis iurisdictionem, et praetensum ab eo Territorium separatum, ullo modo conferat; quin potius Episcopi Tusculani iuribus mirifice favet, dum illius iurisdictionem in Clerum et Populum, non obstante passiva exemptione Monasterii, et Ecclesiarum ab eo dependentium, expresse praeservare dignoscitur.

Ut autem magis elucescerent, quae ad huiusmodi controversiam dirimendam amplius conferre possent, minime supervacaneum duximus ad Historiam fundationis ipsius Monasterii Sanctae Mariae de Crypta Ferrata, animum intendere. Ex hac itaque constat, illud sub initium saeculi undecimi fundatum fuisse a duobus Sanctis Monachis Nilo et Bartholomaeo, qui et natione, et ritu Graeci erant, et quidem huiusmodi Ritum Graecum in ipso Monasterio semper servatum fuisse, annuentibus, quin potius volentibus Romanis Pontificibus; qui etiam, quoties Missarum solemnia augustiore Ritu celebrabant, ut in Libris Ritualibus memoriae proditum est, antequam Collegium pro Clericis Graecis a piae memoriae Gregorio Papa XIII in Urbe erigeretur, consueverunt ex eodem Monasterio duos evocare Monachos, quorum unus Epistolam, alter Evangelium Graeco idiomate, ut mos est, in Missa Pontificali canerent. Praeterea Monachi in praedicto Monasterio degentes Sacrosancta Mysteria in fermentato conficere non destiterunt, usque ad tempora Bessarionis huius S. R. E. Cardinalis, cui primum a felicis recordationis Pio Papa II Praedecessore Nostro, Anno Domini MCDLXII, idem Monasterium commendatum fuit. Ipse autem Bessarion Cardinalis ab Apostolica Sede indultum obtinuit, ut Monachi praedicti, exemplo Maronitarum et Armenorum, a proprio Ritu non recedentes, in azymo consecrarent, et sacris Latinorum Vestibus induti, Graeco tamen idiomate et Ritu Missas celebrarent. Nec nisi sub posterioribus Romanis Pontificibus Paulo V, Urbano VIII, et Innocentio X, iisdem concessum fuit, ut in gratiam Christifidelium confluentium ad Ecclesias Ordinis Sancti Basilii, cuius ipsi Regulam profitentur, nonnulli ex ipsis deputarentur, qui Latino Ritu, et Lingua Missarum Sacrificia peragerent.

Ex quibus omnibus validum conficitur argumentum, ut ne quis probabiliter putet, supradictos Praedecessores Nostros Callistum II, et Eugenium III constituere voluisse Territorium separatum, cum Ordinaria, et quasi Episcopali iurisdictione in Clerum et Populum, favore Abbatis, et Monachorum Monasterii Cryptae Ferratae; quod sane nil aliud fuisset, quam subditos Latinos ab Episcopi Latini superioritate divulsos, contra constantem Ecclesiae disciplinam, praelati Graeci iurisdictioni subiicere; ac praeterea efficere, ut Fideles Latini, prope ipsa Romanae Urbis moenia, relicto usu azymi, sacram Eucharistiam in fermentato susciperent; neque enim in Ecclesia praefati Monasterii de mysticis donis potuissent in alia specie communicare, quam in ea, in qua inibi consecrabantur. Quod quidem nemo sibi persuaserit, qui sciat, inter auctores, qui celebrem quaestionem de Azymo, et Fermentato tractarunt, nullum inveniri, qui promiscuum utriusque usum in Ecclesia Latina, eumdemque non continuum, sed interruptum, post decimum Ecclesiae saeculum mansisse contendat; multos vero esse, qui solidis rationibus confirment, disciplinam Azymi ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Occidentali invectam, et semper deinceps inviolate servatam fuisse. In omnibus vero locis Italiae Nostrae, in quibus Graeci simul degerent et Latini, hoc fuit perpetuum Apostolicae Sedis institutum, ut Graecos, sine ullo proprii Ritus detrimento, Latinorum Antistitum iurisdictioni subesse voluerit. Nullibi autem statutum esse reperitur, ut Populus Latinus ab obedientia Episcopi Latini subtractus, Praelati Graeci iurisdictioni subditus fieret.

Atque haec sufficere visa sunt, ut Apostolicorum Privilegiorum, quae pro parte Abbatis Commendatarii Cryptae Ferratae, tamquam expressa praetensae suae iurisdictionis fundamenta afferebantur, nullam rationem habendam esse iudicaremus. Sed quoniam, ut supra diximus, deficiente Titulo expresso, fundari potest Titulus praesumptus in immemorabili huiusmodi iurisdictionis exercitio, et quasi possessione, de hac consequenter videndum superest. Neque vero a Nobis summo iure expendetur, an postquam praetensus Titulus productus est, isque minus aptus, et ad intentum inefficax deprehensus fuit, adhuc tamen permittendum sit ut de adstruendo praesumpto Titulo agatur. Sed quum sit de essentia immemorabilis consuetudinis, ut nihil contra eam auditum unquam, vel dictum, aut factum fuerit; contra vero satis constet, quod series actuum iurisdictionalium, quos Abbates pro tempore exercuerunt, non semel interrupta fuit per alios similes actus intra Territorium Cryptae Ferratae ab Episcopis Tusculanis pro tempore exercitos: non modo exclusa remanet huiusmodi praetensa immemorabilis favore Abbatis, quin potius Episcopo, qui pro se habet assistentiam iuris, ea quoque

regula suffragatur, quod unus dumtaxat actus ab ipso exercitus in eo Territorio, quod intra fines propriae Dioecesis consistit, totam ipsius Ordinariam iurisdictionem in idem Territorium, quoad reliqua etiam, integram praeservat.

Quod autem pertinet ad Titulum *Nullius Dioecesis,* quod praedictus Abbas Commendatarius Monasterio suo dudum attributum fuisse, monumentis undique collectis demonstrare nitebatur, ex adverso Episcopus, aliis adductis tum veteribus, tum recentioribus documentis, in quibus idem Monasterium *Tusculanae Dioecesis* nuncupatur, satis probavit praefatam appellationem nequaquam constantem et perpetuam, ut par erat, extitisse: neque vero novum est, quod Monasteria aut Loca, quae gaudent exemptione passiva, quemadmodum proculdubio gaudet Monasterium, de quo agitur, aliquando appellata fuerint *Nullius Dioecesis,* quum et apud Scriptores, et in ipsis Decretis Sacri Tridentini Concilii, plura huiusmodi loquutionis exempla suppetant.

Denique quum Abbates Commendatarii Cryptae Ferratae pro tempore existentes, facultatem approbandi Monachos ipsius Monasterii ad audiendas in ea Ecclesia Sacramentales Confessiones Saecularium, sive in ipso Monasterio habitantium, sive aliunde ad ipsam Ecclesiam confluentium, ab Apostolica Sede postulaverint, et obtinuerint; quamvis ea facultas ad cautelam, et ad maiorem conscientiae securitatem petita fuisse dicatur, hoc ipsum aperte demonstrat, non satis firmam eisdem Abbatibus fuisse opinionem de suo Territorio separato, ac de activa et quasi Episcopali iurisdictione in Clerum, et Populum; adeoque ipsosmet aliquando audisse, praetensa iura sua non levibus rationibus in dubium revocari, id quod assertam immemorabilem prorsus destruit, ut supra diximus.

His igitur, aliisque legitimis fundamentis innixa fuit definitiva sententia, quam pro huius litis, et controversiae decisione, omnibus mature perpensis, ac de unanimi praemissorum consilio, ipsa die decima tertia proxime elapsi mensis Februarii, protulimus; quamque nunc per haec Apostolica scripta edicimus, promulgamus, et Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine communimus, et roboramus.

Et nihilominus antiquum respicientes splendorem ipsius Monasterii Sanctae Mariae de Crypta Ferrata, ac memores insignium Abbatum, qui et eius primaevum Claustrale gubernium, et deinceps ipsius commendatum regimen obtinuerunt; praecipuam vero rationem habentes singularium meritorum praedicti Dilecti Filii Nostri Ioannis Antonii Presbyteri Cardinalis, hodierni ipsius Abbatis Commendatarii, qui non modo cum eximia sui nominis laude demandatum sibi munus Vicarii Nostri in Urbe, eiusque Districtu exercet, sed etiam, tamquam diligens praefati Monasterii Praesul, pro commendata sibi illius iurium defensione, omnia monumenta ad hunc effectum opportuna, etiam in sanctioribus Apostolicae Sedis Tabulariis conquisita, non sine magna impensa, colligere et proferre non praetermisit, omniaque rationum monumenta ab egregiis Iurisconsultis deduci et exponi curavit; eidem Ioanni Antonio Cardinali, et Abbati Commendatario, eiusque in Commenda huiusmodi Successoribus in perpetuum, infrascripta Privilegia, et Indulta, Motu proprio, ac de Apostolica liberalitate, et auctoritate, tribuimus, et impertimur.

Primum videlicet, ut tam ipse, quam illius Successores praefati, dummodo Episcopali charactere praediti sint, Sacramentum Confirmationis in ipsa Ecclesia Abbatiali semel singulis annis administrare, ac omnibus illud expetentibus per se ipsos rite conferre possint, et valeant.

Secundum, ut, quoniam Praedecessores Nostri Romani Pontifices eiusdem Monasterii Abbatibus pro tempore Commendatariis facultatem concesserunt approbandi aliquot ex ipsius Monachis ad excipiendas Confessiones Sacramentales Fidelium ad eandem Abbatialem Ecclesiam confluentium; huiusmodi facultas, quam Nos ipsi praedicto Ioanni Antonio Cardinali ad eius vitam, seu donec eiusmodi Monasterii Commendam obtinuerit, per Apostolicas Literas in forma Brevis elargiti fuimus, non ad ipsum solummodo hodiernum Abbatem Commendatarium, sed ad futuros etiam illius Successores in perpetuum extensa sit, et esse censeatur; quibus etiam Monachis, ab Abbatibus Commendatariis pro tempore, ut praefertur, ad Saecularium Confessiones approbatis, aliquoties infra annum, ac potissimum in solemnioribus Festivitatibus, in quibus frequens populus ad praedictam Ecclesiam Cryptae Ferratae accedere solet, facultatem absolvendi a peccatis in ipsa Tusculana Dioecesi reservatis, per futuros pro tempore Episcopos Tusculanos indulgeri, plurimum in Domino cupimus, et Apostolicis hortationibus suademus.

Tertium, quod spectat ad Matrimonia contrahenda a personis Territorium incolentibus Cryptae Ferratae, ut idem Abbas Commendatarius, eiusque Successores possint examina Testium super statu libero contrahentium per Cancellarium Abbatialem recipi facere; nec non Monacho animarum curam pro tempore exercenti licentiam impertiri pro denunciationibus ad formam Concilii Tridentini faciendis, quoad personas ipsius Parochiae subditas; dummodo tamen causae tam super separatione Tori, quam super nullitate Matrimonii in ipsa Parochia contracti, si quas iudicialiter cognosci oporteat, ad Episcopi Tusculani, non autem ad Abbatis praedicti Iudicium deferantur.

Quartum denique, ut praeter causas civiles, criminales, et mixtas, quaecumque ad Abbatis Commendatarii Forum Laicale, seu Baronale, spectare dignoscuntur, idem Abbas, eiusque Successores pro tempore futuri, eas etiam causas mere civiles, quae inter Mensam Abbatialem, aut Monasterium, seu eorum Conductores ex una, et ipsius Mensae, aut Monasterii debitores ex altera, partibus, super canonibus, livellis, aliisque responsionibus, verti contingat, etiamsi huiusmodi causae, ratione personae, vel ratione rei controversae, ad Forum Ecclesiasticum pertineant, tam per se ipsos, quam per Iudices a se deputatos; dummodo hi Clericali qualitate praediti sint; et dummodo neminem verbaliter, seu realiter citent, nisi intra Territorium ipsius Monasterii, aut si quem extra Territorium praedictum citare voluerint, opportunas facultates, sive *exequatur,* ab Ordinario Loci antea obtinuerint: in prima instantia cognoscere, decidere, ac debito fine terminare possint et valeant, motu et auctoritate praedictis. ac praesentium Literarum tenore perpetuo concedimus, et indulgemus.

Caeterum, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 273-281].

380.

Benedictus XIV, const. *Pia Mater*, 5 apr. 1747.

Pia Mater Catholica Ecclesia, de aeterna Filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis pro huiusmodi temporis necessitate opportunis iuvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae, aeternaeque poenae reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul, et recenti Ecclesiae disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Praesulibus in eorum Dioecesibus, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes huiusmodi absolutionum reservationes cessare, et cuilibet Sacerdoti liberam et plenam facultatem esse, quemcumque poenitentem a quibuscumque peccatis, et criminibus, nec non Ecclesiasticis sententiis, atque censuris absolvendi, provide declaratum fuit. Praeterea, quum in Ecclesia immensus, et inaestimabilis existat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis, et mortis Domini Nostri Iesu Christi, ac praeterea ex meritis, et satisfactionibus gloriosae Virginis Genitricis Dei Mariae, omniumque Sanctorum, et Electorum, cuius Thesauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum Principi, eiusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles large diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quae Indulgentia Plenaria nuncupatur, cuiusque impertiendae ius in Apostolica Sede unice residet, ipsis potissimum applicarent. Quam quidem in rem Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicae Religionis professoribus huiusmodi adiumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Hactenus huiusmodi facultas Episcopis concedi consuevit, Pontificis nomine, et auctoritate, per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium Secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cuiusque Episcopi, et pro spirituali utilitate ipsius Subditorum ad se delata, rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad Triennium proximum;* hac tamen lege, ut ipse ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, et Indulgentiam Plenariam aegrotis in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum immediate,* vel, quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum;* nec, nisi necessitate cogente, et quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo, etc., communicare valeat.* Quo vero ad Moniales, Ordinarii earum Confessarii opera in eam finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in huiusmodi Literis concedebatur, Ecclesiarum Pastores iamdudum iudicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve Triennii spatium ipsi praefinitum; verum etiam, quia propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab huiusmodi Indulgentiae Plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subiectos, praesertim vero eos, quos extra ipsorum Residentiae locum, et in remotis Dioecesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiae Vicariorum Capitularium, et Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Praelatorum inferiorum Territorium separatum habentium, cum activa in Clerum et Populum iurisdictione, qui eandem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt. Quibus de rebus actum fuit die XXII Novembris MDCCX in Congregatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, cuius Consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariae tunc existente, duo Dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an, stante dispositione praemissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, et Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum Confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo, Monasterii Claustra ingredi, ut huiusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum vero, quatenus id Episcopo permittatur, an, et a quibus comitatus Monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso Folio a Nobis pro huiusmodi quaestionum elucidatione de more exarato, die X Maii anni MDCCXXVII responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo constitutae Monasterium intrare. Ad secundum: Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium;* quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonae memoriae Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut praefertur, exhibito, integre insertam, ipsa Congregatio paulo arctioribus conclusam limitibus iudicavit.

Neque porro omisimus iniunctum Nobis onus agendi cum praefato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verum quum paulo post ab eodem Benedicto Praedecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit

Nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi Populo, huiusmodi facultatem Indulgentiae Plenariae moribundis Fidelibus impertiendae ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, iuxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus; ipso statim usu, et propria experientia, in eas incidimus difficultates, quae et anno MDCCX, ut praefertur, in Congregatione Sacris Reliquiis, et Indulgentiis praeposita, a Nobis tamquam Consultore propositae fuerant; quaeque deinceps anno MDCCXXVII alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere, expositae, causam dederunt memoratae consultationi cum Secretario Brevium introducendae. Etenim tum in Anconitanae, tum vero in amplioris Bononiensis Ecclesiae regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis huiusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque Dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; et quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Dioecesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Praedecessore Nostro Alexandro Papa VII per Literas die xv ianuarii anni MDCLVI datas, et perpetuo valituras, indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Coenobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta, et Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem haec, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in praefata Epistola tribuatur, quam in casu praecisae necessitatis cum nocturno tempore coniuncto, cum magno animi Nostri dolore experti sumus Paternae huiusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo Filios nostros, non ea assiduitate, quam cupiebamus, per Nos ipsos praestari posse. Nam praeterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a Civitate abesse, ut iuxta praescriptum Sacrae Tridentinae Synodi,[1] si non totam, saltem aliquam illius amplae Dioecesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, et Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus; iam in ipsa Civitate degentes, nullam fere diurni temporis horam vel a Divinis rebus, vel a Pastoralis Officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus, aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, Examina atque Concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vitae conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, maiorum Civitatum Episcopos fere redactos esse ad huiusmodi Benedictionis, et Indulgentiae beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, et quidem instantibus, et postulantibus, exhibendum; pauperibus autem, et humilioribus, ob praeclusam sibi, extra necessitatis et noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 3.

Quod si satis momenti, et auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de causa, quod, quum pro huiusmodi Indulgentiae consequutione vel nullum omnino opus iniungi, vel nonnisi morientis statui et viribus accommodatum imponi possit, praeterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema praesenti necessitate coniuncta, locum supplere possint aliorum operum, quae caeteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam praescribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verum Praedecessorum nostrorum hac in re agendi ratio, relatae opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas praetereamus concessiones Indulgentiae Plenariae morientibus fidelibus indistincte applicandae; quaenam porro, et quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor abhinc saeculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, et sacra Communione refecti fuissent, Praedecessores Nostri Clemens Papa VI et Gregorius Papa XI Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed et ipsa Congregatio Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praeposita iam usque ab anno 1675 die 13 Aprilis, re diligenter perpensa, censuit, Indulgentiae Plenariae largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte et utiliter conferri, atque diffundi.

Quapropter Apostolicae charitatis nostrae viscera dilatantes, et tam veteribus, quam recentioribus Ecclesiasticae benignitatis exemplis inhaerentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiae saeculi in Epistola Sancti Cypriani, quae in novis Editionibus impressa est num. XII, qua scilicet, in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant, et in mortis periculo versabantur, quum ipse aestivis ardoribus praepediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset: permittit ut id, vice sua, a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, praestari queat. Novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicis recordationis Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII, omnibus Episcopis illius Provinciae concessum fuisse, non solum ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri; sed etiam, ut aliis huiusmodi facultatem libere subdelegare possent. His igitur, aliisque exemplis, nec non rationibus superius relatis permoti, nostra perpetuo valitura Constitutione novas in hac materia regulas praefinire, quodque olim, ut praemisimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicae potestatis plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

Itaque primum volumus atque decernimus, ut quae facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo

constitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis nunc existentibus a Nobis, vel a Praedecessoribus Nostris ad hunc diem concessae reperiuntur, licet illae in consuetis Epistolis Secretarii Brevium ad Triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultae fuerint, nihilominus praesentis nostrae Constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum Ecclesiarum, atque Dioecesum regimen obtinebunt, quarum favore, et intuitu easdem facultates a Nobis, et ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus huiusmodi, motu proprio, et auctoritate praefata, atque earumdem praesentium Literarum serie, extendimus et prorogamus.

Utque praeterea unusquisque ex Antistitibus praefatis, unum, aut plures pios Sacerdotes sive Saeculares, sive Regulares, prout necessarium fore iudicabunt, in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno tempore occurat, eorum vice, Benedictionem huiusmodi cum Indulgentiae Plenariae applicatione Christifidelibus in praefato articulo constitutis impertiantur; aliosque similiter per Dioecesim Saeculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Dioecesibus existentium necessarios iudicaverint, ad praedictum effectum deputare, et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos, et subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio, et prudentia subrogare valeant; iisdem motu, potestate, et tenore, concedimus, et indulgemus.

Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per Ecclesias constitutis, et praefata facultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetae Literae Secretarii Brevium ad hunc diem expeditae non fuerint; ac denique quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum praeficientur: volumus atque statuimus, ut singulis eorum huiusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicae Literae in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus praedicta facultas ipsis concedatur, non ad Triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt; adiecta etiam facultate subdelegandi tam pro Civitate, quam pro Dioecesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore coniuncti; sed in omnibus et per omnia ad normam eorum, quae pro Episcopis nunc existentibus, et Indulto huiusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Insuper pro Praelatis Inferioribus Territorium separatum habentibus, cum vera qualitate Nullius, et activa in Clerum et Populum iurisdictione, quamvis Praedecessores Nostri hanc de praeterito consuetudinem non habuerint, nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu et tenore concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis huiusmodi facultas petita fuerit, similes Literae in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, iuxta eandem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra; dummodo ipsi Praelati hanc gratiam postulantes, Apostolicis Literis nostris Anno Incarnationis Dominicae MDCCXL nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod sancta,*

impressis in Bullario nostro Tom. 1, num. 7,[1] obtemperaverint, nimirum sacra Apostolorum Limina praescriptis temporibus visitaverint, et relationem status Ecclesiarum sibi subiectarum Apostolicae Sedi exhibuerint; vel, quatenus Praelationis honorem de novo accipiant, debitum iuramentum in memorata Constitutione praescriptum antea praestiterint.

Dum autem huiusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, et ampliavimus, ut praefertur; caeteris vero tam Episcopis, quam Praelatis Inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma et amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut huiusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum iurisdictio delegata in iis, quae non iustitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episcopis, et Praelatis permittimus, ut huiusmodi facultatem, pro Incolarum Civitatum, Locorum, atque Dioecesum opportunitate et necessitate, uni, vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus atque decernimus, huiusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi Praesulis, cuius arbitrio relinquimus, eosdem in huiusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu Praelato, a quo eadem facultas in sua Dioecesi aut Territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apostolicorum regimine; quum Subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut Praelatus, vel illius Successor eandem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Ecclesiae Filiis in mortis articulo constitutis, ampliare, et faciliorem reddere curavimus. Permissaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Ecclesiarum Episcopis et Praesulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Civitatibus, quam in Dioecesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, et sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio, per se ipsos adeundi miseros aegrotos Plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportune iuvaremus, ne, dum ipsi aliis Pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi Fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium huiusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus), meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores et potentes huius saeculi, sed erga pauperes quoque, et abiectae sortis homines praestandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Praedecessoris Nostri S. Gregorii Magni Homilia XXVIII

[1] Cf. N. 303.

in Evangelia ad Cap. IV Ioannis: *Erat quidam Regulus, cuius Filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem atque coelestem observat amantissimi Redemptoris Nostri Iesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum aegrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum se profitetur: *Quid est quod Regulus rogat, ut ad eius filium veniat, et tamen venire recusat; ad Servum vero Centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignatur adesse; Centurionis Servo non dedignatur occurrere.*

Ut autem Indulgentiae fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus et Catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiae Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, et Templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis aeterna supplicia in Poenitentiae Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque poena Divinae iustitiae exsolvenda superest, cuius remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a Sacerdote Confessario in ipso Poenitentiae Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per Christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia. Alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiae benignitate Fidelibus suppeditata, paulatim in pravae libertatis et licentiae fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternae poenae, per Sacramentalem absolutionem. tum temporalis, per Indulgentiae Pontificiae applicationem, in exitu vitae impetranda; neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora, et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Praepostera aeque ac periculosa antiquis Ecclesiae temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitae ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, et tam ab aeterna, quam a temporali poena soluti, ad coeleste Regnum recta transferrentur, contra quos extant gravissimae obiurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL, et Sancti Ioannis Chrysostomi in Homilia I super Acta. Sed et Ecclesia Catholica pravam huiusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a Sacris Ordinibus et ab Officiis Ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes pie adiuvant, vel Ecclesiae Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum[1] iniungit, ut si aegrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeant; ex his autem, qui ad huiusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelae usum retinent,

[1] Tit. V, c. 5, *Modus iuvandi morientes*, n. 2.

alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sincerae contritionis indicia dederint, eaque, adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant: ideo, quo certius praedicti omnes Indulgentiae fructum consequi valeant, praefatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos Fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim praecipue opus in huiusmodi articulo constitutis imponimus et iniungimus, quo se ad Plenariae Indulgentiae fructum consequendum praeparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui in Libro XIII *de Civit. Dei*, cap. 6 postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit et confirmavit; haec ad rem nostram apposite subdit: *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie, fideliterque tolerando, auget meritum patientiae, non aufert vocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis; tamen, si proprietate, iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis Plenaria Indulgentia, quum nulla certa formula olim praescripta foret, sanctae memoriae Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII anno Domini MDCCXXVI pias quasdam Preces et Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, quae opportuna iudicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac nostra Constitutione, praescripta sunt, magis congruentem confecimus, et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus; mandantes hoc ipsum inculcari, et iniungi in Apostolicis Literis, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis Indulgentiae Plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus, expediendae erunt.

Ac decernentes, ipsas praesentes Literas semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri, et obtinere, atque iis ad quos spectat, seu spectabit in futurum, plenissime suffragari. Non obstantibus Apostolicis, et in Generalibus, seu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus Constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium, Decretis et Resolutionibus etiam Apostolica auctoritate approbatis, roboratis, et pluries confirmatis; usibus quoque, stilibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, ad praemissorum effectum, motu, scientia, et potestate praefatis amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, et Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut praefertur, in posterum adhibendam esse praescripsimus, talis est:

MODUS A SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV approbatus.

Pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente, et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae, caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet Infirmus, dicat: Pax huic Domui etc., *ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam:* Asperges etc.

Quod si Aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia, ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, *et sic deinceps*).
℟. Deus meus sperantem in Te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in Te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N., quem Tibi vera Fides, et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti Tui Passionem, et Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui Te Iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus, Confiteor etc. *Sacerdos dicat* Misereatur etc., *deinde:*

Dominus Noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti. Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, et concessionis, mandatorum, statutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 282-290].

381.

Benedictus XIV, const. *Apostolici ministerii*, 16 sept. 1747.

§ 1. Apostolici ministerii munus Nobis licet immerentibus commissum assidue Nos excitat, atque impellit, ut sollicito studio, ac vigili cura, abusus, pravasque consuetudines, si quas in Ecclesia Dei, vel hominum infirmitate, vel malitia, certo novimus irrepsisse, Pastoralis Providentiae sollicitudine compescamus, congruisque adhibitis remediis, quo citius fieri potest, aboleamus.

§ 2. Nuper quidem Nobis relatum est, certisque probationibus manifesto comprobatum, quod aliqui Hebraeorum, qui ad Christianam Fidem conversi

uxorem habent renuentem Christianam veritatem amplecti, minime dubitant, posteaquam eiurata Iudaica perfidia sacro lavacro abluti sunt, et solemni professione se ad Christi Fidem adstrinxerunt, reverti sacrilego ausu ad Iudaeorum Castra, seu Vicum, vulgo *il Ghetto,* ibique Rabbinico ritu, Iudaicis superstitionibus, damnandisque observationibus, libellum repudii uxoribus concedere, vel etiam extra Iudaeorum domicilium, coram Notario Testibusque Christianis, eumdem libellum repudii uxoribus dare, ut liberam eis nubendi alteri Viro potestatem faciant. Moyses quidem in Deuteronomio cap. 24 ita scriptum reliquit: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Utrum vero haec dumtaxat indulgentia quaedam fuerit ad maius malum evitandum, adeo ut qui daret, acciperetque repudium, liber quidem a poena esset, non autem a culpa; an autem dispensatio potius esset a Deo concessa ob cordis Hebraeorum duritiam, adeo ut qui libellum repudii mitteret, et quae missum reciperet, et a culpa, et a poena exemptus foret, eisque minime vetitum esset ad aliud matrimonium valide, ac licite contrahendum procedere, dissident inter se veteres, recentioresque Theologi, cum alii primam, alii alteram opinionem sequantur. Verum quidquid hac de re sit, illud certum est, quod Redemptor Noster Iesus Christus Dei Filius interrogatus quid censeret de libello repudii, quem Moyses permiserat, respondit, ut legitur in Evangelio apud Matth. cap. 19, et apud Marc. cap. 10: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic: dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Sermonemque suum ita conclusit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Ex his autem verbis per legitimam consequentiam inferunt Theologi, in praesentiarum non amplius licere Hebraeis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii, matrimoni vinculum amplius dissolvi, eo quod Iesus Christus illud ad suum primaevum statum redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege nova condita, sed dumtaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super praedicta indissolubilitate concessa. Quae cum ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter Hebraeos coniuges, qui ambo in eadem Iudaica perfidia permanent, certe ferri, ac tolerari nullo modo debet, ut Hebraeus ad Fidem conversus, et sacro Baptismate ablutus, libellum repudii uxori, quae in Hebraica pervicacia remanet, iudaico more, ac ritu concedat.

§ 3. Quamobrem ut in posterum omnia debito ordine, et laudabili modo, ac ratione fiant; volumus, ac decernimus, ut Hebraeus ad Fidem conversus, si uxorem Hebraeam habet, eam more solito interpellet, an etiam ipsa converti, et cohabitare velit sine contumelia Creatoris. Renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere, iuxta verba Beati Apostoli Pauli in Epist. 1 ad Corint., cap. 7: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est Frater, aut Soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Ut bene iam ante animadvertit clar. me. Praedecessor Noster Innocentius III in sua Decretali, quae incipit: *Quanto, de divortiis.*

§ 4. Quaeritur a Theologis, et Canonici iuris Consultis, quando solvatur matrimonium contractum ab Hebraeo cum Hebraea, quae se convertere recusat; et quando conversus novum matrimonium cum muliere Christiana, et quando Hebraeus cum Hebraea contrahere possit. Quod ad conversum attinet, quidam volunt, praecedens matrimonium dissolvi quoad vinculum, statim ac infidelis renuit Fidem Christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium praefixum in interpellatione, quae illi facta est, nullum responsum praebet. Alii vero putant matrimonium solvi, quando conversus aliud matrimonium celebrat cum Christiana. Quae opinio in praesenti communior est inter Theologos, et Canonici iuris peritos, et in praxi eam sequitur Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo quod pertinet ad uxorem, quae in Hebraica superstitione perseverat, aliqui censent, quod ea in poenam suae perfidiae semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec et quousque Maritus Christianus factus vivit. Alii vero putant, nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si Maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transiverit: ubi vero conversus matrimonium iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore Christianae Fidei, quam ad Christum conversus amplectitur; et ideo recte affirmari posse, datum esse directe, et per se fideli, indirecte vero, et per accidens infideli. Sed quidquid sit de huiusmodi controversiis, quae inter Theologos et iuris Canonici professores disceptantur; de quibus nihil Nos definire intendimus, singulas illorum sententias eo loco, quo sunt, relinquentes, cum Nostra mens, et voluntas nequaquam sit aliquid nunc definire de matrimonio, quod a muliere Hebraea contrahitur, posteaquam nolle se Christianae Fidei nomen dare declaravit: sed id solum Motu proprio, ex certa scientia, et plenitudine potestatis tenore praesentium volumus, intendimus, ac iubemus, ut cum aliquis Hebraeorum Christianam veritatem amplexus fuerit, non praetermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel a Nobis, vel a Romanis Pontificibus Successoribus nostris, non censeatur huiusmodi interpellatio omittenda, ut videre licet in nostra Constitutione: *In Suprema,* data die 16 Ianuarii anno MDCCXLV, quae est CXVII in Tom. I Nostri Bullarii;[1] immo expresse vetamus, prohibemus, ac interdicimus, ne Conversi quovis tempore, et quovis modo, sive in Iudaeorum domicilio, nempe *Ghetto,* Rabbinico ritu, sive extra, coram Notario et Testibus Christianis, libellum repudii uxoribus, quae interpellatae recusant se convertere, aut, omissa vigore dispensationis eiusmodi interpellatione, quia ex probabili coniectura creditum est, minime se ad Christi Fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant, et possint.

§ 5. Et quoniam ut plurimum contingit, ut leges debitam executionem non consequantur, nisi Sanctio poenalis contra eas transgredientes accedat; hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione, motu, scientia, ac potestate

[1] Cf. N. 353.

pari mandamus, ac praecipimus, ut omnia Tribunalia, ac Iudices competentes, habita notitia, aliquem ex Hebraeis conversis, post susceptum Baptismum, libellum repudii intra ipsum Iudaeorum domicilium, Rabbinicis superstitionibus adhibitis, uxori non conversae dedisse, statim in eum sine ulla cunctatione, tanquam in Iudaizantem, solitis poenis animadvertant; et insuper contra ipsam Iudaeorum Universitatem in casu praedicto procedant manu regia mulctam ab ea exigentes centum scutorum aureorum, cuius tertia pars in praemium accusatori tribuatur, quod vero superest, concessum, et addictum ipso iure per hanc Nostram Constitutionem intelligatur Piae Domui Catechumenorum in illis Civitatibus, in quibus ea reperitur, ubi autem huiusmodi Catechumenorum Domus non extat, remaneat liberae dispositioni Episcoporum, et Ordinariorum, ut eam pecuniam pauperibus Christianis pro eorum arbitrio, et conscientia distribuant. Sin autem ad Tribunalium, seu Iudicum competentium cognitionem pervenerit, quod Conversus libellum repudii extra Iudaeorum domicilium, seu *Ghetto*, dederit coram Notario, et Testibus Christianis, pari modo eum tamquam Iudaizantem debita poena afficiant, minori tamen, qua plecti debet, qui intra ipsum *Ghetto* Rabbinicis superstitionibus libellum repudii scripserit. Item procedatur contra Notarium Christianum, et dictam Hebraeorum Universitatem, sine cuius scientia, et procuratione huiusmodi damnabilia negotia non transiguntur, et pro rata parte mulctentur centum scutis aureis, exigendis, distribuendis, applicandisque, ut supra dictum est; tum etiam Testes Christiani poena arbitraria, etiam corporis afflictiva, pro prudenti Iudicum arbitrio puniantur. Praeterea, etsi libellus repudii, iuxta hebraicum morem, ac ritum, solum a Marito uxori mittatur, non autem permissum sit uxori, ut illum Marito praebeat, nihilominus, quia Nobis compertum est, esse aliquos, qui existimant etiam a Muliere Marito dari posse, ut omni in futurum dubitationi, ac quaestioni, quae exoriri posset, occurramus, hac Nostra praesenti volumus, ac declaramus, ut omnia, et singula, quae a Nobis superius de marito ad Fidem converso, remanente eius uxore in Iudaica superstitione, disposita ac statuta sunt, etiam in casu uxoris ad Christum conversae, remanente marito in infidelitate, locum omnino habeant, atque obtineant, ab omnibus prorsus serventur, et custodiantur.

Non obstantibus, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 329-332].

382.

Benedictus XIV, const. *Causarum*, 16 nov. 1747.

Causarum Palatii Apostolici Auditorum Collegium, quod vulgo Rotam Romanam vocant, ex duodecim Viris, Iuris Civilis, et Canonici scientia aeque, ac probitate insignibus, et e diversis terrarum Orbis partibus in hanc Almam Urbem accitis compositum, Romani Pontifices Praedecessores Nostri summo semper in honore habuerunt, eosque in rebus arduis quandoque consulere, et eorum opera, atque industria in Causis coram se cognoscendis uti quoque consueverunt. Nos igitur in eadem Beati Petri Cathedra Divino consilio collocati, Nostrorum Praedecessorum exempla sequi, eorumque vestigiis insistere cupientes, quae probe, recteque ab iisdem Praedecessoribus constituta, diuque retenta sunt, servare, ac custodire, quantum in Nobis est, temporumque, ac rerum conditio sinit, summopere studemus, atque satagimus. Itaque quatuor abhinc annis veterem controversiam, quae ab antiquissimo tempore intercedebat inter Episcopum Conversanum ex una, ac Magnum Magistrum, et Fratres Milites Militiae Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani ex altera Partibus, ad Nostram cognitionem revocavimus, et iuribus utriusque Partis mature perpensis, adhibitis insuper in consilium dilectis Filiis praedictis Causarum Palatii Nostri Auditoribus coram Nobis ea de Causa congregatis, eorumque sententiis auditis, supremo iudicio Nostro decidimus, ac definivimus, ut videre licet in nostri Bullarii Tom. I Constit. 76. [1]

Id ipsum nuper agendum duximus in Causa, quae vertebatur inter dilectos Filios Canonicos, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae Odenheimensis in Bruchsal ex una, et dilectum Filium Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Spirensis ex altera Partibus, quam ad Nostram cognitionem a quocumque Tribunali avocatam, posteaquam Advocatos, utriusque Partis Iura tam voce, quam scripto tuentes, audivimus, Apostolica, aliaque Privilegia, atque Diplomata, caeteraque omnia per Nos ipsos accurate inspeximus, et interiora Causae rimati sumus, rogatis eorundem dilectorum Filiorum Palatii Nostri Auditorum sententiis, ad parcendum litigantium expensis, et consulendum paci, et concordiae Ecclesiarum, quae huiusmodi litibus, et controversiis non paulum interturbatur, interposito supremo Iudicio Nostro, et auctoritate Apostolica, modo, et forma inferius a Nobis exprimendis, terminare voluimus.

Monasterium in loco Odenheim Dioecesis Spirensis a Brunone Archiepiscopo Trevirensi fundatum esse sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et sub Regula Sancti Benedicti, narrat Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus, Tom. I ad Annum Christi MCXXIII, eique Monasterio pro dote assignata fuisse bona de domestico ipsius Brunonis patrimonio, consentiente Popone eius fratre; ad illud autem inhabitandum missos fuisse ab Abbate Volmaro nonnullos suae Congregationis Monachos, atque inter eos Eberardum Monachum sanctitate vitae, et regulari observantia eximium, qui primus eiusdem Monasterii Abbas fuit. Eadem referuntur etiam a Ioanne Mabillonio in suis *Annalibus Ordinis S. Benedicti*, pag. 98 *novissimae editionis Lucensis*. Aliquot Saeculis elapsis Anno MCDXCIV ab Alexandro VI Praedecessore Nostro, ad enixas Maximiliani I Imperatoris preces, Monasterium e Regulari ad statum saecularem redactum est, illudque in Collegiatam Ecclesiam saecularem, pluribus Canonicatibus, et Dignitatibus constitutis, erectum; deinde vero eiusdem Ecclesiae Collegiatae saecularis Capitulum translatum fuit ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Oppidi Bruchsalen., quod pariter intra eiusdem Dioecesis Spirensis fines continetur.

[1] Cf. N. 334.

Huius Collegiatae Ecclesiae saecularis Canonici, et Capitulum contendebant, se in omnibus prorsus exemptos esse a iurisdictione Ordinaria Episcopi Spirensis: et tribus veluti firmissimis fundamentis eorum intentio innitebatur; nempe iis primo, quae per id tempus peracta fuerunt, quo tempore Monasterium cum Monachorum Conventu in loco Odenheim permansit; deinde iis, quae sequuta sunt cum Monasterium ad statum saecularem redactum fuit; et demum iis, quae acta sunt, posteaquam Monasterium e loco Odenheim ad Oppidum Bruchsalense translatum est. E diverso Promotor Curiae Episcopalis Spirensis affirmabat, Capitulum Odenheimense, in omnibus illis statibus, ac temporibus, Episcopali iurisdictioni semper subiectum fuisse.

. . . . . .

Tota vero huius facti serie inspecta, nulla res est, quae praetensam omnimodam exemptionem ab auctoritate Ordinarii non excludat. Quin immo ad eam penitus eliminandam, id unum, quod supra innuimus, observare sufficiat, nimirum reservatam fuisse Episcopo cognitionem causarum criminalium contra Canonicos, aliosque, qui Capitulum Collegiatae Ecclesiae componebant. Quae sane res est tanti momenti, ut quum Sacrosancta Tridentina Synodus vellet in integrum revocare iurisdictionem Ordinariorum non parum labefactatam, id praecipue decreverit, ut causae criminales privative pertinerent ad Episcopos, adempta earum cognitione Decano, Archidiacono, aliisque inferioribus, ut cap. 20, sess. 24, *de Reformat.* quisque per se videre potest.

At praeter rationum momenta, de quibus hucusque disseruimus, complures insuper actus hinc inde afferebantur, tam scilicet pro parte Capituli, ad praetensam omnimodam exemptionem adstruendam, quam pro parte Curiae Episcopalis, ad eam excludendam; mutuaeque vicissim exceptiones contra hos, et contra illos opponebantur. Verum ambages omnes et difficultates, quae ex illis emergebant, videbantur unica consideratione dissolvi posse. Siquidem aut actus illi omnes, tum pro Capitulo, tum pro Curia Episcopali allati, pro authenticis haberi debebant, aut secus. Quodcumque assereretur, ius Curiae Episcopalis salvum, atque integrum remanebat. Si enim omnes erant authentici, porro et numero, et auctoritate, et pondere praestabant illi, qui pro Episcopo allati sunt; quibus insuper favor, et assistentia iuris accedebat. Sin autem de eorum veritate aliter censendum esset, omnesque tamquam nullius auctoritatis, et momenti reiiciendi forent, satis erat Curiae Episcopali, ut adversarium vinceret assistentia iuris, cuius favorem pro iurisdictione Episcopi in tota sua Dioecesi canonicae sanctiones stare voluerunt.

Quae hactenus a Nobis exposita sunt, fundamenta fuerunt rationum, quibus innixi Dilecti Filii Apostolici Palatii Nostri Auditores, die xv elapsi mensis Septembris, coram Nobis, ut dictum est, congregati, rogatique quid censerent de quaestione in hunc modum proposita: *An constet de exemptione Capituli ab Ordinaria iurisdictione Episcopi in casu etc.*, unanimi consensu responderunt: *Negative, salvis ordinationibus in actu translationis.* Eorum sententiam, quam aequitati, et iustitiae consonam, et Canonicis sanctionibus

consentaneam censuimus, eadem die amplexi sumus; nunc vero, ut ea, quae a Nobis, de praemissorum consilio, atque etiam omnium rationum momentis per Nos ipsos mature perpensis, consideratisque totius litis Instrumentis, et quae hinc inde fuerunt proposita, diligenter auditis, definita sunt, in futurum semper valeant, et perennem obtineant firmitatem: hac Nostra in perpetuum valitura sanctione decernendo pronunciamus, et pronunciando decernimus: *Capitulum Saecularis Ecclesiae Collegiatae Oppidi Bruchsalensis exemptum non esse a iurisdictione Episcopi Spirensis, salvis tamen ordinationibus, et conventionibus, quae factae fuerunt in actu translationis e Loco Odenheim ad Oppidum Bruchsalense anno MDVII, seu alio veriori tempore;* quam sententiam per haec Apostolica scripta edicimus, promulgamus, et Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine communimus, et roboramus.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 339-353].

383.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Inter caetera*, 1 ian. 1748.[1]

1. Inter caetera bene multa, quae Nos vehementer commovent, cum in hoc Nostro Pontificiae ditionis Statu Bacchanalia toleramus, duo praecipua sunt, de quibus religiosiores quidam eiusdem Ditionis Episcopi Nobiscum aut verbis praesentes, aut absentes epistolis conquesti sunt. Primum illud est, quod vigiliae, choreae, ludi ultima Bacchanaliorum nocte celebrari soliti non semel usque ad primum Quadragesimae diluculum producantur, ita ut multi sint, qui ab huiusmodi choreis, ludis, vigiliis discendentes, deposita quidem larva, iisdem vero induti vestibus, quibus personati quaqua versus processerant, Ecclesiam subeant, Divinis Mysteriis intersint, Sacros Cineres de more accipiant; domum deinde redeuntes dormiant, plerumque totum mane primi Quadragesimalis diei, nec dubitent Episcopum nimiae severitatis arguere, si palam queratur, ac tum maxime, si poena velit aliqua in id criminis animadvertere. Nos illud deinde commovet, quod in aliquas Status Ecclesiastici Civitates aut irrepere videatur, aut paucis abhinc annis irrepserit perversa haec consuetudo, quae mordicus conservatur, ut Festis quoque diebus personati homines pervagentur; Circulatores autem, et id generis blaterones maiori spectatorum frequentia diebus Festis, quam ferialibus populum ludifaciant; iisdem demum diebus saltationes, et choreae publice, ac per summam licentiam celebrentur.

2. Primi ut abusus perversitas ostendatur, nulla prorsus argumentatione opus est, cum sola illius commemoratio tanti momenti sit, ut ab eo cuiusquam debeat animus abhorrere. Et quoniam illorum, qui criminis partes, ac vitii sustinent, hoc solet propugnaculum esse maximum, complures nempe Episcopos extitisse sanctitate clarissimos, qui haec cum cernerent, tacuerunt,

[1] Ad Archiepiscopos et Episcopos Ditionis temporalis Pontificiae super Bacchanalibus.

Nos facti eiusmodi, quod perperam plerumque asseritur, nec evincitur, non inquirimus veritatem, et argumenti loco esse ducimus responsionem celeberrimae cuiusdam Catholicae Universitatis, quae rogata sententiam de quodam Festo scandali pleno, quod vulgo *fatuorum* appellabatur, quodque aliquibus in Dioecesibus sustinebatur, utpote multis ab Episcopis toleratum, non solum illud censuris damnandum censuit, sed obiectum etiam argumentum refellens, haec prudenter addidit: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Praedecessores Nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt; sufficit nobis vivere ut ipsi. Proculdubio istud argumentum diabolicum est, infernalis haec persuasio, vos illorum exitum ignoratis, an bonus, vel malus fuerit.*

3. Huius Universitatis censuram refert *per extensum*, ut dicitur, Ioannes Savaronius in appendice operum Petri Blesensis, pag. 782, et in tractatu Gallico idiomate contra larvas conscripto, pag. 32 et seq. Quamobrem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, omni cura mandamus, ut in Dioecesibus, ubi huiusmodi scandalum aut iampridem invaluit, aut eidem aditus aperitur, nullam operam, nullumque studium praetermittatis, ut haec morum perversitas ubi deest, perpetuo desit, ubi autem invaluit, penitus extirpetur, ac funditus evellatur, illiusque auctores, defensoresque nulla rerum humanarum ratione habita acerrime puniantur. Neque enim omnino decet hoc modo Quadragesimam inchoare, uti exclamat Sanctus Basilius, *Homil. 2 de ieiunio*, Paris, ed. an. 1722, tom. 2, pag. 13: *Quorum autem primitiae reiiciuntur, haud dubium, quin in his totum quoque sit reiiciendum.* Et pag. 15: *Hodiernus dies vestibulum est ieiunii; neque vero, qui in vestibulis prophanatur, dignus est, qui ad Sancta introeat.* Nimis enim honori Ecclesiae debito, Sacroque Ritui suscipiendorum Cinerum nimis adversantur ii, qui, tametsi absque larva, vestibus tamen Personatorum propriis domum Dei ingrediuntur, ad Altare accedunt, ut Sacris Cineribus a Sacerdote adspersi, de seria mortis cogitatione admoneantur.

4. Ad illud interea, quod est secundo loco propositum, accedentes, fatemur, minime Nobis statutum animo esse, aut in Bacchanalia invehi, aut de eorumdem impudentia dissertationem historicam instituere. Quod facere si velimus, profecto haud incommode possemus, exscribentes nimirum ea, quae in hanc rem S. Carolus Borromaeus egregie composuit in suo Libro Memoriali edito in septima parte Actorum Ecclesiae Mediolanensis, ea scilicet tempestate, cum illa Civitas a peste importunissima liberata fuit, et Pastor optimus populum studiose sapienterque hortatus est, ut in publicum grati animi monumentum, Bacchanaliorum consuetudinem abrogaret. Huic quoque epistolae adiungi possent, quae Monachus de l'Isle in suo recenti tractatu *de ieiunio*, lib. VI, cap. 6 satis erudite scripsit, ubi de Ethnicorum Bacchanalibus disserens, ostendit, quantum nostrorum haec Bacchanaliorum importunitas Sanctissimis Christianorum moribus adversetur. Verumtamen satis Nobis erit exponere, ea, quamvis aegre, ab Ecclesia tolerari, ut omnis aditus malis longe gravioribus intercludatur, quemadmodum post solidam, doctamque argumentationem, concludit celebris piusque Theologus Thomas Stapletonus in sua Oratione octava contra Bacchanalia, tom. 2 suorum Operum, pag. 556; maximum vero discrimen intercedere inter ea, quae praecipiuntur, et ea, quae permittuntur: *Aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod emendare praecipimur, et donec emendemus, tolerare compellimur.* Verba sunt Sancti Augustini, lib. XX *contra Faustum*, cap. 21. Unde constat, in rebus utcumque ab Ecclesia toleratis, nullum amplificationi, nullum arbitrio esse locum.

5. Sapientissime in hac Urbe a Nostris Praedecessoribus sancitum esse comperimus, ut quamvis perpauci dies Bacchanaliorum licentiae concedantur, tamen diebus Festis, ac sexta feria nemini omnino liceat larvam sumere, ac publice debacchari. Idem prorsus in reliquo Nostro Statu observari iubemus, et voluntatis Nostrae Cardinales Provinciarum Legatos, Praesules, Locorumque Gubernatores certiores facere non praetermittemus; id etiam enixe cupimus, nullum Ecclesiae diem Festum Circulatorum levitate, ac licentia perturbari; illa enim Isaiae verba semper Nobis ante oculos obversantur cap. 1: *Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens;* et illa Malachiae cap. 2: *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Sed quoniam ab hominibus, quae expetuntur, illico impetrari haud facile possunt, etiamsi iusta sint, ideo significavimus mentem hanc esse Nostram, idque pro regula habendum, ut in Urbium, Oppidorumque plateis, vel quibuscumque in locis, nec mane, nec vespere diei Festi Circulatores adsint. Quod si huiusmodi abusus alicubi tolerari consuevit, nunquam matutino tempore permittatur; horis quoque pomeridianis, quantum fieri potest, removeatur. At si id sine gravi aliquo incommodo integre fieri nequeat, nunquam supradicta, aut id generis solatia tolerentur, nisi post expleta Vespertina Officia, et Doctrinam Christianam: de qua quidem re nostrum erit, Cardinales Legatos, et Urbium Gubernatores etiam, atque etiam admonere.

6. In tali rerum statu hanc plane rationem ineundam sibi iudicavit Sanctus Carolus Borromaeus in suo primo Concilio Provinciali, part. 1, *Tit. De Festorum dierum cultu*, cuius Decretis addenda sunt ea, quae ab eodem Pastore in Concilio III Provinciali sub eodem Titulo statuta sunt. Hoc item Clemens XI fel record. inculcavit duabus Literis ad plurimos eodem exemplo datis, altera scilicet die 11 ianuarii 1719, altera 4 ianuarii 1721, quae in eius Bullario pag. 533 undecima sunt, et duodecima. Ac dum S. Caroli Borromaei vestigiis, quibus institit clarissimus Praedecessor Noster, Nos libenter inhaerere fatemur, illud monitos omnes volumus, quod cum res desuper enarratas vetamus, interdicto non liberamus caetera omnia, quae Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Conciliis aut Provincialibus, aut Dioecesanis, quoad Bacchanaliorum solatia, prohibentur, et praecipue quoad Ecclesiasticos viros, nunquam enim oculos a Concilio Tridentino deflectimus, quod sess. 22, cap. 1 postquam Sacrorum Canonum mentionem fecit, qui Ecclesiasticis luxum, convivia, choreas, aleas severe prohibent, sic Episcopos alloquitur: *Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo vindice, poenas persolvant.*

7. Cuilibet in Ecclesiastica disciplina paulum versato facile compertum erit, quasdam Ethnicorum veteres fuisse superstitiones, quae Kal. Ianuarii in honorem Iani, et Deae Streniae instituebantur, quibus aliquando Christiani intererant, crapulae, ludisque dediti, ac mulieres virorum, viri mulierum personas induebant. Nec Sancti Patres in suis sermonibus, nec in suis Conciliis Ecclesia in tam pravum morem invehi praetermisit, quin etiam poenas reis gravissimas indixit. De qua quidem re iam disseruimus in nostro opere de Festis Domini, cum de Circumcisione Christi Domini ageremus.

8. Pravissima hac consuetudine funditus extirpata, altera enata est, spectans videlicet ad quasdam publicas relaxationes, quae plerumque hebdomadis septuagesimae, sexagesimae, et quinquagesimae celebrantur, in quibus Ecclesia praecipua Redemptionis nostrae mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores, quod et a Nobis fuit demonstratum in Notificatione XIV, tom. I, inter eas, quas edidimus, cum Bononiae moraremur illius Ecclesiae moderatores. Ea vero consuetudo est Bacchanalium foeditas, et corruptela, quam sic describit clarae memoriae Episcopus Gratianus in sua Synodo Ameriae habita 1595, pag. 50: *Hinc factum (adeo nos prava pervertit consuetudo) ut septuagesimam inter et quadragesimam interiecti dies, quos S. Mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funebresque habet, praevalens lasciviae risus, hilaritatis amor, non in laetitiam solum inconditumque gaudium verterit, sed pene communi cuidam insaniae dedicarit, eoque provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos Magistratus traxerit, et quod ne privato quidem cuiquam ulla bene morata Civitas concederet, id penitus iam publica auctoritate nitatur, et populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ritus moresque degenerarunt.* Quamobrem illustris Gislenius Busbequius, qui medio saeculo XVI Ferdinandi I Imperatoris ad Solimanum II Orator fuit, scriptum reliquit, quemdam Turcarum Legatum postquam Bacchanaliorum tempore in quadam Christianorum regione moratus esset, Constantinopolim reversum retulisse, certo anni tempore Christianos sui impotes insanire; tum cuiusdam pulveris arcana vi, quo eorum capita conspergebantur, redire ad bonam mentem, ac resipiscere consuevisse: *Ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii causa Legatus venisset, domum reversum, retulisse, Christianos certis diebus bacchari, et furere, donec genere quodam cineris in Templo respersi, redirent ad se, et convalescerent.*

9. Nec huic morum perversitati Ecclesia, ut potuit, non opportune consuluit, et semper precibus operibusque piis enixe Dei praesidium imploravit, ut poenas impiis debitas differret, et omnipotenti auxilio suo huic malo remedia praeberet: atque inter caetera pietatis opera ad hunc finem directa, illud fuit, ut quaedam Religiosorum familiae a carnibus abstinere, et lacticiniis solummodo vesci consueverint a die Dominica aut Septuagesimae, aut Sexagesimae, aut Quinquagesimae, usque ad diem Cinerum, ideoque Bacchanalia *Carnis privium,* nuncupantur, et in Missa Mozaraba Dominica Sexagesimae *Dominica ad tollendas carnes* appellatur.

10. Alia quoque Religionis opera, furente bacchanalium insania, a Sanctis viris egregie sunt instituta, inter quae publica, et solemnis illa est consuetudo, cuius auctor S. Philippus Nerius extitit, septem scilicet huius Urbis Ecclesias invisendi, cuius instituti meminit Baccius in eius vita. Nostri autem Praedecessores, ut in his diebus fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflammarent, plurimas Indulgentias impertiverunt: *Nupero, sed saluberrimo invento, Pontifices Summi, depromptis de Thesauro Ecclesiae largitionibus, fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis* (de bacchanalibus loquitur) *frequentandam excitarunt, et ut se dant initia, spes est Diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes.* Verba sunt haec Theophili Raynaudi, tom. XVI, *Oper.* suor., pag. 412, num. 41.

11. Vestrum est igitur, Venerabiles Fratres, hanc viam tenere, et ad hanc suscipiendam vestro exemplo caeteris incitamento esse. Praesertim vero Divinis Officiis Bacchanaliorum tempore quotidie vos interesse cupimus, Sacrosanctum Missae Sacrificium coram Populo celebrare, Ecclesias, et Xenodochia invisere, et Ecclesiasticos homines, laicosque vobiscum ad id muneris invitare: huiusmodi enim comitatus, et sanctus erit, maximeque laudabilis. Curandum praeterea a Vobis est, ut in una, aut in pluribus Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per triduum publico cultui exponatur, et quotidie populo ad Vesperam benedicatur, in Septuagesimae, aut Sexagesimae, aut Quinquagesimae hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus, hac nostra epistola circulari, plenariam Indulgentiam concedimus, quae a vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque cum *ad opus pium* directa sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimus quibuslibet Christifidelibus, qui poenitentia, et Sacri Synaxi rite muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visitarint, Deum orantes iuxta Ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus.

12. Apostolicum hoc Nostrum munus exigebat, ut vobis hanc Epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui Nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad Nos recurrant; qui sane eos omni, qua possumus, ope iuvabimus, easdemque Indulgentias ipsis, eorumque Dioecesibus concedere non gravabimur. Et demum Vos ex animo amplectentes, et Vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Gregi Vobis commisso, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 375-383].

384.

Benedictus XIV, ep. *Praeclara,* 19 ian. 1748.[1]

Praeclara decora, insignia ornamenta, ac tot tantaque privilegia, quibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac Ducibus, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Veronensis instructum

[1] Dilecto Filio Nostro Danieli Tituli S. Mariae supra Minervam Presbytero S. R. E. Cardinali Delphino nuncupato, ex concessione et dispensatione Apostolica Patriarchae Aquileiensi.

cumulatumque a priscis temporibus, adhuc excellere perspicitur, ita Nobis comperta et explorata sunt, ut Nos dum in minoribus constituti pro nostri muneris debito certam omnium Ecclesiarum, ac praesertim Cathedralium notitiam Nobis compararemus, prope in admirationem adduxerint.

§ 1. Illud potissimum animo versabatur, quod bon. mem. Rotaldus Episcopus Veronensis anno DCCCXIII, post abdicatam a se, suisque successoribus omnem in ipsum Capitulum iurisdictionem et auctoritatem sub tutela et refugio Patriarchae pro tempore existentis Aquileiensis, cuius Suffraganeus etiamnum est Episcopus Veronensis, ita reposuerit, ut liberum et immune ab omni Veronensis Antistitis potestate et iurisdictione sit et habeatur.

§ 2. Quoniam autem a Nobis supplex postulasti, ut insigne huiusmodi Capitulum Tibi, Tuisque successoribus Patriarchis Aquileiensibus, ut praemittitur, subiectum, novis Apostolicae etiam nostrae benignitatis auctoritatisque documentis ornare, et augere dignaremur: Nos sane, qui eximias, Pastoralesque virtutes tuas Pontificiis laudibus prosecuti, in amplissimum quoque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegium te cooptavimus, votis tuis hac in parte, quoad Nobis integrum est, obsecundare libenti animo gaudemus.

§ 3. Itaque modernis, et pro tempore existentibus eiusdem Cathedralis Ecclesiae Veronensis Canonicis usum Scotulae, sive Palmulae, vulgo *Bugia*, ad instar Episcoporum, tam in Missis privatis, quam in solemnibus cum cantu, sive in eadem, sive in aliis ipsius Civitatis, et Dioecesis Veronensis, atque aliarum etiam Dioecesum Ecclesiis in perpetuum concedimus, et elargimur.

§ 4. Praeterea iisdem, ut praemittitur, Canonicis in perpetuum indulgemus, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod ad quodcumque Altare bis in hebdomada quilibet eorum pro animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, celebraverit, perinde iisdem suffragetur, ac si ad Altare Privilegiatum fuisset celebratum.

§ 5. Insuper spirituali consolationi singulorum ex iisdem modernis et pro tempore existentibus Canonicis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, cuilibet ipsorum, ad memorati Capituli Villam Angiari dictam, ut bonis, redditibus, proventibusque advigiletur, adeunti, et commoranti, Apostolica auctoritate tribuimus et impertimur facultatem celebrandi, sive celebrari faciendi Sacrosanctum Missae Sacrificium in aedium eiusdem Villae Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, prius tamen ab Archipresbytero eiusdem Capituli visitandis et approbandis, in cuiuslibet Canonici, et sibi inservientium inibi famulorum praesentia, ita ut diebus festis de praecepto ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiam liberi, et immunes habeantur; salvis tamen iuribus Parochialibus.

§ 6. Porro nolumus inter tot tantaque privilegia eidem Capitulo et Canonicis concessa numerandum esse illud, quod, quemadmodum Tibi aeque ac Nobis notum est, antiqua traditione, contra Sacrorum Canonum Sanctiones, ac nostram praesertim Constitutionem, cuius initium est: *Cum semper oblatas,*[1]

[1] Cf. N. 345.

invectum, ab ipsis Canonicis non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi dumtaxat Choro, et cum caeteris Mansionariis, Cappellanis, Acolythis et Clericis canentibus psallentibusque adsistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes, a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod eapropter se non fecisse fructus suos existiment.

§ 7. Itaque a Te, Dilecte Fili Noster, poscimus, et flagitamus, ut non solum huiusmodi abusum et corruptelam ab Ecclesiastica disciplina absonam, et Canonicis Ordinationibus, ac nostrae quoque Constitutioni contrariam, penitus evellere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et horteris, ut in posterum ea, qua decet, et tenentur, reverentia Choro intersint, adsistantque, nec non pari pietate, attentione ac vigilantia, omnino canere, vel psallere cum caeteris studeant et contendant.

§ 8. Deinde eisdem edicas et notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis literas Tibi declaramus et iniungimus, decernere atque statuere, sicut in eadem Constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores Canonicos, Choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex Praebendis et Distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.

§ 9. Verum cum iis, qui hac super re, conscientiae stimulis acti, ad Te confugerint, benigne indulgentes, Tibi facultatem tribuimus, et impertimur, ut sive per te ipsum, sive per alios a te deputandos, unusquisque Canonicus qui se in canendo psallendove in Choro cum aliis defecisse animadverterit, (dummodo promittat se deinceps omnino curaturum, ut in Choro et praesens adsistat, et cum aliis canat, psallatque) absolutionem a culpa, et super omnibus fructibus indebite perceptis dispensationem obtinere possit et valeat.

§ 10. Caeterum volumus et mandamus, ut nulli eorumdem Canonicorum, qui licet praesens in Choro adsistat, tamen minime canat psallatve, suffragentur huiusmodi indulta ac privilegia, quae unicuique moderno et pro tempore existenti Canonico, ad tuorum meritorum intuitum, per easdem praesentes litteras concedimus, et elargimur.

§ 11. Caeterum te, Dilecte Fili noster, rogamus et in Domino hortamur, ut iisdem studiis, quibus Nos, supplicationibus tuis inclinati, eosdem Canonicos novis Apostolicae benignitatis, auctoritatisque Privilegiis adauximus, nostris tuisque rationibus Pastorum Principi Iesu Christo aeterno Iudici reddendis satisfaciendum cures; et abusu et corruptela huiusmodi penitus sublata, Divinum cultum per Divinae Psalmodiae cantum promovere et augere satagas, ut non minus ipsi Canonici, quam Nos ipsi invicem, aeternam mercedem a bonorum omnium largitore Deo consequi mereamur.

§ 12. Interim caelestis praesidii auspicem, et studiosae nostrae ad Tibi gratificandum voluntatis pignus esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam Tibi, Dilecte Fili Noster, et iisdem Canonicis, peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 585-587].

385.

Benedictus XIV, const. *Si datam*, 4 mart. 1748.

§ 1. Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque praesertim, utpote sacrarum Legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quae Divino et Ecclesiastico iure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem, et observantiam asserere. Eam ob rem iam usque ab Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI Pontificatus Nostri II Apostolicas Literas dedimus, incipientes: *Dei miseratione*, in Bullario Nostro deinde editas tom. I, num. 33,[1] quibus certum praescripsimus ordinem, in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti et definiri deberent Causae, in quibus de nullitate alicuius matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate iudicium postulari, aut fieri prohiberemus; sed, ut in hoc gravissimo iudicii genere, in quo de sacro Connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque Iudices, non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, huiusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cuius quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur: quum ex eo tempore, neque tot Causae super praetensa Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato, et non consummato: dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paulo quidem maiores, sed omnino iustae, quae, ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandae se offerent, antequam optatum finem assequatur.

§ 2. Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de Religiosis videlicet utriusque sexus Regularium Professionibus, pari ratione statuere decrevimus: nimirum certam normam ac methodum tradere, quam observare debeant Iudices Ecclesiastici, quoties iudicia super nullitate Professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui iustis de causis huiusmodi actiones intentare velint, ac postulent, Professionem a se factam ex capite nullitatis, irritam declarari; sed, ut ipsi Iudices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam, ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte, valida solemnium votorum professione emissa, Religioso Ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus.

[1] Cf. N. 318.

Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in Tribunalibus futurae sint Causae super praetensa Professionum nullitate; et qui deinceps huiusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, et consequenter a Religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Poenitentiariae Nostrae Apostolicae, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto iudice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos Testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia, et dispensatione Apostolica, facultas manendi in saeculo ipsis indulgeatur.

§ 3. Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factae Professionis, de illius nullitate actionem promovent; et eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sacrae Tridentinae Synodi, sess. 25, *de Regular.*, cap. 19 in haec verba: *Quicumque Regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario.* In quo sane decreto licet in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam foeminae Religionem professae comprehenduntur, quum ex regulis iuris, masculinum genus etiam foemininum includat, ubi una eademque causa pro foeminis aeque, ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variae tamen quaestiones circa eorum sensum, ac vim excitatae fuerunt.

§ 4. Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari Professo, qui suam Professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse Religionem, etc.*, nihil vero expresse statuatur de ipsa Religione, cuius aliquando interest alicuius Alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis, exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adiecta declaratione, quod, eo forsan existente, et non patefacto, ipsius admissio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in huiusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset Causa coram Regulari Superiore simul, et Ordinario Loci. Super quo Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, Causas huiusmodi super nullitate Professionis, tam a Regulari Professo, quam a Religione, intra quinquennium in iudicium deductas, et a Superiore Regulari, et ab Ordinario Loci simul cognoscendas esse.

§ 5. Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis;* cumque potior, atque communior causa, quae pro nullitate Professionis adduci

solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quaesitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die Professionis emissae, an vero a die, quo Professus liberam reclamandi facultatem habere coepit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissae Professionis esse computandum.

§ 6. Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quaestio, an scilicet praedicti Ordinarius, et Superior Regularis cognoscere possint Causas nullitatis Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe Professus intra illius decursum reclamaverit, sed iudicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram praefatis Iudicibus a Concilio memoratis agendam esse Causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra praescriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

§ 7. De ipsis autem Iudicibus pro huiusmodi Causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba, *coram Superiore suo, et Ordinario,* complures similiter motae sunt quaestiones, quae maiori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quaesitum fuit, quisnam censendus esset Superior Regularis in casu, et ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet Provinciae Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem eiusdem Concilii Interpres definivit esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Praepositum, seu Rectorem illius Monasterii, aut Coenobii, in quo reclamans Professionem emisit; eum nempe, qui huiusmodi Monasterii, aut Coenobii regimen exercet, quo tempore Causa super nullitate Professionis in iudicium deducitur. Quaesitum item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit ad effectum iudicandi una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit, quod, si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate subiectis, tunc, quum nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius iudicat de Professione reclamantium intra quinquennium: si vero Moniales Regularium regimini subsint, tunc huiusmodi Causae iudicandae sunt ab Ordinario loci simul, et a Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium. Dubitatum est etiam, utrum Superior Regularis ius suum cedere possit Ordinario Loci, eique permittere, ut in huiusmodi Causis solus procedat, et iudicet. Id autem praedicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si iudicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam Ecclesiasticum Saecularem iuris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Iudicis partes exerceat. Denique quaesitum fuit, si forte Ordinarii, et Superioris Regularis iudicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis alteri praevalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, Causam ipsam ad Apostolicae Sedis iudicium devolutam censeri.

§ 8. Quum vero inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis Professionem emiserit in Coenobio ad Novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in

quibus rec. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa VIII Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicuius Professionem ex huiusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII altero Praedecessore Nostro, iustis gravibusque de causis, ac de consilio praefatae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die v Ianuarii Anni MDCXXXVI, incipien. *Ad occurrendum,* quo statutum fuit, huiusmodi Causas ad eandem Congregationem privative pertinere. Haec sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis praelaudatae Congregationis excerpta, quae licet alias a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica Auctoritate non semel approbata fuerint, et confirmata; Nos tamen eadem, praesentium Literarum tenore, atque Auctoritate simili, novo approbationis, et confirmationis Nostrae robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariae executioni demandari praecipimus.

§ 9. Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia Causarum, quae intra quinquennium a die Professionis emissae adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut et ea indicemus, quae de ordine, ac methodo in huiusmodi iudiciis servanda, a Maioribus sapienter constituta sunt; tum ea proferamus, quae Nos ipsi opportune addenda censuimus, quaeque pari auctoritate, ac praesentium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus, et mandamus. Iam de ipsa huiusmodi Causarum introductione notum est decretum eiusdem Concilii Tridentini cit. sess. 25, cap. 19, *de Regular., ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tamquam Apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis iuvetur.* Ex quo sequitur, Regularem postulantem iudicium fieri de suae Professionis nullitate, ab ipso iudicii limine repelli, nisi constet eum in Religionis suae Claustris morari, et Habitum Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

§ 10. De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, iudicia sua fundare in extraiudicialibus attestationibus, quantumvis iuramento firmatis, quae *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de caetero usurpari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in huiusmodi Causis necessarias, verus et iudicialis Processus omnino conficiatur, in quo et Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; et Interrogatoria dentur ab ea parte, quae stat pro ipsius Professionis validitate, et Testes tam super Articulis, quam iuxta huiusmodi Interrogatoria examinentur: utque, hac forma non servata, Processus ipse, et Sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corruere censeantur; salva etiam dispositione iuris communis, quoad alia nullitatis capita, si quae forte in ipsa Processus compilatione intervenerint.

§ 11. Sub eadem poena nullitatis, decernimus, atque statuimus, ut in hoc uidicio citari, et audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Coe-

nobii, in quo professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erunt tamquam Auctores, aut complices metus eidem incussi, ut Votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata Constitutione Nostra, quae incipit *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Dioecesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate, ac doctrina commendatus, cuius officium esset in Causis Matrimonialibus in iudicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus, et singulis Locorum Ordinariis committimus, et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus praeditam in suis respective Dioecesibus eligant, cui *Defensoris Professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, iniuncta, et respective applicata esse censeantur, quaecumque Nos in praecitatis Literis de Matrimonii Defensore statuimus; Nos enim eadem omnia, praesentium tenore, ad huiusmodi Professionum Defensores expresse extendimus, et respective applicamus, et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro Defensore Professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione Causae occurrentibus, eidem praestandum esse Iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si Professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia bona possident, ad huiusmodi solutiones teneatur. Si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex pecuniis Mulctarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis praedictis Literis Nostris de Matrimonii Defensore statuimus.

§ 12. Lata demum Sententia a Superiore Regulari, et ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque Professus appellationem interponat, Causam finitam esse non dubitatur. Si vero Professus ad Iudicem secundae instantiae appellaverit, vel etiam ulterius eadem Causa retractanda fuerit: in omnibus hisce iudiciis volumus similiter Defensorem Professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constitutione decrevimus, Defensorem Matrimonii, in secunda et ulteriori instantia, iudicio semper adesse. Ac sicuti praeterea statuimus, huiusmodi Defensoris partes esse, a Sententia Iudicis primae instantiae pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiae Iudicem provocare; et formam prosequendi iudicium in ulterioribus huiusmodi instantiis praescripsimus; porro volumus, ut Defensor Professionis a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita appellare omnino debeat, atque in secunda, seu ulteriori huiusmodi Causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quae pro Causis Matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus.

§ 13. Quemadmodum denique legitimas poenas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam Sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem Defensoris non interposita, ausi fuissent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera Vota transire, nisi duae saltem sententiae conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari Professus, post unicam Sententiam, favore nullitatis Professionis pronunciatam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e Claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, habitum Regularem abiicere praesumpserit: volumus, atque statuimus, omnibus eum poenis, atque censuris a Sacris Canonibus, et a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas latis, atque sancitis, subiacere, et obnoxium esse; decernentes pariter, in huiusmodi Causis de Professionis nullitate, liberum Professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emissa Professio nulla, et irrita declarata fuerit.

§ 14. Et primae quidem Instantiae Iudices super validitate Professionum, quae intra quinquennium iudicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior Regularis, simulque Ordinarius Loci esse debent. Si vero eaedem Causae in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendae, statuimus, inhaerentes antiquis quibusdam saepedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretis (quae pariter tenore praesentium approbamus, et confirmamus), ut Causae huiusmodi ad eos Iudices devolvantur, ad quos de iure aliae omnes Causae Ecclesiasticae, post Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Iudices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum Superiore Regulari processit, sic et ipsi procedere, et iudicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii eiusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Dioecesi existentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monasterii eiusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui, iuxta praemissa, Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem huiusmodi Causae in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii, sive ab altera super Consultationibus Episcoporum, et Regularium, aut denique ab Auditorio Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint; nullus erit locus ad iudicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, iuxta relatum superius Urbani Praedecessoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Professionis ex eo capite impugnatae, quod facta fuisse asseratur in Monasterio, aut Coenobio Religiosis Tyronibus instituendis minime addicto.

§ 15. Hactenus de iudiciis super nullitate Professionis, quae intra quinquennium a die ipsius Professionis emissae introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quaecumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere, et observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, Nostri et Romani Pontificis pro tempore in Urbe, eiusque Districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis, quoties huiusmodi Causas intra idem quinquennium in ipsius Tribunali Ordinario iudicandas esse contingat. Iam vero videndum est de eiusdem generis Causis, quae, post elapsum quinquennium huiusmodi, in iudicium adducuntur.

§ 16. Porro quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissa Professione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die Professionis;* adeo inhaerendum huiusmodi sanctionis literae duxerunt Maiores Nostri, ut sub piae mem. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius Causae introductionem super nullitate Professionis, elapso quinquennio, admittendam esse; etiamsi Professio per vim, et metum facta diceretur, atque probari vellet, huiusmodi vim, et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba Decreti die v Martii Anni MDXCVIII editi, quae habentur *Decretorum Congregationis Concilii,* Tom. 9, fol. 55, haec sunt: *Gregorius XIII ex Sententia Congregationis Concilii, declaravit, eos, qui per vim, et metum se Religionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse.*

§ 17. At vero procedentibus temporibus, non sine iustis gravibusque causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiae pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.*

§ 18. De quibus tamen iudicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis instantiae huiusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordinarium in iure vocatur, cuius concedendi facultas Iudicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem sententiam decretis eiusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quae recensita fuerunt in Decreto edito die XXIV Septembris Anni MDCCXL in Causa *Sicula Restitutionis in integrum,* quod a Nobismetipsis die XXVIII eiusdem mensis, et anni approbatum, et confirmatum fuit, quodque iterum praesentium tenore approbamus, et confirmamus; reservato Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus iure concedendi Ordinariis, et Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super professionis validitate, aut nullitate deveniant, ut non semel ex Apostolicae Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

§ 19. Huius autem iudicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quae in praesenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione seu fumo, ut aiunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur; nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus Professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Iudicibus competentibus actionem promovere possent; pro cuius iudicii instructione deinceps a Superiori Regulari, et ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Processus, atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quae sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum praecipue, quae ad huiusmodi iudicium consequentia sunt, rationem habere; ac providere, ne unius tantum sententiae vigore Professiones

Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in praefatis Congregationibus, seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, observatur. Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci, et Superiori Regulari, ut Processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate, ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate Professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario, et Superiori Locali committitur, ut sententiam proferant super controversa Professionis validitate. Sed quamvis in huiusmodi Commissionibus plena ipsis relinquatur facultas iudicandi sive pro validitate, sive pro nullitate professionis, prout ipsis iustum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint, quam diligenti, et gravi iudicio apud Sedem Apostolicam discussae fuerint causae, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso dumtaxat huiusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate Professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

§ 20. Accuratum huiusmodi examen causarum restitutionis in integrum apud Romanae Curiae Iudices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra. singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus, ac iubemus; hoc tamen addito, ut in Commissionibus, quae diriguntur Superioribus Regularibus, et Ordinariis Locorum pro conficiendis Processibus, iisdem, sub poena nullitatis actuum, iniungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defensoris Professionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, iuxta quae examinari debebunt Testes, aliaque ad Officium sibi impositum pertinentia diligentissime praestare. Item volumus, ut ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in praefatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi, et Episcoporum ac Regularium consultationibus praepositis, quam in Auditorio Rotae, aut in quacumque Congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis poena, Defensor Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper et in omnibus actibus in iudicio stare debeat; neque solum in prima huiusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus; quatenus reclamans in prima reiectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato Causae examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Constitutione Nostra, praesentis initio allegata, de Causis super nullitate Matrimonii constituimus. Nos enim praesentium tenore decernimus, ac sub poenis adversus Apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae, e Religiosis Claustris migrare, multoque minus Habitum Regularem deponere audeat, seu praesumat: quum ad praedictas poenas declinandas, et altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea, et sententia super nullitate Professionis a Supe-

riore Regulari, et ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec nisi per huiusmodi sententiam, a praedictis Iudicibus, praeviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitime latam, Iudicium absolutum censeri queat.

§ 21. Quae omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulo observanda et implenda a Nobis praescribuntur, et enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futurae sint instantiae, et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Professionis emissae, vel etiam eo elapso, susceptum Religiosae vitae Institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quae et in eorum Constitutionibus, et in Decretis felicis recordationis Clementis Papae VIII Praedecessoris Nostri [1] statuta sunt, quaeque omnia ab ipsis plenissime observari, et impleri, Nos pariter ipsis praecipimus, ac iubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum praebebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, sive qui aetatem quidem a Concilio praescriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quae a Constitutionibus Ordinis statuta est; sive illi, qui licet annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, [2] adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, iuxta praescriptum suarum peculiarium Constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut Professi ante legitimam aetatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quaecumque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa praemissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, et ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quae ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua Professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in praemissis concedere consuevit, nisi praevio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempe aequum, et necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quae petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus Professionem sive intra quinquennium, sive post eius decursum, Superiores ipsi contradictores sese non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Saecularis existere possit. Nunquam enim licitum est iustitiam deserere, aut prodere, quae iubet omni ratione sustineri actum adeo

[1] Cf. N. 183, 186, 189.
[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 15.

solemnem, et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit.

§ 22. Ad praedictum finem praeterea quam maxime proderit, si et Ecclesiastici Praesules, et Iudices, debitas officii sui partes explere non praetermittent. Ecclesiarum quidem Praesules, si anathemati subiectos declarabunt omnes et singulos, cuiuscumque qualitatis, conditionis, et dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, praeterquam in casibus in iure expressis, coëgerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem; iuxta sanctionem Sacrae Tridentinae Synodi, sess. XXV, cap. 18, *de Regular.*, ubi etiam pares censurae statuuntur adversus eos, qui in huiusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, et ad Vota profitenda, iustis gravibusque poenis afficient. Iudices vero, si, falso ante omnia deposito praeiudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam iustitiae lancem expendent et numerum, et qualitatem Testium, qui ad comprobandam nullitatem Professionis inducuntur; et vim maiorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quae in hoc toto rerum genere ab Auctoribus considerari solent.

§ 23. Itaque praedictis omnibus, et singulis gravissime denunciamus, districteque praecipimus, ut in cunctis, quae ad eorum officia pertinent, a iustitiae tramite, et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint omnium, quaecumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Iudicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operae conferre intendimus, quo planius, atque facilius de Causis huius generis ab ipsis in posterum iudicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio selectorum Virorum in Theologica, et Canonica facultate praestantium, nonnullas quaestiones accurate examinare ac dirimere, quae variis Scriptorum opinionibus iactatae, et varias species induentes, iuxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites atque sollicitos detinere solent Iudicantium animos; ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii praefatae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, huiusmodi Causas ad regulam Iuris exigendas prae manibus haberemus. Eiusmodi sunt, exempli causa, quaestiones: Utrum Professio, quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus huiusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur; et quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religiosae paupertatis*. Praeterea, si quis forte ante legitimam aetatem ignorans Professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque valide Professum existimans, ea omnia, quae Professorum sunt, una cum Sociis praestiterit, an hic deinde intelligens, qua aetate

Vota emiserit, non obstantibus actibus veri Professi a se gestis, adhuc, praefatae ignorantiae praesidio, actionem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Religio ipsum, cum huiusmodi defectu, aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam Iudici nullitatem Professionis, quod reclamantes Professi asserere saepe non dubitant, se in proferendis Religiosis Votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Haec omnia, aliaque similia in huiusmodi iudiciis frequenter occurrentia, et in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adiuvante, explanare deliberavimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 393-403].

386.

Benedictus XIV, litt. ap. *Exemplis Praedecessorum*, 19 mart. 1748.[1]

§ 1. Exemplis Praedecessorum nostrorum adducti, nonnullis Familiis Regularium permisimus, ut Fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesias inviserent, et indictis pietatis operibus satisfacerent, Indulgentiam Plenariam consequerentur, utque Monasterii Praeses, vel alius Sacerdos a Patre Provinciali designandus, populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine, Benedictionem impertiret.

§ 2. Nullus unquam ritus ad hanc rem peragendam praescriptus fuit; quae quidem extra Urbem solum contingit, cum Pontifex ipse Romae Benedictionem populo elargiatur: etenim is ritus, qui Urbani VIII Praedecessoris nostri auctoritate probatus asseritur, et qui post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam Benedictionem, de qua verba facimus, minime pertinet, sed illam complectitur, quae, non pluries, non semel quolibet anno, sed aliqua urgente legitima causa, populis et agris tribui consuevit, et pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui Brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet non solum benedicendi populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, et a caeteris Ecclesiasticis Censuris ac poenis, si quas forte

[1] Deest inscriptio, quae cuilibet Superiori Generali Regularium Ordinum hac facultate gaudentium aptata fuit.

populus imprudens atque ignarus contraxerit, etiamsi illae in Bulla *in Coena Domini* contineantur.

§ 3. Cum haec ita sint, tamen deprehendimus, quemdam ritum temere, et inconsulto excogitatum esse pro supradicta prima Benedictione Pontificia invocativa, quae aut pluries, aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex Sacerdos in medio Altaris collocatus, Ministris circumadstantibus, et sacris indumentis ornatis, trinam Benedictionem populo impertit, et alia plura gerit, quae enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

§ 4. Equidem *Benedictio super populum* solemnis est: eamque in quacumque Orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest; Episcopus autem in sua Dioecesi, et locis ipsius etiam exemptis, Archiepiscopus in sua Provincia, et locis eius exemptis, eamdem exercere valet potestatem. Id constat Decreto Clementis V in Viennensi Concilio, quod in Clementina *Archiepiscopo, de privilegiis,* recensetur. Porro Abbatibus eiusdem Benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in Ecclesiis, quae ipsis plene subiiciuntur, modo tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint; quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne, aut Vesperas in Ecclesia peregerint, nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declaretur, uti respondit Alexander IV, in cap. *Abbates, de privilegiis,* in sexto.

§ 5. Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri, iuxta Can. *Ministrare* 26, quaest. 6: *Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere, Presbytero penitus non licebit;* quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam Divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est, modo permitti: si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in nostro *Tractatu de Sacrificio Missae,* sect. 1, num. 382, qui primo Bononiae anno 1740 typis editus fuit, ac sect. 1, num. 391, in eodem *Tractatu,* qui deinde Latine redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii anno 1745. Etsi siquidem in usu semper fuerit, ut, re Divina peracta, populus ab Ecclesia Benedictione dimitteretur, quemadmodum in Can. *Missas, de Consecratione,* dist. 4, continetur; id tamen, non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero eius iussu praestabatur: quo sensu explicatur Decretalis in Cap. *Officium, de Officio Archipresbyteri,* ubi inter Archipresbyteralia munera recensetur *Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare,* prout animadvertit Gonzalez in idem Cap. *Officium,* num. 2, idemque antea plane comprobaverat Saussay in *Panoplia Sacerdotali,* pag. 558.

§ 6. Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fecit Benedictionem super populum in fine Missae effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset in *Ritibus Laudunensis Ecclesiae,* part. 3, pag. 136, num. 9: *At, cum Benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec iure queat populus ante Benedictionem ipsam egredi, ex praecitata Agathensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet; sequitur, facultatem cuilibet celebranti con-*

cessam esse, privatam illam Benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire. Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis,* pag. 386, *in Dubiis conscientiae.*

§ 7. In Can. *Ecce ego,* dist. 95, haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum, invidia diabolicae tentationis inflatus, irascatur in Templo, si Presbyteri interdum exhortentur plebem, si in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si Glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat Benedictionem, quae populo traditur a Sacerdote, qui rem Divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est;* quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eumdem textum Sancto Hieronymo non esse tribuendum; quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophilus Raynaudus *Operum,* tom. 16, pag. 211; sed incerto Auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum Benedictio in fine Missae inter Benedictiones Presbyterales iam haberetur, ususque invaluisset, ut Sacerdos, peracto Missae Sacrificio, populum Benedictione *iure suo* dimittat, sive absit, sive intersit Episcopus: ea tamen statuta lege, ut, si intersit, et in sua sit Dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem Sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam Dioecesim versetur, prout desumitur ex Rubricis Missalis tit. *de Benedictione in fine Missae, et Evangelio Sancti Ioannis.*

§ 8. Cum iam perspectum sit, quo tempore, et loco simplex Sacerdos populo possit *iure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam Benedictionem super populum ab ipso impertiri licite, nisi *iure delegato.* Huius naturae est Benedictio, de qua nunc agimus, quae per delegationem Apostolicam cum unice concedatur, Nostrum est omnino ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subiiciemus, quo sane uti volumus, ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos, vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Praedecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices, facultatem tribuendae populis Benedictionis permiserint.

§ 9. Admoneatur itaque populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est Ecclesia, de hora denique qua datur Pontificia Benedictio; et admonitio haec fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis: licet etenim id a Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII fuerit vetitum Fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et Fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione Indulgentiarum, et Orationum; uti habetur in eius Constitutione, quae incipit: *Cum ad uberes,* § 5,[1] et in alia Constitutione: *Decet Romanum Pontificem,* § 6;[2] visum tamen Nobis est, id esse hypothesi inapplicabile; cum, caeteris praetermissis, praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, Confratres, non autem populum universum, ut Indulgentia, et Benedictio, de quibus agitur, complectatur.

[1] Die 20 maii 1600. - Bull. Rom., tom. 5, II, p. 375-378.
[2] Die 9 maii 1602 - Bull. Rom., tom. 5, II, p. 421, 422.

§ 10. Postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Literae, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex Latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuncietur: populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur; post quae Sacerdos, nullis circumadstantibus Ministris, Stola et Superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano praescribitur, cum agitur de Benedictionibus quae extra Missam Presbyteris permittuntur) ante Altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum, et terram.*
℣. *Salvum fac populum tuum, Domine.*
℟. *Et benedic haereditati tuae.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde stans, sequentem recitat Orationem:

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis, et gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Post quam ad cornu Epistolae accedat, ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis part. 4, *Benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolae:* et stans in cornu Epistolae, non trina, hoc est triplici Signo Crucis, sed una Benedictione, unico videlicet Signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba:

Benedicat Vos Omnipotens Deus ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

℟. *Amen.*

§ 11. Trina siquidem Benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti: cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vita nuper defunctus tom. I, pag. 243. Id Nos etiam advertimus in nostro *Tractatu de Sacrificio Missae,* sect. 1, locis supra indicatis. In Rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo.*[1] Insuper Caeremoniale Episcoporum[2] trinam Benedictionem ipsis solum tribuendam decernit: quod eadem Missalis Rubrica[3] confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit*

[1] Tit. *Ritus servandus in celebratione missae,* c. XII, *de benedictione in fine missae et evangelio S. Ioannis,* n. 7.
[2] L. I, c. XXV, n. 5; c. XXIX, n. 11.
[3] N. 8.

populo etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur. Postremo Alexander VII Decreto, quod die 27 Septembris 1659 edidit,[1] tempora indicit ac recenset, quibus Abbates usu Pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam Benedictionem impertire possunt: quod iisdem penitus interdicitur, cum rem Divinam privatim conficiunt; quod nos ipsi indicavimus nostra *Institutione 14,* § 4, num. 19, tom. 2, si Bononiensis editionis ratio habeatur, quae peracta fuit anno 1735, sin autem easdem Institutiones in Latinam linguam conversas, et Romae impressas anno 1747 quis inspiciat, idem prorsus deprehendet *Institutione 34,* § 4, in fine pag. 174. Quocirca non sine animi nostri voluptate Epistolam legimus encyclicam Patris Generalis Coenobitarum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quibus in nostris Apostolicis Literis potestas facta est dandi in certis anni Festivitatibus Pontificiam Benedictionem, in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico Signo Crucis, more Sacerdotali: quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelae ad Nos delatae non fuissent de usurpatis honoribus Episcopalibus.

§ 12. Hac itaque Epistola Encyclica ritum statuimus ac declaramus, quo Benedictio Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regularium Praesidibus, ut ipsum Regularibus sibi subiectis observandum indicant. Equidem Alexander VII Praedecessor Noster usum Pontificalium Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate praescribens, Ordinariis locorum facultatem concedit, ut, si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis Apostolicae Delegati rem cognoscerent, et censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. At nos aliam viam suscipiendam ducimus, praecipientes, ut de illis Regularibus, qui praescriptum a Nobis antea Benedictionis ritum violaverint, Nos statim certiores efficiant: tunc enim neque infensos invicem Episcopos et Regulares reddemus, nec populis beneficium Papalis Benedictionis denegabimus; sed facultatem eiusdem Benedictionis tribuendae parere recusantibus auferemus, eamdem largiemur aliis, qui iussa nostra facere non detrectabunt: qua in re futuros etiam Romanos Pontifices magnopere hortamur, ut idem exemplum sequantur. Postremo Tibi, et universo tuo Ordini Benedictionem Apostolicam impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 403-407].

387.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Magnae Nobis,* 29 iun. 1748.[2]

§ 1. Magnae Nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fide dignorum relatione, certisque gravium Virorum Literis accepimus, falsam quamdam in isto Poloniae Regno opinionem, et famam invaluisse; quod scilicet ab hac Apostolica Sede, cui Nos, licet immeriti, Divina ordinatione praesidemus, aliquae dispensationes Matrimoniales concessae, et missae

[1] S. R. C., Decr. Authent., n. 1131.

[2] Ad Poloniae Regni Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos.

fuerint, et hactenus concedi, et mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta Canonica Matrimonio legitime, aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter, vel etiam uterque, Haereticam sectam aperte profiteatur. Quod quum nonnisi per iniuriam, et intolerabilem calumniam excogitatum sit, atque disseminatum, Apostolici ministerii Nostri officio deesse Nos arbitraremur, nisi Vobis, Venerabiles Fratres, atque omnibus, ad quos hae Literae Nostrae perventurae sunt, testatum ac manifestum redderemus, quae sit in hoc rerum genere perpetua Apostolicae huius Sedis agendi regula, et constans consuetudo; simulque Vos omnes, et singulos per istud Poloniae Regnum, sua semper fide, et religione commendatum, Ordinarios Praesules constitutos, enixe admoneremus, et per misericordiam Dei obsecraremus, ut Literas Dispensationum Matrimonialium, quae pro ipsius Regni Incolis ab hac Sede, et Curia mittuntur, et ipsi attente legatis, atque expendatis, et a vestris quoque Vicariis, et Officialibus accuratissime considerari iubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte peccatum est, non id factum esse Apostolicae Sedis, eiusque Officialium culpa; verum aut Ordinariis Locorum, aut eorum Ministris, qui transmissas Dispensationum Literas nec legere, nec satis pensare curarunt, omnino tribuendam esse.

§ 2. Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas eius disciplinae, qua semper Apostolica Sedes Catholicorum cum Haereticis coniugia reprobavit. Sed aliqua dumtaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad Nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos et Apostolicam Sedem non minus integram vigere, et religiose custodiri. Hoc est, quod de se ipso, suisque temporibus testatus est felicis recordationis Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII in suis Literis Apostolicis datis die XXX mensis Decembris Anni MDCXXIV, quae leguntur apud Cardinalem Albitium in Libro, cui Titulus: *De inconstantia in Fide,* cap. 37, num. 217, ubi ita scribit: *Licet probe teneamus Catholicorum cum Haereticis Matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in Nobis est, a Catholica Ecclesia procul arcere intendamus.* Nec minus aperte sententiam suam declaravit piae memoriae Praedecessor pariter Noster Clemens Papa XI in Literis die XXV Iunii Anni MDCCVI datis, et editis in Collectione ipsius Brevium, et Epistolarum Romae vulgata An. MDCCXXIV, ubi pas. 321 sic legitur: *Maioris momenti esse existimamus, Ecclesiae Dei, Apostolicae Sedis, Praedecessorum Nostrorum, et Sacrorum Canonum, a Catholicorum cum Haereticis coniugio abhorrentium, regulas, nisi id totius Christianae reipublicae bonum exposcat, non transgredi,* et in aliis Literis datis die XXIII Iulii Anni MDCCVII in eadem Collectione relatis pag. 391: *Ecclesia siquidem ab huiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praeseferunt, abhorret.*

§ 3. Sed et Nostrum hac de re iudicium satis patere arbitramur ex Decretali Rescripto auctoritate Nostra edito, die IV Novembris Anni MDCCXLI, et impresso Tomo I, *Bullarii Nostri,* num. XXXIV, § 3,[1] cuius verba sunt,

[1] Pag. 87-89.

quae sequuntur: *Dolens in primis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Connubiis, quae Sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis, Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese Haereticis coniungant; Episcopos omnes, et Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles Ministros in iis partibus, Hollandiae videlicet, et Belgii, degentes, serio graviterque hortatur, et monet, ut Catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant;* et quae paulo post subiecta sunt, ubi de iam contracto Catholicae partis cum altera Haeretica connubio haec habentur: *Id vero debere sibi potissime in animum inducere Coniugem Catholicum, sive virum, sive foeminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Coniugem a vera Fide aberrantem, ad gremium Catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de caetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.*

§ 4. His autem veluti fundamentalibus Apostolicae Sedis regulis, eiusdem agendi ratio constanti usu recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contingit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi Matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur, sive praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter Contrahentes intercedat: neque licentia, neque dispensatio conceditur, nisi hac expressa lege, seu conditione adiecta, nimirum *abiurata prius Haeresi*. Quin etiam recolendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius Papa X ulterius progrediens, iussit, et cavit, ne Dispensationes huiusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset, Haereticam labem a contrahente Heterodoxo eiuratam fuisse; quod testatum reliquit laudatus Cardinalis Albitius Congregationis Universalis Inquisitionis tunc temporis Assessor, in supracitato Tractatu *de Inconstantia in Fide*, cap. 18, num. 44. Praefatus vero Praedecessor Clemens XI, in Congregatione Sancti Officii, coram se habita die XVI Iunii Anni MDCCX mandavit inhiberi per Literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias, aut dispensationes impertiretur pro Matrimoniis inter contrahentem Catholicum, et alterum Haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis reipsa praecessisset; Theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit, quemadmodum memoriae prodidit bonae memoriae Vincentius huius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Petra nuncupatus in suo Commentario ad Constitutionem XII Ioannis XXII, ipsius operis Tom. 4, pag. 76, num. 14.

§ 5. Quod si nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi Matrimonium, aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt, non adiecta conditione de abiuranda prius Haeresi, rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessiones fuisse, et

quidem plerasque earum pro Matrimoniis inter Supremos Principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente, factas fuisse, insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas, tum ne Coniux Catholicus ab Haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo Matrimonio procreanda, in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum Executoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter, et data opera officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat, in omnibus casibus, quibus facultates, aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro Matrimoniis a Catholico viro, aut Muliere, cum Haeretica Foemina, aut Viro contrahendis, eandem Apostolicam Sedem, ut supra diximus, huiusmodi Matrimonia, nisi Haeresis abiuratio praecedat, et semper improbasse, ac damnasse, et nunc quoque abominari, et detestari.

§ 6. Quoties vero Dispensationes ex aliqua probabili causa petuntur pro Matrimoniis, quae quidem inter Haereticos, seu cum altera parte Haeretica sunt contrahenda, sed id nequaquam in precibus palam exponitur; quum nequeant Apostolicae Sedis Ministri, atque Officiales hoc divinando rescire; ab obstruenda obloquentium, et calumniantium ora, hoc innuisse sufficeret, quod nulla conceditur dispensatio, quae alicui certo Executori directa non sit, cui nimirum in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat, et dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat. Cumque huic ignorare non liceat, Matrimonia Catholicorum cum Haereticis ab Apostolica Sede improbari, et damnari, facile vero cognoscere valeat, Haeresis vitium, quo contrahentium alter inficitur, et de quo nulla habetur mentio in Literis Dispensationis, eidem Apostolicae Sedi occultatum fuisse; ad eius officium pertinet huiusmodi Literarum exequutionem suspendere, eiusque suspensionis causam Romano Pontifici, eiusve Officialibus, ea, qua decet, reverentia per Literas aperire: quemadmodum Praedecessor quondam Noster Alexander Papa III, Ravennae Archiepiscopo faciendum praescripsit in suis Literis, quae ad perpetuum vigorem in Decretalium Codicem relatae sunt Cap. *Si quando, de Rescriptis;* ubi sic legitur: *Qualitatem negotii, pro quo Tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum Nostrum reverenter adimpleas, aut per Literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava Nobis fuerit insinuatione suggestum.*

§ 7. Verum non hic sistit Apostolicae Sedis, eiusque Officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quae pro removendo alicuius Matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad eiusmodi Regiones pertinere dignoscatur, in quibus Catholici cum Haereticis mixti habitant; nec aliunde certo constet utrumque postulantem, seu eorum alterum Catholicae Religionis professorem existere, praefati Officiales Pontificis mentem probe callentes, postulantem utrumque Catholicum esse semper praesumunt, ideoque eorum preces in Libello (*Supplicationem* appellant) Pontificis manu obsignando his verbis exponunt: *Cupiunt Oratores praefati, qui Orthodoxae Fidei cultores vere existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, vivereque et*

mori intendunt, etc., quibus consonant alia verba, quae in parte conditionali ad maiorem cautelam apponuntur, nimirum: *Et dummodo Oratores praefati Orthodoxae Fidei cultores vere existant, et sub obedientia S. R. E. vivant, vivereque et mori intendant.*

§ 8. Quibus praenotatis, iam id iure optimo quaerimus: quum Literae Dispensationum Matrimonialium eiusmodi verbis conceptae, eoque tenore expeditae fuerint; si postmodum innotescat contrahentes Haereticos esse, vel unum eorum Catholicum, alium vero Haereticum; et nihilominus dispensatio executioni mandetur, cuius erit culpa, et quisnam dispensationis in indignos profusae iure accusari poterit? An is, qui bona fide, et opportunis cautelis adhibitis, adiectisque legitimis conditionibus, illam concessit; an vero is, qui nulla conditionum huiusmodi ratione habita, aut nulla de contrahentibus disquisitione praemissa, dispensationem ipsam, contra Concedentis voluntatem, indebitum effectum habere permisit?

§ 9. At dicet aliquis, non omnes Dispensationum Literas istiusmodi clausulis munitas semper expediri; quum et in ipsum Poloniae Regnum, paucis abhinc annis, quaedam Dispensatio ab Urbe missa fuerit, quae nullam huius generis appositam conditionem praeseferebat. Huius facti speciem, quam Nos animo praesentem retinemus, non abs re erit hic explanare. Dispensatio erat super aetate, favore cuiusdam Puellae, quae sex mensibus minor erat duodennio, quod est in foeminis legitimum aetatis tempus ad Matrimonium ineundum. In eius autem concessione expositum fuit, quod *malitia ita supplebat aetatem, ut de iure Matrimonium contrahere posset.* Quapropter Declaratoria haec potius dicenda erat, quam Dispensatio; quum facultas contrahendi Matrimonium ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia suppleat aetatem, ab ipsa Legum et Canonum dispositione proveniat. Quin immo Episcopi ipsi, et Ordinarii Locorum iure suo pronunciare possunt super ea quaestione, quae facti est; an scilicet malitia, ut asseritur, aetatem suppleat; et consequenter Matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent; neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate; et *ne de contractus Matrimonii huiusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat;* ut habet formula, quae in concipiendis Literis Declaratoriis super minori aetate adhiberi consuevit. Siquidem Canonistae docent, cumulativum ius esse inter Apostolicam Sedem et Iudices Ordinarios, cognoscendi et pronunciandi de hac re, an scilicet malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis ius esse concedendi Dispensationem ad contrahendum Matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut Matrimonii contrahendi vim, et naturam intelligat. Etenim ad validitatem Matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de iure naturali, et Divino, ita actualis ad coniugalem copulam potentia requiritur de iure positivo Canonico. Romanus autem Pontifex est supra ius Canonicum; at quilibet Episcopus eo iure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit.

§ 10. Verum, omissa etiam quaestione hac, an licentia contrahendi Matrimonium ante legitimum aetatis tempus, quando malitia supplet aetatem, Dispensationis proprie dictae, an potius Declaratoriae vim habeat; adeoque utrum Gratiae, an Iustitiae actibus accenseri debeat; videndum praeterea est, an in Apostolicis Literis super hac re concessis, quamvis ea verba, eaeque conditiones minime legantur, quae in aliis Dispensationibus apponi solent, alia tamen adsint aequipollentia verba, quorum vigore huiusmodi Literarum Executor deputatus (ubi Contrahentium alterum, seu ambos, Haeresis labe infectos esse, neque id concedenti narratum in precibus, nec alia via eidem compertum fuisse, cognoverit) ab earum exequutione abstinere se debeat. De hoc autem dubitari non poterit, si advertatur, quod postquam huiusmodi Literis Executori demandatum fuit, ut *se de praemissis diligenter informet,* ac videat, *an vere, et legitime constet, in huiusmodi impubere malitiam supplere defectum aetatis;* eidem committitur, ut postulanti permittat, *dummodo nullum aliud ei obstet canonicum impedimentum, Matrimonium cum aliquo Viro nullo sibi iure prohibito, vel ex dispensatione Apostolica permisso, servata forma Concilii Tridentini, contrahere;* quibus sane verbis Executori ea lex indicitur, ut minime sinat huiusmodi impuberem, Dispensationis, seu Declaratoriae effectu gaudere, si exploratum habuerit, ipsi in animo esse detestabiles cum Haeretico nuptias contrahere.

§ 11. Iam vero longius processit oratio Nostra, quam Nobis huius Epistolae initio propositum fuerat. Cuius rei tamen Nos minime poenitet; Nobis enim summopere cordi est, maximeque interest Catholicae Religionis, et Sedis Apostolicae, ut factorum rerumque veritas non ignoretur; neque falsi rumores adversus Sacram Petri Cathedram disseminati fidem inveniant; si quae autem contra Sacros Canones ullibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

§ 12. Ut autem eo redeat Epistolae Nostrae finis, unde eadem initium desumpsit: Tibi, Venerabilis Frater, caeterisque istius Regni Ordinariis Praesulibus, iterum enixe commendamus, ut Apostolicas Dispensationum Literas, quae Vobis pro exequutione diriguntur, et diligenter ipsi expendatis, et a vestris respective Officialibus attente considerari iubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme, ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate, aut falsitate disquirere: multa enim malitia hominum est super terram, nec Nobis rescire datum est, usque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad aures Nostras pervenit, quemdam fuisse, qui sublato gradus impedimento, Haereticum Virum cum Muliere Catholica Matrimonio coniunxerit; cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitarit asserere, se hac in re Apostolicae Dispensationis, quam ab Urbe accepisset, auctoritate munitum fuisse; quum vero ad producendas huiusmodi Dispensationis Literas provocaretur, eas nunquam edere potuerit, quia eas reipsa nunquam acceperat. Verum Nos, de inclyta Polonorum Natione, quam Paternae charitatis affectu complectimur, deque sacris istius Regni Praesulibus, quos omnes et singulos magno in honore habemus, favorabilius iudicantes, improbum huiusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, Venerabilis Frater, Gregique Tibi commisso, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 413-417].

388.

Benedictus XIV, const. *Pastoralis curae*, 5 aug. 1748.

§ 1. Pastoralis curae Nobis impositae munus, hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione, et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare, aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri, et prompta affectione exhibere. Huiusmodi angoribus, et afflictionibus confici passim constat Religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus, et unicus Sacramenti Poenitentiae Minister a Monasterii Praelato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando, prae pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant, atque ideo Confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere coniiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quae in Episcopalis Anconitanae primum, deinde in Metropolitanae Bononiensis Ecclesiae regimine, frequenti usu cognovimus; tum denum ex his, quae saepius ad Nos in Petri Cathedra octavum iam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum huiusmodi Monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subiicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Dioecesibus existentium calamitates, ex praeallegata causa ortas, aut viva voce, aut per Literas non semel repraesentarunt, ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem opportune prospicere volentes; non quidem intendimus consultissimam illam, et veteris disciplinae auctoritate roboratam Legem tollere, aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universae earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis huiusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo, servari posse videatur, in promptu sit opportunae dispensationis, et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

§ 2. Sane iamdudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Ecclesiaeque Doctor, in *Supplemento tertiae Partis,* quaest. 8, art. 4, *ad sextum,* sive *in quartum Sententiarum,* ex quo Commentario desumptum est huiusmodi *Supplementum,* hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum, et unicum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti, propterea quod multi infirmi, et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine Sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. Iam vero Sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem districte sanxerunt, sess. 25, cap. 10, *de Regular.*, ut Episcopi, aliique Monasteriorum Praelati, subiectis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium, duabus aut tribus vicibus in singulos annos, exhibere debeant; per haec verba: *Praeter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa praescriptum , quam quia satis constabat nonnullas aliquando Moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario Confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit, alterius Confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit magnus Ecclesiae Dei Sacerdos Sanctus Carolus Borromaeus, qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum iuvit, eiusque executionem, et observantiam in sua Mediolanensi Civitate, et Provincia, non sine immensis laboribus et curis, invexit. Is enim hac de re decrevit: *Praeterea Superiores ex decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum Confessorem extraordinarium, Monialibus sibi subiectis exhibeant, cui curent, ut universae confiteantur, ut quae huiusmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animae morbum, neque ipsae eam postulare, aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo,* uti legere est *in Actis Ecclesiae Mediolanen., impress.* anno 1599, pag. 53, *in Editione autem Lugdunensi* tom. 1, pag. 46.

§ 3. Porro quicumque Conciliaris Decreti sensus penitius introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet, sed et circumspectam eiusdem aequitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo iniungitur, ut duabus, tribusve vicibus infra annum, Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant; *bis, aut ter in anno offeratur.* Huiusmodi autem Confessarius iubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium Confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus, et singulis Monialibus praecipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa, caeterisque Monialibus Professis, atque Novitiis, quam a Saecularibus, quae vel educationis causa, vel alio titulo, in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulae se sistant, sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si Moniales aliquae extraordinarium Confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspiciones, atque oblocutiones excitarentur; et illae quidem censerenter necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae vero

ab huiusmodi necessitatibus, et causis immunes iudicarentur. Quam agendi rationem Communi Doctorum calculo comprobatam, san. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa XI Edicto suo (quod est XV *in secunda parte ipsius Bullarii*) inviolabiliter servari mandavit, eandemque omnium Dioecesium consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, nisi ut Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis Claustralibus Monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eandem disciplinae formam observent, tam cum aliis Monialibus, quae licet Clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Coetibus, seu Conservatoriis, quoties tam illae, quam istae, unicum Ordinarium Poenitentiae Ministrum a Superioribus designatum habeant. Quaecumque enim circa Moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque Mulieribus, sive Regularibus, sive Saecularibus, in Communitate, aut Collegio degentibus, locum habere possunt; ideoque pari providentia, iisdemque remediis arceri, aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis, aut ter in anno singulis tam Monialium non Claustralium Communitatibus, quam piis aliarum Puellarum, et Mulierum Coetibus, et Communitatibus, in Nostra Civitate, et Dioecesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat Edictum Nostrum num. LVI inter Pastorales Institutiones Italico primum sermone a Nobis vulgatas, deindeque in Latinum conversas): omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse.

§ 4. Quum vero super relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullae quaestiones alias excitatae, eaedemque iam pridem per opportuna Sedis Apostolicae decreta definitae fuerint; operae pretium ducimus huiusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tenendas, atque servandas, his Nostris Apostolicis Literis complecti, et auctoritatis quoque Nostrae robore communitas, in praedictorum omnium notitiam deducere. Et primo quaesitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputare, atque offerre. Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto Nostro ratam habemus; huiusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii Ordinarii electio, et deputatio; ideoque Episcopus, sive Ordinarius Loci, qui Monialibus sibi subiectis Confessarium Ordinarium dare consuevit, idem Confessarium extraordinarium bis, aut ter in anno, ad normam Tridentinae sanctionis, eisdem offerre tenetur; Praelatus vero Regularis, ad quem pertinet Ordinarium Confessarium subditis sibi Monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare et constituere, ipse etiam eisdem extraordinarium Confessarium, in vim praefati decreti, et iuxta easdem Constitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere potest, ac debet. Quae tamen ideo *regulariter* obtinere diximus, quia si Episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo in hac re negligens esset, ut Monialibus suis, bis terve in anno, extraordinarii Confessarii copiam facere praetermitteret, obtendens, ut moris est, nulla hac de re Monialibus ipsis sollicitudinem, aut curam esse: tunc volumus Dilectum

Filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem modernum et pro tempore existentem Maiorem Poenitentiarium, statim ac pro parte Monialium huiusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris negligentiam supplere debere, eorumque Monasterio extraordinarium Confessarium ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confessiones ab ipso Ordinario Loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis et opportunis facultatibus, concedere, et deputare. Quod si Praelatus Regularis eandem Concilii legem de Confessore extraordinario bis aut ter in anno Monialibus sibi subiectis exhibendo, similiter implere neglexerit: tunc locus fiet Decreto Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem et exequutionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quaestionem ab Episcopo Vercellensi propositam *die 23 Augusti anni MDCXXXI* rescripsit, ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an deputatio Confessarii extraordinarii Monialium Regularibus subiectarum spectet ad Ordinarium Loci: Sacra Congregatio censuit, ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiae eorumdem Regularium,* ut videre licet *Decretorum* lib. XIV, pag. 493. Nec aliter respondit quaestionibus ab Episcopis Belgii exhibitis, *die 6 Aprilis anni MDCXLVII,* ut legitur *Decretor.* lib. XVIII, pag. 397. Quae quidem rescripta, et Decreta, Nos etiam praesentium tenore, et Apostolica auctoritate, in omnibus, et per omnia approbamus, et confirmamus.

§ 5. Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem Monialium Communitate, ut supra, decrevit, sed nihil de singulis Monialibus statuerit, ut patet legenti Textum citati Capitis X, utque etiam iam usque ab anno MDLXXV iudicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, per subsequens Rescriptum, quod extat *Decret.* lib. IV, pag. 90: *Sacra etc. censuit, extraordinarium Confessorem offerendum non alicui Moniali singulariter, sed omnibus Monialibus universe, ut omnium Confessiones audire debeat, in arbitrio tamen cuiusque Monialis esse, ut Confessario extraordinario velit confiteri.* Hinc ortum habuit alterum controversiae, seu dubitationis caput, an scilicet, ubi iam universae Communitati bis terve infra annum Confessarii extraordinarii copia facta est, et nihilominus aliqua Monialis Confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, inquam, huiusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quaesitum fuit, proposito casu Monialis graviter aegrotantis, quae in mortis periculo, pro spirituali consolatione postulet, alium Sacerdotem, qui tunc non sit Ordinarius Monasterii Confessor, suprema sibi Ecclesiasticae pietatis officia, et Poenitentiae Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse, praedicta Congregatio pluries iudicavit, ut videre est ipsius *Decretor.* lib. XVIII, pag. 322 a tergo, sub *die 6 Aprilis anni MDCXLVII,* et eodem libro, pag. 586, *die 22 Februarii anni MDCXLIX,* quae pariter Decreta a Nobis praesentium tenore approbantur, et confirmantur; ut scilicet Episcopi subiectis sibi Monialibus in gravi infirmitate constitutis, et id expetentibus, peculiarem Confessarium concedere debeant; iidemque etiam idipsum praestent erga Moniales Regularibus Praelatis subiectas, quum aliqua ex illis a suo Superiore Regulari huiusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de

Cardinali Maiore Poenitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis Monialibus idem facere, quod supra diximus eundem pro toto Monasterio facere posse; sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa praesumitur via recurrendi ad ipsius Officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus, et modus suppetat: ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universae Religiosae Communitati ab ipso consulendum esse.

§ 6. Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam Monialibus, quae nec corpore infirmae, nec morti proximae, Ordinario tamen Ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est, et sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, Confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum Confessiones peculiariter excipiat. Id vero, circa Moniales Episcopo, seu Ordinario Loci subiectas, ab ipso Ordinario praestari debet. Quod autem ad illas pertinet, quae Regularium regimini subsunt, ad Regularem Praelatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium; vel, si Sacerdos ille, cui eiusmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Confessione, et pro tot vicibus, quot expedire iudicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est), ut Regularis Superior ad concedendum huiusmodi Confessarium extraordinarium Moniali communem Confessarium recusanti nullo pacto adduci possit: iam huic casui provisum est per Decretum anno MDLXXIII a predicta Congregatione Concilii editum, et a fel. record. Gregorio Papa XIII tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum, et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostrae auctoritate roboramus. Decreti verba relata, lib. 1 *Decretorum ipsius Congregationis*, pag. 66 a tergo, haec sunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri Confessariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictae Moniali Confessorem alterius Ordinis Regularem, vel Saecularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur peccata sua, et a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum Caput decimum*[1] *ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere Confessarium alterius Ordinis, vel Saecularem.* Praeterea nihil obstat, quo minus ipsa Monialis recursum habeat ad Cardinalem Maiorem Poenitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem Confessarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

§ 7. Quaesitum denique fuit de Monialibus illis, quae neque aegrotant, neque recusant Ordinarium Poenitentiae Ministrum a Monasterii Praelato pro universa Communitate deputatum; verum pro maiori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones iam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum

[1] Conc. Trident., sess. XXV, *de regularibus.*

brevitate respondebant, quod quum Moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui universae communitati non semel eo anno iam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiae suae consuluisse: quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem Confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem obiicientibus, Monialem huiusmodi ad Apostolicae Poenitentiariae Officium facile recursum habituram, ibique haud aegre impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset; iterum constanter respondebant, extraordinarium huiusmodi Confessarium, post impletam ab ipsis erga universum Monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

§ 8. At vero, neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida isthaec agendi ratio. Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solum integrae Communitati, sed singulis etiam Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quae iuste et rationabiliter petuntur, maxime quum illae ad earum conscientiae quietem, et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane huiusmodi postulationes aut temere exaudiri, aut sine causa reiici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum Monialis, quae Confessarium extra ordinem petit, tum Confessarii, qui ab ea requiritur; ut utrisque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adversae suspicioni locum, ex altera vero Confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum huiusmodi Praelatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post Confessarium extraordinarium integrae Communitati, iuxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omnino Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cuius consilio, et opera iustis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille Animarum Rector S. Franciscus Salesius, cuius doctrinae summam ex illius Operibus tum editis, tum manuscriptis, collectam, bon. mem. Ioannes Petrus le Camus Episcopus Bellecensis iusto volumine complexus est, cui Titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii.* In huius compendio, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno MDCCXLV pro quarta vice Typis editum est, parte XVII, cap. 6, aperte legitur, quod, quum Beatus Episcopus non ita intelligeret praemissum Concilii Tridentini Decretum, ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno, Religiosae Communitati offerre; quae quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert Diana *in editione coordinata,* tom. 7, tract. 1, resol. 348, non solum solebat suis Monialibus Visitationis Beatae Mariae Virginis quater in anno, videlicet in singulis Hebdomadis Quatuor Temporum, Confessarium extraordinarium deputare; verum etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quae non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo praeberent. Nec aliter se gerere consuevit Venerab. mem. Grego-

rius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus. Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Ioannes Clericatus in *Tractatu de Poenitentia*, decis. 41, num. 7, et Patrum Tridentinorum decretum quoad omnia Monialium Monasteria in sua Civitate et Dioecesi existentia quotannis reipsa exequebatur, et nihilominus exorari se patiebatur a Monialibus, quae aliquando rationalibus de causis peculiarem pro se Confessarium expeterent. Huiusmodi regulis, et exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali Monialium regimine conformare curavimus; maximumque utilitatis, et quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites, atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum Rectores hortamur in Domino, et enixe monemus, ut eandem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, et non adeo difficiles se praebeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus; quin potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeant, earum iustis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem Maiorem Poenitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat. Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quae in Officio Poenitentiariae Apostolicae fiunt, ab omni vel minima pecuniae solutione inviolabiliter sint immunes, non omnibus tamen Monialibus facile est invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit, et possit.

§ 9. Iam vero postrema superest quaestio, nimirum de qualitatibus Confessarii extraordinarii, qui vel pro universa Monialium Communitate, vel pro aliqua Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in huiusmodi Sacerdote aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen requiratur; quas quidem dotes in eo, qui ad huiusmodi munus adhibetur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario Loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat, quum huiusmodi approbatio, ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino requiratur, non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Confessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subiectis, ab earum respective Superioribus deputantur; sed etiam in iis, qui a Cardinali Maiori Poenitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quae est xcv in tomo I Bullarii Nostri,[1] ubi paragrapho 54 eidem conceditur, ut vacante Sede, *Monialibus Confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e Clero Saeculari, an vero e Regulari eligendus sit huiusmodi Confessarius; tum inter Regulares, an assumi

[1] Const. *Pastor bonus*, 13 apr. 1744. - Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 319-330.

possit ex quolibet Ordine alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso Ordine Praelati Regularis, ad quem Monasterii regimen spectat.

§ 10. Sane pro Monialibus Episcopo immediate subiectis, regula est, ut Ordinarius earum Confessor sit Sacerdos Saecularis. Extraordinarium vero ex Ordinibus Regularibus saepissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat; deficiente forsan per singulas Dioeceses Saecularium Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Praelati Monialibus sibi subiectis Confessarium Ordinarium designant e suo ipsorum Ordine; extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt, iuxta Decretum a saepedicta Congregatione Concilii editum die 26 Septembris anni MDXCV, ac relatum in Libro 3 *Decretorum*, pag. 149, a tergo, ubi sic legitur: *Sacra etc. respondit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium eiusdem Ordinis, alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum Sacerdotem Saecularem, aut diversi Ordinis Regularem, vidimus a Regulari Praelato Monialibus sibi subiectis extraordinarium Confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiae Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio Confessarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini subiectis, nulla ipse lege tenetur ad huiusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cuius est Monasterii Praelatus; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum Presbyterum Saecularem, aut alterius Ordinis Regularem, ad audiendas earum Monialium Confessiones deputare.

§ 11. At quum superioribus annis Apostolicae Sedi expositum fuisset, pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut Monialium Monasteria Regularium regimini subiecta, semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e Saeculari Clero Presbyterum haberent, huius rei examen, iubente fel. record. Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII, assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in Minoribus constituti in Secretarii munere operam praestabamus; quaeque, per annum et ultra, singulis Hebdomadis cogebatur, ad discutienda, et definienda complura Ecclesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in Apostolicis Literis ab eodem Innocentio Praedecessore editis die XXIII Maii anni MDCCXXIII, quarum initium est: *Apostolici Ministerii*,[1] quae etiam a san. mem. Praedecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII in forma specifica confirmatae fuerunt, per alias similes Literas datas die XXIII Septembris anni MDCCXXIV.[2]

§ 12. Cum autem negotia, quae in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis Regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur; necessarium minime iudicatum fuit,

[1] Cf. N. 280.
[2] Cf. N. 283.

aliquem velut in iudicium vocare, ad deducenda iura, si quae sibi adversus illa, quae decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem Dissertationes, unicuique ex praefatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare; ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut praefertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Praelati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subiectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Saecularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis Locorum Ordinariis eorum defectum supplere, et emendare.

§ 13. Verum quum Regularibus innotuisset, a praedicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium; utpote qui minime adstringi volebant ad huiusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum e Clero Saeculari, vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas huiusmodi Decreto obstare putabant. Cumque id facile impetrassent, ac suam, totiusque Coetus Regularium causam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curassent; sed nihilominus praedicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset, placuit praefato Praedecessori Innocentio, antequam Decretum huiusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione, in praecedentibus Sessionibus per annum integrum negotia discusserant; aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla; Nobis etiam adesse iussis, qui rationum momenta a priori Congregatione prae oculis habita, si opus esset, exponere possemus; novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quaestio diligenter ac mature discussa fuit; ac demum ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio, et assensu super hac re decrevit, ut sequitur: *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat; si in posterum Superiores Regulares, quoad Monasteria ipsis subiecta, toties praedictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Saecularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi, pro suo arbitrio et conscientia, deputationem huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut praetextu, a Superioribus Regularibus valeat impediri.*

§ 14. Perscriptum sane fuit huiusmodi Decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam Regionibus Ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini. Verum ipsius Decreti vigor ad eas dumtaxat Regiones minime restrictus fuit; quum et animarum pericula, quae ex perpetua Confessorum eiusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium regimini subiectis locum habere possint; et quae-

cumque adversus Decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum Statutis, et ex Constitutionibus Monialium Regularibus subiectarum, fuerint desumpta. Cumque iudicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quo minus ita decerneretur; sequitur, ut, quamvis eidem Decreto causam dederint peculiarium quarundam Regionum necessitates Apostolicae Sedi eo tempore expositae, illud tamen generale sit, et universos per Orbem Regulares Monasteriorum Monialium Praelatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus Praedecessor Benedictus XIII, Innocentii Literas in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut huiusmodi Decretum universalis et inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus ne ulla apud aliquos supersit dubitatio: Nos ipsi, praesentium Literarum vigore, ac Motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ipsum relatum Innocentii Praedecessoris Decretum, statutum, mandatum, atque praeceptum, ad omnia per Orbem ubique existentia, et Regularium regimini subiecta Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes, et ampliantes, decernimus, atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Praelati teneantur bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan huiusmodi Confessarii extraordinarii deputationes intra praescripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint, ita ut praefatae Moniales semel saltem in anno Confessarium extraordinarium e Clero Saeculari, aut ex alio Ordine Regulari non habeant: ad Episcopos Dioecesanos, omni appellatione remota, devolvatur ius supplendi eorundem Praelatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse iudicaverint) per deputationem Confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut e Clero Saeculari, aut ex alio Regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, deligere possint, et valeant.

§ 15. Quocirca dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali, moderno Nostro, et pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe, eiusque Districtu Vicario in Spiritualibus Generali, earundem praesentium tenore committimus, et mandamus, ut haec nostra Decreta atque Statuta, tam in omnibus eiusdem Almae Urbis Monasteriis, quae Regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque Regularium, aut Saecularium Mulierum, aut Puellarum Domibus, seu Collegiis, atque Conservatoriis, quibus unicus ordinarius Confessor a Superioribus deputari solet, in omnibus et per omnia, iuxta earundem Literarum praescriptum, exactissime observari, et adimpleri faciat; ne forte audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romae quidem ferri, et publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

§ 16. Eandem porro curam, et sollicitudinem iniungimus, et demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis per omnes universi Orbis Ecclesias constitutis; quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostrae studium, tam in eorum rationabilibus querelis, iustisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas

irrepsisse indicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges et regulas, vigili Praedecessorum nostrorum providentia iampridem constitutas, in pristinum debitumque vigorem, et usum revocando: ita eosdem neminisse volumus, proprium zeli Pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quae contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament; sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem iam praestitutis, implorato etiam Apostolicae Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, et legum executioni, afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

§ 17. Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI Edicto, quam in Synodalibus plurium Episcoporum Constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius Confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus praesumat per id temporis alicuius Monialis, sive Superiorissae, sive Novitiae, sive Conversae, neque demum alterius cuiuscumque Personae intra septa Monasterii, aut Piae Domus commorantis, Sacramentalem Confessionem audire; Nos id quoque approbatione nostra roborantes et confirmantes, statuimus et mandamus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis, aut Domibus eorum regimini subiectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad illas Communitates attinet, quibus ipsi praesunt, pro huiusmodi Legis implemento advigilent, et contravenientes meritis poenis coerceant, et afficiant.

§ 18. Ac demum quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui personae in Monasterio degenti concessi, ac deputati fuerint, districte inhibemus, sub poenis adversus accedentes ad Monasteria Monialium, et cum ipsis conversantes, praesertim Regulares, a Praedecessoribus Nostris quandocumque statutis (quas etiam praesentium vigore confirmamus, et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae, aut necessitatis obtentu et colore, audeant, aut praesumant.

§ 19. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 471-481].

389.

Benedictus XIV, ep. *Ad tuas*, 8 aug. 1748.[1]

§ 1. Ad tuas manus pervenisse speramus Epistolam nostram Encyclicam datam die 29 superioris mensis Iunii, de Dispensationibus, quas pro contrahendo Matrimonio intra gradus iure prohibitos haereticis Coniugibus con-

[1] Ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae.

cessisse, Apostolicae Sedis Ministri falso insimulabantur.[1] Attamen hanc aliam rursus ad te mittere cogimur; cum enim res, unde falsus ille rumor exortus est, in apertum educta sit, eamque omnibus notam fieri oporteat, ex Nostris ad eam animadversionibus alii proficere, meliusque in posterum, quae agenda sunt, constituere poterunt.

§ 2. Episcopus quidam istius Poloniae Regni duobus Lutheranis Coniugibus, qui in secundo affinitatis gradu inter se coniuncti erant, contrahendi matrimonii facultatem dedit. Rogatus, quo iure id fecisset, an uti executor alicuius dispensationis, quae concessa fuisset vel a Nostra Dataria, vel Poenitentiaria, vel a Sanctae Inquisitionis Officio; namque hae viae sunt, quibus huiusmodi dispensationes a Sede Apostolica expediri consueverunt; nullas se accepisse ingenue fassus est; sed fecisse ea generali potestate respondit, quam sibi, ut Episcopo in remotis degenti, Sedes Apostolica elargita est; factumque suum excusavit more recepto suae Dioecesis, et Praedecessorum suorum consuetudine. Addidit etiam, ad id faciendum adductum fuisse spe, quam ipsi dederunt Coniuges, quamprimum ad Fidem Catholicam se conversuros; quod si intra debitum tempus minime adimplerent, se vi eos adigendi, cohabitatione prohibita, potestatem habere.

§ 3. Ut ab huiusmodi narrationis serie minime discedamus, in primis id compertum est, e nostris Tribunalibus dispensationem super impedimento affinitatis pro contrahendo matrimonio inter duos haereticos neutiquam emanasse. Episcopus est, qui concessit; affirmatque, fecisse vi generalis cuiusdam facultatis, quam Sedes Apostolica impertiri consuevit Episcopis, qui extra Europam, vel in remotis Europae partibus constituti sunt.

§ 4. At quid dicendum esset, si facultas, de qua agitur, dispensandi in secundo gradu, non comprehenderet matrimonia inter haereticos contrahenda? Et quidem res ita se habet; etenim facultates, quae dantur Europae Episcopis, qui in dominio Catholicorum Principum positi sunt, in haec verba conceptae sunt: *Dispensandi in tertio, et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus, in contrahendis; in contractis vero, cum haereticis conversis, etiam in secundo simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

§ 5. Praetereundum ducimus, in dispensatione, de qua agimus, et quae ab Episcopo concessa, et a Nobis lecta est, nullibi ab ipso expressum fuisse, quod dispensationem impertiebatur ex vi Apostolicae facultatis; hac enim declaratione omissa, actus nullus ac irritus efficitur; ut earumdem facultatum formula aperte statuitur: *et in dispensationibus huiusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae Delegato: ad quem effectum etiam tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint.* Sed id solum sciscitabimur, ubinam contineatur facultas dispensandi in secundo gradu? Certe Nobis respondebitur, in verbis illis paulo ante laudatis: *etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum.* Nos statim reponemus, ante ea verba haec alia occurrere: *In contractis vero, cum haereticis conversis, etc.*

[1] Cf. N. 387.

Et ideo, cum facultates limitatae sint ad Matrimonia contracta, non autem contrahenda; ad haereticos conversos, non autem ad eos, qui se convertendi spem faciunt: sane unusquisque facili negotio, ictuque, uti dicitur, oculi, dignoscere poterit facultatis abusum in concessione dispensationis, quae, ut diximus, in causa fuit, cur sinister rumor, et popularis obtrectatio adversus Apostolicae Sedis Ministros suscitaretur.

§ 6. Degunt quibusdam in locis istarum Regionum Catholici cum Haereticis mixti; palam inter se Matrimonia contrahunt; et nemo est, qui contrahentes corripiat, et puniat, aut illis adversetur. Hoc autem posito, qui fieri potest, ut hinc colligatur dispensationis concessio super aliquo impedimento in huiusmodi Matrimoniis inter Catholicum, et Haereticum, et multo magis inter duos Haereticos, ut in specie, de qua agitur, contigit? Tolerat quidem in aliquibus locis Apostolica Sedes Matrimonia inter Catholicum, et Haereticam, vel Haereticum, et Catholicam, cum nequeat impedire; et Ecclesiastica quadam prudentia, ne maiora mala enascantur, dissimulat, ac tacet. At, quod Apostolicae Sedis auctoritate gratiosa in hisce Matrimoniis dispensatio super gradu, aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest, nisi praecedat haeresis abiuratio, iuxta eiusdem Sedis Apostolicae disciplinam a Nobis in praecedenti Epistola expositam, et iuxta recensita concessae facultatis verba.

§ 7. Sed respondetur: ab anterioribus Episcopis, qui easdem facultates iisdem verbis conscriptas habebant, quibus conceptae sunt illae, de quibus quaestio est, id peractum fuisse. Nos ignoramus, quid egerint Episcopi Praedecessores; id solum Nobis compertum est, quod, si dispensaverunt in Matrimonio non contracto, sed contrahendo, in Matrimonio inter duos adhuc in haeresi permanentes: perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt, quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus, veluti ex fonte, omnis delegata auctoritas dimanat.

§ 8. At Nobis reponitur: quidquid factum est, ideo factum, quia Coniuges suam conversionem polliciti sunt. Id autem, an verum sit, paulo post videbimus. Interea ponatur, revera Coniuges id promisisse: quaeritur, cum facultas a Sede Apostolica concessa praescribat, ut dispensetur in secundo gradu cum Haereticis iam conversis, quomodo Episcopus arbitratus sit, ea se uti posse in dispensando non cum haereticis iam conversis, sed cum iis, qui solummodo conversionem promiserant? cumque Sedes Apostolica huiusmodi dispensationes, nisi conversione iam facta, ut late in Nostra prima Epistola Encyclica demonstratum est, concedere non soleat; quaeritur iterum, quomodo eius Delegatus in tantum ausum devenerit, ut cum iis, qui nudam promissionem se convertendi fecerant, dispensare non dubitaverit?

§ 9. Additur demum: si fidei datae Coniuges haeretici defuerint, acriter punientur, eisque simul habitare interdicetur. Nos minime latet, discrimen, quod inter infidelem, et haereticum intercedit: primum quidem ad amplectendam Fidem Catholicam, ad quam se per Baptismum minime obligavit, cogi non posse: e diverso haereticum, qui iam Baptismum suscepit. At vero Nobis ignotum est, an usu et consuetudine receptum sit, ut haeretici ad Catholicam veritatem profitendam constringi possint in iis regionibus, in

quibus a Principibus permissum est, ut commixti cum Catholicis vivant, eademque iuris aequabilitate, et civili consuetudine fruantur. Sed, quidquid de hoc sit, illud necessarium esset ostendere, quibus argumentis ac probationibus haereticorum Coniugum promissio demonstretur. In dispensatione enim haec verba leguntur: *ob spem, quod ad Fidem Orthodoxam convertentur.* Spes autem a promissione omnino diversa, et distincta est. Si quando autem de separatione, ob frustratam spem a Coniugibus datam, agi vellet; cum res sit de Matrimonio contracto, non inter unum Haereticum, et alterum Catholicum, absque alio impedimento, quam illo Religionis; sed de Matrimonio inito inter duos haereticos in secundo affinitatis gradu coniunctos; locus non esset separationi tantum *quoad thorum,* sed etiam alteri *quoad vinculum;* quae iniungenda esset a Dispensante, publica protestatione emissa, se nullo iure, atque auctoritate dispensasse, ac proinde dispensationem irritam ac nullam fuisse.

§ 10. In priori Epistola nostra Encyclica scripta die 29 Iunii admonuimus, ut ii, quibus executio dispensationum Matrimonialium, quae in Urbe conceduntur, committitur, eas attente legant, et bene ac diligenter perpendant. Nunc autem eadem repetimus, et insuper addimus, ut legantur, et considerentur etiam facultates, quae a Sede Apostolica conceduntur, priusquam aliquis illis utatur; cum minime deceat, ut aliorum culpa vel Sedi Apostolicae, vel eius Ministris vitio vertatur, et quod ab aliis peccatum est, crimini eis detur. Interea autem Tibi, Venerabilis Frater, et Christiano Gregi tuae curae commisso, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 491-493].

390.

Benedictus XIV, const. *Rerum Ecclesiasticarum,* 12 aug. 1748.

Rerum Ecclesiasticarum origines quo altius ex sacrae antiquitatis memoria repetimus, eo magis illas et solidis fundamentis innixas, et sublimi non minus, quam vetusta institutione venerabiles, ipsaque disciplina, et ritu graves ac religiosas, agnoscere et comprobare gaudemus. Ita porro de sacris Palliis, quae a Romano Pontifice, Patriarchis, et Archiepiscopis concedi, ipsisque in Curia praesentibus tradi, absentibus autem transmitti consueverunt, a primis usque Ecclesiae saeculis complura extant certissima monumenta; nec dubium est, quin eorum traditioni, sive transmissioni, solemnis semper praemissa fuerit benedictio. Quia tamen huiusmodi Benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum subiisse dignoscitur; Officii Nostri esse iudicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus observandam constituere, ac praesentium Literarum auctoritate firmare.

Inter speciales praerogativas Basilicae Sancti Petri in Vaticano, quarum meminit Petrus Mallius eiusdem Basilicae Canonicus tempore Alexandri III, haec recensetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia,* quae a Romano Pon-

tifice, Patriarchis, et Archiepiscopis mittuntur. Maphaeus autem Vegius alter Sancti Petri Canonicus sub Praedecessore Nostro Martino V, Lib. 2 Rerum memorabilium Basilicae Sancti Petri, piam supplicationem describit, quae ab ipsius Basilicae Clero, cum cantu Psalmorum Poenitentialium, Litaniarum, aliarumque precum fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur; atque addit, nocturnas vigilias ea occasione ita celebrari consuevisse, quemadmodum in pervigilio Festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. De huiusmodi Vigiliis similiter mentio est in Libris Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae, qui tribuuntur Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi, a quo videlicet Praedecessori quondam Nostro Leoni Papae X oblati fuerunt; ubi etiam lib. 1, sect. 10, cap. 5, dicitur, quod ipsa Pallia demittebantur in sacram Beati Petri Confessionem, ut supra illius Corpus consisterent: *Per Canonicos Basilicae ponuntur super Corpora Petri, et Pauli Apostolorum sub Altari Maiore, ubi factis de more Vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant.* Erat quippe in anteriori fronte Altaris dictae Confessionis parva quaedam veluti fenestra, et in huius solo intra ipsius Altaris molem foramen erat, Aeneae Arcae ad perpendiculum respondens, in qua Sacrum Apostolorum Principis Corpus requiescit; ut latius legere est in descriptione veteris situs, et formae eiusdem Confessionis, quam Michaël Lunigus Praedecessori Nostro Urbano Papae VIII dicavit, quaeque tam seorsim, quam cum aliis Operibus Typis edita pluries fuit.

Verum quum mutata deinceps fuerit Arae Maioris forma, nocturnarum autem Vigiliarum disciplina magna ex parte in desuetudinem abierit; annuentibus Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, inductum fuit, ut praedictae Basilicae Archipresbyteri Vicarius in Episcopali Ordine constitutus, vel alius Episcopus eiusdem Basilicae Canonicus, qui Matutinis Officiis in Festo Sanctorum Petri et Pauli in Pontificalibus assisteret, idem Benedictionem Palliorum faceret, cuius ritus talis erat.

Pallia, quae benedicenda erant, auratae Pelvi imposita, ab ipsius Vaticanae Basilicae Canonico Altarista nuncupato comitantibus duodecim eiusdem Basilicae Beneficiatis, ad Confessionem Beati Petri deferebantur, ibique locabantur super Mensam stragula pretiosa coopertam, inter duo Candelabra accensis cereis subiecta. Episcopus vero, qui Matutinis Officiis, ut praefertur, adstiterat, post decantatas Laudes, Pontificalibus adhuc indutus, una cum assistentibus Ministris paratis, et Clero Basilicae, ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat, ac demum solemnes Benedictionis preces super illa recitabat: Pallia vero sic benedicta, per totam Festivitatis Octavam, supra Corpus Apostoli requiescebant, expleta autem Octava, a Sacrarii Curatoribus removebantur, et inclusa Capsulae Holoserico coccineo coopertae, recondebantur in Oratorio Secretarii, in quo Sanctorum Reliquiae asservantur; Clavis autem Capsulae tradebatur primario Pontificis Caeremoniarum Magistro.

Ritum hunc, qui ad proximos usque annos viguit, Nos ipsi semper observari vidimus, quo tempore in minoribus constituti, praedictae Vaticanae Basilicae Canonicatum tenuimus; nisi quod anno Iubilaei millesimo septingentesimo vigesimo quinto, die XXII Februarii, in Festo Cathedrae Sancti

Petri Antiochiae, fel. rec. Praedecessor Noster, ac Dignitatis Nostrae amplificator, Benedictus Papa XIII huiusmodi Pallia per se ipsum benedicere maluit. Cuius Nos exemplo excitati, eiusque praeclara vestigia libenter sectantes, duobus proxime elapsis annis, in pervigilio Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Vespertinis Officiis in ipsa Basilica Vaticana de more persolutis, huiusmodi Pallia benediximus, certo ordine ac ritu, quem in posterum quoque servare decrevimus, atque etiam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, seu respective ab eo S. R. E. Cardinali, qui forsan, absente Pontifice, Vesperarum solemnitati in Pontificalibus adstiterit, observari, et adhiberi, praesentium Literarum mansuro tenore statuimus.

Primum itaque volumus et mandamus, ut singulis annis Palliorum numerus sufficiens pro Ecclesiarum opportunitate, in Vigilia Apostolorum de mane, a praedictae Basilicae Canonico Altarista, cum consueto comitatu, ad Confessionem Beati Petri deferatur, ibique decenter, ut supra diximus, collocetur; ipsaque Pallia post Vesperas eiusdem diei in ipsa Basilica ritu maximo celebratas, a Summo Pontifice, si praesens fuerit, sin minus ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicantur. Sicut enim ipsius Romani Pontificis, vel saltem illius personam, et vices gerentis, maxime propriam, ita huic potissimum diei merito adscribendam censemus huiusmodi Benedictionem; tum quia Sacrum Pallium, *in quo* (ut Innocentii Papae III Praedecessoris Nostri verbis utamur) *Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur*, speciale munus est, quod a solo Romano Pontifice Beati Petri Successore conceditur; tum quia eo die conspicuus universi Collegii S. R. E. Cardinalium, aliorumque ipsius Ecclesiae Romanae Procerum consessus, ac frequentissimi Populi concursus, huiusmodi functionis splendorem, et maiestatem magnopere augebit.

Expletis itaque Vesperis, descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, Sacris Subdiaconalibus vestibus indutus; praecedentibus duobus servientibus armorum, Mazzeriis Papae nuncupatis; comitantibus hinc et inde duobus aliis Auditoribus Collegis, cum supparo, et superpelliceo; et subsequentibus Pontificiae Consistorialis Aulae Advocatis; atque is praeparata Pallia coram Pontifice, aut Cardinale Pontificalia exercente, afferat, et sistat. Decet enim huiusmodi munus iniungi praefatis Auditoribus, in Subdiaconorum Ordine Pontifici ministrantibus, quorum videlicet Collegii Decano singulis annis traduntur Agni, ex quorum velleribus contexenda sunt Sacra Pallia; nec minus convenit, Consistorialis Aulae Advocatos adesse, ad quos singulari privilegio pertinet pro Pallii concessione apud Pontificem in Consistorio residentem perorare.

Ipse autem Pontifex, seu illius vice, ut praefertur, Cardinalis ille, qui Officio in Pontificalibus adstiterit, Pallia praedicta more solito adsperget aqua benedicta, tum incenso adolebit, deindeque pronunciabit super ea preces, et Benedictiones, iuxta formulam inferius statuendam.

Peracta demum Benedictione, eadem sacrata Pallia includantur arculae argenteae auro obductae, quam semper in ipsa Confessione Beati Petri Apostoli, et prope sacrum illius Corpus in loco ad id designato asservari mandamus; quamque ad hunc effectum, exquisito caelaturae opere, nostro sumptu

conflatam, nuper eidem Beatissimo Apostolorum Principi reverenter obtulimus, ipsum enixe orantes, ut de negligentiis, et offensionibus nostris, quascumque in ipsius Basilicae servitio admisimus, dum inter illius Canonicos accensebamur, indulgentiam et veniam Nobis ab Omnipotenti Deo dignanter imploret. Volumus autem, ut huiusmodi arculae cura, et custodia spectet ad ipsius Basilicae Canonicum Altaristam pro tempore existentem; illius vero Clavis a primario Pontificiarum Caeremoniarum Magistro retineatur.

Denique attendentes, quo ritu huiusmodi Pallia a Cardinali S. R. E. Diaconorum Priore absentium Patriarcharum, seu Archiepiscoporum Procuratoribus traduntur, animadvertimus ipsos Procuratores iuramentum praestantes iuxta antiquam formulam, quae ipsis exhibetur, plura promittere, quae nec omnino his temporibus integre adimpleri, nec sine periurii crimine negligi posse videntur. Quapropter volumus, et statuimus, ut huiusmodi iuramentum deinceps a Procuratoribus praedictis alia forma praestetur, inferius pariter inserenda praesentibus Literis. Quas quidem, cum omnibus in iisdem statutis, atque praescriptis, semper et perpetuo validas, et efficaces existere et fore, et ab omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, plenissime observari decernimus. Non obstantibus, si quae sunt in contrarium, Apostolicis Ordinationibus, et Constitutionibus, nec non Cappellae Pontificiae, et ipsius Vaticanae Basilicae, etiam Apostolica auctoritate approbatis, et confirmatis ritibus, formulis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; quibus omnibus, et singulis, quatenus opus sit, Motu proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, pro praemissorum perpetua executione, derogamus, ac derogatum censeri volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Formula igitur Precum ad benedicenda Pallia in vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, talis est. Post Vesperas, Pontifex, seu Cardinalis, qui illius vice in Pontificalibus Officio adstiterit, ipsa Pallia ter aspergit aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges me, etc.*, ac ter Incenso adolet; deinde dicit:

℣. *Adiutorium nostrum in Nomine Domini.*
℟. *Qui fecit caelum, et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, Pastor aeterne Animarum, qui eas Ovium nomine designatas, per Iesum Christum Filium tuum, Beato Petro Apostolo, eiusque Successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis sacrarum Vestium symbolis Pastoralis curae documenta significari voluisti; effunde per ministerium nostrum super haec Pallia de Beatorum Apostolorum Principum Altari sumpta, copiosam Benedictionis ✠ et sanctificationis ✠ tuae gratiam, ut quam mystice repraesentant Pastoralis officii plenitudinem, atque excellentiam, pleno quoque o, erentur effectu. Humilitatis nostrae preces benignus excipe, atque eorundem Apostolorum meritis, et suffragiis concede, ut quicumque ea, te largiente, gestaverit, intelligat se Ovium tuarum Pastorem, atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni magnique illius imitator Pastoris, qui errantem Ovem humeris suis impositam caeteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit eius exemplo in custodia Gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua Ovis in morsus incidat, fraudesque Luporum. Sit disciplinae zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue, et forte custodiens. Videat humeris suis impositam Crucem, quam Filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit, sitque illi crucifixus Mundus, et ipse Mundo. Tollat iniectum collo suo Evangelicum iugum, sitque ei ita leve ac suave, ut in via mandatorum tuorum caeteris exemplo, et observatione praecurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis, et cum Apostolica Sede communionis perfectae tessera, sit charitatis vinculum, sit Divinae haereditatis funiculus, sit aeternae securitatis pignus, ut in die adventus, et revelationis Magni Dei, Pastorumque Principis Iesu Christi, cum Ovibus sibi creditis stola potiatur immortalitatis, et gloriae. Per eundem, etc.

Formula autem iuramenti, quod Procuratores absentium Archiepiscoporum, aliorumque, quibus Pallium a Romano Pontifice concessum fuerit, praestare debent in manibus Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsis ferendum, seu transmittendum suscipiunt, talis est:

Ego, N. Procurator, et procuratorio nomine, et pro parte Reverendissimi in Christo Patris, et Domini N. electi Ecclesiae N., instanter, instantius, et instantissime peto mihi tradi, et assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, et promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Reverendissimo Patri Domino N. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Nulli ergo, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 494-497].

391.

Benedictus XIV, const. *Quod expensis*, 26 aug. 1748.

§ 1. Quod expensis omnium rationum momentis, et gravissimis suffragiis virorum dignitate, pietate, ac sapientia insignium concurrentibus, alias a Nobis decretum est, id, ut sollemnioribus Apostolicae auctoritatis Nostrae documentis confirmatum, quemadmodum est hoc in more positum, laudabilique Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum instituto commendatum, maiori cum observantia debitae executioni mandetur: novo Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris sequentis: Benedictus Papa XIV. Cum Nobis Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus VI Hispaniarum Rex Catholicus enixam piamque petitionem exhiberi fecisset, ut quae disciplina viget in suo Aragoniae Regno (cuius appellatione tum ipsa Aragonia, tum etiam Valentiae, Cataloniae, et Maioricae Ditiones comprehenduntur), ut scilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos Saecularis duas, Regularis autem tres Missas celebrare possit, eadem ad

caetera quoque Regna, et Dominia eidem Ferdinando Regi subiecta auctoritate nostra extenderetur; cumque eodem fere tempore Carissimus quoque in Christo Filius noster Iohannes V Portugalliae, et Algarbiorum Rex illustris similem instantiam apud Nos promoveri fecisset, ut nempe in omnibus Regnis, atque Dominiis sibi subiectis, cuilibet Sacerdoti tam Saeculari, quam Regulari, facultas per Nos fieret tres Missas praefato die celebrandi: Nos quidem huiusmodi petitionum gravitatem pensantes, ac memores similium postulationum, quae aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris parum felici exitu exhibitae fuerunt, necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subiicere. Quamvis minime hospites in ea Nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momenta, pro Officio, quod tunc gerebamus, Secretarii Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini executioni, et interpretationi praepositae, diligenter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro Opere *De festis Domini,* part. 1, pag. 247, item in Tractatu *De Sacrificio Missae,* sect. 2, pag. 169, iuxta editionem Patavinam, et in una ex Institutionibus Pastoralibus pro nostro Bononiensi Clero, Populoque editis, quae est XXXVI, in Latina versione Romae impressa, pag. 185 et 186, ac demum in nostris literis ad Episcopum Oscensem datis die 16 Martii anni 1746, quae iam seorsim typis vulgatae, in Bullarii nostri tomo II propediem edendo locum habebunt. [1]

§ 2. Sane quum Nos in minoribus constituti, praefatae Congregationi Concilii, ut supra diximus, a Secretis essemus, oblatusque fuisset supplex Libellus, in quo ex parte clar. mem. Philippi V Hispaniarum Regis idipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipsius filio iterum petitur, Officii nostri esse putavimus, instantiam huiusmodi maiori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas postulabat, Congregationi repraesentare. Idcirco peculiaris Dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quae inserta est in consueto folio Relationis Causarum, quod a Secretario confici, et singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum Dissertatione rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus, neque omisimus originem investigare illius disciplinae, quam diximus in Aragoniae Regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quae alias ad huiusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quae olim pro Portugalliae Regnis facta fuerat Praedecessori Nostro Clementi Papae IX, ut trinas liceret Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quondam Rege Philippo IV, pro omnibus tam Saecularibus, quam Regularibus Regnorum suorum Sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur; ideoque plura rationum, factorumve monumenta, pro huiusmodi concessione impetranda, collecta tunc fuisse constaret; Nobis datum non fuerat huiusmodi Collectiones ad causam maxime opportunas reperire, ut videre est in folio pro Congregatione

[1] Cf N. 365.

diei 11 Maii 1722 a Nobis conscripto, quod nunc in Thesauro Resolutionum praefatae Congregationis Concilii, tom. II, pag. 169 et seq., impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi praedicta die habitae interfuisset, meminimus ipsum de nostra Dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam devenisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV adornatas inspicere, ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum prodiit: *Non proposita:* eoque Rescripto factum est, ut instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino, et perpetuo reiecta, quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum, atque factorum examini, si quae aliquando ad ipsam petitionem magis iuvandam deducerentur.

§ 3. Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica Sede, inscrutabili Dei iudicio, collocatos praefatae petitiones iamdudum desertae, instantibus praefatis Carissimis in Christo filiis nostris, delatae fuerint; omnia, quae ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quaeque olim desiderata sunt, in lucem proferri. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii huius examen deputavimus; in qua adscriptos voluimus Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Xaverium Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem Gentili nuncupatum, praedictae Congregationis Concilii Praefectum, Dilectosque Filios Nostros eiusdem S. R. E. Cardinales Presbyteros, Sylvium Valenti Congregationis de Propaganda Fide Praefectum, Carolum Albertum Cavalchini Praefectum item Congregationis super negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium, Fortunatum Tamburrini Praefectum Congregationis Sacrorum Rituum, et Ioachimum Besozzi Maiorem Poenitentiarium; ac praeterea Venerabilem Fratrem Sylvestrum Merani Episcopum Porphyriensem Apostolici Sacrarii Praefectum, quem peculiaris huiusce Congregationis Secretarium declaravimus; ac Dilectos Filios, Magistrum Ludovicum Valenti in utraque Signatura nostra Referendarium, Protonotarium Apostolicum, et Fidei Promotorem, Fratrem Michaelem a Sancto Ioseph Priorem Generalem Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, Caelestinum Orlandi Procuratorem Generalem Congregationis Monachorum Coelestinorum, Ioannem Andream Onofrii Ordinis Eremitani S. Augustini Procuratorem Generalem, Thomam Sergium Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, Sanctae Inquisitionis Consultorem, et Praefectum Studiorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, Fratrem Ioachimum Pucci Ordinis Praedicatorum Magistrum, Episcoporum, et Cleri Romani Examinatorem; Dominicum Turanum Societatis Iesu Presbyterum, Apostolicae Poenitentiariae Consultorem Theologum, et Aegidium Giuli eiusdem Societatis Presbyterum, alterum Examinatorem Episcoporum, et Sacrorum Canonum Professorem in Collegio Germanico-Hungarico ad Sanctum Apollinarem. His omnibus, et singulis exhiberi mandavimus quaecumque ad causam pertinebant, eaque potissimum, quae nuper reperta sunt, sed in praecedentibus propositionibus exhibita non fuerant; quae omnia iusto volumine comprehensa typis edita sunt Romae hoc anno MDCCXLVIII, dato-

que aliquot Mensium spatio, quo res accurate perpenderetur, iussimus, ut singuli sententiam suam scripto traditam, ac sigillo obsignatam ad Nos transmitterent: quae omnia diligentissime sunt peracta.

§ 4. Denique Nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum, privataque studia nostra eorum studiis adiunximus; et inspectis, libratisque tum novis documentis, tum ipsorum Consultorum suffragiis (ex quibus, quum quatuordecim numero fuerint, duo dumtaxat petitionem reiiciendam esse, reliqui vero duodecim Indultum concedi posse censuerunt) omnibus rite, ac mature pensatis, invocato etiam Divini Luminis adiutorio, piis ac religiosis precibus dictorum Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Ferdinandi VI Hispaniarum Catholici, et Iohannis V Portugalliae, et Algarbiorum Regum Illustrium libenter annuentes, omnibus, et singulis in eorum Regnis, atque Dominiis actu commorantibus, tam Saecularibus, quam Regularibus Sacerdotibus nunc existentibus, ac pro tempore futuris, quamdiu in praedictis Regnis, atque Dominiis moram traxerint, et non alias, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam concedimus, et impertimur, ut singulis annis die secunda Novembris, seu die sequenti, iuxta Rubricas Missalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Ecclesia Universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint, et valeant, contrariis quibuscumque Constitutionibus, litteris, regulis, ritibus, et consuetudinibus minime obstantibus.

§ 5. Novimus sane, inter Scriptores rerum moralium non satis convenire, an Sacerdotibus celebrantibus Missam pro Defunctis iuxta praedictas Rubricas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, liceat huiusmodi Missae fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero pro omnibus omnino Defunctis Fidelibus illum applicare teneantur. Utcumque autem se res habeat de hac controversia, Nos eos quidem, quibus in Aragoniae Regno licitum erat ante hoc nostrum Indultum duas, vel tres respective Missas praedicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Christo quiescentibus applicent. His vero, qui in posterum huius Indulti vi, aut tertiam in eodem Regno Missam, aut secundam et tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi sunt, districte iubemus, atque praecipimus, ut earum fructum medium, non quidem alicui peculiari defuncto, sed in suffragium omnium Fidelium Defunctorum omnino applicent; expresse declarantes hanc esse nostram mentem, et voluntatem, neque Nos alias, absque huiusmodi lege et conditione, hoc ipsum Indultum unquam concessuros fuisse.

§ 6. Scimus etiam, antiquis iustisque titulis innixum esse usum, quo solent Presbyteri Eleemosynam accipere pro celebrandis, sive pro applicandis Missis iuxta offerentium mentem; qua de re late disseruimus in nostra *Institutione Ecclesiastica LVI,* fusius autem in opere nuperrime vulgato *De Synodo Dioecesana,* lib. V, cap. 8 et 9. An vero quum retroactis temporibus in Regno Aragoniae duae Missae a Sacerdotibus Saecularibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, seu respective triplex Eleemosyna accipe-

retur, id ignoramus; sed facile credimus id usitatum fuisse, quum ubique fere receptum sit, ut in sollemnitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniae Regno duas, vel tres respective Missas praedicta die celebrantes, duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus. Iis vero, qui imposterum in eodem Regno tertiam Missam vigore praesentis Indulti celebrabunt, iustis de causis, ac sub poenis inferius dicendis districte prohibemus, ne pro ipsa Missa ullam Eleemosynam accipere praesumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehensis, secundam, tertiamque Missam celebrabunt, simili ratione, ac sub iisdem poenis praecipimus, atque iubemus, ut non nisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea tantum quantitate, quae a Synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Decernentes nullam omnino causam, nullumque praetextum, aut obtentum, ad declinandam huius praecepti nostri observantiam suffragari posse; ne voluntariam quidem Fidelium oblationem, nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus; nec alium quemcumque colorem, quod nempe eleemosyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione Missae; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus Fidelibus Defunctis; sive quod offerentes cupiant ipso dumtaxat oblationis merito Defunctos iuvare; hi enim poterunt per alia pia opera, sive per alias eleemosynas in alios quoscumque, quam in Sacerdotem, eique coniunctos, erogandas, Defunctorum Animabus suffragari; non item gravem indigentiam, aut paupertatem Sacerdotis celebrantis, aut Ecclesiae, aut Coenobii; quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit; nec magnam copiam eleemosynarum, quae congestae fuerint pro Missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit; quum minime liceat eleemosynas accipere pro Missis, quae celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus, aut a legibus praefinitum; neque porro Missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynae iam receptae, aut attributi redditus iam percepti fuerint; Nos enim nolumus huiusmodi onera impleri per celebrationem Missarum, quae Indulto nostro permittuntur; neque demum legem fundationis iam factae, aut in posterum faciendae cum augmento eleemosynae pro secunda, et tertia Missa; quum Nos huiusmodi fundationes sive factas, sive faciendas, etiam ex nunc prout ex tunc, et e contra, hac in parte nullas et irritas esse, et fore decernamus. In summa volumus et statuimus, huiusmodi Missas de novo concessas omnibus in communi Fidelium Defunctorum animabus, absque ulla prorsus eleemosynae perceptione, applicari; contrafacientes autem poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere decernimus, eiusque relaxandae facultatem Nobis, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse reservamus. Hanc vero facultatem communicamus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, sive aliis Locorum Ordinariis, ut auctoritate nostra Apostolica, et tamquam Apostolicae Sedis Delegati, ubi sic expedire prudenter in Domino iudicaverint, eadem canonice utantur erga quoscumque praecepti huius nostri violatores, qui ad ipsos humiliter recursum habuerint, sive Saeculares,

sive Regulares, sive alio quocumque modo ab eorum Iurisdictione exemptos; hac tamen apposita lege, ut incursam huiusmodi suspensionem nunquam relaxare valeant, nisi prius eleemosynas a delinquentibus ratione praedictarum Missarum perceptas ab ipsis reipsa receperint; quas ipsi Ordinarii in alios pios usus (non tamen in subventionem eorumdem Sacerdotum, aut personarum ipsis vel sanguine, vel necessitudine coniunctarum, aut in eorumdem Coenobiorum, Domorum, et Ecclesiarum utilitatem, quantumvis ipsi, aut personae, Coenobia, Domus, et Ecclesiae huiusmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio suo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas huiusmodi, quam ad relaxationem suspensionis eo modo incursae iisdem delegamus, nequaquam extenditur ad dispensationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui post suspensionem, ut praefertur, incursam, in Sacro Altari ministrare praesumerent; huius enim dispensationis concedendae facultatem Nobis, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus privative, et perpetuo reservamus.

§ 7. Ad hunc igitur solum, et unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, multiplicatis Ecclesiae Militantis suffragiis, piorum Animae in Purgatorio detentae subleventur, omnibus tam e Saeculari, quam e Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis atque Dominiis duorum praedictorum Regum Ditioni subiectis, nunc, et in posterum pro tempore existentibus, concedimus, et indulgemus, ut praedicta die tres Missas singuli celebrare possint, et valeant. In quo sicuti praedictorum Consultorum concordibus fere sententiis, consiliisque adhaesimus, ita a piae Matris Ecclesiae spiritu nequaquam discessisse Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minime alienam fuisse Ecclesiam a permittenda Sacerdotibus Missarum iteratione in unico die, ubi de iuvandis Defunctorum Animabus ageretur, et quidem etiam postquam desierat vetus illa disciplina, de qua infra sermo erit, qua scilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac post latam legem de unica tantum Missa, praeterquam in die Natalis Domini, ab unoquoque Sacerdote celebranda.

§ 8. Nova haec disciplina a Praedecessoribus Nostris Innocentio III et Honorio III Romanis Pontificibus stabilita fuit, quorum hac de re leges extant in Libris Decretalium tit. *De celebratione Missarum;* Innocentii quidem in cap. *Consuluisti;* Honorii vero in cap. *Te referente.* Quum autem Innocentius in cit. cap. haec verba posuisset: *Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat;* non solum Glossa Canonica eidem capitulo apposita huiusmodi necessitatis causam tunc fore dicit, quum celebranda sit Missa pro aliquo recens defuncto, ibi: *sed quam dicit necessitatem? Respondeo: si celebravit de die, et postea etiam moriatur aliquis:* verum etiam in Synodo Oxoniensi, post ipsius Innocentii obitum, sedente iam Honorio III, celebrata, decretum videmus, ut si Defuncti corpus Ecclesiasticae Sepulturae mandandum existat, Sacerdos duas Missas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre est in Collectione Conciliorum Angliae Londini edita anno MDCCXXXVII, tom. I, pag. 586, num. 7. Idque etiam distinctius in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus praescriptum est, ut Sacerdos in prima Missa Purificationem non sumat, utque tunc solum secunda Missa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando Cadaveris praesentia occurrat die Dominico, seu alio die Festo, nec alius adsit Sacerdos, qui huiusmodi secundam Missam celebrare possit, quemadmodum habetur in Constitutionibus Sodorensibus anno MCCXCI conditis cap. 36, in eadem *Anglicana Collectione,* tom. II, pag. 179, itidemque in Concilio Rotomagensi habito anno MCCXXXI, num. 14, in *Collectione Harduini*, tom. VII, pag. 186 et seqq. Qua de re Nos ipsi olim egimus in nostra Institutione Ecclesiastica XXXVI, pag. 186. Neque vero haec in praesenti a Nobis commemorantur, quasi nunc etiam, praesente Cadavere, duae Missae ab eodem Sacerdote celebrari possint; quum, iuxta hodiernam disciplinam, liceat Presbytero, relicta Missa de die, Missam pro Defuncto, si praesens sit Corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei sollemnitas, quae Missam pro Defunctis omnimode excludat. Sed ideo haec dicta sunt, ut appareat, quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam Missarum iterationem quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis Fidelium Defunctorum suffragiis ageretur. Quo nempe spiritu Nos etiam adducti, Missarum Sacrificia in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a singulis praedictorum Regnorum, atque Ditionum Sacerdotibus ter celebrari posse concessimus.

§ 9. Sed duae aliae praeterea causae, eaeque satis graves, ad id concedendum Nos impulerunt. Prima est, quod quum antiquissima sit in Regno Aragoniae consuetudo, ut praedicta die tres Missae a Sacerdotibus Regularibus, duaeque a Saecularibus celebrentur; eaque non modo nunquam reprobata fuerit, sed etiam a Praedecessore nostro Iulio III, aut Paulo III vivae vocis oraculo confirmata asseratur (ut iam olim adnotavimus in folio pro Congregatione Concilii a Nobis, ut supra diximus, exarato) utpote quae nec Divino, nec naturali iuri contraria, sed solum a iure communi Ecclesiastico vetita dignoscitur; cumque constet eamdem consuetudinem non solum in Regno Aragoniae proprie dicto, atque in alio Valentiae, et in Comitatu Cataloniae, sed etiam in Regno Maioricae longius dissito, tamquam ipsius Aragoniae Regni Appendice, viguisse et vigere; utique nec novam omnino rem, nec in exemplum alibi trahendam Nos fecisse censemus, dum huiusmodi consuetudinem, sive ritum, auctoritate nostra extendimus ad alia Regna, et Dominia eidem Hispaniarum Regi subiecta, atque insuper ad ea, quae alteri quidem Principi, nimirum Lusitaniae Regi parent, sed magna ex parte finitima et proxima sunt praedictis Hispanici Regis Ditionibus. Regula quippe canonica est, ut in Regionibus conterminis, atque inter se proximis Rituum ac Disciplinae uniformitas statuatur, atque servetur. Unde etiam Praedecessor noster Sanctus Siricius Pontifex Maximus, quum ad Himerium Episcopum Tarraconensem scripsisset de variis Ecclesiasticae Disciplinae capitibus, de quibus ille Sanctum Damasum ipsius Decessorem consuluerat, [1] eidem mandavit, ut Apostolica rescripta non solum cum Provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret *ad Carthaginienses, ac Boeticos, Lusitanos, atque Gallaecos.*

[1] Cf. N. 15.

§ 10. Alteram vero causam, eamque plurimi apud Nos momenti cum magno paterni animi nostri gaudio, Nobis suppeditavit enixum studium duorum Carissimorum in Christo Filiorum nostrorum Hispaniae, et Lusitaniae Regum, tantis in Ecclesiam promeritis Illustrium, qui unico, et sincero devotionis instinctu acti, nec retardati ob parum felicem exitum similium petitionum, quas a Praedecessoribus suis propositas fuisse noverant, istorum pietatis haeredes erga Fidelium Animas purgatorio igne cruciatas sese professi sunt, auctoresque se praestiterunt, ut in earum levamen, recurrente quotannis generali Fidelium Defunctorum Commemoratione, in suis respective Regnis, atque Dominiis suffragia multiplicarentur. Quapropter Magni Praedecessoris Nostri Sancti Gregorii Papae verba, quae is ad Brunichildem Francorum Reginam conscripsit (*Epist.* 50, lib. 6, ipsius *Operum*, tom. II, pag. 858) iure, ac merito ad praedictos Reges transferre Nos posse censemus: *Epistolarum vestrarum series, quae Religiosum animum, et piae mentis studium continebat, non solum voluntatis vestrae fecit Nos laudare propositum, sed etiam libenter invitavit postulata concedere.* Tum etiam ea, quae alter rec. mem. Praedecessor noster Innocentius Papa III ad Regem Castellae scripsit (*Epist.* 154, lib. 14): *Cum Personam tuam inter Catholicos Reges speciali diligamus in Domino charitate, in his, quae secundum Deum requiris a Nobis, favorem Tibi Apostolicum libenti animo impertimur;* atque alia, quae idem (*Epist.* 24, lib. 15) scripsit ad Regem Lusitaniae: *Aequum est autem, ut quos ad Populi regimen et salutem, dispensatio coelestis eligit, Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu: et in iustis postulationibus studeat efficaciter exaudire;* eadem sane praesentium Hispaniae, ac Portugalliae Regum pietati ac dignitati mirum in modum congruere videntur. Quorum praeterea consimiles postulationes hac de re Nobis exhibitas, et parem pro Religione zelum, eximiumque Christianae Fidei in remotissimis etiam Regionibus propagandae studium, perspicuis argumentis Nobis assidue comprobatum, dum laeti suspicimus, haec etiam utrique simul aptanda censemus, quae noster quoque Praedecessor S. Leo Magnus ad Theodosium Augustum scribebat, *Epist.* 21, ipsius Operum tom. I, pag. 238: *Quantum praesidii Dominus Ecclesiae suae in fide Vestrae Clementiae praepararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur; ut Vobis non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem praeter Imperiales, et publicas curas, piissimam sollicitudinem Christianae Religionis habetis.*

§ 11. Quamvis vero antehac in Regno Aragoniae, Sacerdotibus Regularibus praedicta die tres Missas celebrantibus, Saeculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen aequum iudicavimus hos illis per omnia exaequare, ut esset inter ipsos Ritus uniformitas: quae res in causa fuit, ut in Ecclesia Catholica aliae quoque diversitates sublatae fuerint, quantumvis tolerabiliores videri possent. Ita quum in Gallias, regnante Carolo Magno, inductus fuisset, una cum Ordine Romano, Ritus celebrandi tres Missas in die Natali Domini nostri Iesu Christi, quum antea duae tantum celebrari solerent, novum hunc Ritum soli primum Episcopi adoptarunt, ac sibi suaeque Dignitati proprium fecerunt; sed postea, ad evitandam difformitatem, huiusmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes

extensa fuit, quemadmodum a Nobis demonstratum est in Tractatu *de Festis Domini*, part. 1, pag. 248.

§ 12. Applicationem autem Missarum, hoc nostro Indulto concessarum, tertiae nimirum a Sacerdotibus Saecularibus in Regno Aragoniae, secundae vero, ac tertiae ab omnibus existentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehensis, iussimus fieri, non quidem pro aliquo peculiari Defuncto, sed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere; tum quia id magis consentaneum visum est piae, ac religiosae menti duorum Regum huiusmodi Indultum expetentium; tum quia Ecclesiae spiritus id maxime postulabat. Siquidem constat generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum secundae diei Mensis Novembris affixam, iam usque a saeculo nono ab Amalario Fortunato propositam, vertente autem saeculo undecimo a Beato Odilone Abbate pro omnibus Monasteriis sibi subiectis receptam, atque ab his demum, Praedecessoris nostri Iohannis Papae XIX auctoritate, ad universam Ecclesiam propagatam fuisse, ea potissimum de causa, ut, post celebratam praecedenti die Festivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Christo regnantium, omnium quoque Iustorum Animae in Purgatorio detentae, ac coelestis gloriae consortium expectantes, generalibus Ecclesiae suffragiis adiuventur. De hac re latius disseruimus in Opere, quod scripsimus in Acta nonnullorum Sanctorum, quorum Officia celebrantur in nostra Bononiensi Civitate, ac Dioecesi, in Editione Patavina, cap. 22. Unde satis patet, quam iusta de causa praedictas Missas non aliquibus peculiaribus Defunctis, sed omnibus in communi Fidelibus in Christo dormientibus applicandas esse voluerimus.

§ 13. Quam vero Nobis semper cordi fuerit, ut, iuxta Sacrorum Canonum praescriptum, a celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii omnem avaritiae speciem, omnemque sordidi captandi lucri praetextum longissime arceremus, satis compertum esse putamus ex his, quae tum in Archiepiscopatus Bononiensis, tum in Supremi Pontificatus administratione, in hunc finem praestitimus. Etenim inter Pastorales Institutiones nostras, praeter *quinquagesimam sextam*, in qua plures hac de re Ecclesiasticae Disciplinae regulas demonstravimus, et omnino observari praecepimus, adest etiam *nonagesima secunda*, in qua Sanctissimis Apostolicae huius Sedis decretis inhaerentes, pravam quamdam damnavimus consuetudinem, qua contendebant nonnulli licitum esse Missas ita celebrare, ut earum fructum medium in antecessum applicarent pro iis, qui postea eleemosynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter nostras vero Apostolicas Constitutiones *in Bullarii Nostri* tom. I impressas, extant *vigesima secunda, et vigesima tertia*,[1] quibus severissime vetitum per Nos est, ne eleemosynae pro Missarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus maior est earum Taxa Synodalis, ut deinde Missae alibi celebrandae committantur, ubi huiusmodi Taxa in minori quantitate statuta est. In novissimo autem Tractatu Nostro de *Synodo Dioecesana*, lib. 5, cap. 8, num. 9 et 10, alia complura ad hanc rem pertinentia studiose collegimus.

§ 14. Ab hoc itaque tramite neutiquam recedendum Nobis esse iudicantes, decrevimus supra, atque statuimus, ut pro celebratione, aut appli-

[1] Cf. N. 311, 312.

catione Missarum hoc nostro Indulto concessarum, nullum prorsus stipendium quocumque praetextu aut colore accipi valeat; quod ut a Nobis in praesenti casu decerneretur, specialis quaedam, et urgens ratio Nos impulit, praeter generales hasce, quas paulo ante indicavimus. Perspectum est enim omnibus in Ecclesiastica Historia paulum modo versatis, plures olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli Sacerdotes plus quam semel Missarum sacrificia peragebant, ut erat, praeter Natalem Domini, prima dies Mensis Ianuarii, Feria V in Coena Domini, Vigilia Ascensionis, tres dies Ieiunii infra Octavam Pentecostes, aliique dies Festi nonnullorum Sanctorum memoriae dicati, ut Nativitas Sancti Iohannis Baptistae, et Natalitium Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, de quibus Nos ipsi monumenta protulimus in Opere *de Festis D. N. Iesu Christi*, part. I, pag. 247.

§ 15. Ut autem huiusmodi consuetudo generaliter tolleretur, et facultas celebrandi plures Missas uno die, ad solum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiae, et sordidis quaestibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur, quae scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis, aut ortum habuerant, aut oriri posse videbantur. Hunc esse proprium sensum Canonis *Sufficit, de Consecr.*, dist. 1, iam demonstratum per Nos est in literis ad Venerabilem Fratrem Episcopum Oscensem datis, § *Excepta, et sequentibus*. Ideo autem scripta Nostra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, ne quae iam alibi a Nobis dicta sunt, hic denuo explicare, et quae alibi demonstravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id vero, quod supra posuimus, a duobus praeterea scriptoribus in Ecclesiasticis rebus apprime versatis asseritur. Eorum alter est Thomassinus in Opere *de veteri, et nova Ecclesiae disciplina*, par. 3, lib. 1, cap. 74, num. 6, ubi post allatam Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, videlicet: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in magna necessitate;* haec subdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Missam offerretur, hinc avaritiae species, vel suspicio quaedam iterationi Missarum affricabatar.* Alter est Vicecomes in Tractatu *de antiquis Missae ritibus*, lib. 3, cap. 28, circa fin., ubi postquam antiquam exposuit disciplinam, qua permittebatur Sacerdoti plures Missas in die celebrare; de ipsius disciplinae mutatione deinde sic ait: *Abrogationis autem causam, quantum equidem divinare possum, dedere nundinatores quidam, qui maioris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non sunt veriti, et fecerunt, ut libertas prisca saltem hisce Regionibus erepta sit, ac desierit.*

§ 16. Si igitur multiplicitas Missarum, quae Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo sublata fuit, ut avaritiae quaestibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, iure ac merito Nos Indultum hoc Nostrum, quo Sacerdotibus in praefatis Regnis atque Dominiis commorantibus tres Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare permisimus, huiusmodi expressa lege, atque districta sanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro Missis de novo concessis, ullum stipendii genus, quacumque de causa, et quolibet praetextu, aut colore recipere posset.

§ 17. His accedit, quod quum petitiones inspexerimus ab aliquibus peculiaribus Episcopis Apostolicae Sedi olim oblatas pro concessione celebrationis duarum, aut trium Missarum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, simulque contraria expenderimus Rescripta tunc respective emanata: agnovimus praedictas petitiones huic potissimum rationi innixas fuisse, quod scilicet tanta esset eleemosynarum copia, quae ea die pro Missarum celebratione a piis Fidelibus offerebantur, ut aliter illis satisfieri non posse assererent, quam si facultas indulgeretur Sacerdotibus, ut plures Missas ea ipsa die celebrare possent; contra vero in reiiciendis iisdem petitionibus, id maxime spectatum fuisse agnovimus, ne per huiusmodi concessiones Ordo Sacerdotalis apud detractores in aviditatis suspicionem, et infamiam adduceretur. Qua etiam de causa Nos hanc concessionem nostram, praedicta lege adiecta, suspicionibus huiusmodi nullum locum praebere posse voluimus.

§ 18. Haec sunt, quae concedenda esse iudicavimus, quaeque de praemissorum consilio, et Apostolica auctoritate Nostra concessimus; atque haec sunt, quae in huiusmodi Indulti concessione prae oculis habuimus; quaeque omnia exponenda duximus praesenti Decreto, quod a Nobis conditum, manu nostra subscripsimus hac die XXI Augusti Anni MDCCXLVIII Anniversaria Coronationis nostrae, ineunte Pontificatus Nostri Anno Nono.

BENEDICTUS PAPA XIV.

§ 19. Porro praeinsertum nostrum Decretum, atque in eo omnia, et singula contenta, ac praescripta, quo firmius subsistant, et serventur exactius, atque etiam quatenus opus sit, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus; illique, et omnibus, ac singulis contentis, et praescriptis, Apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque ita, ut praemittitur, omnino servari mandamus. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective sub irrogatis poenis, et censuris inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 498-506].

392.

Benedictus XIV, decr. *Non multi*, 14 nov. 1748.

§ 1. Non multi menses effluxerant, ex quo placuit Omnipotenti Deo humilitatem Nostram nullis suffultam meritis ad universalis Ecclesiae regimen assumere, quum plurium, et pietate, et doctrina insignum Virorum, necnon Episcoporum per Ecclesias tam citra, quam ultra Montes constitutorum, instantiae ad Nos deferri coeperunt, ut numerus dierum Festorum de praecepto in satis nota Constitutione rec. mem. Praedecessoris Nostri Urbani Papae VIII praefinitus,[1] auctoritate Nostra minueretur. Quam quidem ob rem, Nobis exponebant, et nimis grave detrimentum humilioris sortis hominibus, qui manuum suarum laboribus se ipsos, suasque familias sustentare coguntur, ex huiusmodi Festorum dierum numero, quibus operari prohibentur, inferri; et simul arduum vel potius impossibile esse, debitam, exactamque eorum observantiam et sanctificationem a populis obtinere; siquidem post innumeras districtasque leges ea de re latas, et curas adhibitas, numquam saepius cauponae atque popinae frequentari dignoscuntur, quam ipsis diebus Festis, pomeridianis potissimum horis, non sine scandalo, et rixarum, aliorumque criminum sequela. Cumque Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliae Rex Illustris post aliquot annos Urbem ingressus ad Nos comiter accessisset, non omisit summo zeli studio pro huiusmodi Festorum dierum in suis Regnis imminutione Nobiscum agere.

§ 2. Nos autem cum primum illae, quas supra diximus, instantiae ad Nos pervenerunt, minime labori pepercimus, ut rem ipsam in suis fontibus inspiceremus; quin etiam satis amplam Dissertationem ea de re exaravimus, et publicari curavimus, in qua pleraque a Nobis demonstrata sunt, ad hanc minuendorum Festorum materiam pertinentia, pluresque huiusmodi imminutionis viae indicatae fuerunt; sed nihil definitum, aut pro auctoritate statutum fuit: quum id Nobis unice propositum tunc fuisset, ut aliorum sententias intelligeremus, non solum circa rationem peragendae Festorum dierum reductionis, sed etiam super ipsius imminutionis substantia, an eam fieri, vel potius rem in priori statu relinqui praestaret; ita ut, qui reductionem nequaquam faciendam existimaret, minime necesse haberet de illius executionis modo inquirere, aut Nobis consilium praestare.

§ 3. Quadraginta porro fuerunt, quorum consilium requisivimus; inter quos nonnulli huius S. R. E. Cardinales, Episcopi plures tam Itali, quam Ultramontani, reliqui Theologiae aut Sacrorum Canonum Professores, vel in Ecclesiasticae Disciplinae rationibus tum Romae, tum alibi, agendo potissimum experiendoque versati. Horum omnium responsa, iuxta mandatum Nostrum, scripto concepta, quae adhuc apud Nos asservantur, cum accepissemus; ex praedicto numero, tres supra triginta invenimus, qui Festorum dierum imminutionem vel necessariam, vel utilem omnino fore affirmabant; ex his vero,

[1] Cf. N. 226.

quindecim Nobis suadebant, ut edita generali Apostolica Constitutione, huiusmodi imminutionem in universa Ecclesia statueremus; alii autem numero octodecim, audiendas esse censebant instantias Ecclesiarum, atque Dioecesum earumque peculiaribus necessitatibus diversa atque opportuna ratione consulendum. Quod vero pertinet ad ipsius reductionis modum, quum in Concilio Provinciali Tarraconensi, habito sub san. mem. Praedecessore Nostro Benedicto XIII Pontifice de Nobis optime merito, conditum fuerit Decretum, ut, accedente Apostolicae Sedis approbatione et auctoritate, ac salva obligatione sanctificandi, ut prius, omnes dies Dominicos, et solemniores quasdam Festivitates, quibus nimirum et assistendum foret Sacrificio Missae, et abstinendum ab operibus servilibus: in aliis quibusdam Festis minus principalibus, tenerentur quidem Fideles ex praecepto Missam audire, sed reliquum diei tempus operibus et laboribus quibusque exercendis, etiam servilibus nuncupatis, licite impendere possent; cumque ipsius Concilii Patres, Anno Domini MDCCXXVII huiusmodi Decreti approbationem et confirmationem a praefato Benedicto Praedecessore petiissent, idemque Praedecessor Anno sequenti MDCCXXVIII Decretum ipsum per suas Apostolicas Literas in forma Brevis approbasset et confirmasset; ex praefatis XXXIII consulentibus viginti tres in eo concordes fuerunt, ut Festorum dierum reductio iuxta formam et methodum Decreti Conciliaris Tarraconensis fieri deberet, reliquis decem in diversas sententias abeuntibus; aliis nempe tollendas omnino censentibus Festivitates aliquot ex his, quas Urbanus VIII servari mandaverat; aliis proponentibus plurium Festivitatum coniunctionem in unam diem de praecepto sanctificandam; aliis vero complura Sanctorum Festa in dies Dominicos transferentibus.

§ 4. Nos autem, horum omnium consiliis perlectis, matureque perpensis, nequaquam expedire iudicavimus generalem hac de re Constitutionem edere, quum Nobis animo obversarentur multimodae difficultates olim adversus praedictam Urbani Praedecessoris Constitutionem excitatae ab iis ipsis, qui pro illius promulgatione consilium dederant, et preces obtulerant. Quapropter, ut et Apostolicae Sedis auctoritati ac dignitati prospiceremus, et simul ostenderemus, quanto in honore apud Nos habeantur Venerabiles Fratres Nostri Ecclesiarum Antistites, quos quidem suarum Dioecesum necessitates optime intelligere, maximoque zelo pro Dei cultu et gloria flagrare non dubitamus; id Nobis servandum proposuimus, et re ipsa servavimus, ut nihil hac de re decerneremus, nisi postquam Episcopi pro suis quique Dioecesibus, aut Metropolitani, de Suffraganeorum consilio et assensu, pro suis Provinciis, peculiares Ecclesiarum et Populorum necessitates Nobis demonstrantes, Festorum dierum imminutionem postulassent. In quo tamen non cuilibet angustae Dioecesis Episcopo id optanti annuendum censuimus, nisi simul finitimi alii Praesules id ipsum expeterent; quo scilicet ritus et disciplinae uniformitas, quantum fas esset, in vicinis atque conterminis Dioecesibus conservaretur. Praeterea nihil innovari voluimus, non solum in hac Nostra Romana Urbe, pro qua peculiares quaedam circumstantiae ponderandae sunt, quae aliis Civitatibus ac Dioecesibus aptari nequeunt; sed nec in Nostra Bononiensi Civitate ac Dioecesi, cuius Pastorale regimen una cum supremo Pontificatu reti-

nemus; ne scilicet aliis exemplo et iudicio Nostro praeire voluisse videremur, ut pro suis Dioecesibus, licet inviti, id facerent, quod Nos ipsi Bononiae fecissemus; aut hominum censuram adversus illos excitaremus, qui non idem egissent, quod Nos statuisse viderent in Dioecesi regimini Nostro immediate subiecta.

§ 5. Hanc igitur agendi normam constanter sequentes, oblatis Nobis multorum Episcoporum petitionibus, praeceptum observandi dies Festos in pluribus Dioecesibus, atque Regionibus, iuxta modum inferius dicendum, benigne relaxavimus. Nec aliquid invenire est hac in re ullibi a Nobis fuisse statutum, sine praecedentibus instantiis, et causarum expositionibus, pro singulis Civitatibus, et Dioecesibus, ex parte earumdem Antistitum ad Nos et Apostolicam Sedem delatis. Quod vero spectat ad modum relaxandi huiusmodi praeceptum, quum adverterimus, legem audiendi Missam, ab alia feriandi ab operibus servilibus distinctam plane, et separabilem esse, ipsosque etiam Episcopos non solum frequenter agrorum cultoribus, sed et urbanis quandoque Operariis, haud difficulter concedere, ut dies Festos, officio Missae dumtaxat assistendo, sanctificent, de caetero autem laboriosis operibus incumbere valeant: quin etiam a quibusdam Moralis Theologiae Scriptoribus, licet audacter, assertum fuisse viderimus, immunes esse a peccato pauperes, et inopes, qui Festis diebus etiam solemnioribus, quo valeant egenas familias suas sustentare, audito Sacro, laboribus manuum suarum, quantumvis servilibus, per plures horas occulte, et sine scandalo occupantur; cumque potissimum Tarraconensis Decreti ab Apostolica Sede, ut supra dictum est, approbati, illustre exemplum prae oculis haberemus: in admittendis Episcoporum instantiis, hanc observavimus methodum, ut, firmam et ratam relinquentes utramque legem de audienda Missa, et de abstinendo ab operibus servilibus in omnibus diebus Dominicis, et in praecipuis quibusdam anni Festivitatibus; aliarum minus solemnium sanctificationem ita deinceps fieri permitteremus, ut, audita Missa, reliquum diei tempus pauperibus liberum esset ad laboriosa quaeque opera exercenda. Neque vero facilem aditum apud Nos invenerunt aliquorum Antistitum preces, qui Festorum dierum imminutionem alia via et ratione in suis Dioecesibus fieri optabant; translatis nimirum in dies Dominicos Sanctorum Festivitatibus per hebdomadas occurrentibus.

§ 6. Per haec autem minime detractum censeri debet providae Constitutioni Praedecessoris Nostri Urbani Papae VIII, quam et Apostolico illius zelo dignam, et eorum temporum rationibus maxime aptam fuisse agnoscimus, et profitemur. Nec aliter profecto de illa Nos iudicare dicendum esset, etiamsi (prout fert earum legum natura, quae ad Ecclesiasticam disciplinam, mutationibus merito subiectam, unice pertinent), ex novis non levibus, neque pro ingenio excogitatis causis, sed tot insignium Ecclesiae Praesulum iudicio comprobatis, plures dies Festi de praecepto in Urbani Catalogo descripti, ex observandorum dierum numero exempti omnino fuissent. Ideoque multo minus hoc dici potest, ubi nulla ex Festivitatibus in ea Constitutione designatis peculiari cultu et sanctificatione privata est; sed in aliquibus dumtaxat permissum fuit, ut Divinis Mysteriis religiosa saltem praesentia celebratis, cuilibet licitum esset, operibus et laboribus humanae vitae utilibus, et necessariis intendere.

§ 7. Quod enim Ecclesiastica disciplina, salvo honore praecedentibus Constitutionibus, earumque auctoribus debito, et sine eorum reprehensione atque iniuria, immutari valeat, innumeris possemus exemplis apertissime comprobare, a quibus, cum in re minime dubia versemur, recensendis supersedemus; illudque solum monuisse sufficiat, tunc demum innocuam esse antiquae disciplinae mutationem, dum non temere atque inconsulto, sed a legitimis Superioribus, et iustis de causis fiat, quas Innocentius III Praedecessor Noster in Concilio Lateranensi IV, Can. 50 commemorat.[1]

§ 8. Et nos quidem iure Nobis polliceri posse videbamur, dum circa propositam dierum Festorum imminutionem adeo caute, adeo ex aliorum potius sententia, quam ex auctoritate, qua fungimur, omnia ad hunc diem agere studuimus, nec nostram agendi rationem in aliorum censuram et offensionem incidere debere, nec Ecclesiae pacem, quae Nobis summopere cordi est, ullo modo turbandam fore. Verum nonnulla intervenerunt, quorum causa eam Nobis spem in irritum cessisse dubitamus. Quum enim inter Viros doctos disputari coeperit, recte ne, an secus, Episcopi faciant, qui ab Apostolica Sede postulant, ut liceat in suis Dioecesibus aliquos dies Festos de praecepto minus principales sola Missarum auditione sanctificare, non interdicto in reliquis horis negotiorum et operum etiam servilium exercitio; quamvis facile intelligamus, huiusmodi dissidia ex diversa hominum iudicandi et opinandi ratione ortum habere, humanasque res omnes similibus dissensionibus plerumque subiectas esse: nihilominus ab aliquibus doctis probisque Viris demonstratum Nobis est, in hac controversia, Scribentium stilum intra innocuae disceptationis terminos non constitisse; dubitarique posse, ne ab improbandis postulantium studiis, ad ipsius concessionis reprehensionem sensim disputatio transierit; adeoque incaluisse concertationis aestum, ut in publicis Libris et Scripturis, graviores accusationes et censurae in contrariae sententiae defensores utrimque coniectae fuerint; ex quo sane novarum turbarum occasio, cum Ecclesiasticae pacis detrimento, existere posset.

§ 9. In hoc statu rerum, Nos unam ab altera consultationis causa seiunximus. Quaecumque circa Nostram agendi rationem dicta et conscripta palam, Nobis observanda offerebantur, ea nec audire voluimus; sed testimonio conscientiae Nostrae contenti, illa omnia vel negleximus, vel nimio contendentium ardori condonavimus. Quod vero spectat ad ipsam ferventis disputationis naturam, illius examen primum demandavimus nonnullis in Theologica facultate praestantibus Viris; qui sane, omnibus visis atque perpensis, retulerunt, neutra ex parte ullum Catholici dogmatis caput in controversiam adductum fuisse, nihil adversus Urbani VIII Constitutionem contumeliose, aut irreverenter esse dictum, nullum esse locum in contendentium scriptis, quantumvis adversariorum censura notatis, cui genuinus Catholicus sensus revera non subsit. Approbato Theologorum iudicio, quod luculentissimis scriptis ediderunt, quid facto opus esset, ut ulterioribus perturbationibus occurreremus, exquisivimus; et aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque Ecclesiasticae Disciplinae peritorum consilium fuit, ut universae quaestioni,

[1] C. 8, X, *de consanguinitate et affinitate*, IV, 14.

auctoritate Nostra Apostolica, silentium imponeretur, publicandisque in posterum super ea libris et scriptis aditus intercluderetur; id quod a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ad alias extinguendas controversias similiter exardescentes, non semel factum fuisse constaret. Horum consilium Nos, matura deliberatione praehabita, et probavimus, et exequendum statuimus; eo maxime, quod, si scribentibus pro una aut altera sententia, hic finis propositus est, ut Ecclesiarum Antistites a petendo minuendorum Festorum Indulto retrahantur, vel ad illud postulandum incitentur; tot sunt, quae ad hunc diem in utramque partem scripta et dicta fuerunt, ut quilibet Episcopus satis in illis habeat, quo suum denique consilium capere possit, prout, ad optimum Dioecesis suae statum, et ad Dei gloriam magis expedire iudicaverit.

§ 10. Quapropter Nos huiusmodi consilio adhaerentes, de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentis nostri Decreti vigore, omnibus et singulis infrascriptis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis infra statuendis, prohibemus primo, ne ullam huius Decreti explicationem, interpretationem, aut commentarium, nec multo minus ullum Librum, Dissertationem, Epistolam, seu alterius generis opus, quo Decretum ipsum sive directe, sive indirecte oppugnetur, edere aut publicare audeant. Secundo vetamus et interdicimus, ne ullos in posterum Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, Epistolas, vel alterius cuiuscumque generis Opera et Scripta, in quibus de imminutione dierum Festorum de praecepto, aut de facultate concedenda, vel deneganda, ut audita Missa in nonnullis minus principalibus anni Festis fas sit operibus servilibus vacare, sive ex professo, sive incidenter agatur, sive cum vero, sive cum ficto Auctoris nomine, sive sub alieno, vel etiam sine alicuius nomine, Typis imprimere, vulgare, seu alia quacumque ratione in lucem edere praesumant. Tertio quaecumque ad hunc diem hac super re edita fuerunt Opera et Scripta, iterum praelo subiici et recudi, multoque magis nova Folia, Opera, Epistolas, Dissertationes, aliaque praemissa, post haec, sub anteriori data, fraudulenter imprimi, aut publicari, similiter prohibemus. Decernentes, quaecumque huiusmodi Opera et Scripta, in spretum, et fraudem praesentis Decreti, imprimi de caetero forsan, vel alias, ut supra dictum est, in lucem prodire contingat, ea omnia et singula, absque alio examine, et in poenam inobedientiae et contumaciae, in Indicem Librorum prohibitorum quamprimum referri. Huius autem Decreti lege omnes et singulas cuiuscumque status, gradus, conditionis, et dignitatis Personas Ecclesiasticas, et Saeculares, et cuiuscumque Ordinis, seu Congregationis, et Instituti, etiam Societatis Iesu, et Militiae Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliorumque etiam specialem et individuam mentionem requirentium Ordinum, Regulares, aliosque Ecclesiasticos quoscumque, etiam Episcopali, Archiepiscopali, et Patriarchali dignitate fulgentes, et S. R. E. Cardinales, aequaliter teneri, et expresse comprehendi, decernimus, et declaramus. Contravenientes vero, praeter Librorum, et Operum prohibitionem, ut praefertur, si quidem Laici fuerint, in excommunicationem maiorem latae sententiae, a qua nemo, praeter Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices, nisi in mortis articulo, ipsos absolvere valeat; Ecclesiasticos autem usque ad Sacerdotalem gradum inclusive, poenam suspensionis a divinis; in Superioribus vero gradibus constitutos, suspensionis ab exercitio

Pontificalium, et a perceptione fructuum suorum Beneficiorum, Pensionum Ecclesiasticarum, Monasteriorum, Episcopatuum, et Archiepiscopatuum, aliorumque Ecclesiasticorum redituum quorumcumque, quarum poenarum relaxationem, et respectivam rehabilitationem, Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus privative reservamus, ipso facto, absque alia declaratione, incurrere decernimus et sancimus. Praeterea Typographos et Bibliopolas, qui Libros, Scripta, aut Folia huiusmodi, contra Decreti Nostri legem, Typis imprimere, aut recudere, seu vulgare et venundare ausi fuerint, omnibus et singulis poenis tam pecuniariis, quam corporis afflictivis, quaecumque statutae sunt adversus eos, qui libros prohibitos imprimunt, aut evulgant, sive venales proponunt, subiacere, et re ipsa mulctari et plecti volumus, et mandamus.

[Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 511-515].

393.

Benedictus XIV, ep. *Ex tuis precibus*, 16 nov. 1748.[1]

§ 1. Ex tuis precibus mense Martii nuper elapsi ad Nos perlatis accepimus, Ecclesiam Abbatialem, cui praees, sub invocatione Beatae Mariae Virginis, et Sanctorum aliquot Martyrum erectam, vetustate et dignitate conspicuam, cum a Praedecessore Nostro Hadriano PP. I. sacro Ecclesiae ritu fuerit consecrata, occasione belli contra Suecos initi, decimoseptimo saeculo fere dimidio funditus eversam, tandem nobili aedificio rursus fuisse instauratam. Cumque iuxta Sacrorum Canonum Sanctiones, Ecclesia novo opere instructa, nova itidem consecratione initianda sit, illud a Nobis postulasti, ut eiusmodi consecrationis ministerium tibi, auctoritate Apostolica perficiendum demandaretur. Etsi vero tanti privilegii magnitudo Nobis perspecta esset, nihilominus meritorum tuorum intuitu, ipsa quoque Ecclesiae tuae insigni nobilitate, de qua Mabillonius *Analect.*, tom. 1, *ad iter Germanicum;* ipsa item Campidonensis Monasterii remotissima vetustate, cuius initia, privilegia, praerogativas, late enumerat Bruschius *in serie Monasteriorum Germaniae illustr.*, tandemque iis circumstantiis, in quibus versabaris, id suadentibus, petitam facultatem, iis tamen, quas infra enumerabimus, conditionibus circumscriptam, ultro concessimus. Par enim Nobis visa est, cum ad Sacramenti Confirmationis, tum ad Ecclesiarum Dedicationis Ministrum designandum, causa, et exemplum. Enim vero, quamvis Sacramenti Confirmationis administratio ita soli conveniat Episcopo, ut nullus Antistes simplicem Sacerdotem, qui baptizatos confirmet, possit delegare; multis tamen Praedecessorum Nostrorum exemplis docemur, eiusmodi munus Sacerdotibus, et praecipuis quibusdam Abbatibus, esto nullo charactere Episcopali insignitis, fuisse collatum; modo extraordinarius Confirmationis Minister, Oleo, cui Episcopus pridem benedixit, utatur: ut fusiori calamo scripsimus in Nostro Tractatu *De Synodo Dioece-*

[1] Ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis.

sana, qui nuper e typis prodiit, lib. 7, cap. 7, et seq. Haud dissimili dispensatione, Ecclesias consecrandi privilegium, quod alioquin nulli convenit, nisi Episcopali dignitate praefulgeat, Apostolicae auctoritatis limites non excedit, quamvis nulli Episcoporum ius sit, simplicem Sacerdotem ad id muneris designare. Hinc Nobis iure ac merito ex Apostolicae potestatis plenitudine ad Ecclesiam Campidonensis Monasterii consecrandam Te Ministrum delegimus, his verbis, quae ex litteris Nostris Apostolicis die 12 Martii proxime praeteriti editis hic subiicimus: *Huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, eamdem Ecclesiam Monasterii Campidonensis, iuxta praescriptum in Rituali Romano, servatis alias de more servandis, recepto prius Oleo Sacro ab Episcopo benedicto, pro hac vice tantum, consecrandi facultatem, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.* Hinc mense Maio sequenti, eiusdem Ecclesiae Consecratio, te id agente, solemni ritu peracta est.

§ 2. Conveniunt Canonistae, Episcopis ius esse Ecclesias in eorum Dioecesi existentes consecrandi, imo et alium delegandi Episcopum, qui, delegatione seclusa, consecrationem citra reatum non posset perficere; cum ex praescripto Synodi Tridentinae, Sess. 6, cap. 5, *Reformat.,* nefas sit extraneo Antistiti, sine Ordinarii licentia, in aliena Dioecesi exercere Pontificalia. Addunt vero iidem Canonistae, non posse ab Episcopo simplicem Sacerdotem ad consecrationis opus obeundum designari; quandoquidem uni Summo Pontifici peculiaris haec iurisdictio reservatur. Ita sentiunt inter Hispanos Gonzalez, cap. *Aqua,* num. 3, et seq., *De Consecr. Eccles.,* inter Belgas Van Espen, *Iuris Ecclesiast.* part. 2, art. 16, num. 10, inter Germanos Pirhing ad lib. 3. *Decretalium,* art. 4, § 1 et Schmalzgrueber ad eumdem tit., § 1, nostrosque inter Italos Tamburini, *de iure Abbatum,* tom. 1, disput. 23, quaest. 7.

§ 3. Hanc Canonistarum sententiam nonnulla Ecclesiasticae Historiae monumenta illustrant, atque confirmant. In Concilio Arausicano I, quod anno Christi 441 coactum est, quodque in Collectione Labbeana refertur tom. 3, pag. 1449, haec ad rem nostram decernuntur: *Si quis Episcoporum in alienae Civitatis Territorio Ecclesiam aedificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permissa licentia aedificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non praesumat dedicationem; quae illi omnimodis reservatur, in cuius Territorio Ecclesia assurgit.* Neque exemplum Sidonii, qui, ut legimus in Epist. 15, lib. 4, Ruthenorum Ecclesiam citra ullam Ordinarii licentiam consecravit, Ecclesiae moribus, aut disciplinae adversatur. Sicut enim Savarus *in Notis ad praeallatam Sidonii Epistolam* animadvertit, nedum Ruthenorum, sed et aliae, quae circumpositae erant Ecclesiae, Pastoribus, quos Arianae persecutionis impetus propulsaverat, iacebant destitutae; quod idem vel ex eiusdem Sidonii *Epistola 6,* lib. 7, aperte colligimus. Hinc nil mirum, si, inconsulto Episcopo, qui non aderat, Sidonius ad alienae Dioeceseos Ecclesiam consecrandam accesserit, ne alioquin sacra illa Aedes eximia Consecrationis praerogativa fraudaretur.

§ 4. Quod uni asseritur Episcopo, ex praestituto Arausicani Concilii Canone, aperte denegatur Presbyteris in secundo Bracarensi Concilio anno

Christi 563 sub Pontifice Ioanne III. In memorata Collectione Patris Labbe, tom. 5, pag. 842 recitatur Can. 19 hisce verbis conceptus: *Item placuit, ut, si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam aut Altarium consecrare, a suo officio deponatur; nam et antiqui hoc Canones vetuerunt.*

§ 5. Sed propius ad rem nostram Concilium Hispalense secundum, cui anno 619 praefuit S. Isidorus, aperte docet, non posse Episcopos simplicem Sacerdotem delegare ad Ecclesiarum Consecrationem perficiendam. Splendidi huiusce monumenti verba sic habent: *Septimo examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Presbyteros destinasse, qui, absente Pontifice, Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id praecepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, et statim a saeculari militia in Sacerdotale Ministerium delegatum. Ergo, ne ultra talis a Nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit: scientes, quia sicut Presbytero illicita Consecratio est Altaris, ita et constitutio.*

§ 6. Codices nonnulli, in quibus praefati Canonis verba exscribuntur, nedum Presbyteros, sed et Chorepiscopos nominant, quibus Ecclesiarum dedicatio, etiamsi Episcopi delegatio faveat, pari iure denegatur. Verum Cardinalis de Aguirre *in Collectione maxima Conciliorum Hispaniae,* tom. 2, pag. 464, accuratiorum Codicum fidem secutus, Chorepiscoporum nomen, aliena manu additum, expungit; non enim de Chorepiscopis, sed de solis Presbyteris, Hispalensis Concilii Canon sermonem habet. Praeterea doctus idem scriptor loco citato pag. 473, postquam satis probavit, Epistolam 88, quae S. Leoni a nonnullis tribuitur, tanti Pontificis foetum non esse, sed illam ex Canone septimo Hispalensis Concilii fuisse desumptam; tandem concludit, Chorepiscoporum nomen Canoni insertum, in ipsam Epistolam, quae ex Canone illo concinnata est, facile descendisse.

§ 7. Etsi vero daremus, Hispalensis Concilii Canonem Presbyteros atque Chorepiscopos una sociasse, nihil inde conficitur; iam enim nostra aetate communis eruditorum opinio est, Chorepiscopos, si paucos excipias Episcopali charactere decoratos, puros putosque Sacerdotes fuisse. Qua de re consulendi Bellarminus, lib. 1, *de Clericis,* cap. 17, Hallier, *de Sacris Ordinationibus,* sect. 5, cap. 2, Morinus, *Exercitat. 3,* cap. 2, Thomassinus, *de Ecclesiastica disciplina,* part. 1, lib. 2, cap. 1, Carolus de Fresne in verb. *Chorepiscopi,* Witasse *in Appendice ad dissertationem de Episcopis,* art. 3, Le Droit, lib. 8, sect. ult. Hoc in sensu Hispalensis Concilii Canon commode accipitur, ut nimirum de iis Chorepiscopis, qui presbyteratus metam non excedunt, sit intelligendus. Iuvatur haec interpretatio ex alia lectione eiusdem Canonis, quem ex Concilio Hispalensi supra recitavimus, si editionem Conciliorum, quae anno 1585 sub auspiciis Sixti V Praedecessoris Nostri Venetiis procusa est, consulamus. Enimvero vol. 3, pag. 55, num. 7, in ipso Canonis contextu, Chorepiscopi, ac Presbyteri una sociantur; ita tamen, ut par utrisque tribuatur auctoritas. Canonis verba hic atteximus: *Septimo examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros ordinasse, qui tamen iuxta Canones*

unum sunt etc., qua verborum additione, nullum, ut cuique patet, Chorepiscopos inter ac Presbyteros, statuitur discrimen.

§ 8. Cardinalis Bellarminus, lib. 2, *De Confirmat.*, cap. 12, docet, inesse Episcopis integram, absolutam, et quae a nullo dependeat, authoritatem mini strandi Confirmationis, atque Ordinis Sacramenta, quibus Nos addimus et ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Ex quo fit, ut possint Antistites in propria Dioecesi eiusmodi iurisdictione pro libito uti; quamvis, si forte qui Episcopis praeest, id prohibeat, vel impediat, hoc in casu actus Superiore vetante exercitus, illicitus quidem sit, non etiam frustraneus. Verum, eodem Bellarmino teste in loco cit. longe dissimilis, ubi de simplici Sacerdote sermo est, militat ratio. Etsi namque Ordinis potestas, quae ex vi characteris Sacerdoti tribuitur, plena, integra, atque absoluta sit in Baptismi, atque Eucharistiae Sacramentis conficiendis; inops tamen, inchoata, atque a Superioris nutu dependens habenda est Sacerdotum potestas, quo ad collationem Confirmationis, ac Minorum Ordinum, atque ex pari ratione quoad ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Hinc sequitur, ut, nisi Superioris accesserit delegatio, mutila haec, atque infirma Sacerdotum auctoritas, neque in licitum, neque in validum actum erumpere possit.

§ 9. S. Thomas Theologorum facile princeps, in lib. 4, *Sentent.*, dist. 7, quaest. 3, art. 1, quaestiunc. 3, asserit Episcopatum, nihil Sacerdotio superaddere *per relationem ad Corpus Domini verum*, sed multo potiorem iurisdictionem conferre, habito respectu *ad Corpus Domini mysticum*. Ex quo infert, Summum Ecclesiae Pontificem, Episcoporum omnium caput, in quo potestatis omnimoda residet plenitudo, eam, qua pollet, absolutissimam auctoritatem in Corpus Christi mysticum, hoc est in Ecclesiam, exercere posse, ideoque ad ea perficienda, quae ad mysticum Christi Corpus quoquomodo pertinent, summo iure Sacerdotibus, qui ex vi Ordinis, ac praecipuo quodam iure Eucharistiae Sacramentum conficiunt, potestatem conferre, quod tamen Diaconis, *qui non habent perficere Corpus Domini verum*, iure ac merito denegatur. Huic nixus fundamento S. Doctor affirmat, simplicem Sacerdotem, a Summo Pontifice delegatum, Sacramentum Confirmationis, ac minores Ordines rite ministrare. Quidni ergo et Ecclesias poterit consecrare? Simplices Sacerdotes in extraordinarios Confirmationis, ac minorum Ordi num Ministros pluries fuisse designatos, satis probavimus in praelaudato Tractatu Nostro *De Synodo Dioecesana*. Illud ergo inquirendum superest, quonam tempore delegatam ad consecrandas Ecclesias iurisdictionem in usum revocaverint.

§ 10. Ad id demonstrandum nonnulli proferunt Diplomata Stephani II, quem putant ius tribuisse S. Anselmo Abbati Monasterii Nonantulani in territorio Mutinensi, ut *Altaria simul, et Ecclesiam Apostolica auctoritate consecraret;* verba sunt Pontificii Diplomatis apud Ughell., *Italia sacra*, tom. 2, in *Serie Episcoporum Mutinensium*, pag. 84, postremae editionis, cuius item Diplomatis seriem exhibet Abbas Muratorius, tom. 1, part. 2, *Scriptor. rerum Italicarum*, in *Opuscul. de fundatione Monasterii Nonantulani*, pag. 190, ac Bullarium Romanum Romae excusum anno 1739, tom. 1, constitut. 2, inter eas, quae Stephano II adscribuntur, pag. 150. Verum si Apostolicae Constitutionis verba paulo accuratius perpendantur, legenti patebit, Stephanum Pontificem Sergio Ravennatensi Archiepiscopo, non etiam Abbati Anselmo, Sergii dumtaxat consocio, auctoritatem contulisse, ut S. Silvestri, aliorumque Sanctorum Reliquias deferret Nonantulam, ibique Ecclesiam, ac Altaria initiaret; quandoquidem ea aetate vigebat adhuc mos, et disciplina, quae insequentibus item temporibus aliquandiu obtinuit, ut nimirum nefas esset Episcopis Ecclesias, inconsulto Pontifice, consecrare. Quo pertinent verba illa Nicolai I ad Consulta Archiepiscopi Vesonsionensis, relata in cap. 5, tom. 1, *Spicilegii* Lucae d'Achery, pag. 597: *Quomodo autem Chorepiscopos posse dicimus Ecclesiam consecrare, quas nulli Episcoporum licet sine nostro praecepto, secundum sanctas regulas, dedicare?* Vetustam hanc Ecclesiae disciplinam colligimus ex Can. *De locorum 4, De consecrat.*, dist. 1, atque ex iis, quae edisserunt Gonzalez in cap. *Ad haec, De consecrat. Eccles.*, n. 11 in fine, Grananet, ad lib. 3, *Decretal.*, tit. 36, in notis ad cap. *Ad haec, De religiosis domibus*, num. 3 et seq., et Garnerius in notis ad lib. *Diurn. Romanorum Pontificum*, cap. 5, pag. 91. Caeterum, ut in viam, a qua paulatim defleximus, regrediamur, Abbatiae Nonantulanae Ecclesiam a Ravennatensi Archiepiscopo fuisse initiatam, auctor est Pater Mabillonus, part. 1, saec. IV, *Sanctorum Ordinis Benedictini*, tom. 2, pag. 146, num. 62, editionis Lucensis, ubi refert geminam in territorio Nonantulano, Stephani Papae II iussu, peractam Ecclesiae Consecrationem, alteram quidem a Geminiano Mutinensi Episcopo, alteram vero ab Archiepiscopo Ravennatensi Sergio, qui post absolutum sacri ritus ministerium, tridui spatio cum Anselmo Abbate, eiusque Monachis commoratus est.

§ 11. Hoc igitur monumento posthabito, ad alia progrediamur. Constat cum primis, soli Episcopo ius competere Ecclesias consecratas, si polluantur, reconciliandi; contra vero simplici Sacerdoti id omnino vetitum, quamvis Episcopalis intercesserit delegatio. *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus: per Sacerdotes simplices hoc fieri de caetero prohibentes; non obstante consuetudine Provinciae Bracarensis, quae dicenda est potius corruptela:* verba sunt Gregorii IX, in cap. *Aqua, De consecratione Ecclesiae.* Posse tamen Summum Pontificem eiusmodi auctoritatem vel simplici Sacerdoti conciliare, fatetur Abbas in dicto cap. *Aqua;* quodque rem plane conficit, eamdem authoritatem pluries contulisse, testatur Innocentius ad praefatum caput *Aqua*, ita scribens: *audivimus ante, quod Papa pluribus Episcopis indulsit, quod per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aqua tamen per Episcopum benedicta.* Nec desunt e Regularium numero, qui de huiusmodi privilegio sibi plaudant, adhibita tamen aqua ab Episcopo benedicta, ut scite animadvertit P. Bremond, Ordinis Praedicatorum Generalis Magister, tom. 8, *Bullarii Ordinis Praedicatorum*, tit. 1, quaest. 4. Eadem Basilicae Vaticanae Canonicis, nimirum Priori, ex Constitutione Innocentii VI, quae in nupero *Bullarii Vaticani*, tom. 1, pag. 361, late exscribitur; nec non Altaristae, ex privilegio Urbani V, cuius autographum in Archivo eiusdem Basilicae servatur, tribuitur facultas, ut Basilicam ipsam, eiusque Cappellas, ac Coemeteria polluta, aquae ab Episcopo benedictae usu, valeant reconciliare. Haec tamen in iis dumtaxat Eccle-

siis, quas consecratio distinguit, locum habent; secus pollutas Ecclesias, quas sola benedictio, non etiam consecratio sanctificavit, reconciliare, cuique Sacerdotum conceditur, adhibita lustrali aqua, citra ullam delegationis necessitatem: *si Ecclesia non consecrata* (inquit Gregorius IX, cap. *Si Ecclesia, De consecratione Ecclesiae*) *cuiuscumque seminis fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinae Laudis organa suspendantur.*

§ 12. Sicuti Ecclesiae pollutae reconciliatio, ita et solemnis consecratio a Summo Pontifice vel simplici Sacerdoti iure demandatur; esto nec ad expiandam pollutam, neque ad consecrandam novam Ecclesiam, fas sit Episcopis simplicis Sacerdotis ministerio uti. Ita censent Azorius, *Institutiones Moralium,* tom. 1, lib. 10, cap. 27, quaest. 4, et Anacletus ad lib. 3, *Decretal.,* tit. 40, § 2, num. 32 et 33. Dictis facta respondent; cum multa suppetant exempla Romanorum Pontificum, qui Abbatibus Regularibus auctoritatem consecrandi Altaria in eorum Ecclesiis erecta, concesserunt. Quod ad Cassinenses Abbates pertinet, luculentissimum privilegium suppeditant Constitutiones Praedecessoris Nostri Pii IV consulendae in tom. 1 *Bullar. Ordinis Benedictini,* sub num. 175 et 176.

§ 13. Ab aliis abstinemus exemplis, cum illorum meminerit notissimus Auctor Clericatus, decis. 13, *De Sacrificio Missae,* num. 18 et seq., et num. 26. Pari silentio missa facimus, quae de celeberrimo Einsildensi Monasterio narrantur in Opere, cuius titulus: *Idea Congegationis Helveto-Benedictinae,* quod Opus typis Monasterii S. Galli anno 1702 editum haec habet pag. 18: *Ad annum 948, a S. Eberhardo Conradus Constantiensis Episcopus Sacellum consecraturus invitabatur. At praevenit illum in benedictionibus summus e Coelo Sacerdos, illudque Divina manu sacravit, humana, nisi oleum et operam perdere mallet, a Consecratione cessare iussa.* Quidquid enim sit de veritate historiae, nihil inde, quod Nostram iuvet causam, licet colligere.

§ 14. Illud vero ratum, indubiumque est, Paulum III Praedecessorem Nostrum Abbati Ludovico, eiusque in Einsildensi Abbatia Successoribus copiam fecisse, ut, quamdiu haereses obtinerent, Ecclesias, Oratoria, ac Coemeteria dedicarent, Pontificium Diploma anno 1542 die 19 Decembris evulgatum est, quod rursum Pius IV, Noster item Praedecessor, suis Litteris Apostolicis anni 1562 nova sanctione roboravit, servato eodem verborum tenore, qui sic habet: *Quod ipse Ludovicus, et pro tempore existens Abbas Monasterii huiusmodi, durantibus dictis haeresibus, praefatum Monasterium, et quaecumque ad illud pertinentia, Ecclesias, Oratoria, Coemeteria, et loca hactenus consecrata et benedicta, quovis modo pro tempore polluta, reconciliare, et nondum consecrata, et benedicta, nec non Calices, Patenas, Libros, vestimenta, et alia mobilia, ac etiam Tabernacula custodiae Eucharistiae, consecrare et benedicere.*

§ 15. Neque eiusmodi privilegia ignota delituere; quo enim tempore Rhodiorum Archiepiscopus Nuncii Apostolici munere in partibus Helveticorum fungebatur, Diplomatum Autographis in iudicium delatis, atque iis probe discussis, praefatus Archiepiscopus, Partibus hinc inde contradicentibus, hanc contra Ministros Curiae Episcopalis Constantiae sententiam tulit:

Visis documentis exhibitis, ex quibus constat manifeste, Reverendissimos Abbates Einsildenses pro tempore, a biscentum circiter annis, usque ad moderna tempora, quamplurimos, et varios actus solemnes ac publicos Consecrationis huiusmodi, gessisse, et exercuisse, etc., dicimus, decernimus, et definite pronunciamus, Reverendissimum Abbatem praedictum manutenendum, conservandum, ac defendendum fore et esse in quieta, et pacifica possessione Iuris consecrandi Ecclesias, et Cappellas suo Monasterio subiectas, et incorporatas, prout Nos ipsi manutenemus, conservamus, atque defendimus. Quae quidem sententia viget adhuc. Quod si forte eveniat, ut ea in Iudicii prosecutione aliquando revocetur, non iam ob defectum Apostolicorum Diplomatum, quae Abbatibus concessa fuere, id eveniet, sed potius privilegiorum abusus, qui praefinitos limites excessit, damnabitur.

16. Praeterea extat Elenchus, quem Nos ipsi perlegimus, in quo Ecclesiae, quas Corbeiensis Abbas dicavit, enumerantur, nec numerantur dumtaxat, sed insuper momenta adduntur, ac probationes compulsatae in actibus Tribunalis Romanae Rotae, occasione litis, quae inter Paderbonae Episcopum, et memoratum Abbatem exarsit; quam deinde sequuta est decisio Rotalis coram Millino, nunc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, die 5 Februarii 1745. Porro Corbeienses Abbates, Apostolicis privilegiis destituti, ad eiusmodi consecrationes perficiendas manum profecto non admovissent; ex quo indubia redditur sententia, quae docet, Romanum Pontificem posse Sacerdotibus, iis potissimum, qui in Abbates evaserunt, auctoritatem ad Ecclesias consecrandas conferre; quodque caput est, eiusmodi auctoritatem a Nostris Praedecessoribus reipsa in usum fuisse revocatam.

§ 17. Quo tandem spectent, quae hucusque narravimus, atque in hac Epistola quam tibi damus, collegimus, a Nobis si quaeras, ingenuos animi Nostri sensus aperire non dedignabimur. Ad Nostras pervenit manus Libellus hoc eodem anno Campidonae editus, cuius titulus: *Triplex Triumphus Campidonensis:* quod nempe circa consecrationem Abbatialis Ecclesiae ex Apostolico privilegio a te peractam, totus occupetur. In hoc Libello auctoritas a Nobis tibi collata usque adeo extollitur, ut *inaudita* dicatur; eiusmodi privilegii nullum in Monachorum chartis extare vestigium tuto asseritur; tandemque concessio tibi facta facilis nimirum indulgentiae portentum nominatur, quod Germaniam universam in sui traxit admirationem. Equidem putamus, haec atque his similia, magnificis verbis ideo iactari, ut beneficii magnitudo extollatur, atque ut maiores Benefactori grates referantur. Haud temere tamen suspicari licet, posse nonnullos, ex iis, quae liberius scribuntur, in eam adduci opinionem, ut credant, Nos hac in re aliquid, quod Praedecessores Nostri intactum reliquere, tibi exequendum demandasse. Etsi vero a graviori censura immune sit opus, quod Romanus Pontifex ex indita sibi auctoritate, quam in praesenti casu nemo inficiatur, in actum revocat; nihilominus ad quascumque ambages tollendas, illud tibi significandum duximus, morem hunc designandi Abbates, qui Ecclesias Chrismate per Episcopum benedicto consecrent, nec novum esse, nec a Nobis primo fuisse introductum.

§ 18. Equidem Tamburinus hac in re versatissimus, in Opere et loco a Nobis supra memorato, ait, se nescire, fuerit ne unquam Abbatibus collata

potestas, qua Ecclesias initiarent. Si hac verborum servata mensura Libellus loqueretur, iam nullus Nostrae huic Epistolae fuisset locus; verum, cum in exaggerationem effusus, modum excesserit, oportuit, ut de iis, quae et Nostrum Diploma vindicant, et praeposteram, quam ex Libello quis haurire posset, interpretationem evertunt, hic una colligeremus. Quocirca, ut rem hanc paucis conficiamus, fatemur, te ad consecrandam Abbatialem Ecclesiam a Nobis electum, magno utique, et eximio privilegio fuisse decoratum. Eiusmodi tamen privilegii alia succurrunt exempla, quae a Nostris Praedecessoribus ad Nos promanarunt. Multa item ac gravia Nobis praesto fuerunt argumenta, ut petitam delegationem tibi concederemus. Horum nonnulla in Litteris Nostris Apostolicis die 12 Martii praesentis anni editis indicavimus; alia, multo item in pretio habenda, praeterire maluimus; cum nulla Nos adigat ratio, ut imos animi Nostri recessus sive tibi, sive aliis manifestemus.

§ 19. Consecratione peracta, ac Libello, cuius supra meminimus, evulgato, cum iam nulla tibi ad aliam consecrationem peragendam facultas superesset, quandoquidem pro una dumtaxat vice, privilegium concessimus, esto, in caeteris Praedecessorum Nostrorum Diplomatibus favore Abbatum, eiusmodi limitatio nullibi occurrat, iterum oblatis tuo nomine precibus postulasti, ut Ecclesiam Ordinis S. Francisci intra iurisdictionis tuae limites erectam, aut solus, aut una cum Episcopo consecrares. Verum postulata reiecimus; nec Nobis grave erit in postrema harum Litterarum parte rationem, ac causas attexere, ob quas privilegium duximus denegandum.

§ 20. Et primo, quod ad Ecclesiae Ordinis S. Francisci consecrationem attinet, iam, ut putamus, eam, quae Nobis difficultatem ingerit, rationem facile assequeris. Quod si ea adhuc tibi impervia sit, Nos ultro dabimus. Solida nimirum Nos urget suspicio, ne, grati animi impetu abreptus, eadem repetas, et maiori fortasse verborum vi, ac amplitudine ingemines, quae in Libello de triplici Triumpho nuper conscripta sunt. Quod vero alteram postulati partem attingit, de consecrationis ritu ab Episcopo ac Abbate insimul peragendo, id Ecclesiae moribus, ac disciplinae nullatenus Nobis consonare videtur. Porro si de Sacerdotum degradatione casus incidat, possunt sane, ex praescripto Synodi Tridentinae, sess. 13, cap. 4, *De reformat.*, Episcopi atque Abbates ad id exequendum una convenire. Si privilegia, quae Summi Pontifices electis Episcopis nonnunquam concessere, inspiciamus, haud inficiamur, Episcoporum consecrationem, quae a tribus Episcopis perficienda esset, ab eorum uno, ac duobus sive Abbatibus, sive aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis, impleri posse, cum aliquando difficile admodum sit, tres Episcopos una convenire; nec invalida, sed solum illicita sit Episcopi consecratio, quam unus peragit Episcopus citra Apostolicam dispensationem, ut ex communiori opinione docent Cabassutius in *Notit. Ecclesiast. saec. IV*, ad can. 4 *Nicaenum;* Christianus Lupus ad *Concilia Generalia et Provincialia*, tom. 1, pag. 29 et 33; Iuvenin, *De Sacramentis*, dissert. 9, *De Ordinibus in specie*, quaest. 1, *De Episcopatu*, cap. 4; Cardinalis Gotti, *De Eucharistia*, tom. 15, *De Episcopatu*, dub. 4, § 1 et 2.

§ 21. At vero nullum suppetit exemplum, quod in Ecclesiarum consecrationibus, Episcopum atque Abbatem una componat. Desunt Pontificum

Privilegia; Episcoporum dispensationes frustra quaeruntur, cum nequeant Episcopi Abbates in consecrationum Comministros designare. Nec mirum subeat, si nulla occurrunt exempla, quae hac in re Abbates Episcopis addant consocios, cum possint Episcopi, secluso alterius ministerio, consecrationis munus obire. Neque Abbatum ministra manus Episcopo, qui Ecclesiam consecrat, pondus addit, aut numerum, ut in Sacerdotum degradatione, aut Electi consecratione revera superaddit. Mirari quoque non debes, si asseramus, Episcopis ius nullum esse, ut in Ecclesiis dicandis, Abbates in Comministros assumant; quandoquidem Abbates et simplices Sacerdotes pari in numero habendi. Nequit Sacerdos in Comministrum eligi ab Episcopo; nec Abbas igitur poterit in Comministrum designari. Haec sunt, quae, rerum circumstantiis ita suadentibus, tibi duximus significanda. Interim vero tibi, tuisque Confratribus Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. xx-xxvii].

394.

Benedictus XIV, ep. *Singulari*, 9 febr. 1749.[1]

Singulari Nobis consolationi, et universis totius Urbis Ordinibus exemplo est illa tua, quam assiduam cernimus et audimus, exercitatio in pietatis muneribus obeundis, iisque in primis, quae decent ordinem Sacerdotalem, quo Tute a Nobis fuisti in privato Sacello Nostro initiatus. Iudaeum autem ad Catholicam Fidem accedere cupientem, cum sis propediem Sacro Baptismatis lavacro expiaturus, mirifice hinc ostendis ea verba te semper in mente gerere, quae iuxta Pontificale Romanum, in tui Consecratione protulimus: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare.*

§ 1. At exorta, uti accepimus, haec controversia est, utrum scilicet, cum Hebraeus e secta Protestantium uxorem duxerit, quae aut haeresim eiuravit, aut eiurandae parata est, utrum, inquam, initum antea Matrimonium, post susceptum ab Hebraeo Baptisma, sit iterandum. Te igitur hac Nostra Epistola certiorem facimus, ambos, postquam Catholicae Fidei nomen dederint, per Baptismum alter, altera per haeresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo coniungendos. Nam quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitatis cultus*. In qua re declaranda, sermonem primo de Viro, tum de Muliere instituemus, diligenter investigantes, an eorum uterque, dum connubium iniit, illius esset impedimenti vinculo irretitus.

§ 2. Initium igitur a Viro sumimus, ac breviter indicamus quidquid hac in re tum Hebraica lege sancitum, tum Principum decretis constitutum sit; omissis Sacris Ecclesiae Canonibus, cum nullo modo possint iis accommodari, qui nunquam in eius sinum admissi sunt. *Quid enim mihi de iis, qui*

[1] Dilecto Filio Nostro Henrico S. Mariae in Porticu Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato.

foris sunt, iudicare? Sic S. Paulus epistola prima ad Corinthios, cap. 5, scripsit, cuius verba apte ab Urbano III Praedecessore Nostro ad rem nostram accommodata sunt cap. *Gaudemus, De divortiis.*

§ 3. Deuteronomii cap. 7, cautum est, ne Hebraeis liceret cum iis foeminis, quarum religio non esset eadem, matrimonio copulari. *Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia; filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et lib. I Esdrae, cap. 10, habetur, Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de Hebraeis esse, qui uxores duxerant infideles, ibique legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur: *Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël; et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum eius, et separamini a populis terrae, et ab uxoribus alienigenis.*

§ 4. Verum non videtur his sacrarum Literarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus,* matrimonia dirimens Hebraeorum cum mulieribus alienigenis. Primum quidem supradictus Deuteronomii locus ad cap. 7, explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint huiusmodi matrimonia, non infecta, ac irrita. Hoc magis magisque confirmat, quod lib. 3 *Regum,* cap. 11, legitur, iam lata scilicet Deuteronomii lege, Salomonem plures uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere prohibitum Hebraeis a Deo fuerat; quas quidem non Concubinarum loco ab ipso habitas fuisse Sacer Textus indicat; cum septingentas Reginas a trecentis Concubinis omnino distinguat. Accedit praeterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem habuit ex Gigantum progenie ortam. Et sexcenta alia praetermittimus, quorum vim ingenue fatetur celeberrimus Theologus Dominicus Sotus in 4 *Sent.*, dist. 39, quaest. unic., art. 1, licet is sentire videatur, illa Deuteronomii verba de impedimento agere non impediente, ut inquiunt, sed dirimente.

§ 5. Deinde vero etsi Soti sententia vera esset, tamen impedimentum dirimens non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem Nationes tantum, id est Hethaeos, Gergezaeos, Amorrhaeos, Cananaeos, Pherezaeos, Hevaeos, Iebusaeos, quae scilicet Deuteron., cap. 7, exprimuntur; id vero nullo pacto sufficit, ut impedimentum disparitatis cultus in Hebraica lege inter Hebraeos, et mulieres alterius cultus, et cuiuscumque Nationis, stabiliatur, iuxta egregiam S. Thomae doctrinam, qui in 4 sent., dist. 39, quaest. 1, art. 1, ad primum, sic scripsit: *Dicendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, ut cum iis possent inire coniugia, et de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Canaan,* qui memoratas paulo ante gentes comprehendunt. Quod vero praedicta Lege Deuteronomii ad cap. 7, dumtaxat tenerentur terrae Canaan habitatores, non autem caeteri, licet addicti diversae penitus Religioni, id clare perspicitur ex cap. 21 eiusdem Deuteronomii, ubi victoribus Hebraeis conceditur, eam captivam uxorem ducere, cuius forma ipsis egregia videretur. *Et videris in numero Captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, dormies cum illa, et erit uxor tua:* quod quidem et S. Thomas animadvertit loc. cit., in responsione ad secundum.

§ 6. Cum autem Esdras filios Israël a mulieribus alienigenis separaverit, non illud hinc sequatur necesse est, quod is nimirum Deuteronomii caput septimum ita interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus, irrita, infectaque matrimonia esse iusserit; quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem matrimonii vinculo, separatio quoad thorum fieret; ita tamen ut iure polygamiae nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, donec aut viri occumberent, aut ipsae ad Iudaicam accederent Religionem; ut sapienter animadvertit insignis Theologus Gulielmus Estius, lib. 4, *Sentent.*, dist. 39, § 3, vers. *Quod si dicas Esdram.* Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui in lib. *De adulterinis coniugiis,* cap. 18, de matrimoniis ab Esdra separatis, tanquam de veris loquitur, licet non legitimis, utpote contractis Dei praecepto non suffragante.

§ 7. Ex dictis liquet, incertum esse, ex Lege Mosaica, matrimonia Hebraeorum inita cum mulieribus exteris, et Religionis alienae, haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest, eadem Lege cautum fuisse, ut viri huiusmodi matrimonia ineuntes, ob disparitatem cultus, dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de Principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quae incipit, *Ne quis,* sub titulo Codicis *de Iudaeis,* cuius haec sunt verba: *Ne quis Christianorum mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat; neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur: Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vice commissi huiusmodi crimen obtinebit.* Verum duae hic occurrunt difficultates: prima, quod haec Lex utpote a laico Principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet: *Leges illae quomodocumque intellectae, non possunt praescribere Ecclesiae.* Sic Estius citato loco ad § *Si quis obiiciat.* Gravior altera est. Nam Theodosii lege, Hebraei cum Christiana matrimonium, ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum, sed ut adulterium, severissime damnabatur. *Leges autem Imperatoris dicendum est, dicta matrimonia ut adulteria punire, propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii.* Idem Estius.

§ 8. Quamobrem si in matrimonio, de quo nunc agimus, impedimentum disparitatis cultus intercesserit, inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit; quod ut cognoscatur, diligenter est perscrutandum, num Iure Canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesiae Catholicae consuetudine stabilitum; praeterea an mulier Protestantium haeresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum foedus iniit, dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut matrimonium irritum habeatur, directe quoad mulierem, oblique quoad virum; licet hic Superioris auctoritati, qui legem tulit, non sit obnoxius: eo ferme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea, si forte fierent, inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus Legislatori.

§ 9. Nunc, ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus Iure Canonico decretum fuerit, investigemus. Verum facilis est explicatio: Canones quippe a Gratiano collecti in causa 28, quaest. 1, revera fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita.

Et quamquam facerent, tamen quum Canones illi a Conciliis Provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis Universalis Ecclesia obligetur; quamvis praedicti Canones in Gratiani decreto locum habeant, et illud opus iussu Gregorii XIII emendatum fuerit; ut in quibusdam Nostris Operibus iam in publicam lucem editis satis superque a Nobis probatum est.

§ 10. Sequitur modo, ut cum impedimentum illud Iure Canonico statutum non fuerit, perquiramus, an communi Ecclesiae Catholicae consuetudine susceptum, atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem iure sacrorum Canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc saeculis viget, ac vim legis obtinet. Consulatur Cardinalis Bellarminus tom. 3, *controvers. de Sacram. Matrim.*, lib. 1, cap. 23, vers. *Tertia propositio*, Estius, loc. cit., § *Si quis obiiciat.*, et Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. et moral.*, lib. 2, *de Sacram. Matrimonii*, art. 8, § *Certum est*, recens Herminier *Tractatus de Sacram.*, tom. 3, pag. 477. Item etiam tom. 3 *Conventuum Ecclesiasticorum*, qui Parisiis habebantur, cum eiusdem Ecclesiae Archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles, lib. 1, convent. 1, § 3, ubi haec scripta sunt: *Omnes ferme Theologi sentiunt, nunquam Ecclesiam matrimonia Christianorum cum infidelibus aliquo Canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero, quod a Religionis diversitate procedit, ab usu consuetudineque Ecclesiae vim legis habente statutum fuisse.*

§ 11. Restat denique expendendum, an mulier ex haeresi Protestantium, dum Hebraeo nupsit, hac lege universali, ut diximus, Ecclesiae consuetudine inducta obligaretur, quae Christianorum cum Ethnicis, aut Hebraeis matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse iubet. Hac vero in quaestione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet, eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum non habet locum in matrimoniis eorum, qui haud sunt baptismate initiati, licet falsam ambo religionem sectentur: neque vim ullam habet in matrimoniis eorum, qui Baptisma susceperunt, etsi alter Catholicus, haereticus alter fuerit, quum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est, in eorum coniugiis, quorum alter Baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc Catechumenus esset, atque ad Catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur Textu in Can. *Cave 28*, quaest. 1, ubi haec habentur: *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis:* et praeter Sanctum Thomam *loc. cit.*, in responsione ad quintum, et praeter Sotum *loco superius laudato*, § *Hinc fit*, idem etiam decernunt Pontas in cas. 7, *ad verbum impedimentum disparitatis cultus*, Juvenin, *de Sacram.*, diss. 10, quaest. 2, § 2, vers. *Quaeres utrum Catechumeni*, Sanchez, *de Matrimonio*, lib. 9, cap. 12, num. 66 et seqq., Clericat., *de Matrim.*, decis. 26, num. 3. Cum vero haec communis Ecclesiae disciplina nunc vigeat, eique, ut innuimus, mulier Protestantium erroribus addicta subiiciatur, necesse erit, ut matrimonii foedus, quod cum Hebraeo iniit, cum hic Baptismate ablutus minime fuerit, per impedimentum *disparitatis cultus* irritum, infectumque habeatur.

§ 12. At obiicere quis forte posset, Baptismum, de quo nunc agimus, non quidem a Catholico, sed a Ministro Protestantium collatum fuisse; mulierem vero, utpote haeresi mancipatam, post susceptum Baptisma, extra sinum Ecclesiae Catholicae fuisse, nec ideo eius legibus obligatam. Sed haec diluere facile possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat: Haereticus aliquem baptizando, si formam adhibeat, et materiam legitimam, ut in muliere, de qua sermo est, peractum existimamus, is Sacramenti charactere insignitur. Hac enim ratione, tamquam fundamento, et S. Augustinus, et veteres Patres innitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant, ab Haereticis baptizatos rursus esse baptismate initiandos.

§ 13. Deinde id etiam compertum est, eum, qui baptisma ab Haeretico rite suscepit, illius vi Ecclesiae Catholicae membrum effici; privatus siquidem baptizantis error hac eum felicitate privare nequit, si Sacramentum conferat in Fide verae Ecclesiae, atque eius instituta servet in his, quae pertinent ad validitatem Baptismi. Egregie hoc confirmat Suarez in sua Fidei Catholicae defensione contra errores sectae Anglicanae, lib. 1, cap. 24, ubi probat Baptizatum Ecclesiae membrum fieri; hoc etiam addens, quod si haereticus, ut saepius accidit, infantem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo minus ille habitum fidei cum baptismo accipiat.

§ 14. Postremo exploratum habemus, ab Haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen ab eius auctoritate, et legibus liberari; ut sapienter Gonzalez disserit in Cap. *Sicut*, num. 12, *de haereticis*.

§ 15. Hoc quidem in transfugis, ac perduellibus observatum videmus, quos leges civiles a fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque Ecclesiasticae privilegia Clericalia iis Clericis non concedunt, qui Sacrorum Canonum iussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles, aut Clericos Canonum violatores, suorum Principum, aut Praelatorum auctoritati non subiacere.

§ 16. Haec exempla, ni fallimur, pertinent ad quaestionem: ut enim illi, sic haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus Ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter Ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostra etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier baptismo initiata Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse. Consulatur Anacletus, lib. 4, *Decretal.*, tit. 3, *de clandestina desponsatione*, § 3, num. 142 et seqq., qui praedictae sententiae inhaerens, matrimonia ab haereticis inita statuit esse invalida, si impedimentum dirimens ab Ecclesia sancitum, aut universali lege, aut communi consuetudine, quae vim legis obtinet, intercedat.

§ 17. At vero ne silentio aliquid dissimulemus, fatemur allatas rationes sufficere non potuisse, ut Matrimonia, quae in Belgio, absente Parocho Catholico, aut inter Haereticos, aut inter Catholicos et Haereticos contracta fuerant,

rescinderentur, cum Nosmetipsi Decretum fecerimus die 4 Novembris 1741,[1] quo statuimus prima esse valida, secunda illicita, sed non irrita; quamvis Concilium Tridentinum impedimentum dirimens pro iis matrimoniis statuerit, quae post eius promulgationem non coram Parocho Catholico, et duobus testibus contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est, in huius controversiae investigatione, quam an. 1741 explicavimus; Nos ipsos et Nostra, et multorum, quos consuluimus, sententia existimasse, firmas certasque manere praedictas antea rationes; sed ad rem, de qua agebamus, minime aptas esse. Ex verissimis siquidem argumentis coniecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis an. 1741 solutae occasionem dedere; ut commode colligi potest ex suffragiis Theologorum, et Canonistarum, qui hac de re scripserunt, quae Romae in publicam lucem edita sunt in Tomo unico foliorum Congregationis Concilii an. 1741. Quo quidem veritas superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo Episcopus, si nolit aliquando corrigere, aut punire Clericum, qui Canonum sanctionibus non obtemperat, nec privilegiis fruitur; Episcopus, inquam, non dubitatur, quin alias, si velit eum libere possit aut arguere, aut punire.

§ 18. At obiici adhuc posse cognoscimus, existimandum esse, Ecclesiam noluisse impedimento disparitatis cultus ea matrimonia subiicere, quae ab haereticis Protestantibus cum Hebraeis contracta sunt, in iis praecipue regionibus, ubi illud, de quo sermo est, initum fuit; cum hoc impedimentum vim ex consuetudine obtineat, nullamque in illis matrimoniis, nec in illis regionibus consuetudinem huiusmodi vigere compertum sit.

§ 19. Respondemus autem veterem hanc esse quaestionem, atque a Patre Lessio tum excitatam, cum primum Iaponenses, et Sinenses a falsorum Deorum cultu ad veri Numinis Religionem transierunt. Cum enim idem Lessius assereret, nullam apud eos huiusmodi esse consuetudinem, idcirco matrimonia ibidem inter baptizatos, et non baptizatos inita esse rata existimabat. Eadem controversia disceptata fuit ab illis, qui in Seminario Missionum Parisiis degunt. Perlegere etiam fas est dubium a Patre Lessio excitatum apud Verricellum, *De Missionibus*, lib. 3, *de Legibus*, quaest. 79, num. 1, apud Dianam *in Edit. coordin.*, tom. 6, tract. 1, resolut. 13, sub § 2, apud Clericat. decis. 26, num. 23. Quod vero ab his, qui in Seminario Parisiis degunt, discussum est, legi potest in citato Conventu 1, *De matrimonio*, cum Ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noailles, § 4. Verum controversiae finis cum constitutus deinde fuerit, decernendo, consuetudinem non susceptam posse id efficere, ut Sancta Sedes, cum coeperunt Sinenses, Iaponensesque Catholicam Fidem amplecti, Vicariis Apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmodum in praedicto § 4 indicatur, et quemadmodum factum legimus in documento, quod est inter Constitutiones Apostolicas ad Missiones Sinarum, et Tunkini spectantes, Parisiis editas an. 1676, pag. 38, et inter epistolas Card. d'Ossat Parisiis typis mandatas an. 1627,

[1] Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 87-89.

epist. 311, ubi refertur amplissima facultas Missionariis a Gregorio XIII concessa, ut novos Christifideles Provinciarum, Insularumque Iaponiae impedimento illo solverent, et liberarent. Cumque huiusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur, satis superque id est, ut clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta obiiciebatur; cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat.

§ 20. Quamobrem ad propositum redeuntes, compertum habeas, quod postquam mulier haeresim more solito in idoneo Tribunali eiuraverit; Tu vero Hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram Parocho matrimonium erit iterandum, a Concilio Tridentino praescripta forma servata; quum Baptismi sacramentum sit ianua caeterorum. Hic autem Nos finem imponentes Tibi, Dilecte Fili noster, Tuaeque Regiae Domui, ex animo Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 4-15].

395.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Annus qui*, 19 febr. 1749.[1]

Annus, qui hunc vertentem annum insequitur, ut Fraternitas Tua cognitum, et compertum habet, Iubilaeus est. Et quoniam, bello confecto et poenitus sublato, summa Dei miseratione, pax inter Principes, qui decertabant, inita est, fas est sperare in Domino, magnos exterarum nationum, etiam longe dissitarum, ad hanc almam Urbem fore concursus. Nos quidem enixe Deum deprecamur, atque etiam ab aliis orari cupimus, ut omnes, qui ad hanc Urbem se conferunt, spirituales fructus Sanctarum Indulgentiarum consequantur, idque, ut eveniat, pro virili Nostra, quam diligenter curabimus. Optamus etiam, ut omnes, qui Romam veniunt, ne moribus nostris offensi recedant; sed potius ex iis, quae in hac Urbe, atque in aliis Civitatibus Ditionis Nostrae, per quas iter eos facere contigerit, conspexerint, ad eorum patrias redeuntes, incitamenta referant atque exempla virtutum. Quod autem ad Romam attinet, jam ex parte a Nobis provisum est, et uberius etiam in posterum providebitur: pro iis vero, quae ad Dioecesim, quae a te recte prudenterque regitur, pertinent, Nobis opus est pastorali tuo zelo, probataque sollicitudine; quod si adiutricem manum, ut certo confidimus, admovere velis, minime dubitamus, non solum Nos assecuturos id, quod in votis est, sed insuper fore, ut Ecclesiastica disciplina, ex iis, quae a Nobis praecepta fuerint, composita, non modo per totum Annum Sanctum, sed per plures deinceps annos integra, immotaque permaneat. Id enim ipsum continget, quod usu venire compereris in Sacris Pastoralibus visitationibus; cum enim Ecclesiastici Pastoris adventum Clerici, Saecularesque homines opperiuntur, et ante et postquam Episcopus advenit, studiose satagunt, ut quae prava

[1] Ad Episcopos per Ditionem Ecclesiasticam constitutos.

sunt, corrigantur; quae infirma, curentur; quae mala, amoveantur; adeo ut earum fructus non solo visitationis tempore, sed longe post perseveret.

§ 1. Sed ut ad rem propositam veniamus, quod in primis Tibi enixe commendamus, illud est, ut Ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundae, sacraque Suppellectili instructae; facile enim quisque intelligit, si advenae per hanc nostram Ecclesiasticam ditionem iter agentes, intueantur Ecclesias Civitatum, ac Dioecesum ruinosas, illuvie, et squallore deformes, sacris vestibus indigentes, vel habentes laceras, sordidas et eius conditionis, ac status, ut dignae sint, quae interdicantur, certe nostris moribus offensae, atque indignatae ad suas regiones revertentur. Hic autem adverti volumus, Nos verba facere non de sumptuositate, et sacrorum Templorum magnificentia, nec de divite, ac pretiosa suppellectili; non enim Nos latet haec non omnibus in locis haberi posse; sed decentiam, et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire, et componi possunt. Inter caetera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat Ven. Card. Bellarminus: *Omitto,* inquiens, *quod alicubi vasa sacra, et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa esse non possunt, saltem munda, et nitida procurarent.* Quamobrem Praedecessor noster rec. mem. Benedictus XIII, cuius labores pro Ecclesiastica disciplina vel servanda, vel restituenda, Ecclesiarumque decore procurando notissimi sunt, proponere solebat in exemplum Patrum Cappuccinorum Ecclesias, in quibus est summa paupertas, aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offert. Drexelius tom. 17 suorum Operum, quae Monachii impressa sunt, in Tractatu, qui inscribitur *Gazophylacium Christi,* part. 2, cap. 2, pag. 153, ita scribit: *Primum, ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.* Et iure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas, et cultas habent, Ecclesias vero in squallore, et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas, et ornatissimas: in eorum Templis, ac Sacellis squallent omnia: Arae a frontalibus nudae vix laceris, et sordidis pannis insternuntur: in caeteris omnibus confusio, et squallor.* Magnus Ecclesiae Doctor Hieronymus in Epistola ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit, pauperes ne, an divites sint Ecclesiae. *Alii aedificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore, argentoque valvas, et gemmis aurata distinguant Altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet: meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare.* At vero Ecclesiarum munditiem maxime facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens, ac sollicitus fuit in nitore, et munditia Ecclesiarum, atque Altarium curanda, ut videre licet in eiusdem Nepotiani Epitaphio, quod Sanctus ad Heliodorum misit: *Erat ergo,* ait, *sollicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita; non minus, non maius negligebat officium.* Profecto sedulo, ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima Ecclesiastici Ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Cardinalis Bellarminus: *Ego,* ait, *cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem, et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam, et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque, et reliqua omnia nitida, et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam ascendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria; id est vilia, et sordida, ut vix auderem in tali loco, et cum tali apparatu Divina mysteria celebrare.*

§ 2. Altera res est, ad quam curam tuam, et sollicitudinem excitamus, ut horae Canonicae, pro more et instituto cuiusque Ecclesiae, canantur, seu recitentur, prout decet, ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim est magis Ecclesiasticae disciplinae inimicum, aut perniciosum, quam Divinam Psalmodiam in Ecclesiis Dei contemptim, aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua Canonici, aliique Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, et Collegiatarum ad quotidie Horas Canonicas in Choro cantandas tenentur: cui obligationi satis ille utique non facit, qui Ecclesiasticae Psalmodiae munere, nulla animi attentione, oscitanter indiligenterque perfungitur. Summ. Pont. Innocentius III in Concilio Lateran. relato in cap. *Dolentes, de celebrat. Miss.,* de eadem obligatione loquitur in hunc modum: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut Divinum Officium nocturnum pariter, et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, et devote.* Ubi Glossa explicans verbum illud *studiose,* haec subiicit: *Quantum ad officium oris, id est sine syncopa;* et ad verbum *devote* talia adnotat: *Quantum ad officium cordis.* Clemens V Praedecessor noster in Concilio Viennensi in sua Constitutione, quae inter Clementinas reperitur, et cuius initium est: *Gravi,* sub titulo *de celebratione Missarum* eodem modo loquitur: *ut in Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Et Concilium Tridentinum, cap. 12, sess. 24, *de Reformatione,* tractans de obligationibus Canonicorum Saecularium: *Omnes vero,* inquit, *Divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere, et inservire; atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit, aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant, et ut altera pars Chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur, priusquam altera antecedentem absolverit. *Nec prius psalmi una pars Chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi, et versiculi finiantur.* Sunt verba Concilii Salmuriensis an. 1253. Demum ut cantus vocibus unisonis peragatur, et Chorus a peritis in cantu Ecclesiastico (qui cantus planus, seu firmus dicitur) regatur. Huiusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum, efformandumque multum elaboravit S. Gregorius Magnus Praedecessor noster, ut testatur Ioannes Diaconus *in eius vita,* lib. 2, cap. 7. Hoc autem loco plura addere, quae ad Ecclesiasticam eruditionem pertinent, de Ecclesiastici cantus origine, de Cantorum Schola, et Primicerio, qui ei praesidebat, haud difficile Nobis

esset; sed praetermissis, quae minus necessaria videntur, eo, unde paulo digressi sumus, rem propositam exequentes revertamur. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus harmonicus, seu musicus dicitur, merito praefertur. Hunc quidem Monachi a Presbyteris Saecularibus didicerunt; et cum ab ipsis accurate, diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur: contra autem negligatur a nonnullis Clericis, oscitanterque persolvatur; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regularium Ecclesiae, quam Saecularium adeantur; ut bene advertit Iacobus Eveillon in suo Tractatu *de recta ratione psallendi*, ad cap. 9, art. 9, pag. 99: *Sordescit quippe sanctis auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus, et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut, relictis hodie Ecclesiis Collegiatis et Parochialibus, tam libenter, et avide concurrat populus fidelis ad Ecclesias Monachorum, qui magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate, et ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo, ut Domino, et Deo, cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis, et maioribus, a quibus Monachi et canendi, et psallendi artem, et regulam didicerunt.* Et ideo Sacrum Concilium Tridentinum, quod nihil eorum, quae ad reformationem Cleri conferre poterant, praetermisit, cap. 18, sess. 23, *de Reformatione*, ubi agit de Seminariis instituendis, inter caetera, quae Seminariorum alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis: *Ut vero in disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu Clericali semper utentur, Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

§ 3. Tertia res est, de qua Nos te admonere opus est, ut musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est, et qui Organi, aliorumque Instrumentorum harmoniae coniungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum, aut theatrale resonet. Universus quidem Orbis Christianus Organi, aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit; praeter enim Ruthenos Ritus Graeci, qui in suis Ecclesiis neque organum, neque alia musicae instrumenta habent, teste Patre le Brun, tom. 2, *Explication. Miss.*, pag. 215, Nostra Pontificia Cappella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum, piumque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone in suo *Musaeo Italico*, tom. 1, pag. 47, § 17: *Dominica Trinitatis, Cappellae, ut vocant, Pontificiae interfuimus etc. Nullus organorum musicorum usus in huiusmodi sacris, sed sola vocum musica, eaque gravis cum plano cantu admittitur.* Refert Grancolas in *Commentario historico de Breviario Romano*, cap. 17, etiamnum in Galliis aliquas insignes Ecclesias reperiri, quae organum, cantumque musicum, seu harmonicum in sacris functionibus non adhibent: *Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesiae, quae organorum, et musices usum ignorant.* Illustris Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificiae Cappellae secuta, nunquam organo uti voluit: *Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia Instrumenta. Nam etiam nunc Romae in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis Officiorum solemnia celebrantur; et Ecclesia Lugdunensis, quae novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit.* Sunt verba Cardinalis Bona in Tract. *de Divin. Psalm.*, cap. 17, § 2, n. 5. Quam igitur opinionem de Nobis accepturi sint, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad Nos, nostrasque Urbes proficiscuntur, in quorum Ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris, aliisque profanis locis, facili quisque per se coniectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum Ecclesiis cantus, et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes, et pii sint, dolebunt quidem, in cantu et sono Nostrarum Ecclesiarum, remedium illud, quod malo suarum Ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse. Etenim, omissa controversia illa, qua nonnulli inter se decertant, quorum alii cantum musicum, et musicorum instrumentorum usum in Ecclesiis reprobant, ac vituperant; alii vero probant, ac laudant: nullus certe est, qui inter cantum Ecclesiasticum, et scaenicas modulationes discrimen aliquod non desideret, et theatrales profanosque cantus in Ecclesiis tolerari non condemnet.

§ 4. Diximus reperiri, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in Ecclesiis adhiberi minime probant. Horum princeps quodammodo dici potest Abbas Aelredus, coaevus et discipulus S. Bernardi, qui lib. 2, *eius Operis, quod inscribitur Speculum Charitatis*, cap. 23, tom. 23, *Biblioth. Patrum*, pag. 118, ita scribit: *Unde, cessantibus iam typis, et figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potias fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio, et infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, et incidit.* Asserere quidem non audemus, aetate S. Thomae Aquinatis, nullis in Ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse: illud utique affirmare licet, in Ecclesiis minime fuisse, quae Santo Doctori notae, et cognitae erant; ideoque huiusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim 2, 2, q. 91, art. 2, quaestionem illam, utrum in Divinis laudibus sint cantus assumendi; respondet assumendos esse; sed cum sibi quarto loco opponat: *Instrumenta musica, sicut cytharas et psalteria, non assumere Ecclesiam in Divinas laudes, ne videatur iudaizare;* cum in Psalmo 32 legatur: *Confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Respondet: Huiusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem, quam interius disponere ad pietatem; in veteri autem Testamento ideo adhibita fuisse: *quia populus erat magis durus, et carnalis, unde erat per huiusmodi instrumenta provocandus, sicut et per promissiones terrenas.* Addit insuper, instrumenta in veteri Testamento typos seu figuras aliquarum rerum fuisse: *Tum etiam* ait, *quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* De Summo Pontifice Marcello II literis traditum est, secum deliberasse, musicam in Ecclesiis abolere, cantumque Ecclesiasticum ad cantum planum redigere, ut cuique compertum fieri potest ex eius Vita, quam scripsit Petrus Polidori nuperrime defunctus

Beneficiatus Basilicae S. Petri, vir inter Literatos non ignotus. Aetate nostra vidimus Cardinalem Thomasi, virum sanctitate vitae, eximiaque in Liturgicis rebus eruditione insignem, in Ecclesia sua Titulari S. Martini ad Montes die festo eiusdem Sancti, in cuius honorem Ecclesia dedicata est, in Missa, et Vespertinis Officiis concentus musicos haberi noluisse; sed ut a viris Religiosis, in sacris peragendis, cantus planus adhiberetur, praecepisse.

§ 5. Diximus esse aliquos, qui usum musici cantus cum Instrumentis in Divinis Officiis approbant. Nam eodem saeculo, quo vixit laudatus Abbas Aelredus, floruit etiam Ioannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui lib. 1, *Policratici*, cap. 6, Musicam organicam, seu concentum vocum, et instrumentorum laudat: *Ad mores itaque instruendos, et animos exultatione virtutis traiiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed et instrumentorum modos, censuerunt sancti Patres Domino applicandos, cum Templi reverentiam dilatarent.* S. Antoninus *in eius Summa*, part. 3, tit. 8, cap. 4, § 12, non reiicit cantum harmonicum in Divinis Officiis: *Cantus quidem firmus in Divinis Officiis a Sanctis Doctoribus institutus est, ut Gregorio Magno, Ambrosio, et aliis. Biscantus autem in Officiis Ecclesiasticis quis adinvenerit, ignoro: pruritui aurium videtur magis deservire, quam devotioni; quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admittit in Divinis Officiis non solum organum, sed etiam alia instrumenta musica: *Sed et pulsatio organorum, vel aliorum instrumentorum ad Divinam laudem initium virtutis habuisse a Propheta David.* Constituerat quidem Marcellus II Pontifex ab Ecclesiis cantus musicos, et musica instrumenta removere; sed Ioannes Petrus Aloysius Praenestinus Magister Cappellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in sacris Missarum solemnibus peroolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animos, et devotionem moverent. Itaque illis auditis a Summo Pontifice, qui Missae interfuit, mutata voluntate, ab eo, quod sibi proposuerat, recessit, quemadmodum ex antiquis monumentis tradidit Andreas Adami in suis observationibus ad Cappellam Pontificiam *in praefat. histor.*, pag. 11. In Concilio Tridentino actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis; sed cum ab Imperatore Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, cantum musicum, seu figuratum, fidelium animis incitamento ad devotionem, et pietatem esse: Decretum, quod iam adornatum fuerat, moderari placuit, uti legitur in sess. 22, *in Decreto de observ. et evit. in celebrat. Missae.* In eo autem ab Ecclesiis solum reiectae fuerunt musicae illae, *ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquod miscetur.* Haec narrantur a Grancolas *in laudato Commentario*, pag. 56, et a Cardinali Pallavicino *in hist. Concilii*, lib. 22, cap. 5, num. 14. Profecto Ecclesiastici Scriptores magni nominis libenti animo eamdem sententiam sequuntur. Ven. Cardinalis Bellarminus tom. 4, *controvers.*, lib. 1, *de bonis operibus in particulari*, cap. 17 in fine docet, retinendum esse in Ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: *Ex quibus omnibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem semita insistit Cardinalis Caietanus in sua *Summa* ad Verbum *organum*, ubi talia habentur: *Organorum usus in Ecclesia licet sit novus, in cuius signum Ecclesia Romana adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.* Ven. Cardinalis Baronius ad annum Christi LX ita scribit: *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul iunctis confecta, haud iure quis poterit improbare.* Cardinalis Bona, *de Divina Psalmodia*, cap. 17, agens de organis, quae in Ecclesiis pulsantur: *Non tamen*, inquit, *damnari debet moderatus eorum usus etc.; laetificat organorum concentus tristes hominum mentes, et supernae Civitatis insinuat iucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat iustos ad amorem, peccatores ad compunctionem.* Suarez, tom. 2, *de Religione*, lib. 4, *de Horis Canonicis*, cap. 8, num. 5, animadvertit, organi nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo Organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod iam ante notatum fuit a S. Isidoro, lib. 2 *Originum*, cap. 20: *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*); ideoque concludit, recepto in Ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse. Et Sylvius, tom. 3 *suorum Operum super 2, 2 S. Thomae*, quaest. 91, art. 2, cantum harmonicum, seu figuratum ab Ecclesiis non repellit: *Ideoque*, ait, *magna cura habenda est cantus Ecclesiastici, tum eius, qui planus, seu Gregorianus dicitur, qui proprie est Ecclesiasticus, tum eius, qui postea in Ecclesiam est introductus, et vocatur figuratus, sive harmonicus.* Et paulo post: *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesiasticis Officiis Instrumenta musica adhiberentur: nullo modo est improbandum.* Bellotte in lib. *de Ritibus Ecclesiae Laudunensis*, pag. 209, sub num. 8, posteaquam de musicis instrumentis ample, ac fuse locutus est, quae in Divinis Officiis nonnunquam adhibentur, et posteaquam ostendit antiquitus in Ecclesiis usui minime fuisse, nullam aliam causam veteris huius moris, diversaeque consuetudinis fuisse existimat, quam necessitatem, qua tum adstringebantur Christiani, ut quoad fieri posset, recederent a profanis Ritibus Gentilium, qui in theatris, in conviviis, in sacrificiis, instrumentis musicis utebantur. *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus, et musicalibus instrumentis, sed quod a Gentilibus eiusmodi musica instrumenta in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in theatris, conviviis, ac sacrificiis consueverint adhiberi.* Persicus in suo Tractatu *de Divino et Ecclesiastico Officio*, dub. 5, num. 7, ita loquitur de cantu figurato in Ecclesiis: *Dico secundo, quamvis in cantu organico, seu figurato, multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis Ecclesiasticis caeremoniis accidit; ipsum tamen per se, si debite, religiose, et decenti moderatione fiat, licitum esse, nec ullo iure prohibitum.* Et ad dub. 6. num. 3 tenet, quod *organorum, et aliorum instrumentorum universalis usus in Divinis Officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfctorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.* Et quidem usus cantus harmonici, seu figurati, et musicorum instrumentorum in Missis, Vesperis, aliisque Ecclesiasticis functionibus adeo longe processit, ut ad Paraguajam usque Regionem pervenerit. Etenim cum novi illi fideles Americani optimam indolem, et ingenium habeant ad musicos cantus, et ad organica instrumenta pulsanda, et facillime, quae ad musicam artem pertinent, ediscant, exinde

occasione capta Missionarii eorum animorum propensioni obsequendo, piis, devotisque cantibus ad eos deducendos ad Christi fidem usi sunt; adeo ut in praesenti nullum fere discrimen, neque quoad cantum, neque quoad sonos, in Missis et Vesperis nostrarum regionum, et illarum intercedat, iuxta ea, quae ex veridicis relationibus refert Abbas Muratori in *Descriptione Missionum Paraguai*, cap. 12.

§ 6. Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in Ecclesiis non detestetur, et qui diversitatem aliquam non requiret inter sacros Ecclesiae, et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus S. Hieronymi relatus *in Can. Cantantes*, dist. 92: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant haec adolescentuli: audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragoedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, et cantica.* Cuius auctoritate abutebantur illi, qui audacter nimis omne genus cantus ab Ecclesiis summoveri volebant; sed Sanctus Thomas *loco laudato*, respondens iis, quae secundo loco ex verbis S. Doctoris mox allatis sibi opponit: *Ad secundum*, inquit, *dicendum, quod Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico.* S. Nicetius, lib. *de Psalmodiae bono*, cap. 3, tom. 1 *Spicilegii*, cantum in Ecclesiis adhibendum his verbis describit: *Sonus etiam vel melodia consentiens sanctae Religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae in vobis veram Christianitatem demonstret, non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat.* Patres in Toletano Concilio congregati anno 1566, act. 3, cap. 11, tom. 10, Collect. Conciliorum Harduini, posteaquam plura locuti sunt de qualitate cantus in Ecclesiis adhibendi, hoc modo concludunt: *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumque classicos modulos referens, in Dei laudibus decantandis imitetur.* Non desunt plures eruditi Scriptores, qui acriter reprehendunt, scaenicos sonos, et cantus in Ecclesiis patienter tolerari, precanturque, ut huiusmodi abusus ab Ecclesiis ablegentur. Videatur Casalius, *de veteribus sacris Christianorum Ritibus*, cap 34, et Abbas Ludovicus Antonius Muratori, tom. 1, *antiquae Romanae Liturgiae*, in Dissertatione *de Rebus Liturgicis*, cap. 22 in fine. Et tandem, ut sermonem hac de re absolvamus, nempe de abusu theatralium concentuum in Ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeat verbis et probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati sunt, tanquam qui usui cantus figurati seu harmonici, et musicorum instrumentorum in Ecclesiis faverent, palam profiteri, ac testari, se quaecumque scripserunt, ea mente et consilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu, et sono, scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aeque ac alii reprobant, atque execrantur, sed de cantu, et sono, qui Ecclesias decet, et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

§ 7. Hoc autem posito, quod in Ecclesiasticis officiis cantus harmonici, seu figurati, et musicorum instrumentorum usus receptus sit, et solummodo abusus reprobetur; quod etiam considerat Binghamus, licet auctor heterodoxus, tom. 6, *originum Ecclesiastic.*, lib. 14, § 16, sequitur, ut diligenter

inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Sed ut quod propositum est, exequi recteque obire possimus, opus Nobis foret peritia artis musicae, qua praediti fuerunt aliqui ex Nostris Sanctis et praeclaris Praedecessoribus, Gregorius Magnus, Leo II, et Leo IX, et Victor III. At vero quia hanc artem ediscendi nec tempus Nobis, neque occasio fuit, aliqua tantum indicare contenti erimus, quae ex Constitutionibus Nostrorum Praedecessorum, et piorum doctorumque hominum scriptis collegimus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in Ecclesiis canenda sunt; deinde de modo, ac ratione, qua cantus institui debet; denique de Instrumentis musicis Ecclesiarum propriis, quibus in sacris Templis cani debet.

§ 8. Guillelmus Durandus, qui Apostolicam Sedem gubernante Nicolao III vixit, usum cantilenarum vulgo *motetorum*, qui eius aetate vigebat, aperte improbat *in tractatu de modo Generalis Concilii celebrandi*, cap. 19: *Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti, et inordinati motetorum, et similium non fierent in Ecclesia.* Postea Ioannes XXII Pontifex Praedecessor Noster promulgavit suam Decretalem, quae incipit *Docta Sanctorum*, et inter Extravagantes communes reperitur;[1] in ea *motetorum* cantum lingua vulgari se abominari ostendit: *Motetis*, inquiens, *vulgaribus nonnunquam inculcant.* Cum itaque examen cantus huiusmodi cantilenarum seu motetorum in Ecclesiis Theologi aggressi fuissent; ex horum numero Paludanus in 4. *senten.*, dist. 15, quaest. 5, art. 2, motetorum cantus perinde habuit ac cantationes scaenicas, redarguens eos, qui illis utuntur: *qui canunt*, ait, *moteta in festis, quia cantus non debet esse tragaedicus.* Favisse videtur motetis Suarez, tom. 2, *de Relig.*, lib. 4, *de Horis Canonicis*, cap. 13, num. 16, etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, affert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quae licet a Sapientibus Praelatis regantur, in eis tamen cantilenae, seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper, quoniam in primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hac consuetudine, usum motetorum quodammodo approbari. Advertens autem id, quod ei obiici posset, huiusmodi modulatis carminibus, quae moteta vocant, Ecclesiasticam psalmodiam interrumpi, ita respondet: *Nec interruptio illa, vel mora, quae tunc fit inter partes alicuius horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur; et ita cantus ille potest censeri veluti dispositio ad sequentia, et solemnis, ac congrua terminatio praecedentium, et ornatus totius horae.* Vertente an. 1657, Summus Pont. Alexander VII Constitutionem edidit, cuius initium est: *Piae sollicitudinis*, inter alias autem eiusdem Pontificis, num. 36.[2] In hac autem praecepit, ut per id tempus, quo Divina persolvuntur officia, et quo publicae fidelium venerationi in Ecclesiis sacramentum Eucharistiae expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali Romano; quae

[1] C. un., *de vita et honestate clericorum*, III, 1, in Extravag. com.
[2] Cf. Bull. Rom., tom. 6, IV, p. 179, 180.

in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cuiusque diei festo, vel Sancti solemnitate, praescribuntur; vel ex Sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus; ita tamen ut antea a Sacra Rituum Congregatione recensenda, et approbanda sint. Porro ex huiusmodi Pontificia Constitutione videtur, cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexandro Praedecessore Nostro praescripta, composita, et a Sacra Congregatione recensita, et probata sunt, procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem Venerabilis Servus Dei Innocentius XI Decreto suo *die 3 Decembris 1678* confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda, atque interpretanda Constitutione Alexandri, et Decreto Innocentii XI, fel. rec. Innocentius XII Praedecessor Noster *die 20 Augusti 1692* aliud Decretum promulgavit, quod est num. 76, *in eius Bullario.* In eo autem, offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum, seu motetorum cantum prohibuit. In sacrarum autem Missarum solemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriae, et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale, et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, antiphonae, quae initio cuiusque Psalmi, vel in eius fine dicuntur. Insuper voluit et iussit, ut cantores Musici omnino legem Chori sequerentur, et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in Choro fas non est aliquid addere Officio, vel Missae, ita etiam musicis noluit id licere; et illud dumtaxat concessit, ut ex Officio, et Missa, quae in solemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel ex Antiphonis, aliisque relatis in Breviario et Missali Romano, carmen aliquod, seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra Hostia elevatur, vel publice veneranda, et colenda exhibetur.

§ 9. Lege autem Ecclesiasticis cantiunculis, seu modulatis carminibus, aut motetis posita, negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest, et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriae, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii, et caeterorum omnium, quae rite, ac de more in Missis, et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatrali more, et scaenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Guillelmus Lindanus in sua Panoplia Evangelica, lib. 4, cap. 78, cantui musico in Ecclesiis non adversatur; sed frequentes repetitiones, et vocum confusiones improbat, proponitque, ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendam, quibus equidem perlibenter assentiar, si una pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius, et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronunciationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.* Drexellius in suo opere *Rethoricae coelestis,* lib. 1, cap. 5, opportune ad rem nostram ita exclamat: *Hic pace vestra dixerim, o musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, et parum profecto religiosum, theatro aut choreis convenientius, quam Templo. Artificium quaerimus, et perdimus priscum precandi, ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec, et tripudians cantandi ratio, nisi comoedia est, in qua cantores, velut actores sunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul prodeunt omnes, et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus, caeteris brevi secuturis.* Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo, Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis, in suo *Theatro critico universali,* serm. 14, peritia et scientia notarum musicarum innixus, rationem indicat, qua redigi possent musicae Ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset Theatrorum musicis concentibus dissimilis. At vero Nobis satis erit, prae oculis habitis Sacrorum Conciliorum regulis, et probatorum Scriptorum sententiis, illud admonere, quod si Musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum Nobis relatum est, populus spectator, et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat, numerisque musicis delectetur, melodia, et suavitate vocum fruatur; verba autem plerumque non recte percipiat: diversum utique, et contrarium omnino in Ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfecte, planeque intelligantur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus, lib. 1, *De Eccl. off.,* cap. 5. *Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur.* Id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi an. 1565, tit. 6, cap. 4, tom. 10, *Collect. Hard.,* pag. 582, ita constituitur. *Caeterum quae in Choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente.* Et in Concilio Coloniensi, quod congregatum est an. 1536, cap. 12, tit. *De off. priv.,* talia leguntur: *Iam et illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum, et organorum concentum, omittantur, aut decurtentur ea, quae sunt praecipua. Cuius generis sunt recitatio verborum Propheticorum, aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum Fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissime, ac intelligibiliter, uti caetera omnia, decantentur.* In Concilio autem Mediolanen. primo habito anno 1565, par. 2, num. 51, in praedicta *Harduini Collectione,* pag. 687, talia leguntur: *In Divinis Officiis, aut omnino in Ecclesiis, nec prophana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressae, quam ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus, et soni graves sint, pii, ac distincti, ac Domui Dei, ac Divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur.* In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt an. 1566, act. 3, cap. 2, in laudata *Collectione,* pag. 1164. *Cum ea,* aiunt, *quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et Religiosa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad Divinae Maiestatis cultum, et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum, et aliorum, quae cantari solent, verba obscu-*

rentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint, et potius pronunciatione, quam curiosis modulis audientium animi Divinis laudibus afficiantur. Ex his autem aperte comperitur, quam merito his verbis questus sit Episcopus Lindanus, loco citato: *Non enim nunc suo cantu, musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, coelestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, et incondito boatu, quam cantu obscurata.* Tum etiam quam pium fuerit desiderium, et quam prudens sit exhortatio, qua musicos ad pietatem incitavit Drexellius loco pariter citato: *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae Religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est, et curae Divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in Templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentu sunt instillanda, percipere nequeam?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam, cum sacrae cuidam functioni, Divinisque Officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice Nicolao V quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in vita eiusdem Cardinalis edita a Balutio, lib. 3, *Miscellaneorum*, § 18, pag. 289. Magnus Pater Augustinus, lib. 9, *Confess.*, cap. 6, de se ipse testatur, cum in Ecclesia suaves hymnorum cantus audiret in lacrymas effundi consuevisse: *Quantum flevi in hymnis, et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis, et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat. Inde affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis.* Cum autem ea magna delectatio, quam in audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset, et ideo quadam severitate morum, Deique offensae metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret, postea re melius expensa, sententiam mutavit, eo quia animus eius commoveretur non solo cantu, sed verbis cantui coniunctis, ut ipse aperte declarat lib. 10, *Confess.*, cap. 33. Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe audiens, et intelligens verba, quae cantu efferebantur. Fleret forsan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

§ 10. Hactenus de cantu musico. Consequens est, ut de sono organi musici, aliorumque instrumentorum, quorum usus, ut supra diximus, in aliquibus Ecclesiis admissus est, verba faciamus. Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minime decet esse theatralem, utique neque sonum. Profecto Hebraeis hac de re omnis dubitatio longe aberat, an scilicet dissimilis esse deberet cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e Sacris Scripturis comperitur, cantus, et musicorum instrumentorum sonos usui fuisse in Templo, non autem in theatris, ut bene advertit Calmet in sua dissertatione *De musica Hebraeorum.* At vero Nobis opus est, limites cantui et sono Ecclesiarum et theatrorum praescribere; et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus, seu harmonicus, cum sono instrumentorum, in theatris aeque ac in Ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu iam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut vero sermo ordine suo, ac via progrediatur, primum de instrumentis musicis, quorum usus in Ecclesiis tolerari potest; deinde de illorum instrumentorum sono, qui cantui sociari solet; et demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia Nobis disserendum erit.

§ 11. Et quidem quod ad instrumenta attinet, quae in Ecclesiis permitti possunt, Benedictus Hieronymus Feijoo in allegato sermone 14, § 11, num. 43, organa, aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetracordas. Quoniam cum illae plectro tanguntur, harmonicos quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in Nobis potius hilaritatem, quam gravem erga sacra mysteria venerationem, animorumque intentionem excitent. Bauldry in *Manual. sacrar. caeremon.*, part. 1, cap. 8, num. 14, vellet, ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis, caeterisque instrumentis inflatilibus, seu pneumaticis: *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsentur, nisi tubae, tibiae, aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromaeo, tit. *De music. et cantor.*, nominatim reiiciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia: *Organo tantum in Ecclesia locus sit: tibiae, cornua, et reliqua musica instrumenta excludantur.* Hominum prudentum, et illustrium Magistrorum artis musicae consilium exposcere Nobis curae fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternitas Tua, si in tuis Ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tetracordon maius, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras tetracordes: haec enim instrumenta inserviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphonica, cheles, aliaque id genus, quae musicam theatralem efficiunt.

§ 12. Praeter haec autem, de usu instrumentorum, quae in Ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adbibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adiiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum, Divinarumque rerum amorem incitentur, ut apposite expendit Valentia, tom. 3, 2, 2, S. Thomae, disp. 6, quaest. 9, punct. unic., ubi tractans de utilitate musicae, et musicorum instrumentorum in Ecclesiis: *Ad excitandum*, inquit, *interiorem affectum tum proprium, tum etiam aliorum, praesertim vulgarium, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu, sed etiam organis, et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At vero si instrumenta continenter personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, ut liberum spatium audiendis

harmonicis modulationibus, crispatisque iaculationibus vocum, vulgo *trilli*, praebeant; caeterum opprimant, sepeliantque cantantium vocem, sonumque verborum, frustraneus est, et inutilis huiusmodi instrumentorum usus, imo vetitus, atque interdictus. Pontifex Ioannes XXII in laudata Extravagan. *Docta Sanctorum*, inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam hocquetis intersecant;* id est *singultibus:* quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo *Glossario;* hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgo *trilli*. Magnus Episcopus Lindanus loco laudato invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat, et adobruat.* Pius, et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu *De Divina Psalmodia*, cap. 17, § 2, num. 5, apposite ad rem nostram: *Desino*, ait, *si prius admonuero Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui, et pietatis affectui, maiorem relinquat portionem.*

§ 13. Demum quoad symphonias attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus iam receptus est, dummodo graves sint, et earum prolixitudine, aut diuturnitate taedium, et fastidium non afferant iis, qui adsunt in Choro, vel Altari in Vesperis, aut in Missis inserviunt. De huiusmodi symphoniis agit Suarez, lib. 4, cap. 13, num. 17: *Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instrumentorum, ut fit interdum in Missa solemni, vel in Horis Canonicis inter Psalmos; quia tunc ille sonus non est pars Officii, et fit ad solemnitatem, et reverentiam ipsius Officii, et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant, seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit, et aptus ad excitandam devotionem.* Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse, et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas, personantesque symphonias, musicosque cantus in Sacris Templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae Ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in laudato sermone 14, § 9, contra modulos, et cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus Ieremiae Prophetae, quae ab Ecclesia dicendae praescribuntur diebus maioris hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris Nostri angustiae in suis passionibus deplorantur. Lucensis Ecclesia, sedente in Apostolica Cathedra Sancto Praedecessore Nostro Pio V, regebatur ab Alexandro zelantissimo Ecclesiasticae disciplinae pastore; qui cum animadvertisset, diebus maioris hebdomadae exquisitissimos omnis vocum, instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur moestitia minime consentientes, ad

illos autem audiendos, homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere, et gravia inde peccata, et scandala committi, promulgato edicto, eos hebdomada sancta, et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi iurisdictione se Episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad Summum Pontificem Pium V, qui in eius Brevi dato die 4 Aprilis 1571 deplorata primum humanarum mentium, et carnalium hominum coecitate, qui non solum in diebus sacris, sed potissimum in illis, qui memoriae Passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate, et sincerae mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris, et sensuum voluptatibus se regendos, ferendosque tradunt: *Quod*, inquit, *cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue cavendum, vitandumque est, quod Dominicae Passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum, assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale, tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis, sensusque impuritate immunes, liberosque praestare.* Refert post haec abusum, qui in Ecclesiam Lucensem irrepserat, exquisitos seligendi per Hebdomadam Sanctam, excellentesque musicos, et colligendi omnis generis instrumenta ad solemnes concentus musicos celebrandos: *Nuper non sine magno animi nostri dolore intelleximus, in ista Civitate, cuius Episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum, instrumentorumque generis musicas in Ecclesiis per Hebdomadam Sanctam adhibendi, ad quas potius, quam ad Divina Officia audienda, omni utriusque sexus iuventute magna frequentia cupidissime confluente, gravia peccata, nec minora scandala committi experientia comprobatum est.* Demum laudat edictum Episcopi, et decretis sacrosancti Tridentini Concilii[1] inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi, atque obligari etiam Ecclesias, quae ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apostolico, vel alio quocumque iure exemptas se esse contendunt. In Concilio Romano, quod novissime habitum est an. 1725, tit. 15, num. 6, varia leguntur Decreta de usu musici cantus, instrumentorumque, in Adventu, in Dominicis Quadragesimae, et in exequiis mortuorum; quae satis sit indicasse.

§ 14. Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I, ut homines sibi Ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex Paulo Diacono, lib. 2, *Vit. S. Greg.*, cap. 9, et ex Rodulpho Tungrensi, *De Can. observ.*, prop. 12, S. Antonin. in *Summ. Hist.*, par. 2, tit. 12, cap. 3. Monachus Engolismensis in *Vita Caroli Magni*, cap. 8, addit, Cantores, qui Roma advenerunt, docuisse in Galliis artem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum Regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne, et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus Civitatibus in sacris ritibus, caeterisque Ecclesiasticis rebus, praeire

[1] Sess. XXII, *de observandis et evitandis in celebratione missae.*

debeat exemplo, et documento esse; insuper accedunt, et ea, quae mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui Ecclesiasticum cantum e Romana Urbe tamquam e suis sedibus in suum Regnum evocavit; quae quidem acrius Nos urgent, atque extimulant, ut abusus omnes, qui in cantu Ecclesiastico irrepserunt, et a Nobis reprobati sunt, in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt, atque opportuna, praecipere non omittimus; ita Fraternitas tua publicare non negligat, si opus fuerit, edicta, et leges, quae cum hisce Nostris circularibus Literis consentaneae sint, et quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem Literis praescriptas, et stabilitas dirigatur, ut tandem musicis Ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum, ac desideratum est, cum a pluribus, tunc centum abhinc annis a Ioanne Baptista Doni, Patritio Florentino, in eius Tractatu *De praestantia musicae veteris*, lib. 1, pag. 49: *Nunc vero eo redacta res est, ut nec quisquam reperiatur, qui effoeminatum quemdam, ac leviusculum, qui iam passim invaluit, canendi modum severa lege cohibeat, nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca melismata, ad certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes, aedesque sacras suam celebritatem, ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus, ac saepe parum decoris cantibus, magnaque vocum, ac instrumentorum confusione certatim omnia personent.*

§ 15. Diximus, si opus fuerit, probe enim Nobis compertum est, in Statu Ecclesiastico aliquas esse Urbes, in quibus Ecclesiarum musicas reformari oporteat, in aliis vero huiusmodi necessitatem minime adesse. Timemus quidem, vehementerque timemus, ne in aliquibus Civitatibus Ecclesiae, sacraque Altaria convenienti munditie, ac necessario nitore indigeant; in multis ne Cathedralium, et Collegiatarum Chori cantu plano bene, ac probe ad regulas artis directo iuxta ea, quae a Nobis superius dicta sunt, destituantur, quas in res, si in Ecclesia tua necesse sit, omnes diligentiae tuae, et sollicitudinis nervos intendere decet; et utinam in omnibus totius Status Nostri Dioecesibus Sacerdotes ea, qua par est, decentia sacrosanctum Missae Sacrificium facerent; et praeterea clericalibus vestibus induti, et decenti habitu corporis, incessu, modestia, omnique alio Ecclesiastico decore in publicum prodirent, quibus super rebus nihil aliud hic Nos adiungemus, cum fuse de his tractaverimus in Nostra *Notificatione XIV*, § 4 et 6, lib. 2, edit. Ital., quae est XXXIV, in edit. Latin. et in *Notific. IV*, tom. 4, edit. similiter Ital., quae est LXXI, edit. Latin., ad quas Ecclesiasticae disciplinae studiosos remittimus. Itaque Sacerdotalem tuum zelum excitantes finem scribendi faciemus, posteaquam id unum tibi significabimus, nulla alia re magis hominibus declarari, Ecclesias male atque improvide ab Episcopis regi, et gubernari, quam si spectentur Sacerdotes sacra, Ecclesiasticis caeremoniis perperam adhibitis, aut omissis, vestibus indecoris, aut minime Sacerdotalis dignitatis propriis praecipitanter ac negligenter obire. Haec enim in omnium oculos incidunt, et incolarum, et alienigenarum iudicio subiiciuntur, et praesertim eos offendunt, qui ex illis Regionibus adveniunt, ubi, et Presbyteri convenientibus vestibus induuntur, et Missae debita devotione celebrantur. Haec secum reputans, et non

sine fletu cogitans ita querebatur pius, ac doctus Cardinalis Bellarminus: *Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta Mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere Maiestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent.* Et post haec nonnullis interiectis prosequitur in hunc modum: *Scio non deesse in Ecclesia Dei multos optimos, et religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo, et nitidissimo apparatu Divina Mysteria celebrant; pro quibus gratiae Deo ab omnibus agendae sunt; sed simul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriore turpitudine, et sordibus animi sui impuritatem, sordesque testantur.* Et nos interea in visceribus Christi Fraternitatem tuam complectentes, et Tibi, et Gregi curae tuae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 15-43].

396.

Benedictus XIV, const. *Inter arduas*, 22 apr. 1749.

Inter arduas Apostolici Ministerii Nostri curas, sicuti Nos oportet, non modo Patrem in abscondito orantes, sed publicis etiam Ecclesiae officiis, sacrisque conventibus praesidentes, Divinam opem sine intermissione implorare; ita Nos decet Pontificii Sacelli, in quo pleraque huiusmodi officia per annum solemniter peraguntur, splendori, et cultui prospicere, eiusque rationibus, iuribusque tuendis, debitum providentiae studium impendere.

§ 1. In ultimo, cum quo decessit, testamento bon. mem. Ioseph S. R. E. Cardinalis Accoramboni nuncupatus, Sacelli sui domestici vasa argentea auro obducta, una cum reliqua sacra Supellectile, reliquit in usum similis Sacelli, quod ab Ignatio Accoramboni agnato in suis Aedibus Spoleti constituendum mandavit. Sed contendentibus Camerae Nostrae Apostolicae Ministris, invalidam hac in parte fuisse dicti Cardinalis dispositionem; et praedictam argenteam, aliamque suppellectilem sacram, Pontificio Nostro Sacello adiudicari postulantibus; eaque controversia delata ad Tribunal Dilecti Filii Thesaurarii Nostri Generalis, huius Auditor, omnibus attente perpensis, sententiam pro Nostro Pontificio Sacello pronunciavit. A qua sententia quum Dilectus etiam Filius Philippus Accoramboni praefati Cardinalis haeres ad plenam Cameram appellasset, visum est Nobis universum Collegium Clericorum Praesidentium, aliorumque Officialium praefatae Camerae, quo die Causam hanc diiudicaturi erant, coram Nobis convocare; idque eo libentius fecimus, quod, quum omnia fere Curiae Nostrae Tribunalia, per hos transactos Pontificatus Nostri annos, praesentia Nostra decoraverimus, nondum id erga illustre illud Officialium, et Iudicum Apostolicae Sedis Collegium praestiteramus. Itaque indicto coram Nobis die XII mensis Ianuarii anni Domini MDCCXLVIII Camerae plenae consessu, et partium rationibus per singulos Clericos in

eadem suffragium ferentes, diligenter discussis, totius Collegii consensione Decretum prodiit: *Mandatum Domini Thesaurarii esse exequendum, et sententiam confirmandam, iuxta modum a Sanctitate Sua declarandum quoad Candelabra, et Supellectilia excepta in Bulla Urbani VIII,* quod ubi approbatione Nostra confirmatum fuit, mandavimus, ut universa domestici Sacelli praedicti Cardinalis Supellex: *Exceptis Candelabris, Malluviis, et Gutturniis,* Bacili, et Bocali vulgo nuncupatis, quae quidem haeredi reliquimus, in Pontificii Sacelli Nostri Sacrarium inferretur.

§ 2. Huius Resolutionis fundamentum agnitum fuit in fel. record. Praedecessoris Nostri Urbani Papae VIII Constitutione CLXVI, quae incipit: *Aequum est,*[1] in qua alterius Praedecessoris Clementis Papae VII Constitutionem renovans, omniaque et singula indulta disponendi de sacra domesticorum Oratoriorum supellectile, S. R. E. Cardinalibus alias concessa, abrogans, decrevit, et statuit, ut sequitur: *Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, etiam ipsam Constitutionem Clementis Praedecessoris huiusmodi innovantes, et ampliantes, quod de caetero perpetuis futuris temporibus praefata omnia, et singula Mitrae, Pluvialia, Tunicellae, aliaque ornamenta, et vestimenta, ac Calices, Patenae, Vasa etiam aurea, et argentea, aliaeque res, et utensilia quomodolibet nuncupata, praesertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales nunc et pro tempore existentes, etiam praefatam, seu quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem Apostolicam de illis disponendi, ac ad haeredes etiam ab intestato transmittendi, ut praemittitur, habentes, non solum in Cappella Pontificis, seu Processionibus, caeremoniis, et aliis functionibus Pontificiis praefatis, sed etiam in eorum Cappellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, ad Sacristiam praefatam ipso iure spectent et pertineant, et ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, et una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviale pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, et Gutturniis,* Bacili et Bocali, *vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetua valitura Constitutione Nostra statuimus, et ordinamus.*

§ 3. Qua quidem lata lege, Pontificii Sacelli Sacrarii antiqua redintegravit iura, quae iamdudum fel. rec. Praedecessor pariter Noster Iulius Papa III in sua Constitutione VII, cuius initium est: *Cum sicut,*[2] his verbis asseruerat: *Huiusmodi paramenta ac ornamenta Cappellae ipsorum Cardinalium, quae iam tanto tempore, quod eius initii hominum memoria non habetur, Cappellae Apostolicae, in qua Missae Papales celebrantur, devolvi consueverunt.* Id autem ad eam aetatem probabiliter referri potest, qua primum coeperunt Ecclesiastica Officia solemni, et publico ritu in Pontificii Palatii Sacellis persolvi; ex quo scilicet Romani Pontifices Avenione in Urbem reduces fuerunt. Non quod antea quoque in Apostolicis Aedibus Laterani, Oratoria, et Sacella

[1] Cf. N. 225.
[2] Cf. N. 84.

minime existerent; sed quod in ipsis Sacri Conventus non haberentur, qui publice fieri solebant in Urbis Ecclesiis et Basilicis, ad quas Stationes pro tempore indicebantur, ut ex Sancti Gregorii Homiliis in variis ipsius Urbis Ecclesiis habitis, et ex vetustis Ordinibus Romanis colligitur. Id autem quum in Avenionensi Civitate perfici minime potuisset, idcirco ibi in Apostolico Palatio Sacella ad Pontificalium solemnitatum usum erecta fuerunt; idque in causa fuit, ut Romae quoque post Pontificum reversionem, magnifica in Apostolicis Palatiis Sacella extruerentur, in quibus pleraeque functiones peragerentur, quae antequam Pontifices Avenione Sedem figerent, ut supra dictum est, publice in Basilicis, aliisque Urbis Ecclesiis fieri consueverant.

§ 4. Et sane in Ordine Romano, quem edidit Iacobus olim Sancti Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Caietanus, qui Cardinalitiam Dignitatem a Bonifacio Papa VIII Patruo suo accepit, nec verbum quidem legitur de Solemnitatibus in Pontificii Palatii Sacello habitis antequam Pontifices Avenionem migrarent. Contra vero in altero Ordine Romano, quem scripsit Petrus Amelius, postquam Pontifices Romam redierant, de Praedecessore Nostro Bonifacio IX narratur, quod Beatae Birgittae Viduae Canonizationem in Palatii Sacello peregerit, propterea quod ea nocte, quae designatam huiusmodi Solemnitati diem praecessit, gravi morbo correptus fuisset non sine mortis periculo; a quo tamen ipsius Beatae intercessione liberatus, sequenti die in Basilica Vaticana ritu solemni Missam celebravit. Praeterea in Caeremoniali Augustini Piccolominei quondam Episcopi Pientini, quem sub auspiciis Leonis Papae X Christophorus Marcellus tamquam suum opus edidit, ubi de Dominica prima Adventus, aliisque per anni cursum solemnitatibus agitur, saepe quidem Ecclesia, at saepe etiam Sacellum, seu Cappella memoratur. Et quamvis recol. mem. Praedecessor Noster Sixtus Papa V in sua Constitutione XXIII, quae incipit: *Egregia Populi Romani,*[1] antiquam consuetudinem quoad functiones pontificales in Basilicis, et Ecclesiis per Urbem celebrandas in pristinum restituere volens, statos dies, certasque Ecclesias pro uniuscuiusque solemnitatis celebritate designasset; nihilominus usus invaluit, ut pleraeque ex ipsis in Apostolicarum Aedium Sacellis peragantur.

§ 5. Porro ius istud, quo Cappella Apostolica a tanto iam tempore, ut praefertur, gaudere dignoscitur, et quidem ratione functionum, quae in ea ab ipsis S. R. E. Cardinalibus, vel saltem cum eorum assistentia peraguntur, quaeque continuum sacrae Supellectilis usum requirunt, quodque, ut superius etiam demonstravimus, a Praedecessore Nostro Urbano Papa VIII speciali Constitutione assertum, et confirmatum fuit; non ita labefactari visum est, in casu, de quo agebatur, per Indultum a fel. rec. Benedicto Papa XIII per Literas in forma Brevis concessum praedicto Iosepho Cardinali, ut harum Literarum vigore potuerit hic praefatam Cappellae suae Supellectilem domestico haeredis Oratorio legare.

§ 6. Quamvis enim in huiusmodi Literis praefatae Urbani VIII Constitutioni expresse fuerit derogatum, eidemque Cardinali plena, et ampla concessa sit facultas testandi, et disponendi de omnibus, et singulis Mitris, Plu-

[1] Die 13 febr. 1586. – Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 187-189.

vialibus, Planetis, Tunicellis, aliisque ornamentis, et vestimentis Ecclesiasticis, et aliis rebus, et utensilibus Divino cultui dicatis, seu destinatis, aureis, seu inauratis, tam privatae Cappellae ipsius Cardinalis, quam iis, quibus in Cappellis, caeremoniis, Processionibus, et aliis Functionibus Pontificiis usus fuisset; cum tamen idem Cardinalis de praemissis non disposuerit iuxta formam in praefato Indulto praescriptam, praedicta Urbani VIII Constitutio suam vim, auctoritatemque recuperat, et in illius sequelam, iure meritoque iudicatum, rescriptumque fuit, ut supra narravimus,

§ 7. Quod autem praedictus Cardinalis de sacra Oratorii sui supellectile ad formam Indulti non disposuerit, in dubium minime revocatum est. Etenim quum in relatis Benedicti Praedecessoris Literis ea conditio expresse apposita legatur: *Dummodo tamen de illis in favorem alicuius Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii, arbitrio tuo disponas;* quumque Cardinalis Accorambonus de praemissis omnibus disposuerit in favorem Cappellae Spoleti in suis Aedibus erigendae; clarum est, servatam ab eo non fuisse formam in Pontificio Indulto sibi praescriptam. Nec enim ullius momenti, ad casum, de quo agitur, reputata fuit quaestio, quae inter Partium defensores agitabatur, an scilicet ea Loca, quae in privatis Domibus ad Sancti Sacrificii celebrationem destinantur, *Cappellae* nomine, vel potius *Oratorii* appellanda sint; aut, etiamsi *Cappellae* nuncupari possint, an saltem ad aliquam distinctionem statuendam inter eas, aliasque Cappellas, quae in publicis Ecclesiis erectae sunt, et Altaria lateralia continent, *Cappellae privatae* appellari debeant. Nam si advertatur, *Cappellae* nomen in praecitato Brevi medium tenere locum inter *Ecclesiam, et Locum Pium,* quae sane nomina ad publica dumtaxat loca referri possunt; ait siquidem Breve in loco supra relato: *In favorem alicuius Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii, arbitrio tuo disponas;* facile erit exinde inferre, Pontificem id intelligi voluisse non de Cappella privata in domesticis ipsius Cardinalis Aedibus extructa, vel extruenda, sed de publica Cappella intra alicuius Ecclesiae ambitum constituta. Eoque magis id rationi consonum apparet, quod quum praefatis Praedecessoribus Nostris, in suis Constitutionibus pro Sacello Pontificio editis, propositum sit, non solum Cameram Apostolicam a tot, tantisque expensis pro ipsius Sacelli apparatu necessariis aliqua ex parte sublevare; verum etiam aliquem iustum modum imponere privilegio, quod S. R. E. Cardinalibus concedi consuevit, de bonis etiam ex Ecclesiasticis proventibus acquisitis, in favorem propinquorum testandi, et disponendi; quo scilicet, si ex Cardinalium testamentis reliqua eorum bona ad propinquos deferantur (quemadmodum de bonis praefati Cardinalis evenisse dignoscitur), sacra saltem vasa, atque ornamenta, vel iuxta praescriptum Constitutionum generalium, ad Pontificiae Cappellae Sacrarium devolvantur, vel iuxta Indultorum formam, in alicuius Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii beneficium cedant: porro si Indulta huiusmodi etiam de Cappellis privatis, quae in Haeredum Domibus sunt, intelligi deberent, provida Pontificum mens, optato fraudaretur effectu; quum satis constet in diem contingere, ut Aedium Domini huiusmodi domestica Oratoria in usum propriae habitationis convertant; eorumdem vero sacra supellex, iure dominii, quod Haeredes liberum in eam exercent, saepe venalis fiat, ac,

dummodo eius aestimatio ratione benedictionis, aut consecrationis non augeatur, illius pretium libere et licite in Dominorum commodum redigatur.

§ 8. Frustra vero praefati Testamenti Defensores replicabant, Cardinalis haeredem promptum et paratum esse ad publicam Cappellam, sive Oratorium publicum construendum prope domesticas suas Aedes; idque ipsi negari non posse contendebant, propterea quod laudatum Benedicti Praedecessoris Indultum, non ipsi solum Cardinali facultatem tribuerat ita de praemissis testandi et disponendi, sed etiam *illa ad haeredes suos, si ipsum intestatum mori contingeret, transmittendi, dummodo tamen de illis in favorem alicuius Ecclesiae, seu Cappellae, vel Loci Pii, vel ipse arbitrio suo disponeret, vel per ipsius haeredes, et successores, quatenus ipse ab intestato decederet, disponeretur,* ut in iisdem legitur. Praetermissis enim aliis responsionibus, visum est, ipsius Cardinalis Testamentum, quo de Cappellae suae suppellectili, ut praefertur, disposuit, praetensam haeredis facultatem ex Indulti Literis desumptam, penitus de medio sustulisse. Haec siquidem facultas in Literis ipsis haeredi concessa erat, pro eo casu dumtaxat, quo Cardinalis ipse nihil disposuisset: *si te intestatum mori contigerit, etc., quatenus ab intestato decedas, etc.*: sed alium casum sane non respiciebat, quo scilicet idem Cardinalis testamentariam dispositionem exarasset, at Pontificio Indulto minime conformem, ut fuit illa, quam hactenus examinavimus, quaeque causam dedit, ut Urbani Lex pro Pontificio Sacello dudum statuta, vim suam resumpsisse censeretur.

§ 9. His potissimum fundamentis quum innixum fuerit Rescriptum a plena Camera coram Nobis dicta die congregata editum, Nos illud, iisdem de causis, iam tunc approbatione nostra ratum fecimus, et nunc tenore praesentium, et Apostolicae auctoritatis plenitudine, confirmamus et roboramus. In quo non id Nobis propositum est, ut quidquam detrahamus legitimis Privilegiis, quae Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, non solum propter conspicuam eorum Dignitatem, sed etiam propter gravissimos labores, quos pro Apostolica hac Sancta Sede assidue sustinent, iure ac merito concessa dignoscuntur; quum etiam Nos ipsi Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, similia Indulta disponendi de sacris supellectilibus libenter concesserimus iis, quos ad Cardinalitiam dignitatem assumpsimus; sed eo dumtaxat spectamus, ut conditiones, quae in eorum Indultis provide apponuntur, suum debitum sortiantur effectum; ipsique, si concessis facultatibus uti voluerint, de sacris huiusmodi supellectilibus erga Ecclesias, seu Cappellas publicas, aut Loca Pia, benefici sint. Quod ubi in animum induxerint, Nos sane, salva Privilegiorum ipsis concessorum amplitudine, et per modum consilii, ab aequitatis tamen ratione, ut Nobis videtur, minime seiuncti, eosdem vehementer hortamur, ut eas potissimum Ecclesias prae oculis habeant, quas, sive Metropolitanas, sive Cathedrales, sive Abbatiales, aut ad Ecclesiastica ipsorum Beneficia spectantes, gubernaverint, et obtinuerint; quas quidem Ecclesias beatae memoriae Praedecessor Noster S. Pius Papa V in hoc rerum genere tam amplo Privilegio donavit, ut in sua Constitutione XXXXII quae incipit *Romani Pontificis,* [1] decreverit, et declaraverit,

[1] Cf. N. 123.

quaecumque ornamenta, paramenta, vasa, et alia utensilia sacra, ad usum, et Cultum Divinum in privatis Cappellis, et Oratoriis Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica Beneficia obtinentium alias destinata, sub appellatione Spoliorum Camerae Apostolicae debitorum minime venire debere, nec etiam sub quibusvis testandi facultatibus, et Indultis comprehendi; sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, et Beneficia, in quibus praedicti resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint, omnino spectare, et pertinere. Tum etiam pari ratione iisdem commendamus Ecclesias illas, quarum titulum ac Regimen in ipso Cardinalatus ordine obtinuerint, quae etiam in Sancta Synodo Lateranensi V impense ipsis commendatae fuerunt, ut videre est in cap. II Bullae super Reformatione Curiae a rec. memor. Praedecessore pariter Nostro Leone Papa X in ipsius Synodi Sessione IX promulgatae.[1]

§ 10. Volumus autem praesentes Literas, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 46-51].

397.

Benedictus XIV, const. *Suprema*, 26 apr. 1749.

Suprema dispositione, cuius inscrutabili Providentia ordinationem suscipiunt universa, super eminenti Apostolicae Dignitatis specula, nullis nostris licet suffragantibus meritis, sed solum per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constituti, et in illius domo dispensatores effecti, ad ea, per quae Monasteriorum quorumlibet, illorum praesertim, quae ab antiquo tempore fundata, variisque privilegiis, et gratiis a Summis Pontificibus condecorata reperiuntur, et in quibus utpote perinsignibus Personas praecipua generosi stemmatis nobilitate fulgentes Altissimo famulatum exhibere percipimus, decori, et opportunitati, nec non illorum subditorum spiritualibus commodis, Divinique cultus augmento per novae concessionem gratiae per amplius consulitur, vota libenter intendimus, ac in his Pastoralis Officii nostri partes favorabiliter impartimur, prout Locorum, et Personarum huiusmodi qualitatibus, ac circumstantiis matura consideratione pensatis, ad Omnipotentis Dei, eiusque Gloriosissimae Genitricis Virginis Mariae laudem, et gloriam, devotionis quoque Christifidelium propagationem in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Sane pro parte Dilecti Filii Engelberti de et in Sirgestein moderni Abbatis Monasterii, Abbatiae Ducalis et Imperialis nuncupati, Beatae Mariae Virginis in Coelos assumptae Oppidi Civitatis Campidunensis Ordinis Sancti Benedicti nullius Dioecesis Provinciae Moguntinae, Sacri Romani Imperii Principis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dictum Monasterium, alias et usque de anno Domini septingentesimo septuagesimo tertio a Beata Hildegarde fundatum, unum ex principalioribus dicti Ordinis Monasteriis

[1] Const. *Supremae dispositionis*, 5 maii 1514, § 19. - Cf. N. 65.

tam in spiritualibus, quam in temporalibus existit, illiusque pro tempore existens Abbas, nedum inter praecipuos Sacri Romani Imperii Principes in Dieta Ratisbonensi Sedem, ac Votum, et Vocem habet, sed etiam pro tempore existentis Romanorum Imperatricis perpetui Archimarescalli munere fungitur, ac in pluribus sibi subiectis Oppidis, et Locis Campidunensis Ducatus, et ditionis temporalem, in primodicto vero Monasterio, quod Sedi Apostolicae immediate subiectum existit, ac in Parochiali Ecclesia Sancti Laurentii dicti Oppidi Campidunensis spiritualem, ac exemptam, et Ordinariam exercet Iurisdictionem; quamplurimis etiam, tum Apostolica a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, tum Imperiali, et qualibet alia respective aucthoritate concessis et elargitis, Monasterium primodictum, illiusque Abbas, et Monachi pro tempore existentes gaudent Indultis, gratiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, praeeminentiis, et antelationibus, et ipse Engelbertus Abbas nuper speciali Abbatialem Ducalem nuncupatam Ecclesiam sub invocatione Assumptionis Beatae Mariae Virginis, et Sanctorum Gordiani, Epimachi, et Castoli Martyrum noviter restauratam, consecrandi facultate a Nobis decoratus fuit.

§ 2. Si autem, sicut eadem petitio subiungebat, aliud valde quidem opportunum dicto Engelberto Abbati, illiusque successoribus primodicti Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus, a Nobis, et Sede Apostolica praefata concederetur Indultum, videlicet, ut ipse Engelbertus Abbas, eiusque successores primodicti Monasterii Abbates pro tempore existentes praefati, Sacramentum Confirmationis utriusque sexus Christifidelibus subditis primodicti Monasterii, et Parochialis Ecclesiae praefatae Parochianis tantum ministrare possint, hoc profecto, et ad Catholicae Religionis bonum, et ad dictorum subditorum animarum salutem plurimum conferret. Quandoquidem cum dicti subditi, non sine gravi eorum incommodo et molestia, ad alia Loca pro dicto Sacramento Confirmationis suscipiendo se conferre coguntur, inde evenit, quod ipsi aut Sacramentum huiusmodi nonnisi in provecta aetate suscipiunt, vel, ut saepius accidit, absque dicto Sacramento vitam misere ducentes, ab humanis decedunt. Hinc dictus Engelbertus Abbas, qui haereticos in dicto Oppido degentes ad Fidem Catholicam amplectendam pari sollicitudine, et zelo, et non sine effectu perducere curat, dictos subditos, et Parochianos Catholicos, et praesertim noviter ad dictam Fidem conversos, ad hoc ut ipsi fortius, et validius in spirituali lucta contra animae inimicos dimicare queant, Confirmationis Sacramento huiusmodi in congrua, et conveniente aetate muniri summopere exoptat. Quare pro parte dicti Engelberti Abbatis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictorum subditorum, et Parochianorum indemnitati, eorumque animarum saluti in praemissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, spiritualem Christifidelium consolationem, et utilitatem pii Patris affectione prosequimur, opemque, et operas nostras ad id impendimus efficaces, praefato Engelberto Abbati specialem gratiam facere volentes, ipsumque Engelbertum Abbatem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure, vel ab homine quavis occasione,

vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Engelberto Abbati, illiusque successoribus primodicti Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi indumentis Pontificalibus induti, recepto prius Oleo Sacro a quocumque Catholico Antistite; gratiam, et communionem dictae Sedis Apostolicae habente confecto, dictum Confirmationis sacramentum subditis dicti Monasterii, et Parochialis Ecclesiae praefatae Parochianis, spirituali Iurisdictioni ipsius Engelberti Abbatis, et pro tempore existentis Abbatis primodicti Monasterii subiectis tantum quocumque tempore conferre possint et valeant, Apostolica authoritate earumdem tenore praesentium perpetuo concedimus, et indulgemus, ac plenam, liberam, et omnimodam facultatem, et potestatem desuper impertimur.

§ 4. Nec non ipsum Engelbertum Abbatem, eiusque successores primodicti Monasterii Abbates pro tempore existentes praefatos desuper a quoquam quavis authoritate fungente, vel dignitate fulgente, sub quovis praetextu, colore, vel ingenio, causa, et occasione inquietari, perturbari, aut quovis modo impediri nullatenus unquam posse; sicque et non alias, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 52-54].

398.

Benedictus XIV, const. *Quamvis iusto*, 30 apr. 1749.

Quamvis iusto Dei Omnipotentis iudicio nullus finis sit arduis, acerbisque curis, gravibusque molestiis, quae Nos undique ac sine intermissione circumstant, et opprimunt, attamen constitutum Nobis est, coelestis auxilii fiducia, animum non despondere: et quoniam, ipsius Dei beneficio, neque vires, neque rerum, et negotiorum reminiscentia Nos in hac provecta iam aetate destituunt, nullum Nobis credimus detrectandum esse laborem, quemcumque ad optimum Ecclesiae Sanctae regimen humilitati Nostrae commissum conducere posse reputemus. Itaque quoties exorientium controversiarum natura Apostolicae auctoritatis iudicium requirere videtur, Nostramque operam, aliorum consilio adiutam, ad earum rectam decisionem haud inutilem fore iudicamus; eas ipsas ab inferioribus quibuscumque Iudicibus, et Tribunalibus avocatas, cognitioni Nostrae reservare, ac iudiciali sententia prolata, dirimere, ac terminare consuevimus.

§ 1. Huic instituto nostro inhaerentes, quum quaedam controversia non ita pridem exorta fuisset inter Curiam Episcopalem Augustanam ex una, et duo Conservatoria Virginum Anglicanarum nuncupatarum, unum nimirum in ipsa Civitate Augustae Vindelicorum, alterum vero Mindelheimii, eiusdem Augustanae Dioecesis Oppido, existentia, ex altera partibus; et dicta quidem Episcopalis Curia praefatis Conservatoriis praeceptum fecisset, ut suam Ordinariam auctoritatem recognoscerent, sibique debitam exhiberent obedientiam, quam cuidam praetensae Generali Superiorissae Monachii commoranti ab

illis praestari asserebat; praefatum vero Conservatorium in Civitate Augustana positum huiusmodi praecepto prompte paruisset, sed alterum Mindelheimii existens eidem obtemperare recusasset; quapropter praedicta Episcopalis Curia ad quosdam actus adversus Conservatorium huiusmodi processisset; cumque animadversum a Nobis esset, occasione huius controversiae, nonnullas alias moveri quaestiones tam super instituto Iesuitissarum, quod idem esse dicebatur, cum praedictarum Anglicanarum Virginum instituto, quam super persona, et meritis defunctae quondam Mariae Warth, seu de Guardia nuncupatae, dictarum Iesuitissarum Instituti olim Fundatricis: Nos, quibus compertum erat, plura de huiusmodi Instituto, eiusque Fundatrice praedicta, a Scriptoribus referri, et asseri, quae minime consentanea sunt Actis authenticis, et indubiis monumentis, quae super ipsis, in Regestis Congregationum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, tam generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem deputatorum, quam negotiis Propagandae Fidei praepositorum, asservantur; haec omnia ad Nos afferri iussimus; ac deputata peculiari Congregatione, in quam adlegimus Venerabilem Fratrem Nostrum Xaverium Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem Gentili, Dilectosque Filios Nostros Ioachimum Tituli S. Caeciliae Portocarrero, Carolum Albertum Tituli Sanctae Mariae de Pace Cavalchini, et Ioachimum Tituli Sanctae Crucis in Hierusalem Besozzi, eiusdem S. R. E. Presbyteros Cardinales respective nuncupatos, nec non Venerabilem Fratrem Iosephum Archiepiscopum Damascenum, Congregationis super negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium Secretarium, quem huic etiam peculiari Congregationi a Secretis esse iussimus, ac dilectum Filium Magistrum Clementem Argenvillers Auditorem Nostrum; atque his omnibus coram Nobis die XXI mensis Iulii anno Domini MDCCXLVIII congregatis, et diligenti super praemissis omnibus tractatu habito, quum eorum sententia fuerit, ut nonnulla, quae inferius subiicientur, Decreta, et Rescripta fierent, atque ederentur; ea Nos quidem iam tunc approbavimus, et rata esse voluimus; et nihilominus nunc iterum, tenore praesentium, atque evidentiore hac Apostolicae auctoritatis significatione roborata, perpetuam vim, et firmitatem habere decernimus, atque statuimus.

§ 2. Sed quoniam difficile, imo fere impossibile foret intelligere, quibus veluti fundamentis huiusmodi Decretorum iustitia innitatur, non coguitis prius his, quae ex praefatis Regestis iuridice desumpta esse diximus; necesse est hic nonnullas facti notitias praeponere. Eae autem sunt, quae sequuntur.

I. Quaedam Maria Warth, seu de Guardia nuncupata, postquam a. MDCIX quemdam Mulierum convictum Audomaropoli, ad bonum finem, ut credi potest, aperuerat; aliosque similes deinde in aliis Belgii Locis, et in Leodiensi, Trevirensi, et Coloniensi Civitatibus constituerat; sub Pontificatu felicis recordationis Praedecessoris Nostri Gregorii Papae XV anno MDCXXI ad Urbem accessit, novi Instituti sui confirmationem ab Apostolica Sede impetratura.

II. Comparuit anno MDCXXIV apud Congregationem Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Procurator Cleri Anglicani, graviter expostulans, quod magnum detrimentum Missionibus inferretur ex ratione

vivendi, quam praefati Instituti Mulieres sequebantur. Id quod in causa fuit, ut ipsius Instituti examen tunc existenti Cardinali Millino committeretur.

III. Quum anno MDCXXVIII Episcopus Viennensis tunc pariter existens S. R. E. Cardinalis Clesselius nuncupatus eidem Congregationi exposuisset quamdam huiusmodi Mulierum Domum in sua Civitate, seipso inconsulto, apertam fuisse; et quid sibi circa eam agendum esset, ab ipsa Congregatione exquisivisset; coacta eodem anno coram recolendae memoriae Urbano Papa VIII praedictorum Cardinalium Congregatione, decretum fuit, ipso Praedecessore Urbano annuente, ut Apostolicae Sedis Nuntiis per diversas Regiones constitutis demanderetur praefati Instituti, et erectarum respective Domuum omnimoda extirpatio, et suppressio. Et quoniam praedictae Mulieres se a Presbyteris Societatis Iesu directas esse iactabant, iniunctum fuit tunc existenti Generali ipsius Societatis Praeposito, ut, quatenus id verum esset, subditis suis omnibus districte inhiberet, ne se in directione Convictuum quarumcumque Mulierum immiscerent; quum id ipsius Societatis Instituto contrarium dignosceretur, cuius Fundator S. Ignatius, quum Romam advenisset pro obtinenda eiusdem Instituti confirmatione, accepissetque piam quamdam Mulierem Elisabetham Rosellam nomine, in Urbem se pariter contulisse, eo consilio, ut facultatem obtineret, una cum aliis Piis Mulieribus sub ipsius Instituti regula convivendi, postulavit ipse, et obtinuit a Romano Pontifice, tam pro se, quam pro universa Presbyterorum a se institutorum Societate, ut a cura, et directione Mulierum in Religiosis Domibus conviventium, perpetuo liberi, et immunes esse deberent.

IV. Dum anno sequenti Apostolicae Sedis Nuntii Pontificiorum mandatorum executionem respective urgebant, iamque suppressae fuerant dictarum Mulierum Domus, quae Audomaropoli, Leodii, et Coloniae Agrippinae antea extiterant; quum Nuntius Coloniae agens Trevirensem similiter earum Domum supprimere aggrederetur: comparuit quaedam Mulier, Cambiani nuncupata, quae se ipsius Instituti Visitatricem asserens, vigore Literarum Patentium sibi a praetensa Praeposita Generali Maria Warth concessarum, ipsius Nuntii conatibus, magna vi et contentione se opposuit. Maria enim, in Urbe adhuc degens, statim ac intellexit, quid ferrent Pontificia mandata, omnem rationem inire studuit, ut ea effectu fraudaret; suasque sequaces ubique existentes per Encyclicas Litteras admonuit, ne iis obtemperarent. Itaque praedictus Nuntius, ad evitanda maiora scandala, tunc quidem ab incepto desistere satius habuit.

V. Huius rei relatione a Nuntio Romam transmissa, praedictoque Cardinali Clesselio magis magisque instante pro intelligenda Pontificis voluntate circa Domum, quae Viennae, ut supra dictum est, aperta fuerat; quum etiam nonnulli huiusmodi instituti Mulierum convictus, quos Bononiae, Forosempronii, atque etiam Romae clam constitutos fuisse compertum est, quamprimum suppressi, et extirpati fuissent; totius negotii cognitio ab ipso Urbano Praedecessore ad alteram praedictam Congregationem Cardinalium, S. Officii nuncupatam, remissa fuit.

VI. Ex huius Congregationis sententia et consilio, quum iudicatum fuerit, opportunum, et expediens fore, ut Pontificia Decreta pro suppressione praedicti Instituti iam prolata, Apostolicae Constitutionis robore firmarentur, idem Urbanus Praedecessor anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI Idibus Ianuarii Apostolicas Literas sub Plumbo edidit, incipientes: *Pastoralis Romani Pontificis*, quibus praetensam Congregationem Mulierum, seu Virginum, Iesuitissarum nuncupatarum, penitus, et perpetuo abolevit, eiusque Congregationis assertas Visitatrices, Rectrices, et Praepositam Generalem, aliasque officiales quascumque, Officiis, et muneribus suis de facto usurpatis privavit; eisdemque, et aliis Mulieribus, seu Virginibus, huiusmodi praetensae Congregationi antea de facto adscriptis, ne insimul, et in communi de caetero degere, et tractare, aut se pro Religiosis, seu praetensae huiusmodi Congregationis sequacibus, ullo modo gerere, multoque magis ne alias Virgines, seu Mulieres in ipsius reprobati Instituti societatem deinceps admittere, aut recipere auderent, sub excommunicationis maioris, aliisque poenis, districte prohibuit; easque omnes, quae in ipsa suppressa Congregatione, et relative ad illius legitimam subsistentiam, vota quaecumque emiserant, ab huiusmodi votorum obligatione omnino solutas, et liberas esse declaravit; ut fusius legi potest in ipsa Constitutione. Denique tam ipsam Mariam Warth, quae interim in Belgium se receperat, quam praefatam Cambiani, in custodiam dari iussit.

VII. Sequuta utriusque detentione, ambae ad Urbem decenter translatae, atque hic clementer exceptae fuerunt, ipsiusque Apostolicae Sedis sumptibus in libera custodia asservatae, facto utrique praecepto, ut Urbem ipsam, Carceris loco haberent, atque una ab altera seorsim viverent. Cum autem agnitum fuerit, Mariam quidem seditiosas illas Encyclicas Literas, de quibus supra dictum est, aliis Literis tempestive datis revocasse; alteram vero, Cambiani nomine, muliebri potius levitate atque impetu abreptam, quam consulto, et malitiose peccasse; post factam iisdem facultatem simul convivendi, ac sedulo exploratam utriusque agendi rationem; quum praedicta Maria Warth adversa conflictaretur valetudine, eamque ob rem Viterbii balnea, de licentia praefatae Cardinalium Congregationis, nullo fructu adiisset; tandem anno MDCXXXVII indultum illi fuit, ut Leodium cum suo comitatu proficisceretur, quo convalescere posset beneficio illius aeris, quem alias salubrem experta fuerat.

VIII. Non ideo tamen Apostolica Sedes susceptum consilium curamque abiecit de Iesuitissarum Domibus, seu Convictibus abolendis, et extirpandis; qua de re extant posteriora mandata a praedicta Sancti Officii Congregatione transmissa, et praecise ad Apostolicum Nuntium Coloniae degentem anno MDCXL. Cumque deinceps de earum Instituto nihil amplius auditum fuerit; sub Pontificatu demum felicis recordationis Praedecessoris Nostri Innocentii Papae XII plurium tam Ecclesiasticorum, quam Saecularium Germaniae Principum preces ad Apostolicam Sedem delatae fuerunt, quibus petebatur Confirmatio Instituti quarumdam Virginum Anglicanarum nuncupatarum, quae in variis per Angliam, et Belgium Locis constitutae dicebantur. Cuius rei cognitio quum a Pontifice demandata fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ab hac vero exhibitarum Constitutionum revisio delegata fuisset bonae memoriae Leandro Cardi-

nali Colloredo nuncupato; his demum, aliisque ad rei summam pertinentibus in ipsa Congregatione mature perpensis, approbatae fuerunt praedictarum Virginum Regulae; earumque approbatio deinde a similis memoriae Praedecessore Nostro Clemente Papa XI praefati Innocentii successore, confirmata fuit, quum is Apostolicas Litteras edidit, incipientes: *Inscrutabili,* datas sub annulo Piscatoris die 13 iulii anni 1703.

§ 3. Verum, ex eo quod praefatae Mariae Warth permissus fuit regressus in partes Belgii, ipsaque deinde marte suo in Angliam transmisit, sequentibus vero temporibus alia Iesuitissarum Conservatoria, ut asseritur, fundata fuerunt, ac tandem Clemens XI supracitatas edidit Literas super approbatione Constitutionum Virginum Anglicanarum, duo Religiosi Viri Corbinianus Khamm, et Franciscus Schmalzgrueber, ille in *Hierarchia Augustana in Prodromo Partis Tertiae Regularis Relatione VI,* pag. 506 et seqq., hic autem in suo *Consilio LVI,* tom. 1, hanc deduxerunt consequentiam, quod scilicet restitutum fuerit Iesuitissarum Institutum, Urbani vero Constitutio abrogata fuerit; id quod a veritate longissime abest. Nec enim ea, quae ab Apostolica Sede benigne, aut remisse gesta sunt erga praedictam Mariam Warth, sive quum Romae detineretur, sive quum valetudinis causa permissum ei fuit salubriorem adire regionem, non ea, inquam, adversus ipsam Sedem Apostolicam converti, aut in argumentum innocentiae eiusdem Mariae usurpari debent. Quae etenim a gravioribus poenis ideo exempta fuit, quod Literas a se contumaciter, et seditiose scriptas in tempore revocasse probavit; nec nisi post diuturnam detentionem in Urbe, loco carceris ipsi assignata, facultatem discedendi, et quidem ex praemissa causa, obtinuit; hanc profecto sine culpa agnitam, aut pro innocente dimissam fuisse, dici non potest. Neque vero recte infertur abrogatio Constitutionis Urbanae ex subsequutis novorum earumdem Iesuitissarum Convictuum erectionibus, quae si verae essent, nil aliud probarent, quam continuatam adversus Apostolica Decreta inobedientiam, et contumaciam. Ita de aliquibus Bizochis, seu Beguinis, qui postquam proscripta fuerat ipsorum secta, huiusmodi suppressi Instituti habitum a quibusdam Ecclesiasticis Praesulibus susceperant, Praedecessor Noster Ioannes Papa XXII in sua *Extravag., Sancta Romana, de religios. Dom.,* pronunciasse legitur: *Quidam autem eorum dictum habitum, et vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Praelatis, habuisse profitentur: quos nec eis concedere licuit contra formam Concilii Generalis.* Quod idem a Nobis diceretur de Iesuitissarum Domibus, si quas post Urbani Constitutionem apertas fuisse constaret, videlicet id nulliter, et indebite factum fuisse, *contra formam Apostolicae Constitutionis.* Et sane Praedecessores quoque Nostri Romani Pontifices in eadem sententia fuisse comprobantur; dum omnia huiusmodi Conservatoria, de quibus post praedictam Constitutionem, ad ipsos relatum est, supprimi, et aboleri mandarunt.

§ 4. Quod autem pertinet ad Literas Apostolicas Clementis XI super approbatione Regulae Virginum Anglicanarum; ante omnia sciendum est, quod etiam Clementi Praedecessori ex parte bonae memoriae Maximiliani Emmanuelis utriusque Bavariae Ducis, et Sacri Romani Imperii Principis Electoris expositum fuit, nonnullas ex Anglia Catholicas Puellas Nobiles, a Patria sua Catholicae Religionis odio expulsas, in ditionis suae Terras olim pervenisse, ibique ab ipsius Ducis exponentis Avo benigne exceptas, piisque, et liberalibus subsidiis adiutas, sibi quandam Domum, seu Conservatorium constituisse, ibique vixisse, aliasque subinde Puellas, inter eas postmodum receptas, tunc pariter vivere, ac praeter alia pietatis opera, Puellis, quae ipsis erudiendae tradebantur, docendis, et instruendis incumbere. Cumque eaedem nonnullas pie vivendi Regulas sibi observandas praescripsissent, quas Apostolicae confirmationis Patrocinio communiri magnopere optabant, ideo ipse Maximilianus Dux et Princeps Elector pro huiusmodi approbatione eidem Clementi Praedecessori humiliter supplicabat; prout latius in eiusdem Clementis Literis continetur. Cumque huiusmodi Regularum revisio antea commissa fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum; haec autem, Regulis ipsis mature examinatis, eidem Clementi sententiam suam pro earum approbatione aperuisset; Pontifex ipse, per supradictas Literas Apostolicas, easdem confirmare non dubitavit.

§ 5. In his autem Literis nulla mentio fit de Iesuitissis, quae quidem in Urbani Constitutione appellantur: *certae Mulieres, seu Virgines, Iesuitissarum nomine assumpto:* illae vero, de quibus agunt Clementis Literae: *Catholicae Puellae Nobiles Angliae,* nuncupantur. Praeterea in Urbani Constitutione agitur de Mulieribus, quae exercebant: *opera permulta, sexus, et ingenii imbecillitati, et modestiae muliebri, ac virginali praesertim pudori minime convenientia:* cum aliis, quae fuse leguntur in Libello a Procuratore Cleri Anglicani exhibito praefatae Congregationi Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praepositae; in quo dicitur, eas Catholicae Religioni nostrae apud Haereticos opprobrium, et ignominiam inferre. Contra vero de Nobilibus Puellis Anglis, in Clementino Brevi dicitur, quod e Patria, *odio Catholicae Religionis, quae ibi persecutionem patiebatur, expulsae, et extorres erant.* In his etiam Literis nullum verbum fit de ipsa Urbani Constitutione; quum tamen, ex perpetua praxi Apostolicae Sedis, quoties aliquid per Literas Apostolicas statuitur de quacumque re, de qua praecedentes Pontifices aliqua decreverunt, eorum expressa mentio nunquam omitti soleat. Neque vero in iisdem Clementis Literis derogatur praefatae Urbani Constitutioni; cui quidem per clausulas generales derogari non poterat, sed ad eam infirmandam, speciali, et expressa derogatione opus erat. Ipsis denique Literis apposita legitur clausula salutaris, videlicet: *Caeterum non intendimus per praesentes ipsum Conservatorium in aliquo approbare:* quae tunc apponi consuevit, quum approbantur, seu confirmantur Regulae alicuius Conservatorii, aut Monasterii Mulierum, sine clausura viventium, contra praescriptum Decretalis Bonifacii VIII,[1] et Decretorum Concilii Tridentini,[2] nec non Constitutionis S. Pii Papae V, quae incipit: *Circa Pastoralis.*[3]

§ 6. In summa, neque verum, neque verosimile est, magnum Pontificem Clementem XI, eximia doctrina, et vastissima negotiorum Apostolicae

[1] C. un., *de statu regularium,* III, 16, in VI°.
[2] Sess. XXV, *de regularibus,* c. 5.
[3] Cf. N. 112.

Sedis cognitione praeditum (de quo Nos ipsi, qui olim in minoribus constituti plures annos in variis muneribus ipsius singulari erga Nos benignitate Nobis iniunctis, eidem officia, et ministeria nostra praestitimus, et testificari possumus, et libenter testificamur) unius pecularis Conservatorii Regulas approbando, in quod nonnullae Catholicae Virgines ex Anglia extorres sese receperant, in integrum restituere voluisse Iesuitissarum Institutum; quod ignorare non poterat, ab Urbano Papa VIII, tamquam Generalium Conciliorum Lateranensis, et Lugdunensis, aliisque Apostolicis Sanctionibus contrarium, et quidem gravissimis de causis in ipsius Urbani Constitutione relatis, atque in duabus Congregationibus Sancti Officii, et Propagandae Fidei diu et mature perpensis, suppressum atque abolitum iam pridem fuisse.

§ 7. Sane post damnatam, abolitamque in Concilio Viennensi a Praedecessore Nostro Clemente Papa V quarumdam Mulierum sectam, quae vulgo Beguinae vocabantur, de quibus agitur in *Clementin., ad Nostram,* tit. *De Haereticis,* ubi etiam earum perditi mores enunciantur; quum alter Praedecessor Noster Ioannes Papa XXII, nonnullas ex illis ab aliarum criminibus immunes esse, atque honeste vivere comperisset, declaravit has minime comprehendi debere sub abolitione Beguinarum a Clemente facta; ut videre est in *Extravag. comm.,* cap. *Ratio recta, De Relig. Domib.,* sed quum praefatus Clemens XI Anglicanarum Virginum Regulas approbando, nihil prorsus innuerit, quod ad Iesuitissas, et ad Urbani Constitutionem referri possit, id etiam argumento esse debet, nec illi propositum fuisse praedictam Urbani Constitutionem revocare, nec eam aliqua ex parte temperare.

§ 8. Quapropter, quum in praefata Congregatione die XXI elapsi mensis Iulii, ut praefertur, coram Nobis habita, decretum fuerit: *Primo, adhuc vigere Constitutionem editam a Summo Pontifice Urbano VIII super suppressione Iesuitissarum, nec ei unquam fuisse derogatum, nec subsistere assertum a nonnullis fundamentum Pontificiae tolerantiae dictae Constitutioni adversantis ; Secundo, Institutum Virginum Anglicanarum non esse Institutum Iesuitissarum; Tertio, Virgines Anglicanas, reprobatis caeteris aliis Constitutionibus, teneri ad observantiam earum tantummodo Constitutionum, quae fuerunt confirmatae a sanctae memoriae Clemente XI. Posse tamen ad Sedem Apostolicam habere recursum, quatenus alias edendas censuerint:* Nos, qui iam tunc tria huiusmodi decreta verbo comprobavimus, eadem nunc praesentium Literarum tenore approbamus, et confirmamus; dictaeque Urbani Constitutioni debitam obedientiam ab omnibus exhiberi mandamus, omnesque, et singulas poenas adversus illius transgressores in eadem propositas iterum statuimus, et innovamus; atque insuper praedicti Clementis XI Literas plenum effectum habere, nec aliter, quam iuxta earum germanum sensum, et iuxta praemissam declarationem Nostram, intelligendas, et interpretandas esse statuimus atque decernimus; prohibentes expresse sub poenis, quae contra transgredientes Mandata Apostolica sancitae sunt, ne quis asserere audeat, praedictum abolitum Iesuitissarum Institutum ab eodem Clemente redintegratum, et restitutum fuisse; quantumvis forsan a Virginibus Anglicanis, omissis iis, quae a praefato Urbano Praedecessore in Iesuitissarum abolitione damnata. et vetita fuerunt, aliqua pia opera exerceri comperiantur, ex iis,

quae exercebantur ab ipsis Iesuitissis, ideoque istarum Instituto Anglicanarum Institutum in aliquibus simile videri posset.

§ 9. Quam in rem aptissimum, et satis notum est exemplum Quaestorum eleemosynarum, qui etiam *Quaestuarii* appellabantur. Hi duorum Generalium Conciliorum, Lateranensis, et Viennensis, censura primum constricti, ob plures deplorabiles abusus, quibus in exercenda piarum largitionum quaestura universae Ecclesiae Dei scandalum inferebant, ut videre est in Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum Innocentii Papae III in cap. *Cum ex eo, De poenit. et remiss.,* et Clementis Papae V in Clementin. *Abusionibus,* eod. tit., radicitus demum extirpati fuerunt in novissimo Generali Tridentino Concilio, sess. 21, cap. 9, *de reform.,* ubi statuitur: *Ut posthac in quibuscumque Christianae Religionis locis, eorum nomen, atque usus penitus aboleatur, nec ad Officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus contrariis quibuscumque privilegiis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

§ 10. Nihilominus post Tridentinum Concilium, et semper alias, et Nostris etiam temporibus plures invenire licet pro Monasteriis, Hospitalibus, aliisque piis Locis, eleemosynas colligentes; quod olim ab iis fiebat, qui per relatas Canonicas sanctiones aboliti fuerunt. Nec tamen quisquam dicere audebit, recentiores hosce eleemosynarum collectores, ab iis dumtaxat excessibus immunes, quorum veteres illi rei erant, unum idemque Institutum cum ipsis iamdudum abolitis Quaestoribus profiteri: quum contra ad diversum omnino genus pertinere dignoscantur, cui novas ex integro leges praescripsit saepe laudatus Praedecessor, Urbanus Papa VIII, mandans, ut omnes, et singuli, qui pro Monasteriis, locis Piis, et Hospitalibus eleemosynas conquirunt, providas huiusmodi regulas observare debeant, atque hanc etiam, inter alias, ut *eleemosynarum petitores* nuncupentur, non vero *Quaestores,* quorum nomen Sacra Tridentina Synodus detestatur, ut latius continetur in Decreto eiusdem Urbani die XII mensis Iulii anni Domini MDCXLIV solemniter edito, et relato lib. XVII Decretorum Congregationis Concilii Tridentini, pag. 350 et seqq.

§ 11. Cum autem, occasione praesentis controversiae, animadversum fuerit, certisque argumentis comprobatum, huiusmodi Virgines Anglicanas, errore forsan ductas, consuevisse supradictam Mariam Warth, tamquam Instituti sui Fundatricem agnoscere, eiusque emortualem diem festivis ritibus palam celebrare, atque illius laudes Hymno prosequi, et nomen peculiari Collecta, et Litania invocare, denique Beatae Titulum tam voce, quam scripto passim illi tribuere; de his in praefata peculiari Congregatione decretum fuit: *Quarto, non posse* (Anglicanas Virgines) *recognoscere in Matrem, seu Fundatricem Mariam Warth, seu della Guardia; multoque minus fas esse ipsis, et quibuscumque aliis, eam invocare, tamquam in Coelis regnantem, ipsique exhibere cultum publicum, vel alium quemcumque actum, per quem eius asserta Sanctitas approbari censeatur.* Quod pariter Decretum tunc approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate roboramus. Facile enim est intelligere, exhibitos huiusmodi venerationis actus erga praedictam Mulierem (quam quidem, nisi aliquid in contrarium afferatur, pie credimus, deli-

ctorum suorum labe expiatam, ac Deo in charitate coniunctam ex hac vita migrasse) non alio tendere, quam ut hominum animis insinuetur, eam immeritis in vita persecutionibus vexatam, ab omni demum culpa immunem agnitam fuisse, quum contra, bene perpensis illius vitae actionibus, magna potius dicenda sit Urbani Pontificis clementia erga ipsam fuisse, dum eam errantem, et Apostolicis iussionibus obluctantem benignitate potius obstringere, quam poenis ipsi debitis ad legum praescriptum plectere voluit.

§ 12. Sed quamvis etiam illius vita innocenter traducta, ac perpetuo virtutum fulgore illustris appareret; atque etiamsi post illius mortem ad eius invocationem miracula facta fuisse, aut fieri constaret; nihilominus, absque praevia Nostra, seu Romani pro tempore Pontificis auctoritate, minime liceret publicum cultum eidem exhibere; per generalem, et notam Alexandri Papae III legem in cap. *Audivimus, De Reliq. et Venerat. Sanctor.* Nec dubitari potest, quin publici cultus rationem habeant illi quoque actus, qui privatim exercentur, ubi sint ex eorum genere, qui ab Ecclesia instituti sunt ad solemnem Beatis, aut Sanctis venerationem exhibendam, cuiusmodi sunt illi, quos supra enunciavimus. Neque licet *Beati* Titulo eos appellare, quibus ab Apostolica Sede Beatificationis honores tributi non fuerint, praesertim si appellatio huiusmodi supra personam potius cadat, quam supra mores, et opinionem; qua de re adest Decretum inter alia a praefato Urbano VIII Praedecessore Nostro super his edita, de protestationibus in principio Librorum apponendis ab his, qui Servorum Dei vitas conscribunt. Denique interdictum est, ne in die anniversaria obitus cuiuscumque Fidelis, qui nondum ab Ecclesia inter Beatos adscriptus sit, omissis suffragiis pro illius animae requie fieri solitis, Missa de Sanctissima Trinitate, vel de Sanctis omnibus celebretur, aut Panegyricae conciones habeantur; haec enim omnia ad Servorum Dei cultum, sine auctoritate Apostolicae Sedis, inducendum, fovendum, aut amplificandum collineare dignoscuntur. Quibus de rebus a Nobis olim fuse actum est in Opere *De Servorum Dei Beatific. et Beatorum Canoniz.*, lib. II, cap. 7, num. 3 et 7, cap. 12, num. 2 et seqq., cap. 13, num. 4, iuxta editionem Patavinam. Quare, approbato, ut praefertur, confirmatoque Decreto superius relato, Venerabiles Fratres, Dilectosque Filios, Locorum Episcopos, et Ordinarios, qui in Locis sibi subiectis similia usurpari cognoverint, hortamus in Domino, et admonemus, ut pro eorum Officii debito, consultissimarum huiusmodi Legum transgressores compescere non praetermittant, per legitimas poenas in ipsis Apostolicis Constitutionibus statutas, de quibus Nos in praefato Opere Nostro, lib. II, cap. 16.

§ 13. His ita constitutis, assertoque inviolabili vigore Apostolicae Constitutionis, per quam Urbanus VIII Praedecessor praefatus Iesuitissarum Institutum perpetuae abolitioni subiecit, quum simul demonstratum fuerit alterius Praedecessoris Clementis XI Literas pro approbatione Regularum praefati Conservatorii Virginum Anglicanarum editas, ad huiusmodi Iesuitissarum Institutum nullo modo pertinere; dictarum vero Virginum Conservatoria, licet ab Apostolica Sede, ut praefertur, non approbata, ab hac tamen benigne tolerari, utpote ab eodem reprobato Iesuitissarum Instituto realiter distincta, et omnino independentia; cumque nihil adversus huiusmodi Virginum mores

coram Nobis deductum extiterit; quin immo eorum opera in instituenda muliebris sexus iuventute plurimum apud Nos commendata fuerit, ad dirimendas controversias inter Augustanam Episcopalem Curiam, et praefatum Conservatorium Mindelhemii in eiusdem Dioecesi existens, ut initio diximus, exortas; visum est in praedicta Congregatione inquiri oportere, utrum eiusmodi Virgines pro veris Religiosis haberi debeant, ac Vota, quae ab ipsis fieri dicuntur, solemnia, an potius simplicia censenda sint; et an Ordinariae iurisdictioni Episcoporum, aliorumque Praesulum, in quorum Dioecesibus earum Conservatoria sita sunt, subiecta esse debeant. Super quibus re mature pensata, responsum fuit: *Quinto, Virgines Anglicanas non esse vere Religiosas; promissiones, quae ab ipsis emittuntur, non esse ad summum, nisi Vota simplicia; et transmittendam esse formam, et notificanda verba, quibus dictae promissiones emittuntur. Sexto, Virgines Anglicanas, earumque coetus, esse iurisdictioni Ordinariae Episcoporum subditos, in quorum Dioecesibus sunt; et ad Ordinarios praedictos pertinere, deputare Directores spirituales, et Confessarios, qui sibi apti videantur, sive ex coetu Presbyterorum Saecularium, sive Regularium.* Quae quidem responsa Nos pariter tunc approbavimus, et nunc praesentium tenore, et Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus, et roboramus. Si enim ad essentiam Status vere Religiosi requiritur, ut Religio, seu Ordo, in huiusmodi Statu, Apostolicae Sedis confirmatione stabiliatur, iuxta Canonicas sanctiones, de quibus in cap. unic., *De Religios. Domibus, in VI*, nec sufficit ab eadem Apostolica Sede obtinuisse dumtaxat approbationem, et confirmationem Regularum, quas aliqua Virorum, aut Mulierum Societas sibi observandas praescripserit; si Vota paupertatis, obedientiae, et castitatis, ab Anglicanis Virginibus emissa ad formam Regularum a Clemente XI approbatarum, coniuncta dici nequeunt cum expressa, aut tacita Professione in aliquo Ordine per Sedem Apostolicam in Statu verae Religionis, ut praefertur, approbato; clare patet et Statum Virginum Anglicanarum non esse Statum verae Religionis, et Vota, quae ab ipsis fiunt, simplicia ad summum Vota, non vero solemnia censeri debere, ad tramites Decretalis Bonifacii Papae VIII, quae unica extat sub titulo, *De Voto, et Voti redempt., in sexto.*

§ 14. Et haec quidem ex variis facti notitiis, et animadversionibus ex rei natura desumptis, maiori etiam in luce collocantur. Quod enim praedictae Virgines veris Religiosis accenseri non debeant, id iam usque ab an. MDCCVI responsum fuit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, in causa tunc inter Conservatorium huiusmodi Virginum Monachii existens, et Ordinarium Loci, Frisingensem videlicet Episcopum, vertente, eiusque Congregationis resolutio a saepe laudato Praedecessore Clemente XI confirmata, et approbata fuit per literis in forma Brevis data die 5 Martii eiusdem anni incipientes: *Emanavit.* Quod item earum Vota simplicia, non solemnia, dicenda sint, ex ipsis verbis Constitutionum ab eodem Clemente XI pro illis approbatarum eruitur; siquidem ibi sic legitur: *Licet Regulae nostrae non tendant ad Statum, sive Ordinem Religiosum; tria tamen Vota emitti solita, Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis, veluti triplicem vivendi modo*

murum, omnes peculiari studio conservare studeant, nihilque, quod illum ullatenus debilitare, aut violare possit, admittant. Denique quum in supradicta Causae Frisingensis resolutione, Apostolica auctoritate, ut praefertur, approbata, decretum fuerit, easdem Virgines immediate subiectas esse iurisdictioni, et correctioni Ordinarii; in earum vero Regulis similiter approbatis expresse legatur, quod *duo Confessarii a Superioribus, si commode fieri possit,* earum coetibus *proponendi sint;* Superiorum autem appellatione non alii intelligi debeant, quam Ordinarii Locorum, quorum iurisdictioni eas immediate subiectas esse, iam demonstratum est; ex his simul iunctis aperte comprobatur iustitia Decreti sub *numero sexto* superius relati, in eo quod pertinet ad deputationem Confessariorum, et Directorum spiritualium. In hac autem Decreti parte exequenda, minime dubitamus, quin Episcopi, et Ordinarii Locorum Apostolicas Nostras Literas superiore anno MDCCXLVIII, Nonis Augusti editas, quarum initium est *Pastoralis curae,*[1] prae oculis habituri sint; quibus nempe Literis et plura constituimus observanda in deputationibus Confessariorum Ordinariorum, et Extraordinariorum tam pro Monialibus, quam pro aliis Mulieribus, seu Virginibus, in piis Domibus, et Conservatoriis degentibus; et Superiorum animos, ad moderatae facilitatis, et indulgentiae sensus induendos erga eas, quae iustis de causis Confessarios extra ordinem sibi concedi postulaverint, magnopere hortati sumus.

§ 15. Porro non haec duo sola Virginum Anglicanarum Conservatoria, quae controversiae causam dederunt, in partibus Germaniae sunt, sed praeter aliud superius memoratum Monachii in Frisingensi Dioecesi existens, unum etiam in Sancti Hippolyti, et aliud in Krembsi, Dioecesis Passaviensis Oppidis seu Civitatibus, aliaque forsan alibi, existunt. Unumquodque eorum a sua Superiorissa locali gubernatur; at praeter hanc, aliam quoque Superiorissam supremam agnoscit, quae Generalis etiam dicitur, propterea quod omnia Conservatoria huiusmodi, praecipua quadam auctoritate moderatur. Nec ea tamen unica est pro omnibus eiusdem Instituti Conservatoriis. Etenim non ita pridem contigit, ut in praefata Cardinalium Congregatione Episcoporum, et Regularium negotiis praeposita, disputaretur, an Conservatorium Krembsense in Austria erectum, et alia forsan in posterum in eadem Austriae Provincia sub Regulis a Clemente XI approbatis erigenda, Superiorissae Generali in Oppido, seu Civitate Sancti Hippolyti residenti, an vero alteri Superiorissae Generali in Bavaria commoranti, subesse deberet. Cumque Rescriptum emanaverit pro Superiorissa Sancti Hippolyti, Nos illud per Literas in forma Brevis incipientes: *Exponi Nobis,* datas die XXV mensis Maii anni Domini MDCCXLII, ac Dilecto Filio Nostro Iosepho Dominico Presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Lamberg nuncupato Passaviae Episcopo pro executione directas, confirmavimus et approbavimus. Contra vero praedicta duo Conservatoria, Augustae Vindelicorum et Mindelhemii constituta, Bavaricae Superiorissae Generali obediunt. Unde quum superioribus annis universa Bavaria ab externis Militibus occuparetur, atque interim advenisset tempus, quo ad novae Superiorissae Generalis electionem

[1] Cf. N. 388.

procedendum erat; Venerabilis Frater Ioseph Episcopus Augustanus, pro Pastorali sua providentia et circumspectione, vetuit, ne Superiorissa Localis Augustani Conservatorii, ad eiusmodi electionem peragendam, incommodum et periculosum iter Monachium versus susciperet; sed electionem ipsam, nova methodo pro ea vice prudenter praescripta, Augustae fieri curavit: ut constat ex ipsius Episcopi mandato, facto die 6 Iunii 1745.

§ 16. Propter hanc igitur Supremam, seu Generalem Superiorissam, aliud vertebatur controversiae caput inter praefatam Augustanam Episcopalem Curiam, et dictum Mindelheimense Conservatorium; quum Virgines Anglicanae in hoc commorantes, speciem quamdam exemptionis et independentiae ab ipsius Episcopalis Curiae auctoritate sibi arrogare volentes, hoc inter alia obtenderent, quod scilicet obedientiam suam huiusmodi Generali Superiorissae promiserant. Super quo, matura deliberatione in praedicta Congregatione habita, quum rescriptum fuerit, ut sequitur: *Septimo, nihil innovandum quoad Superiorissam: eius tamen auctoritatem coërcendam esse ad visitationem, superintendentiam in materia educationis Puellarum, translationem Virginum de uno in alium locum; accedente debita subordinatione in praedictis ab Ordinariis Locorum; prout latius explicabitur a Sanctitate Sua in Constitutione suis tempore et loco edenda:* Nos huiusmodi Rescriptum, et tunc oretenus approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate, *iuxta modum tamen mox declarandum,* confirmamus, et ratum facimus.

§ 17. Non hic agitur de Praeposita Generali Instituti Iesuitissarum, quae dudum, una cum ipso Instituto, caeterisque praetensis illius Officialibus, in praecitata Constitutione Urbani Papae VIII abolita fuit; sed res est de una, vel potius de pluribus Generalibus Superiorissis, quibus, ad plura Virginum Anglicanarum Conservatoria diversis in locis constituta, utiliter dirigenda, et moderanda, annuentibus Episcopis, in quorum Dioecesibus huiusmodi Conservatoria erecta fuerunt, suprema quaedam auctoritas in eadem attributa fuit. Nec agitur pariter de tali Superiorissa Generali, quae amplam quamdam iurisdictionem in subditas exercere, ipsaque ab Ordinaria Episcopi auctoritate exempta esse debeat; qualis esse asseritur Superiorissa Ordinis Fontebraldensis, pro qua prolixam scribit *Apologiam* Ioannes de la Mainferme, duobus iustis voluminibus editam Lutetiae Parisiorum, anno Domini MDCLXXXIV; et de qua plura reperiuntur in *Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum, et Militarium,* ibidem impressa anno MDCCXXI, tom. 6, cap. 2. Aut qualis est Abbatissa Burgensis in Hispania, quae Capitulum Generale in Civitate Burgensi singulis annis celebrare solet, et in plura Monasteria Regnorum Castellae et Legionis, suam iurisdictionem exercet; de qua in *Annalibus Cisterciensibus,* tom. 1, pag. 225, et apud Thomassinum, *De vet. et nov. Ecclesiae discipl.,* part. 1, lib. 3, cap. 68, num. 12, multa habentur. Sed agitur de Superiorissa Generali nuncupata, cuius facultates circa res parvi momenti versantur; quaeque nullam, quantumvis parvam facultatem exercere debet, independenter ab Ordinaria auctoritate eorum Praesulum, in quorum Dioecesibus existunt Instituti sui Conservatoria; quae omnia et singula, ut supra dictum est, Ordinariae eorumdem Praesulum iurisdictioni immediate subiecta sunt, et esse debent.

§ 18. Huic igitur Generali Superiorissae minime licebit Virginem ullam ad supradictorum Votorum Professionem admittere, aut Professiones huiusmodi recipere, nisi prius ipsi ab Episcopo necessaria facultas ad hunc effectum, sive peculiariter ad quemlibet actum, sive generaliter ad omnes, concessa fuerit. In Monasteriis enim, et Conservatoriis Episcopo immediate subiectis, secundum Canonicam Regulam, Professiones fieri debent in manus vel ipsius Episcopi, vel illius, quem, seu quam ipse, ad eas recipiendas delegaverit (cum enim agatur de actu non Ordinis, sed Iurisdictionis, mulier quoque potest ad illum delegari). Quae Regula apud omnes Ecclesiastici iuris auctores sine contradictore recepta, desumpta est ex cap. *Consuluit,* sub tit. *Qui Clerici vel voventes;* ubi Praedecessor Noster Alexander Papa III ita scribens: *Nec in manus alicuius Episcopi, Abbatis, vel Abbatissae, aut super Altare professa est, vel obedientiam promisit:* eorum enumerationem fecisse censetur, qui Professiones personarum sibi respective subiectarum recipere debent.

§ 19. Eidem tamen Generali Superiorissae licebit, praevio expresso Dioecesani Praesulis assensu, Conservatoria, seu Domos visitare, et an in ipsis omnia ad propriarum Constitutionum, rectaeque disciplinae normam gerantur, et quomodo Puellarum institutio ac profectus promoveatur, diligenter cognoscere. Et haec quidem per discretas mulieres, procul omni periculo, et aptius fortasse, quam per Viros, perfici possunt; ex iisque multa sane ad Dioecesis regimen opportuna cognoscere poterit Superior Ecclesiasticus, Episcopus nimirum, seu Ordinarius Loci; ad quem post Visitationem, de omnibus relatio fieri debebit, ut is Pastoralis providentiae consilia capiat, prout in Domino iudicaverit. Eadem quoque poterit Magistras, et Virgines, de uno in aliud Conservatorium transferre, prout illas in uno potius, quam in alio, opportune collocandas, et utilem operam praestituras esse, prudenter existimabit; habita tamen ad huiusmodi translationes pro tempore exequendas, licentia, et facultate illius Ordinarii Praesulis, seu illorum, in cuius, vel quorum Dioecesi ipsa Conservatoria respective sita reperiuntur.

§ 20. Ipsius itaque Generalis Superiorissae auctoritate intra huiusmodi limites conclusa, et ad terminos oeconomicae cuiusdam providentiae, nec nisi cum perpetua dependentia ab Ordinaria Episcoporum auctoritate exercendae, redacta, merito sperandum est, absque illius Officii abolitione (quam quidem praedicta Congregatio neque necessariam, neque opportunam fore iudicavit), ex Virginum Anglicanarum Conservatoriis, universoque earum Instituto, licet ab Apostolica Sede tolerato dumtaxat, sed non approbato, uberes optatae utilitatis fructus collectum iri. Neque vero timendum est, ullum detrimentum inferri canonico subordinationis ordini ex iuramento obedientiae ab ipsis Virginibus praestito, aut deinceps, de ipsius Episcopi licentia, ut praefertur, praestando praefatae ipsarum Generali Superiorissae; quum huiusmodi iuramenta nihil detrahere valeant Episcoporum auctoritati, cui ipsae subiectae esse debent, et cuius inconcussae firmitati innituntur, quaecumque in superioribus Decretis eorumdem Episcoporum Ordinariae iurisdictioni reservata esse, et fore statuimus, et declaravimus. In omni enim iuramento semper debet intelligi ius Superioris exceptum, ut totidem verbis olim respondit Praedecessor noster Innocentius Papa III in sua Decretali cap. *Obedientes, De iureiurando.*

§ 21. Haec autem ut aliquo exemplo magis confirmentur, remotioribus silentio praeteritis, iuvat ex his, quae sub oculis nostris geruntur, exemplum afferre nonnullorum Convictuum quarumdam Mulierum, *Magistrarum* nuncupatarum, quarum aliquae *Piarum* nomine, aliae vero *Sanctarum* appellatione distinguuntur. Harum omnium Institutum circa educationem, et disciplinam Puellarum occupatur; quod, quum aliquibus retro annis in Dioecesi Montis Falisci, dum bon. mem. Marcus Antonius huius S. R. E. Cardinalis Barbadicus nuncupatus illius regimen obtineret, initium habuisset, brevi tempore ad alia loca propagatum fuit, ita ut etiam nonnulla ipsius Instituti Conservatoria in hac ipsa Urbe fuerint constituta; sed exortis in illius regimine quibusdam controversiis, in duas diversi nominis Societates, quae tamen unum idemque pium opus urgent, divisum fuit.

§ 22. Quilibet huiusmodi Mulierum Coetus proprium habet Directorem Spiritualem qui de animarum cultura tantummodo curam gerit. Utraque vero Societas, singulis trienniis, coram proprio Directore Spirituali congregata, suam sibi eligit Generalem Superiorissam, aliasque Officiales, Consultrices nuncupatas; cui quidem Superiorissae Generali omnes eiusdem Instituti Magistrae subiectae sunt, et obediunt in iis omnibus, quae ad Scholarum regimen, earumque progressus pertinent. Ipsa vero statis temporibus Scholas omnes Instituti sibi subiecti visitando perlustrat; quamvis extra Urbem in diversis per suburbicariam regionem Dioecesibus existant. Quae quidem, quum ab huiusmodi Generalibus Superiorissis, sine detrimento iurisdictionis Ordinariorum, quibus earum Societates immediate subiectae sunt, et sine ipsorum querela pacifice exerceantur; merito iudicari visum est, Anglicananarum quoque Virginum Institutum, firmo quamvis remanente, ut praefertur, Officio earum Supremae, seu Generalis Superiorissae, et Christianae Puellarum educationi valde proficuum, et etiam ipsis Episcopis in Dioecesum sibi commissarum regimine non modico adiumento esse posse.

§ 23. Cuius rei cum Nos iustam in Domino fiduciam habemus, tum illud ad eam perficiendam conducere maxime poterit, si Venerabiles Fratres Ecclesiarum Praesules, in quorum Dioecesibus huiusmodi Instituti Conservatoria, vel iam erecta sunt, vel in posterum erigi contigerit, pias hasce Virgines, in excolenda Dominicae Vineae parte laudabili studio adlaborantes, benigno favore prosequentur, quod Nos eisdem enixe suademus; tum etiam si eas edocebunt, nec earum Institutum idem esse cum reprobata Iesuitissarum Societate; nec licitum esse publico Cultu venerari eos, qui ab Apostolica Sede inter Beatos, vel Sanctos adnumerati non fuerint; nec omnia quae de Servorum Dei gestis, ab Historicis praesertim, pia erga eos affectione praeoccupatis, enarrantur, ante ipsius Apostolicae Sedis examen, atque iudicium, pro veris certisque amplectenda esse; earum vero Conservatoria tolerari quidem ab hac eadem Apostolica Sede, sed Institutum ipsum nec approbatum, nec confirmatum esse; obsistentibus Sacris Canonibus, et generali Constitutione Sancti Pii V,[1] ne Religiosae Mulierum Domus Apostolica

[1] Cf. N. 112.

confirmatione stabiliantur, quae se perfectae Clausurae legibus non obstrinxerint; si denique eisdem Virginibus demonstraverint, Regulas a Clemente XI pro ipsis approbatas, earum agendi normam esse debere; aliasque similiter, quas forsan ad earum Instituti perfectionem addendas esse prudenter existimaverint, ipsius Apostolicae Sedis iudicio, pro legitima obtinenda approbatione, subiiciendas esse. Ipsae autem Anglicanae Virgines et Pontificiam benevolentiam, et Ordinariorum Praesulum favorem sibi facile conciliabunt, si Praesules ipsos pro veris, et legitimis Superioribus suis, ut par est, agnoscentes, sibique persuadentes, per obedientiae iuramenta, quae propriae Generali Superiorissae praestiterint, nihil imminui posse de Superiorum Ordinariorum iure, quod semper, ut supra diximus, in omni promissione, ac iuramento exceptum intelligi debet, ipsis Dioecesanis Episcopis debita reverentiae, et subiectionis officia, omni prorsus cunctatione abiecta, studuerint exhibere.

§ 24. Hanc animorum, studiorumque concordiam inter Locorum Episcopos, et Anglicanarum Virginum Coetus fovendam esse reputans, praedicta Congregatio coram Nobis habita, in Causa Conservatorii Mindelheimensis novissimo loco decrevit, ut sequitur: *Ultimo, quod, facta a Virginibus Anglicanis Civitatis Mindelheimensis obligatione observandi contenta in hoc Decreto, restituantur in integrum; Missae in ipsarum Ecclesia celebrentur, uti prius; et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ea asservetur; pro qua asservatione Sanctitas Sua, cui id reservatum est, facultatem opportunam indulget Episcopo Augustano.* Quod sane Decretum a Nobis tunc viva voce approbatum, nunc eo libentius confirmamus, quod, et praefati Conservatorii Virgines debitam obedientiam iam praestitisse, et pium, suique gregis vere amantem Episcopum Augustanum iam quoque illis indulsisse accepimus, ut in earum Ecclesia, et Missae, ut prius celebrentur, et SS. Eucharistiae Sacramentum retineatur. Quoniam vero alterius huiusmodi gratiae concedendae ius ad Nos et Apostolicam Sedem privative pertinet, quod innuit Decretum superius relatum, et Canonica docet Disciplina, iuxta quam Sacrosancta Eucharistia in Ecclesiis, quae Parochiales non sunt, retineri non potest, absque praesidio Apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi Indulti praesumptionem inducit; ut late ostenditur in *Commentariis* bon. mem. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum Constitutiones, et signanter ad Constit. I Urbani IV, sect. unic., num. 29 et seqq., tom. 3; Episcopi autem est, licentiam impertiri, ut idem Augustissimum Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponatur, quoties iusta et publica causa id fieri suadeat, ut videre est in nostra *Institutione Pastorali,* in editione italica, tom. 2, num. 10, in latina vero num. 30; Nos iisdem Virginibus Anglicanis Conservatorii Mindelheimensis, quo obedientiae erga suum Ordinarium Praesulem, ut par erat, exhibitae meritum praemium ferant, et donec in eadem obedientia perseveraverint, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus, ut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in earum Conservatorii Ecclesia, sine praeiudicio tamen iurium Ecclesiae Parochialis, asservari, ac retineri possit, et valeat.

§ 25. Denique praesentes, dictorumque Urbani, atque Clementis Praedecessorum Literas, necnon praeinserta Decreta, aliaque omnia, et singula

in ipsis respective statuta, disposita, atque sancita, etiam ex eo, quod praedictorum Conservatoriorum, seu aliorum quorumcumque ubilibet existentium Virgines, seu Mulieres, earumque Praepositae, atque Officiales, et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere praetendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocatae, et auditae, aut vocati, et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae forsan dici possent, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates, et quaevis alia forsan servanda, et adimplenda fuerint, aut ex quovis alio capite a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu laesionis, aliove colore, et capite, etiam in corpore Iuris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel iustitiae remedium impetrari, aut concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio, seu extra posse, ipsasque praesentes perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes et singulas, nec non omnes et singulos, ad quas, et quos spectat, et quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari; omnibusque etiam et singulis, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus, et decernimus.

§ 26. Sicque, et non aliter, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 54-68].

399.

Benedictus XIV, litt. encycl. *Peregrinantes,* 5 maii 1749.[1]

Peregrinantes a Domino, et futuram Civitatem Patriam nostram inquirentes, in multis omnes offendere, atque a via mandatorum Dei saepe nos declinare, et quasi insipientes Oves aberrare, nimis est exploratum. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, arguente nos conscientia nostra de multitudine praevaricationum nostrarum, propter quas formido mortis conturbat nos, et timor, et tremor veniunt super nos in cogitatione appropinquantis iudicii Dei. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, cuius vera, et iusta sunt iudicia, cuius flagella non alia de causa congregata sunt super nos, nisi quia peccavimus ei, iniuste egimus, iniquitatem fecimus; et ideo nos temporaliter caedere, et

[1] Universis Christifidelibus.

castigare non desinit, ut convertamur ad eum, antequam sempiternam adducens retributionem adveniat.

§ 1. Huius rei causa pia Mater Catholica Ecclesia potissimam hanc pietatis curam alumnis filiisque suis incessanter impendit, ut errantes ad viam iustitiae, ruentes in praeceps ad rectum salutis tramitem revocet, lapsos ad poenitentiam, et per hanc ad delictorum veniam obtinendam adducat; meritisque poenis obnoxios ad dissolvendas impietatis colligationes, oblatis Misericordiae Divinae remediis, invitet. Sed pauci sunt, qui Ecclesiae salubriter monenti auscultent. Plerique enim vel pravis affectionibus adstricti, vel sollicitudinibus, et voluptatibus vitae impliciti, poenitentiae spiritum, et labores, morumque emendationem refugientes, divitias bonitatis Dei, et patientiae, et longanimitatis contemnunt. Indulgentiarum vero thesauros, quos prolixa Ecclesiae benignitas omnibus ubique, et omni tempore apertos exhibet, alii damnabiliter negligunt, alii non rite acquirere, et promereri student. Interim vero dies nostri deficiunt, et omnes sicut aqua dilabimur super terram; quum autem apparuerit iustus Iudex, tunc sero agnoscemus, secundum duritiam nostram, et impoenitens cor, thesaurizasse nobis iram in die irae; atque omnia manere Divino iudicio punienda, quaecumque non fuerint poenitentiae emundatione deleta.

§ 2. Bene itaque ac sapienter Praedecessores Nostri Romani Pontifices certa quaedam tempora in saeculorum evolutione delegerunt, quibus universos per Orbem Terrarum Christi Fideles de ingruente Mundi fine commonefactos, maiori studio excitarent ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Quumque id olim centesimo quoque anno fieri consuevisset, habita deinde ratione illius temporis, intra quod generationes hominum passim renovari conspiciuntur, post singulos vigintiquinque Annos hoc idem provide praestandum esse decreverunt, ut novis subinde Familiis super faciem terrae succrescentibus, generalia propitiationis et indulgentiae consequendae media, non sine apta poenitentialium operum praefinitione, suppeditarent. Annum hunc acceptabilem, annum renovationis et poenitentiae, annum reconciliationis et gratiae, Sanctum in Ecclesia merito appellatum, qui proximo hyemali solstitio aperietur, annunciamus vobis, quotquot Catholico nomine censemini, ac paterno vos affectu adiuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; neve nostra, et Ecclesiae consilia, quae ad pacem, et salutem directa sunt, in irritum cedere sinatis.

§ 3. Audite, audite summam Apostolicae Praedicationis, quam Dominus Iesus Christus Nobis etiam, indignis licet, ad Apostolicae servitutis officium vocatis demandavit: Poenitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Coelorum. Filioli, novissima hora est, revertimini ad Dominum, reconciliamini Deo. Et Mundus transit, et concupiscentia eius; nec aliis promittitur aeterna stabilitas, quam his, qui fecerint voluntatem Dei, quae manet in aeternum. Quae est autem voluntas Dei, nisi sanctificatio vestra? Ad hanc perficiendam vocat vos communis Mater Ecclesia Romana, quae proximum hunc annum in publicis Religionis, et pietatis exercitationibus totum impendet; id optans, ut filii sui omnes, quicumque Catholicae doctrinae lacte per omnem Terrarum Orbem imbuti sunt, de latere surgant, ac de longe veniant, et conspirante pietatis studio, Dei misericordiam et gratiam, tam sibi singuli, quam universae Fraternitati demereant. Aperit illa advenienti multitudini Sacrorum Templorum Portas; sed multo magis pandit Maternae charitatis sinum, atque omnibus sincere postulantibus, et digne inquirentibus certam peccatorum veniam et indulgentiam promittit.

§ 4. Huic promissioni fidem indubiam adstruunt tum suprema ligandi, atque solvendi potestas Beatissimo Apostolorum Principi, ac per eum Nobis in illius Sede residentibus, ipsa Redemptoris voce tributa, et inaestimabilis meritorum, et satisfactionum thesaurus ex ipsius Christi Domini, eiusque Virginis Matris, omiumque Sanctorum meritis, passionibus, ac virtutibus constans, eiusdem Beati Petri, nostraeque similiter dispensationi concreditus; tum sanguis Apostolorum, et Martyrum, qui ad Ecclesiae huius aedificationem, tamquam aqua olim super terram effusus, clamat ad Dominum, suisque cultoribus veniam precatur, et pacem; tum recta disciplinae ratio, ad Ecclesiasticae regulae normam in praescribendis salutaris poenitentiae operibus, et ad Ecclesiasticae lenitatis spiritum in Indulgentiae largitione, conformata; tum denique propositi finis sanctitas, Christianae plebis utilitas, maiorum exemplum.

§ 5. Quod igitur ratio temporis, et praedictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum admonet consuetudo, illorum vestigiis inhaerentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium assensu, universalis et maximi Jubilaei in hac Alma Urbe Nostra celebrationem in annum proximum Millesimum septingentesimum quinquagesimum, a primis Vesperis Vigiliae Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi proxime futurae inchoandam, et per totum annum ipsum finiendam auctoritate Dei Omnipotentis, et Beatorum Petri, et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, Catholicae Ecclesiae exaltationem, ac totius Christiani Populi sanctificationem, indicimus, et promulgamus.

§ 6. Quo quidem Iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis, qui Beatorum Petri, et Pauli, nec non Sancti Ioannis Lateranensis, et Sanctae Mariae Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel Incolae Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem huiusmodi dies, devote visitaverint, et pro Sanctae Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani Populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§ 7. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter agressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne fortasse quidem inchoato, praemissa exequi, et dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piae promptaeque illorum volun-

tati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae, et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis praescriptis reipsa visitassent; ut praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 128-139].

400.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Apostolica Constitutio*, 26 iun. 1749.[1]

§ 1. Apostolica Constitutio a Nobis nuper promulgata,[2] in qua Sanctioris Anni solemnitatem Christifidelibus denunciavimus, eosdem invitat, ut sacris Peregrinationibus sese committant, ac opus perficiant, quod in veteri Testamento Dei iussa, in primaevis Ecclesiae saeculis frequentior ad sacra Ierosolymorum loca accessus, ac perpetua consuetudo, quae vel ipsos Imperatores ac Reges ad huius nostrae almae Urbis sacra monumenta, et prae ceteris ad beata Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Sepulcra invisenda perduxit, satis commendant: opus denique, quod ab haereticis male habitum, a nostris Controversiarum Tractatoribus multa vi, solidisque rationibus fuit vindicatum. Si enim ab iis, qui Ecclesiarum regimini praeficiuntur, eiusmodi Peregrinationes, qua decet methodo ac ordine instituantur, pietatis ac religionis stimulos conciliant iis omnibus, qui sobrio pacatoque animo rem ipsam introspiciunt, ac veros, quibus ea circumscribitur, limites contemplantur.

§ 2. Iussit Deus in Lege veteri, ut omnes Israelitarum filii ter quotannis ad Tabernaculum, sive ad Domini Templum devoti accederent: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate Tabernaculorum:* ut ex Deuteronomii cap. 16 cuique perspectum est. Cui quidem praecepto Elcana, eiusque uxor Anna sedulo obtemperarunt, 1 Reg. cap. 1. Et Redemptor noster summopere diligendus, Beata Virgine eius Matre, ac Sancto Iosepho eius Nutritio comitantibus, ad Templum statis vicibus se contulit; uti legimus Lucae cap. 2. Hinc, ut Templum a Salomone constructum vel ipsae Gentes frequentiores adirent, idem Salomon Deum precatus est, ut exterarum Gentium, etsi Israelitis non accenserentur, quae post longos itinerum tractus Templum inviserent, precibus benignus annueret: *Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique)... tu exaudies in Coelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena.* Prostant haec verba 3 Reg. cap. 8.

[1] Ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos.
[2] Cf. N. 399.

§ 11. Liceat Nobis huc item transferre ipsamet verba, quibus Sanctus Carolus Borromaeus, clarissimus Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus, geminam ad commissum sibi gregem dedit epistolam, Italico sermone, ut omnium captui se accommodaret, conscriptam; alteram quidem die 10 Septembris 1574, hoc est anno Iubilaeum a Gregorio XIII celebratum praeeunte; alteram, absoluto Iubilaei tempore anno 1576 promulgatam. Utriusque epistolae fragmentum latine redditum lubentes exscribimus. Prior epistola sic habet: *Contemnenda ergo non est, filii charissimi, occasio, ex qua animabus vestris tanta obveniunt emolumenta. Nolite, precamur vos, metu curave laboris, quo corpus paulisper lassatur, tanto fraudari bono. Vestram in terrenis commodis ac emolumentis diligentiam perpendite: quorum gratia, longa, ac periculis plena itinera ultro suscipitis, absque eo quod aerumnae, ac incommoda vos terreant, aut labores, qui non semel occurrunt, ab incoepto vos retrahant. Pudeat igitur, quod maiora corpori, quam animae, impendatis beneficia. Enimvero si de temporalis oneris dissolutione agatur, aliqui vestrum non dubitant vias etiam difficiliores adire; esto sacra haec itinera, tot tantorumque peccatorum, quae animam gravent, absolutionem impetrent. Haec ratio, filii charissimi, quae animae saluti tam bene consulit, stimulos vobis addat oportet, ut sincerae pietatis, quae Christianos decet, spiritu instructi, sacrum iter suscipiatis, ad quod antiqua Fidelium devotio, ac vetusta populorum ac Principum exempla vos provocant.* Posterioris epistolae, quam, elapso Iubilaei Anno Sanctus Carolus scripsit, postquam Summus Pontifex, ipso rogante, Plenariam Iubilaei Indulgentiam Mediolanum transmiserat, ut eorum saluti consuleret, qui praecedenti anno Romam non accesserant, verba haec sunt ad rem nostram satis opportuna: *Nostis quaenam fuerint anno praeterito vota nostra, ut nemo vestrum, cuiusvis negotii aut impedimenti praetextu, a sacris Peregrinationibus, quae ad Urbem Romam instituendae erant, abstineret. Unumquemque excitavimus, ut ad spirituales divitias sibi comparandas properaret, ac singulari obsequio S. R. E., quae omnium Mater est, veneraretur, Romam accedens, ut corpore praesens Apostolicas benedictiones consequeretur, et Beatorum Petri et Pauli sacra Corpora, aliorumque Sanctorum Reliquias coleret; ut vetustas ac venerandas Ecclesias, necnon loca illa innumerorum pene Martyrum sanguine conspersa ac consecrata intueretur. Haec enim Urbs illa est, mysteriis, sacrisque monumentis insignita, singularibus beneficiis a Deo cumulata, cum in ea S. Petri Cathedram perpetuo fixerit: infallibilem Fidei Catholicae veritatem, disciplinae ac morum Magisterium collocaverit. Haec quidem Urbs est, cuius tellus, muri, Arae, Ecclesiae, Martyrum sepulcra, et quidquid oculis obversatur, sacrum quid animis ingerit, ut ii experiuntur, ac sentiunt, qui rite comparati sacros illos recessus invisunt. Hinc vos omnes et voce pluries hortati sumus, et literis excitavimus, et itineris a nobis suscepti exemplo monuimus; rati, nostra interesse, hac etiam in re ductorem agere, ac exemplo praeire.*

§ 12. Hucusque nostram hanc Encyclicam Literam producere, tandemque finem imponere meditabamur; verum, praeter spem a Nobis praeconceptam, multa adhuc superesse animadvertimus. Patres Synodi secundae Cabilonensis anno 813, in Canone 45 apud Harduinum, tom. 4, pag. 1039, *suae Collec-*

tionis, nonnulla recensent absurda, quae eorum aetate, occasione rei, de qua agimus, invaluerant, et quae fortasse nostris etiam temporibus possent obrepere. *Nam et a quibusdam,* inquit Canon, *qui Romam, Turonumve, et alia quaedam loca sub praetextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri, et Diacones, et caeteri in Clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, et ministerio suo fungi debere, si praefata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia haec loca frequentant. Sunt adeo vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visitatione a peccatis purgari.* Alia item sequentium temporum absurda, ex quibus Fidelium Peregrinationes suo frustrantur effectu, commemorat Abbas Albertus Stadensis in Chronico: *Vix aliquos vidi, vel nunquam, qui redierint meliores de transmarinis partibus, vel de Sanctorum Liminibus.* Ut hisce malis occurrant Patres Cabilonenses, remedia praescribunt, verbis, quae sequuntur: *Qui vero peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, et ab his agendae poenitentiae consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum Limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Nec remedia dissimulat Abbas Stadendis, inquiens: *Puto ex eo hoc provenire, quod debita devotione nec exeunt, nec redeunt; debent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de saeculo migraturi.* Et Nos igitur, ne Apostolici ministerii partes negligamus, alieno exemplo edocti, malis omnibus avertendis, et iis statuendis, quae ad Indulgentiarum fructum percipiendum necessaria sunt, animum intendamus oportet.

§ 13. Notum cuique est, mensium aliquot spatium intercurrere ab eo tempore, quo Anni Iubilaei Bulla Romae evulgatur, ad ipsa Sacri Iubilaei Anni primordia; quandoquidem, iuxta veterem Ecclesiae disciplinam, ipsa Nativitatis Domini Vigilia, quae Bullae indictionem consequitur, Porta Sancta aperitur, et Iubilaei Annus tunc primum incipit. Hoc mensium aliquot intervallum, otiosum abire non patimur; eo namque utimur, ut interim in variis Urbis Romae partibus Missiones habeantur, quarum utilitatem satis commendavimus in Pastoralibus nostris Edictis, quae Nobis ad Archiepiscopalis Ecclesiae regimen Bononiae commorantibus elucubrata sunt, ac typis edita; moxque in Latinum sermonem translata, iterum recusa sunt. Illud vero Evangelicis Missionum Operariis inculcamus, ut Catecheses ad populum habeant, in quibus Catholicam de Indulgentiis ac universali Iubilaeo doctrinam explicent, iis posthabitis quaestionibus, quae ad puram putamque disceptationem, a Polemicae vel Moralis Theologiae Tractatoribus agitantur. Satis enim erit fideli populo, si bene norit, Sacramento Poenitentiae, modo quis bene illo utatur, culpam poenamque aeternam dimitti; temporalem vero poenam universam perraro tolli, quae idcirco aut satisfactoriis operibus in hac vita, aut post obitum Purgatorii igne superest eluenda: ut docet sacra Synodus Tridentina, sess. 6, cap. 14 et can. 30 eiusdem sessionis, sub titulo *de Iustificatione.* Satis item erit, si Christianae plebi innotescat, adesse in Ecclesia indeficientem thesaurum, ex immensa meritorum Christi copia conflatum, cui et alia Sanctorum accedunt merita; huiusce vero thesauri dispensationem, ab eodem Christo Domino, eius in terris Vicario, hoc est Romano Pontifici fuisse concreditam; ideoque provido Romani Pontificis consilio, iustis causis ita suadentibus, modo ampliorem, modo contractiorem fieri posse meritorum applicationem, sive per modum Absolutionis pro vivis, sive pro mortuis per modum suffragii: si tamen viventes, culpam, poenamque aeternam, per poenitentiam deleverint; defuncti vero, Deo in charitate coniuncti ex hac vita migraverint. Porro haec meritorum applicatio, Indulgentiae nomine donatur, quam quisquis rite consequitur, a temporali peccatorum poena liberatur pro mensura applicationis, quam legitimus Dispensator concessit, ac definivit; ut legimus in Summorum Pontificum Constitutionibus, ac, prae caeteris, in celeberrima Decretali Leonis X Praedecessoris nostri ad Cardinalem Thomam de Vio, alias Caietanum, quo tempore Legati Apostolici munere in Germania fungebatur. Ex quo sequitur, ut Christifidelibus utilis admodum sit indulgentiarum usus, ideoque diro anathemate damnanda sit prava illorum sententia, qui aut Indulgentiarum utilitatem denegant, aut Ecclesiae Indulgentias conferendi adimunt potestatem, ut statuit Concilium Tridentinum, sess. 25, *in Decreto de Indulgentiis.* Postremo monendus erit Christianus populus, Indulgentiam Anni Iubilaei Plenariam esse, atque ab aliis item Plenariis, quae etiam per modum Iubilaei dispensantur, secerni, quod Sacro Iubilaei Anno Confessariis ad id muneris amplior tribuatur facultas cum absolvendi a peccatis, tum dispensandi super vinculis ac impedimentis quibusdam, quibus non semel poenitentium conscientia irretitur.

§ 14. Omissis aliis Summorum Pontificum Constitutionibus, quae cuique obviae sunt, eam dumtaxat, quam Leo X promulgavit, hic duximus exscribendam. Sic vero habet: *Per praesentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquae tamquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem, Petri clavigerum successorem, et Iesu Christi in terris Vicarium, potestate Clavium, quarum est aperire Regnum Coelorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento Poenitentiae, poenam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam iustitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christifidelibus, qui, charitate iungente, membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, et Sanctorum; et tam pro vivis, quam pro defunctis, Apostolica Authoritate, Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi et Sanctorum dispensare, et per modum Absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, et per modum suffragii illam transferre consuevisse; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita, liberari, quanta concessae et acquisitae Indulgentiae aequivalet; et ita ab omnibus teneri, et praedicari debere etc. auctoritate Apostolica etc. decernimus.*

§ 15. Haec docuisse sat erit, ut populus ea, quae ad Indulgentiarum materiem pertinent, satis percipiat. Quia vero studendum cum primis est, ut

Indulgentiarum fructum Fideles consequantur; hinc ad alia progrediantur oportet, qui sacrarum Missionum ministerio incumbunt. Apostolico instructi zelo, in saeculi corruptelas, quae longe lateque grassantur, sermonem convertant, memores verborum Isaiae cap. 58: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum.* Poenitentiae necessitatem indicant, ac ineluctabilem animae iacturam urgeant, nisi poenitentiae ope crimina deleantur: quo pertinet illud Christi Domini, Lucae 13: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ad haec, divinae misericordiae divitias extollant, quae in eos effunduntur, qui, pravis anteactae vitae moribus omnino reiectis, cor novum, novumque spiritum sibi comparant. Interim vero prae oculis habeant ea Domini verba, Ezechielis cap. 18: *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum... Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite.* Et cap. 33: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

§ 16. Proposita virtutis poenitentiae necessitate, ad Sacramentum Poenitentiae sermonem convertant, atque hortamenta, ac monita ingeminent, ut Fideles hoc saluberrimo muniti Sacramento, ad Annum Iubilaei accedant rite dispositi. Hinc ad validam ac utilem peccatorum Confessionem perficiendam populos erudiant; omnimodam necessitatem iterandi Confessiones pridem irritas explicent; omnemque curam adhibeant, ut iis quoque, qui nulla necessitate obstrictos se putant, ad praeterita crimina in Poenitentiae Sacramento iterum manifestanda, atque ad generalem peccatorum Confessionem instituendam facile inducantur. *Licet non sit de necessitate iterum confiteri eadem peccata, tamen propter erubescentiam, quae est magna Poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre:* verba sunt Praedecessoris nostri Benedicti XI in Decretali, *Inter cunctas, de Privilegiis,* relata inter Extravagantes communes. Quibus consona scribit S. Carolus Borromaeus in suis ad Confessarios Monitis, quae Innocentius XII Praedecessor noster, ut iis, qui Confessiones audiunt, exemplo essent ac documento, iterum Romae imprimenda curavit. *Confessarii,* ita loquitur S. Carolus, *pro cuiusque personae qualitate, opportuno tempore et loco, ad generalem quamdam Confessionem poenitentes exhortentur, ut per hanc, proposita omni praeterita vita sibi ob oculos, maiori cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in praecedentibus Confessionibus accidere, resarciant.*

§ 17. Hanc ipsam generalium Confessionum utilitatem in suorum Operum locis quamplurimis S. Franciscus Salesius commendat. Praecipua vero sunt, multamque redolent suavitatem verba illa, quae ex epistola ad Viduam Matronam data, hic repetimus, e Gallico sermone Latine reddita: *Accepi literas a Patre tuo, quibus a me postulat, ut aliquid, quod animae saluti profuturum sit, illi aperiam. Lubens, et facilior fortasse, quam par est, votis annuo. Quae illi trado monita, ad duo revocantur capita. Alterum est, sedula ac universalis anteactae vitae discussio, quam generalis Confessio, et par poenitentia sequatur. Hoc enim illud est, quod nemo vir ingenuus ante obitum negligit. Alterum in eo versatur, ut paulatim a mundi illecebris animum studeat avellere.* Eiusmodi epistolae exemplum inseritur tom. 1 illius *Operum* editionis Parisiensis anno 1669, pag. 914, num. 6. In Vita Sancti Vincentii a Paulo, Fundatoris Congregationis Missionis, Italice scripta, multis agitur de fructu, qui a generalibus Confessionibus, occasione sacrarum Missionum, percipitur. Hinc memoratae Congregationis Regulae ab Apostolica Sede probatae, inter caetera Instituti ministeria illud enumerant, *Confessiones generales totius anteactae vitae suadere, et excipere.* Eodem pertinent verba Urbani VIII relata in Bulla, quae incipit: *Salvatoris nostri,* qua Institutum praefatae Congregationis confirmatur; ita namque generalium Confessionum usum ac utilitatem commendat: *Ex quorum felicibus successibus* (operum scilicet ac ministeriorum, quae Congregationis Instituto propria sunt ac peculiaria) *evidenter apparet, hoc pium Institutum Deo acceptissimum, hominibus vero utilissimum, prorsusque necessarium esse: ex eo enim, licet non multo abhinc tempore, rarus antea Confessionum sacramentalium, etiam generalium, et sanctissimae Eucharistiae usus, frequens per Dei gratiam factus est.* Hinc Praedecessor noster Innocentius XII secum reputans graviores defectus, qui ex irrito praeteritarum Confessionum usu possunt occurrere; in ea, quam post indictum Iubilaei Annum evulgavit Instructione, hisce verbis a Nobis latine redditis, quemlibet peregrinorum hortatur, ut ante discessum universa anteactae vitae crimina iterato aperiat in foro sacramentali: *Discessurus, validam, ac generalem Confessionem praemittat; ac moneatur, ut, hac oblata occasione, id non negligat: ut nimirum medeatur languoribus, quibus Confessiones pridem habitae fortasse laborant.* Sane conscientiarum moderatores uno ore conveniunt, multam ex generalium Confessionum usu percipi utilitatem. Ita namque universa vitae ratio animo obversatur: ex quo hominis timor ac humilitas, maior in peccatum horror insurgit; augentur vires, ut quidquid ad malum provocat, propulsetur; iucundissima pax et tranquillitas animo accedit; et, quae praeteritis Confessionibus illata sunt, damna sarciuntur.

§ 18. Haud ignoramus, sacramentales Confessiones, sive pro quotidianis excessibus instituantur, sive frustraneas repetant, sive universa vitae crimina in unum colligant, eo, quem expectamus, et summopere expetimus, fructu carituras, nisi a probis, doctis, ac in sana Ecclesiae doctrina rite instructis poenitentiae Ministris excipiantur. Quo tempore Archiepiscopalis Ecclesiae Bononiensis regimini Nos ipsi praefuimus, nullum in Poenitentiae Ministrum delegimus, quem aut Nos, aut alii coram Nobis, praevio examine, non probaverint; ut scilicet solidum de moribus ac doctrina suppeteret testimonium. Neque vero indefinitam ad Confessiones audiendes cuiquam tribuimus auctoritatem, sed certo, ac brevi temporis spatio circumscriptam concessimus; ut semel probati iterum examini subiicerentur, aut a Nobis ipsis, aut Nobis adstantibus perficiendo. Hoc autem sicut multam Confessariis molestiam, ita magnam poenitentibus afferebat utilitatem. Iam vero universalis Ecclesiae regimine usque adeo pressi, ut illi ferendo pene deficiant vires, examen Confessariorum, qui in hac Urbe Roma Sacramentum Poenitentiae administrant, aliorum, de quorum fide ac diligentia Nobis bene sperare licet, iudicio relin-

quimus; et nonnisi semel quotannis, adventante nimirum sacro Quadragesimalis ieiunii tempore, Concionatoribus, ac Parochis, qui coram Nobis iussi conveniunt, ea omnia, quae eorum muneri, ac animarum saluti expedire videntur, significamus. Sed longe maior ac potior Nos urget ratio, ut, occasione Anni Iubilaei, qui propediem venturus est, Confessarios omnes alloquamur, quibus idcirco, ea, qua possumus, verborum vi atque animi contentione, haec, quae sequuntur, monita ac hortamenta praebemus.

§ 19. Primo loco monemus, ut meminerint, suscepti muneris partes non implere, immo vero gravioris criminis reos esse eos omnes, qui cum in sacro Poenitentiae Tribunali resident, nulla tacti sollicitudine, poenitentes audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, Absolutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis Medici, qui oleum, ac vinum vulneri infundit, moribus nimis alienum est. Equidem Medicum agit quisquis Poenitentiae Sacramentum ministrat; hinc debet nedum criminum circumstantias, sed etiam illius, qui in crimina lapsus est, indolem ac ingenium sedulo inspicere, ut illi praesto sit opportunis remediis, ex quibus animae salutem consequatur. *Sacerdos autem sit discretus, et cautus, ut more periti Medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere, et eiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum:* verbis utimur clarissimi Praedecessoris nostri Innocentii Papae III in Generali Concilio Lateranensi, Cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenitentiis et remissionibus.* Consonat Rituale Romanum a Paulo V nostro item Praedecessore Apostolica Constitutione probatum, in tit. *de Sacramento Poenitentiae,* [1] ubi sic loquitur: *Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Quod si Confessarius probe norit, poenitentem aliquibus peccatis gravari, quae nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiae recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia, quae tamen culpa non vacat, cum putet sibi licere, quod re ipsa nefas est; e re erit Confessarii, ne alioqui necessaria integritate Confessio fraudetur, caute ac prudenter in memoriam poenitentis revocare, quae omisit, illumque monere ac corrigere, ut rite comparatus Sacramenti Poenitentiae fructum percipiat. Ita sentit S. Bernardinus Senensis, tom. 2, serm. 27, art. 2, cap. 3, pag. 167, ubi quaestione proposita, *an Confessor teneatur diligenter perscrutari, et examinare conscientiam peccatoris,* affirmando respondet: idque locum habere, ait, non solum in iis, quae poenitens *propter negligentiam, vel propter verecundiam* omittit, sed et in iis, quae ignorans tacet; *eo quod peccatores ignorant, quae Dei sunt: unde si Confessor audierit aliquid de poenitente, vel scivit per aliquam probabilem coniecturam; id debet poenitenti ad memoriam reducere; quia potest timeri, quod poenitens ignoret ignorantia crassa, quae non excusat secundum Guillelmum; vel quia forte non intelligit illud esse peccatum; nam, secundum Isidorum, ignorans quotidie peccat, et ignorat.*

[1] Tit. III, c. 1, n. 15.

§ 20. Obvia haec sunt apud Theologos, ne iis quidem exceptis, qui inter rigidioris disciplinae magistros enumerandi non sunt. Non enim res hic agitur de ignorantia, ut aiunt, invincibili iuris positivi, ex qua poenitens in absurdum quidpiam, uni Confessario notum, prolapsus est; et si forte, quod poenitens ignorat, monitus disceret, gravioris mali occasio inde sequi posset: sed vincibilis ignorantia locum habet; cum poenitens aut crimina ignoret, quae tamen nosse debet; aut in iis versetur facti circumstantiis, quae Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur, ea sibi licere, quae ab iis, qui Ecclesiae Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors Theologorum sententia est, Confessarium teneri monitis ac interrogationibus poenitenti opem ferre, quamvis inde poenitentis tristitiam secuturam agnoscat. Quod si Confessarii monitis par exitus tunc non respondeat, adhuc sperare licet, ea in posterum, adiuvante Domino, profutura. Inter Theologos, qui aut Praedicatorum Ordini accensentur, aut Divi Thomae doctrinae subscribunt, consulantur Soto in 4 *Sententiar.,* dist. 18, quaest. 2, tit. 4, ac Sylvius in 3 part. *D. Thomae,* tom. 4, quaest. 9, art. 2, ad 7. Inter Franciscanae Familiae alumnos, caeterosque Scoti discipulos, Cardinalis de Lauraea in 4. *Sentent.,* tom. 2, *de Sacrament. Poenitent.,* disput. 21, art. 3, num. 64 et sequentibus. Inter Societatis Iesu Scriptores, Suaresius in 3 part. *D. Thomae,* disp. 32, sect. 3 et 4, tom. 4, Theophilus Raynaudus, tom. 16, *Heteroclit. spiritual.,* punct. 9, num. 4, Gabriel Antonius, *tract. de Poenitent.,* art. 3, quaest. 3, et Cardinalis de Lugo, *de Sacram. Poenitent.,* disput. 22, sect. 2, ubi animarum salutis studio fervens, multa in rem hanc profert contra Episcoporum, Praelatorum, Principum, ac Gubernatorum desides Confessarios, qui licet in sacro Poenitentiae foro nullam de publicis criminibus accusationem excipiant, taciti quiescunt, nullaque hortatione praemissa, praecipiti iudicio Absolutionis beneficium dispensant. *Infero secundo,* sic ille loquitur, *quid dicendum sit de obligatione, quam habent Confessarii Praelatorum, Principum, Gubernatorum, et similium, quando vident, aut sciunt, ipsos non satisfacere revera suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis, et alia similia: de quibus illud notandum est, raro contingere, quod ignorantia sit invincibilis, et inculpabilis; item raro contingere, quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facile putant licita, quae a Praelatis et Principibus fieri vident; vel certe non afferat damnum commune. Quare regulariter Confessarius tenetur admonere poenitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione: nec satisfacit suo muneri, absolvendo a peccatis, quae poenitens dicit, sed potius imponit suis humeris peccata caetera et errores, quos in poenitente dissimulat, et caeco caecum ducente, ambo in aeternam foveam cadent. Si formidet ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed modeste se excuset tamquam minus aptum ad illud onus portandum.* Quae quidem saluberrima Cardinalis de Lugo sententia, non solum eos Sacramenti Ministros complectitur, qui Episcoporum ac Principum Confessiones excipiunt, sed pari iure eos omnes Confessarios perstringit, qui poenitentes audiunt, quorum mores, ac vitae exempla in proxima peccati occasione versantur, sin

minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus, ac morosis delectationibus, quibus assentiri consueverunt, neque interim ulla tanguntur cura, ut miserum criminosae vitae statum aperiant.

§ 21. Alterum pro Confessariis monitum illud est, ut, si forte contingat (solet autem frequentius contingere) Confessionis Ministrum aliquid a poenitentibus audire, quod peculiari examine dignum sit, caveat, ne divinando, respondeat; sed, opportuno tempore ac consilio primum adhibitis, rem expediat. Optandum sane esset, ut quilibet Confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellant: verum, cum haec dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus. Nec meliora sperare licet; cum Moralis Theologia tot tantasque quaestiones, quae a sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane res sit, posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere, ut ii solent, qui eminenti scientia praefulgent. Sat igitur erit, si inferioris notae Confessarii, ope librorum, quos consulant, difficiliora quaedam, quae in Sacramenti administratione occurrunt, rite expediant; ut scite animadvertit Praedecessor noster Innocentius IV *in Commentariis ad Cap. Cum in cunctis, num. 2, sub tit. de electione, et electi potestate*, ubi sic loquitur: *Scientiam autem reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere et definire novit, et in promptu responsiones habet; ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, et qui in libris veritatem eorum, quae scire tenetur, scit quaerere, et sic in promptu omnia non habet.* Cum igitur aut difficilior, aut nova quaedam facti species ad Confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum. Notum quippe est, in tanto Scriptorum numero aliquos prodiisse, quorum opinio ac sententia Evangelicae simplicitati, ac Sanctorum Patrum doctrinae non bene consonat. *Complures opiniones* (verbis hic utimur Praedecessoris nostri Alexandri VII, in Decreto edito die 24 Septembris 1665)[1] *Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela.* Nolumus hac in re pressiorem sermonem instituere; nolumus vexatissimas quaestiones, quae circa Scriptorum fidem, eorumque doctrinae integritatem, agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur; sed, antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior; ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super usuris, quae occurrit ordine 143, *Bullarii nostri*, tom. I,[2] ubi § 8 ita scripsimus: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam*

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 84-86.
[2] Cf. N. 363.

responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Idipsum modo repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariae limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quae sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt.

§ 22. Monemus tertio, ut Sacramenti Poenitentiae Ministri illud Venerabilis Cardinalis Bellarmini effatum prae oculis habentes: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, et memores propositionum, quas Praedecessores nostri anathematis gladio confixerunt, ac prae caeteris Innocentius XI, qui die 4 Martii 1679, Propositionem *ordine 60 cum tribus sequentibus* proscripsit,[1] discant, quibus in casibus concedenda, deneganda, aut protrahenda sit Absolutio. *Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit Absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant.* Verba sunt haec, non rigidioris Theologi, sed Ritualis Romani,[2] quod insuper Confessariis inculcat, ut, sive denegent, sive differant Absolutionem, miti ingenio, ac suavi sermone poenitentibus causas denegatae Absolutionis aperiant, ac ostendant ita expedire, ut animae saluti bene consulatur. Hinc illos, ut quantocyus revertantur, invitent, atque animos addant, ut ante reditum, ea omnia, quae illis agenda praescribuntur, rite perficiant, ex quo fiet, ut ad sacramentale forum regressi, Absolutionis beneficio donentur. Ubi vero Absolutionem concedunt, iis potissimum, qui aut raro, aut non sine multis criminibus ad Poenitentiae Sacramentum solent accedere, eos hortari non desinant; vitam, quam sub peccati iugo duxere miserrimam, illis aperiant; criminum turpitudinem explicent: ut nimirum ex corde doleant, ac se in posterum a peccatis recessuros serio proponant. Ratum quippe est, solida ac gravia Confessariorum hortamenta in Poenitentiae foro prolata, longe efficaciora esse sacris Oratorum Concionibus, ut poenitentis animum a vitiis avocent. Solent enim Concionum auditores, quas aure excipiunt increpationes, in alios potius, quam in se ipsos, transferre. Id vero fieri nequit in privatis Confessariorum monitionibus, quae in unum ac individuum poenitentem cadunt, ac in illius faciem vibrantur, absque eo quod aut crimina inficiari possit, aut excusare. Nec Confessarii reponant, id fieri non posse, si frequentior poenitentium numerus suadeat brevitatem, iam enim difficultatem dissolvit aurea illa S. Francisci Xaverii sententia apud P. Tursellinum *in eius Vita*, lib. 6, cap. 17, hisce verbis concepta: *Confitentibus porro, non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut praeoptarent Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas.*

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 8, p. 80-82.
[2] Tit. III, c. 1, *de sacramento poenitentiae*, n. 22.

§ 23. Quartum monitum Satisfactionem attingit, quae Sacramenti Poenitentiae postrema pars est, eaque integralis. Etsi pia Mater Ecclesia humanam commiserans infirmitatem, primaevam severitatem nonnihil emolliverit, atque a Canonum Poenitentialium usu recesserit; quandoquidem, ut legimus in Can. *Fraternitatis,* dist. 34: *Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram:* non ideo tamen fas Confessariis sacramentalem Satisfactionem, pro libito, ac temere imponere; sed hac in re iustitiae, prudentiae, ac aequitatis iura debent una componere. *In irroganda autem satisfactionis poena Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia, iustitia, prudentia, et pietate dirigenda existimabunt.* Ita statuit Catechismus Romanus in Parochorum utilitatem, iussu Concilii Tridentini elucubratus, et a S. Pio V Praedecessore nostro in lucem editus, sub tit. *de Poenitentia.* Praeiverat eadem Synodus Tridentina in cap. 8, Sess. 14, *de Poenitentia,* ubi saluberrimam hanc doctrinam ita statuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, et docent.* Ut autem ad acceptandam opportunam satisfactionem, quae a Confessariis imponitur, peccatores facilius inducantur, multum proderit Canonum Poenitentialium notitia, qua Confessarius instructus, esto Canones illos in usum non revocet, potest tamen ea uti, ut poenarum, quae olim pro iisdem criminibus statutae fuerant, mensuram explicet. Ex quo poenitens, et summam peccatis inesse malitiam agnoscet, et indictae sibi satisfactioni, quae gravior alioqui videri potuisset, lubens acquiescet; facta nimirum comparatione cum iis poenis, quas pro iisdem criminibus subiisset, si remotiori aetate, cum scilicet Poenitentiales Canones adhuc obtinebant, ad Confessarium accessisset, nec ad ea pervenisset tempora, quibus veterum Canonum severitatem benignior Ecclesiae disciplina emollivit. Atque ita quidem ratiocinantur Scriptores quamplurimi pietate ac doctrina praestantes, quorum nomina cum a Nobis *in nostro Tractatu de Synodo,* lib. 7, cap. 62 fuerint relata, supervacaneum ducimus ea hic repetere. Illud vero addimus, vitam, moresque Fidelium, qui nostra aetate ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, late discriminari ab ea vitae ratione, quae inclytam Agnetem, Imperii dignitate, ac pietatis studio conspicuam, olim commendavit. Cum enim in hanc Urbem, ut ad Sanctorum Apostolorum Limina procumberet, se contulisset, universas praeteritae vitae maculas B. Petro Damiani, eximio S. R. E. Cardinali, aperuit in foro sacramentali; atque inde recessit, nulla a Confessario, probitatis ac doctrinae laude celeberrimo, imposita satisfactione.

§ 24. Praestat ipsummet B. Petrum Damiani in Opusculo 56, cap. 5, tom. 3 *suorum Operum* editionis Parisiensis, pag. 432, hac de re disserentem, atque in aliorum exemplum ita loquentem audire: *Sed ut hi, qui ad Apostolorum limina confluunt, Sanctae devotionis tuae salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque B. Petri Confessione, ante Sacrum Altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, et amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiae tenera adhuc, et nuper ablactata levitate coepisti, et tamquam illic ipse Beatus Apostolus corporaliter praesideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuae potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid praeterea suprebere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum: ad quod mihi visum est, ut nil aliud confitenti poenitentiae pondus iniungerem, nisi ut illud Divinae legationis elogium iterarem: Age quod agis, operare quod operaris: vel illud, quod his, qui Thiatyrae erant, per Angelum mittitur: Non mittam super vos aliud pondus; tantum id, quod habetis, tenete (Apoc. 2). Nam, Deo teste, ne unum quidem diem ieiunii, vel cuiuslibet afflictionis indidi; sed, ut in coeptis solummodo sanctis perseverares operibus, imperavi.*

§ 25. At contra, nostris hisce temporibus passim occurrunt peccatores (quo nomine censemur et Nos, et alii fortasse Beati Petri Damiani tempore censebantur) qui non iam in generali criminum exomologesi, sed et in ipsis Confessionibus, quas pluries in anno frequentant, atque identidem repetunt, gravioribus criminibus implicantur; ideoque in sacro Poenitentiae foro ea satisfactione digni sunt, quae iuxta Concilii Tridentini Canones peccatorum gravitati commensuretur: tum maxime, quod nulla aut fere nulla bona opera eliciunt, si in consueta vivendi ratione permaneant; nec, ut par est, aequo ferunt animo aerumnas, quibus aliquando praemuntur: ex quo fit, ut uberiori fructu fraudentur, quem Ecclesiae preces, Sacerdotis ore in poenitentes prolatae, a Deo postulant hisce verbis: *Ut quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae.*

§ 26. En igitur, Venerabilis Frater, rerum, quas gessimus, aut etiam gerendas decrevimus, seriem universam tibi propositam, ut quotquot nostram hanc Urbem inhabitant sanctioris Anni spirituales fructus percipiant. Hoc idem in tua Civitate, ac Dioecesi, te agente, praestari vehementer cupimus, ut populus tibi concreditus, qui iamiam venturo anno sacras Peregrinationes ad hanc Urbem suscipiet, par lucrum eamdemque caelestium bonorum copiam assequatur. Quae de sacramentali Confessione a peregrinis ante discessum instituenda, hactenus significavimus, Bituricense Concilium anno 1584, in Can. 2, tom. 10 Collectionis Harduini, pag. 1466 et seqq., pridem decreverat hisce verbis: *Praemuniantur debita et integra peccatorum Confessione, et Eucharistiae Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur.* Consonat Praedecessor noster Innocentius XII in ipsa Indictione Anni Iubilaei 1700,[1] ubi salutarem criminum expiationem cum primis urget, atque ita loquitur: *Sanctificamini itaque, filii charissimi, et praeparate corda vestra Domino. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Dei, et renovati spiritu mentis vestrae, orationibus insistite, frequen-*

[1] Const. *Regi saeculorum,* 17 maii 1699, § 2. – Bull. Rom., tom. 9, p. 503-505

tate ieiunia, eleemosynas erogate. Ne autem quis putaret, haec verba ad eos dumtaxat, qui Romae degebant, extendi, prudenti consilio alia addidit, quibus illos etiam comprehendit, qui Romam venire parati, a suis regionibus nondum recesserant. *His porro Christianae vitae ornamentis instructi, virtutumque praesidiis muniti, impigre, piaque animi alacritate, ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, veluti ad Thronum gratiae, accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini.*

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 143-160].

401.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Gravissimo*, 31 oct. 1749. [1]

Gravissimo animi moerore affecti fuimus, dum a certis viris renuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, qui regimen Civitatum Ditionis Nostrae obtinentes, nec habita, immo nec petita quidem ab Episcopis, Locorumque Ordinariis facultate, ad Monialium Monasteria se conferunt, et libere cum iis colloquuntur; Synodorum decreta, et Episcoporum Constitutiones omnino infringentes, in quibus huiusmodi licentia dignis poenis prohibetur. Sed non solum in iis Civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere audivimus; verum in caeteris quoque, per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod a peculiaribus Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Constitutionibus, sese exceptos esse contendant. Haec, quae ad Nos delata sunt, excipere, ac credere non dubitavimus; quum id Nobis etiam Anconitanam, et Bononiensem Ecclesias regentibus coram contigerit, quamvis aegre id ferentes, acriter, sed frustra, quos decebat admonere non praetermiserimus.

§ 1. Nihil, aut parum negotii res facesseret, si ante oculos ponerent Tribunalium Urbis decreta confirmata a Praedecessoribus Nostris, qui res omnes praeteritis temporibus non providerunt solum, verum etiam iis sapientissime consuluerunt. Sed quoniam aut illa ignorant, aut si sciunt, arbitratu suo vivere contendunt, ad eum, qui Ecclesiae praeest, omnino spectat illa ad memoriam revocare, tum iubere eadem observari.

§ 2. Praeteritis temporibus Sacrae Congregationes, annuentibus Summis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, opportune statuerunt quae sibi necessaria visa sunt, quoad Regulares, qui suis fulti legibus, sive immunitatibus, putabant iniussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta Monialium claustra, ut videre licet in Nostro Tractatu *De Synodo*, lib. 7, cap. 41, num. 7, ubi eadem decreta indicantur; sed providentes etiam non tam Gubernatoribus, quam Episcopis, qui aut in Civitates, aut Oppida alterius Episcopi iuri subiecta veniunt, aut inibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario Monasteria adiret, aut Moniales alloqueretur; cuiusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Pellizarium, *De Monialibus*, cap. 5, sect. 5, num. 210, apud Gratianum, discept. 392, num. 1, apud Tamburinum, *De Iure Abbatissarum*, disput. 25, quaest. 2, et apud Ferrar. in sua *Bibliotheca*, in verbo *Moniales*, art. 4, num. 34.

[1] Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Ecclesiasticam Ditionem constitutos.

§ 3. Canonicis sanctionibus Monialium custodia iuri ordinario Episcopi, si Monasteria eius potestati subiecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum fuit a Pontifice Praedecessore Nostro Bonifacio VIII in cap. *Periculoso, De statu Monachorum*, in sexto, atque a Sacro Tridentino Concilio renovatum in cap. 5, sess. 25, *De Regularibus et Monialibus*. Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire, Monialesque invisere sine Custodis iussu licere nemini; ac propterea debere omnes huiusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores, et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

§ 4. Quae quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus, imperamusque, ne Episcopi alienae Dioecesis Monasteria conveniant, atque cum Monialibus colloquantur, inscio Ordinario Loci; eademque omnia firma, rataque esse iubemus, etiam quoad Vicelegatos, et Gubernatores licet Praesules, quibus ad Monasteria accessum sine debita venia, in iis quoque Civitatibus, in quibus cum imperio fuerint interdicimus.

§ 5. Iam dictum est hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subiacere, quae omnino accessum vetant ad Monialium Claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum iurisdictioni minime subsint; ideo sunt immunes a vi coactiva, id est a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet Clementis III Praedecessoris Nostri in cap. 21 *A nobis, De sententia excommunicationis*. Ne vero ab huiusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus, et mandamus, ut si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad Monasteria Monialium se conferant, et cum iis Episcopi iniussu agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta; volumus, inquam, et imperamus, ut Episcopi Nos, aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta Episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius huiusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus Nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes, et Sedi Apostolicae immediate subiectas, procedendum sit; Ioannes XXII in cap. *Cum Matthaeus, De haereticis, in Extravag. com.*, Eugenius IV, in cap. *Divina, De Privileg., in Extravag. com.*

§ 6. Haec sunt, quae a Nobis facienda esse duximus. Tuum nunc est, Venerabilis Frater, hanc Epistolam nostram in Cancellaria tua diligenter servare, eamque meliori, qua decet, forma promulgare, iisque, ad quos pertinet, indicere, eiusque executionem procurare: ac Fraternitatem tuam in Domino amplectentes, tibi et gregi tibi credito Apostolicam benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 98-101].

402.

Benedictus XIV, const. *Convocatis*, 25 nov. 1749.

Convocatis per alias nostras Apostolicas Litteras [1] Universis Ecclesiae Filiis ad celebrandam Nobiscum proxime recurrentis Anni Sancti solemnitatem; iisque iam, ut confidimus, ad Supremi Pastoris vocem, Sacerdotali praesertim Fratrum Nostrorum Episcoporum tuba inclamante, excitatis; ad officium nostrum pertinere iudicamus, non solum convenientes ex toto Christiano Orbe Fideles aperto charitatis paternae sinu excipere; sed etiam omnia, quae confluentium necessitatibus, aut utilitatibus opportuna fore prospicimus, in antecessum parata atque disposita habere; ut hominis illius Regis in Evangelicis Litteris laudatam providentiam imitemur, qui, quum ad Coenam magnam vocasset multos, quaecumque ad uberem splendidumque convivii apparatum spectarent, ita sollicite curare non destitit, ut instante hora Coenae, mittere potuerit invitatis dicere, *quia parata sunt omnia*. Et Nos igitur pluribus per elapsos menses curis et sollicitudinibus, quantum humanarum rerum conditio patitur, id efficere studuimus, ut omnibus, quicumque ad Sanctam Civitatem iter arripient, nihil sive ad Divinae Religionis cultum, sive ad Christianae pietatis exemplum, sive ad itineris, hospitiique commoda deesse posset. Et nunc, attendentes, quaenam potissimum a suprema ligandi atque solvendi potestate Nobis cum Apostolicae vicis Officio commissa, expetere possint plures, qui ad oblatum remissionis et indulgentiae munus assequendum, cum vero poenitentiae spiritu, et devotionis affectu accedentes, commissorum forsan delictorum oneribus gravati, aliisque conscientiae vinculis adstricti, et impediti reperiantur; haec etiam peculiari studio a Nobis ordinata, et mature provisa fuisse, omnibus, ad quos pertinet, specialiter vero infrascriptis Sacramenti Poenitentiae Ministris, praesentium Litterarum tenore ab iis praesertim diligenter observando, edicimus et declaramus: nil magis optantes, quam ut omnes, quicumque animum peccatis aegrum, aut Censuris, impedimentisve irretitum gerunt, procul abiecto formidatae difficultatis terrore, ad Ecclesiasticae curationis fidenter remedia confugiant, per quae copiosum Redemptionis fructum consequentes, et sanitati reddantur et paci, et in filiorum Dei libertatem, confractis impietatis compedibus, vindicentur.

Novimus sane Praedecessores Nostros Romanos Pontifices, in quorum tempora superiores, nostroque tempori propinquiores Iubilaei Universalis Anni incurrerunt, hunc morem servasse, ut per geminum praecipue organum, per Cardinalem scilicet Maiorem Poenitentiarium, perque Cardinalem ipsorum in Urbe, eiusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, et idoneos Confessarios deputari, et eorum amplificari facultates providenter mandarent; ut nec sacrorum Ministrorum copia per Urbem, nec his facultatum

[1] Cf. N. 399.

amplitudo deesset, ad Poenitentes, pro variis cuiusque causis, Deo reconciliandos, et culpa iam exsolutos, ad assequendam quoque plenissimam poenarum indulgentiam disponendos.

Idcirco Nos laudabilibus eorum vestigiis inhaerentes, simulque cupientes gravissimam hanc Pastoralis dispensationis partem, certa rectaque ratione administrari, nec ullum, quoad eius fieri poterit, circa facultatum praesertim limites, earumque usum et exercitium, dubitationi aut errori locum relinqui; post maturam deliberationem super his rite praehabitam, nostro Motu proprio, certaque scientia, rem totam ad eum, quem subiicimus modum, ordinandam dirigendamque decrevimus.

I. In primis itaque Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Maiori Poenitentiario per praesentes committimus, ac demandamus, ut iuxta id, quod iam pridem in nostra Constitutione incipien. *In Apostolicae Poenitentiariae Officio*, Idibus Aprilis Anni MDCCXLIV, Pontificatus Nostri anno quarto edita, [1] pro perpetuis futuris temporibus praescripsimus, praeter consuetos trium Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Maioris Poenitentiarios Minores, pro Basilica etiam S. Pauli extra Muros praesenti Anno Sancto similes Poenitentiarios designet; nec non, praeter extraordinarios Poenitentiarios in dicta Basilica Sancti Petri certis cuiusque anni diebus inservientes, nunc autem per totum Annum Sanctum aliis insuper diebus, eiusdem Poenitentiarii Maioris arbitrio praescribendis, inservituros, a se iam electos, vel eligendos, alios insuper, eodem Anno Sancto durante, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive Saecularium, sive Regularium, et nominatim, quantum fieri poterit, in variarum Nationum Urbis Ecclesiis, novos similiter Poenitentiarios deputet, et extra ordinem abunde multiplicet.

II. Deinde Dilecto itidem Filio Nostro S. R. E. Cardinali, Nostro in Urbe eiusque Districtu Vicario in spiritualibus Generali, committimus pariter atque iniungimus, ut ex Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus ab se alias, ad audiendas Romae Confessiones approbatis, quamplures magno numero designare non omittat; immo etiam, si ita ad concurrentium tam Romanorum, quam Exterorum utilitatem et commoditatem necessarium aut expediens fore iudicaverit, omnes a se, ut praediximus, approbatos, vel approbandos, designare in eum finem non dubitet, ut facultatibus illis, quae a Nobis inferius, eorundem praesentium tenore, Confessariis huiusmodi ab eo designandis tribuentur, statim se a Nobismetipsis instructos esse intelligant, easque exercere libere valeant, audiendisque Confessionibus Fidelium quorumcumque, Iubilaeum huius Anni Sancti lucrari volentium, operam dare aggrediantur, et assiduo charitatis et zeli studio pergant. Pro Confessariis autem Monialium, aliarumque Virginum, seu Mulierum in perpetua Clausura Romae viventium, sicut etiam Oblatarum, aliarumque in Religiosis aut Piis Domibus, seu Conservatoriis degentium, nec non Carceribus detentorum, et morbis impeditorum, quaecumque opus erunt, quaeque Nobis in Domino expedire videbuntur, aliis nostris peculiaribus Litteris statuemus.

[1] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 330-341.

XXII. Quia vero magnopere interest concessis facultatibus prudenter, et circumspecte uti, ne, minus caute illas exercendo, tum iusto disciplinae vigori, tum ipsarum animarum vero bono detrimentum afferri contingat; ideo post facultates a Nobis pro hoc Anno Sancto memoratis Poenitentiariis concessas, congruum et opportunum ducimus nonnulla Monita pro recto earundem facultatum usu subiungere, quae quidem tam ab ipsis omnibus, et singulis, quam etiam a reliquis Confessariis, ut supra, designandis, attente legi et considerari iubemus, ac pro norma, et regula haberi, cui se in suae quisque facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conforment.

XXIII. Primo itaque meminerint, nulli penitus Confessario dari in praesenti Iubilaeo, aut in quovis alio, facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; atque omnem Confessarium, respectu huiusmodi complicum, esse omni tum iurisdictione, tum approbatione destitutum, et prorsus ineligibilem, cuiuscumque Iubilaei, sive Indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostrae incipien. *Sacramentum Poenitentiae,* anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri anno primo editae. [1]

XLII. Denique communi tam Confessariorum, quam Poenitentium utilitati, ac spirituali solatio provide intendentes, ac memores quaestionum, atque dubiorum, quae occasione universalis Iubilaei huiusmodi excitari solent, nonnullas hic etiam declarationes, seu magis apertas voluntatis nostrae significationes super hoc a Nobis indicto praesentis Anni Sancti Iubilaeo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis, ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque huiusmodi dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eae autem sunt, quae sequuntur.

XLIII. Personis Romam ad hoc Iubilaeum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

XLIV. Romanorum appellatione, quoad Visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes et singuli nati atque habitantes Romae, sicut etiam nati atque habitantes in Suburbano Vinearum tractu, intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine, ad eundem effectum, intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod Officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi domicilium acquirunt; omnesque illi, qui ad eandem Urbem, vel ad aliquem suburbanum locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam praesentis Iubilaei lucrandi; vel si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per maiorem anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes Peregrinorum, aut Externorum nomine, quoad Visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies, se comprehensos intelligant.

XLV. Confessionem et Communionem pro hoc Iubilaeo consequendo iniunctas, non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum praemittere.

[1] Cf. N. 309, et Codicis Iuris Canonici Docum. V.

Satis erit vel in huiusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes completas, Confessionis, et Communionis Sacramenta suscipere.

XLVI. Cum Confessio Sacramentalis in hoc Iubilaeo sit opus iniunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Iubilaeum velit.

XLVII. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro Iubilaeo hoc lucrando iniuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis iniunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Iubilaeo concessam consequatur.

LI. Iniunctae piae preces in singularum Visitatione Basilicarum, ad fines Nobis propositos, et in nostra Bulla indictionis expressos effundendae, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adiungat.

LVII. Iamvero adventante convivii hora, qua magnus Paterfamilias non modo vocandos atque invitandos convivas, sed ad intrandum potius compellendos esse denunciat, hanc Pastoralibus Nostris vocibus virtutem a Deo donari cupimus, quae universos in Christo credentes a finibus Terrae evocatos, ad hoc Unitatis et Fidei centrum valeat congregare. Itaque omnes iterum Nostros Ecclesiaeque Filios, quam maximo possumus paterni animi affectu etiam atque etiam hortamur, ut ad Coelestium gratiarum aquas ex hoc fonte nunc latius reserato hauriendas accurrant, atque hic omnes uno corde atque ore Deum honorificantes, propriaeque saluti singuli serio consulentes, ipsius Dei misericordia, et piae Matris Ecclesiae favoribus uberrime perfruantur.

Sacros autem Christi Ministros, eiusque Sacramentorum dispensatores, Nostra, ut praefertur, ordinatione deputandos, enixe, studioseque admonemus, ut demandandum sibi laborem pro Fratrum infirmorum curatione et salute alacriter suscipiant, ac pro ipsius Christi Domini, eiusque Sponsae Ecclesiae charitate, strenue et constanter exerceant, memores illius, cuius vices gerunt, Pastoris boni, qui non labores solum longissimo intervallo maiores sustinuit, sed vitam quoque suam posuit pro Ovibus suis; cuius nimirum immensae charitatis cooperatores se fieri, maximo lucro suo deputare debebunt, amplissimamque mercedem ab eo sperare, quam ipse omnibus, qui sibi ministraverint, retributurum spopondit. Omnes itaque ad Sacramenti Poenitentiae saluberrimum et necessarium lavacrum accurrentes benigne excipiant, patienter audiant, instruant, moneant; et facultates per Nos sibi collatas in eorumdem Poenitentium solidum bonum, in aedificationem, non in destructionem, quo scilicet fideles dispensatores inveniantur, adhibeant.

Caeterum praesentes Litteras, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 160-169].

403.

Benedictus XIV, const. *Unigenitus*, 26 nov. 1749.

Unigenitus Dei Filius, qui in Ara Crucis in pretium Redemptionis humani generis immolari non abnuit, pacem illam, quam venit mittere in terras, Discipulis suis in carne passus eius Sanguine ultro promeritam semel et iterum uberius dedit, et abundantius praecepit, et quidem ut diligerent alterutrum, ac una simul ex mutua huiuscemodi demandata dilectione moniti, illud magno praecepto simile agnoscerent, per quod immensa debet tanti Conditoris Maiestas venerari. Nos itaque, qui illius vices, licet immerito, gerimus in Terris, et vestigia eius, quantum Nobis ex alto conceditur, sectari satagimus, ubi sentimus unde Divina ipsa mandata valeant utilius adimpleri, protinus lites quascumque hoc potissimum impedientes, ad Nos avocamus et extinguimus, ac per Nostrae providentiae studium etc. cuncta componere procuramus, prout salutis animarum suadet utilitas, ac procurandae, exindeque firmandae, ac tuendae pacis cogit necessitas.

§ 1. Dudum siquidem omnes Dignitates, caeteraque Beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Archipresbyteratus Saecularis, et Insignis Collegiatae Ecclesiae B. Mariae Virginis in Coelos Assumptae, ac S. Michaelis Archangeli Oppidi Civitatis nuncupati Terlitii, in et de Iuvenacen. Dioecesi, quae inibi Dignitas principalis existit, per liberam resignationem Dilecti Filii Antonii Fioravante nuper ipsius Collegiatae Ecclesiae Archipresbyteri de illa, quam tunc obtinebat, in manibus Nostris, ad infrascriptorum tamen effectum, sponte factam, et per Nos admissam, apud Sedem eandem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de ipso praeter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis.

§ 2. Cumque deinde, sicut Venerabilis Frater Noster Paulus de Mercurio modernus Episcopus Iuvenacen., ac Antonius praedictus, et dilecti etiam Filii Clerus et Populus dicti Oppidi, Nobis nuper exponi fecerunt, alias et postquam de Anno Domini nongentesimo quinquagesimo primo, seu alio veriori tempore, Ecclesia Iuvenacen. in Cathedralem Ecclesiam Apostolica auctoritate erecta fuerat, ab eo tunc Episcopo Iuvenacen. pro tempore existente, plurimas controversias et dissensiones contra ipsos etiam a pro tempore existentibus Archipresbyteris dictae Collegiatae Ecclesiae, ratione iurium et praeeminentiarum, quae ab ipsis Archipresbyteris praetendebantur, omnique conatu tuebantur, inductas, iugiter sustinuerint, quae tamen postmodum per binas transactiones inter tunc existentes Episcopum Iuvenacen. et Archipresbyterum praedictos, ad controversias et dissensiones praedictas omnino dirimendum initas, et earum alteram de anno eiusdem Domini 1459 prius a bon. mem. Latino, dum viveret, S. R. E. Cardinali Ursini nuncupato tunc Sedis Apostolicae apud tunc temporis Regem Neapolis de Latere Legato, ordinaria, seu etiam delegata, et successive a fel. rec. Paulo Papa II Praedecessore nostro Apostolica auctoritate respective confirmatam, usque ad Concilii Tridentini celebrationem penitus siluerunt. Et pro eo quod post huiusmodi celebratum Concilium tunc existens Episcopus Iuvenacen. crediderat, se vigore decretorum Concilii huiusmodi, illico collegiatam Ecclesiam huiusmodi visitare posse, pax illa, quae iamdiu perduravit, non ultra effluxerit, imo praemissorum ratione antiquis controversiis et dissensionibus huiusmodi novis suppeditatis viribus, lis et causa in Romana Curia, et Causarum Palatii nostri Apostolici Auditorio, coram certo illius Auditore introducta fuerit, quae ob emanatam ab eodem Auditorio et certo illius Auditore praedicto Decisionem, qua Episcopo Iuvenacen. pro tempore existenti ius Collegiatam Ecclesiam ipsam visitandi concedebatur, usque ad recentiora tempora in eodem Auditorio summa contentione perduravit.

§ 3. Novissime vero piae memoriae Benedictus Papa XIII etiam Praedecessor noster, cui tunc existens Episcopus Iuvenacen. exposuerat, quod lis huiusmodi antiquitus orta, et adhuc tunc indecisa pendens, nedum Episcopo Iuvenacen. et Archipresbytero praedictis, nec non Clero et Populo dicti Oppidi pro tempore respective existentibus, nimis dispendiosa dignoscebatur, sed Divino cultui, et animarum profectui, bonoque regimini, et spirituali gubernio praedicti populi grave damnum afferebat, liti et causae huiusmodi finem imponere, pacemque et tranquillitatem Personis Ecclesiasticis summopere consentaneam inter praedictos tunc existentes Episcopum Iuvenacen. et Archipresbyterum dictae Collegiatae Ecclesiae confovere cupiens, litem et causam huiusmodi ad se avocaverit, easque penitus et omnino extinxerit, ac praedictis Episcopo Iuvenacen. et Archipresbytero dictae Collegiatae Ecclesiae tunc et pro tempore existentibus perpetuum silentium desuper imposuerit, ac determinatam quamdam iurisdictionem pro tempore existenti Episcopo Iuvenacen. concesserit, videlicet: quod Oppidum Terlitii foret et esset in Dioecesi et de Dioecesi Iuvenacen.; ideoque ad praedictum Episcopum Iuvenacen. pro tempore existentem spectaret et pertineret: I. Ius visitandi iure ordinario. II. Visitandi etiam Archipresbyterum iure delegato. III. Procedendi in causis Matrimonialibus. IV. Etiam in causis criminalibus non levibus. V. Per se ipsum ad Ordines sacros promovendi sine testimonialibus Archipresbyteri. VI. Vel Dimissorias concedendi pro promovendis ad eosdem Ordines. VII. Conferendi Beneficia curata et Cappellanias habentes annexam curam Animarum et respective concedendi institutionem authorizabilem. VIII. Destituendi et excommunicandi, interdicendi, et mulctandi; omnia alia faciendi, et exercendi omnes et quoscumque alios actus pertinentes ad Episcopum; qui Vicarium sibi in spiritualibus in dicto Oppido Terlitii, pro suae Episcopalis iurisdictionis nomine ipsius Episcopi exercitio, deputare teneretur, cum obligatione utendi carceribus Ecclesiasticis in eodem Oppido Terlitii pro custodiendis in eis dumtaxat delinquentibus ipsius Oppidi Terlitii, exceptis tantummodo his, quae declarabantur competere, et respective concedebantur Archipresbytero. Tunc existenti vero Archipresbytero, eiusque in Archipresbyteratum successoribus similiter iurisdictionem, ut infra, concessit; nempe Archipresbyterum

fore immediate subiectum Sedi Apostolicae, ideoque exemptum a iurisdictione Episcopi, ordinaria dumtaxat, non autem delegata; et propterea illum teneri praestare obedientiam Episcopo in actu Visitationis iure delegato faciendae quoad ipsum; eidemque Archipresbytero competere ius instituendi, et respective conferendi Beneficia Ecclesiastica, et Canonicatus Ecclesiae Terlitien. in Mensibus et Vacationibus Sedi Apostolicae non reservatis, non tamen Beneficia quaecumque curata, aut quomodolibet annexam curam Animarum habentia; Iurisdictionem procedendi in causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum spectantibus in prima instantia, cum hoc quod appellatio devolveretur ad Episcopum Iuvenacen.; in criminalibus levibus dumtaxat, in quibus poena de iure non esset corporis afflictiva, et pro his imponendi et applicandi mulctas, iuxta formam praescriptam a Concilio Tridentino; cum declaratione, quod Archipresbyter, Ecclesiastici, et Ecclesia Terlitien. sint exempti a subsidio charitativo, et quarta Canonica; et cum Indulto pro Archipresbytero utendi Pontificalibus, benedicendi Paramenta, Vasa, et omnia alia sacra utensilia, in quibus sacra unctio non interveniret; et interveniendi in Synodo tam Dioecesana, quam Provinciali; ac demum nominandi, deputandi, ac benedicendi Concionatores, quatenus nominatio ad alios non pertineret; cum hoc tamen, quod super posteriori concessione huiusmodi tunc existenti Archipresbytero, eiusque successoribus praedictis, per dictum Benedictum Praedecessorem tunc, ut praefertur facta, literae Apostolicae expediri deberent; quae subinde, praefato Benedicto Praedecessore nostro de medio sublato, a recolendae memoriae Clemente Papa XII, pariter Praedecessore nostro ad praefati summi Apostolatus apicem successive assumpto emanarunt, ac alias, prout in singulis Benedicti et Clementis Praedecessorum huiusmodi tunc desuper confectis literis plenius respective continetur.

§ 4. Ipso autem Clemente Praedecessore ad praedicti summi Apostolatus apicem, ut praefertur, assumpto, tunc existens Archipresbyter, ac Capitulum et Canonici dictae Collegiatae Ecclesiae, nec non Populus dicti Oppidi, ad nostrum Signaturae Gratiae Tribunal recursum habuerint pro petenda aperitione oris adversus praedictas literas eiusdem Benedicti Praedecessoris, nec non remissione causae ad Rotam. Quibus obtentis, causaque in eodem Auditorio coram dilecto Filio Nostro Mario tituli Sanctae Priscae S. R. E. Presbytero Cardinali Millino nuncupato, tunc Auditorii huiusmodi Decano, noviter proposita, idem Auditorium, praevia desuper emanata Decisione, fuit in sensu, quod praedictae eiusdem Benedicti Praedecessoris literae essent exequendae; quae quidem decisio, mediante alia decisione coram dilecto etiam Filio Nostro Carolo Tituli Sanctae Mariae in Ara Coeli nuncupatae eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato tunc uno ex Auditorii huiusmodi Auditoribus edita, confirmata remansit. Sed quia, circa modum eiusdem Benedicti Praedecessoris literas huiusmodi exequendi, graves in praedicto Auditorio ex utraque parte difficultates, et non modicae etiam praetensiones insurrexerant; proinde nonnullae aliae decisiones super variis punctis et dubiis desuper propositis hinc inde favorabiles emanaverint; et licet gravissimae expensae ratione litis causae huiusmodi in eodem Auditorio factae, utramque partem ultro citroque defatigassent; nihilominus ipsae partes litibus

perniciose captae, novas lites in aliis dictae Curiae Tribunalibus, quae adhuc pendent indecisae, introducere curaverint, litesque huiusmodi, ultra dispendia, quae utrique parti, ut praemittitur, attulerunt, plura iurgia, contentiones, rixas, et scandala, aliaque plura mala inter personas Ecclesiasticas, et saeculares, in maximum Ecclesiasticae disciplinae detrimentum, concitaverint, ita ut ex rerum confusione brachii saecularis auxilium pro sedandis tumultibus, et delinquentibus puniendis, opus fuerit quandoque invocare.

§ 5. Ipse vero Antonius Archipresbyter praemissorum ratione motus, ad Cleri et Populi huiusmodi calamitates et infortunia eliminanda, ac politiam Ecclesiasticam omnimode restituendam, eidem Paulo Episcopo proposuerit, quod si dicta Collegiata Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam Apostolica authoritate per Nos ut infra erigeretur, et illa sic erecta Ecclesiae Iuvenacen. aeque principaliter uniretur, ipse Antonius Archipresbyter firmam spem habebat, quod ex erectione et unione huiusmodi Ecclesiastica disciplina praedicta in pristinum restitui, necnon dispendia, ac turbationes, et scandala huiusmodi penitus cessare respective deberent. Cui propositioni ipso Paulo Episcopo assentiente, nonnulla capita conventionum, et conditionum, erectionem, et unionem praedictas, per Nos ut infra faciendas, concernentia, Paulus Episcopus, ac Antonius Archipresbyter praedicti efformaverint; et quemadmodum ad praedictam Ecclesiam Iuvenacen., dum illa pro tempore vacat, nominatio Personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo Filium Nostrum Carolum utriusque Siciliae et Hierusalem Regem Illustrem ex Privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare dignoscitur, bon. mem. Traianus, dum viveret, praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis de Aquaviva nuncupatus, tunc etiam, dum viveret, Regnorum utriusque Siciliae et Hierusalem apud Nos et Sedem Apostolicam Protector, eiusdem Caroli Regis preces super praemissis Nobis exhibuerit; Nosque preces ipsas benigne suscipientes, negotium huiusmodi Congregationi Consistoriali discutiendum remiserimus; quae quidem Congregatio Consistorialis Particularis sub die vigesima octava Mensis Februarii anni proxime praeteriti respondit: *Pro gratia erectionis novae Cathedralis iuxta modum et conditiones praescribendas: et ad RR. PP. DD. Datarium, et Auditorem Sanctissimi, una cum Secretario Congregationis pro erectione.* Et rescripti huiusmodi vigore, dilecti pariter Filii Magistri Ioannes Iacobus Millo Datarius Noster, et Clemens Argenvilliers Auditor etiam Noster, nec non Nicolaus Antonellus praedictae Congregationis Secretarius, insimul congregati sub die vigesima tertia Mensis Aprilis eiusdem anni proxime praeteriti, per certa tunc edita Capitula eorum sensum pro animi Nostri instructione desuper aperuerint.

§ 6. Nos igitur, attentis praemissis, et ex voto eiusdem Congregationis, aliisque de causis animum nostrum moventibus, Paulo Episcopo, et Antonio Archipresbytero praedictis, nec non Capitulo, ac Clero, et Populo dicti Oppidi specialem gratiam facere volentes, ipsosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, et, non tamen quoad dictum Paulum Episcopum, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione et causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie

absolventes, et absolutos fore censentes, ac pacem et tranquillitatem iamdiu a litibus et dissensionibus huiusmodi sublatas in pristinum restituere cupientes, omnibusque et singulis praemissis Nobis sic, ut praemittitur, expositis, pro verificatis et plenarie expressis habentes: Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, lites et causas quascumque super iurisdictione praedicta in eodem Auditorio, et quibusvis aliis Romanae Curiae praedictae Tribunalibus coram quocumque Iudice, in quocumque statu, et quacumque instantia, inter modernos, et tunc existentes Episcopum Iuvenacen., et Archipresbyterum dictae Collegiatae Ecclesiae a pluribus annis introductas, et adhuc indecisas, pendentes ad Nos avocamus, easque penitus et omnino extinguimus; ac Paulo Episcopo et Antonio Archipresbytero praedictis, omnibusque aliis et singulis Personis, etiam speciali nota dignis, in lite et causa praedictis interesse quomodolibet habentibus, seu habere praetendentibus, perpetuum silentium imponimus ad praemissorum validissimum effectum.

§ 7. Nec non etiam, pro eo, quod, sicut accepimus, praedictum Oppidum Terlitiense, iam Civitatis nomine decoratum existit, ac inter potissima Loca, Urbesque Provinciae Baren. ob eius amplitudinem, situs amoenitatem, rerum ad victum necessariarum copiam, aedificiorum elegantiam, Civium nobilitatem, Populique multitudinem ad septem millium circiter numerum ascendentem; duo Religiosorum Coenobia, ac alterum insigne et numerosum Sanctimonialium sub Regula Sanctae Clarae Monasterium; Montem item Pietatis, atque pro alendis pauperibus, et curandis aegrotis, excipiendisque Peregrinis, insigne Xenodochium; undecim Laicorum Congregationes, sive Oratoria, conspicuum merito censetur; illiusque insignis Collegiata Ecclesia praefata, quae omnes alias Provinciae huiusmodi in maioritate antecellit, utpote exornata quinque navibus, Altaribus octo, Throno fixo, ac Choro cum stallis superioribus et inferioribus praeclare dispositis; celebre organo, Sacristiis duabus, quibus privata Cappella alio Altari constructa adnectitur, ac simul alta ac speciosa campanilis mole, nec non pluribus abundans redditibus, ac satis superque sacris vasis et supellectibus variis, etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, maxime iis in argento elaborato confectis locupletata, procul dubio Ecclesiis Cathedralibus eiusdem Provinciae comparari certo potest; eiusdemque Collegiatae Ecclesiae Capitulum quatuor Dignitatibus, Archipresbytero scilicet, qui Pontificalibus insigniis, ut praefertur, decoratus in qualitate Praelati prope ipsam Collegiatam Ecclesiam in Palatio nimis amplo suum habet incolatum; uno Primicerio, et duobus Cantoribus, ac vigintiduobus Canonicis, ac supra septuaginta Participantibus, qui una cum huiusmodi Dignitates inibi obtinentibus, et Canonicis praefatis, servata statutorum eiusdem Collegiatae Ecclesiae, in ea pro Divinis Officiis absolvendis inserviunt, referta dignoscitur.

§ 8. Collegiatam Ecclesiam praedictam, illiusque titulum, denominationem, naturam, et essentiam Collegiatae, ita ut illa ex nunc Collegiata esse desinat, et illa uti talis amplius denominari, inscribi, censeri, vel reputari non possit, Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus; illisque sic per Nos, ut praefertur, suppressis et extinctis Collegiatam Ecclesiam ipsam

in Cathedralem Ecclesiam Terlitiensem nuncupan., sub eadem invocatione Beatae Mariae Virginis in Coelos Assumptae, et Sancti Michaelis Archangeli dicta Apostolica authoritate perpetuo erigimus, eamque sic erectam Ecclesiae Iuvenacen. aeque principaliter etiam perpetuo unimus, ita ut in posterum eadem Collegiata Ecclesia dicti Oppidi per Nos, per praesentes, ut praefertur, suppressa et extincta, et in Ecclesiam Cathedralem Terlitien., etiam per praesentes, ut praefertur, erecta, ac etiam, ut praefertur, dictae Ecclesiae Iuvenacen. aeque principaliter unita, Concathedralis cum eadem Ecclesia Iuvenacen. esse et recognosci debeat; neque una alteri subiecta sit, sed ambae sint independenter et aeque principaliter unitae; dictusque Paulus Episcopus utrique Ecclesiae huiusmodi praesit, ac Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus censeatur et sit. Ipsaque Ecclesia Terlitien. in Ecclesiam Cathedralem per Nos per praesentes, ut praefertur, erecta, dictaeque Ecclesiae Iuvenacen. pariter, ut praefertur, aeque principaliter unita omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis, honoribus, et iuribus, quae ad Ecclesias Cathedrales, et praesertim ad Ecclesiam Iuvenacen. pertinent, sub infrascriptis tamen conditionibus, fruatur, et gaudeat. Ac nominatio Personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, quae ad praedictum Carolum Regem ad ipsam Ecclesiam Iuvenacen., ut praefertur, pertinere dignoscitur, deinceps simul ad utramque Ecclesiam Iuvenacen. et Terlitien. per Nos per praesentes, ut praefertur, aeque principaliter unitas, ad eundem Carolum Regem spectare dignoscatur.

§ 9. Cum hoc tamen, quod in omnibus, et quibuscumque actibus, etiam respicientibus Ecclesiam Terlitien. etc. praeferatur semper denominatio Ecclesiae Iuvenacen. Et Episcopi ad praedictas Ecclesias Iuvenacen. et Terlitien. sic, ut praefertur, aeque principaliter unitas pro tempore nominandi, et respective Apostolica authoritate praedicta promovendi, possessionem semper et in perpetuum capiant prius in Ecclesia Iuvenacen. et deinde in altera Terlitien. atque ita in perpetuum servetur. Nec non duos Vicarios in spiritualibus generales, unum videlicet pro Iuvenacen. et alterum pro Terlitien. respective Ecclesiis, sic, ut praefertur, aeque principaliter unitis, etiam perpetuo debeant deputare, qui iurisdictionem, dependenter tamen ab Episcopo pro tempore existente, exerceant. Tempore vero vacationis Sedis Episcopalis, Capitulum Ecclesiae Terlitien., perinde ac illud Ecclesiae Iuvenacen. proprium Vicarium Capitularem iurisdictionem suam independenter a Vicario Capitulari Iuvenacen. exercere debentem eligat. Vicarius autem in spiritualibus generalis Ecclesiae Terlitien. iudicabit reos et delinquentes in carceribus Curiae Terlitien. detentos, et in casu dumtaxat avocationis causarum, liceat Episcopo pro tempore existenti transferri facere reos ad carceres Curiae Iuvenacen., ubi ipse resederit; sed hoc fiat aequa moderatione et raro, iustisque de causis, et in rebus arduis et gravioribus. Quodque modernus et pro tempore existens Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus, pro Ordinationibus Presbyterorum, ac concursibus, super Parochialibus Ecclesiis ad formam decretorum Concilii Tridentini habendis, aliisque rebus huiusmodi, Examinatores Synodales in Ecclesia Terlitien. eligere atque habere debeat, a quibus etiam Clerici et Presbyteri Ecclesiae Iuvenacen. examinari

possint, si, dum Episcopus pro tempore in Civitate Terlitien. resederit, opus fuerit: et e converso idem servetur, quando Episcopum in Civitate Iuvenacen. residere contigerit. Ipseque modernus, et pro tempore existens Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus temporibus ab eodem Concilio Tridentino praescriptis in Ecclesia Cathedrali Iuvenacen. residere teneatur. Curet tamen residere etiam in Ecclesia Cathedrali Terlitien. signanter in aliquibus diebus solemnioribus. Pro cuius habitatione, habita per modernum Episcopum Ecclesiae Terlitien. possessione, tradantur Aedes Archipresbyterales, quae in eius et pro tempore existentis Episcopi praedicti plenum dominium transire debent cum omnibus earum partibus et membris, exceptis tamen quae locari solent, nempe, Piscinae olei, stabula, officina, aliaque huiusmodi, ex quibus redditus Mensae Archipresbyteralis constitui consueverunt, quorum fructus, redditus et proventus eidem Antonio Archipresbytero inferius reservamus, Archivium itidem Archipresbyterale cum omnibus scripturis et documentis ad Ecclesiam Terlitien. spectantibus, salvum et integrum servare teneatur; neque scripturas alio transferre possit. Quinimo Capitulum Ecclesiae Terlitien. quocumque tempore a Custode Archivii huiusmodi pro tempore rationem officii sui et scripturarum eius fidei commissarum reposcere possit et valeat. Ac modernus et pro tempore existens Episcopus Iuvenacen. et Terlitien. ex quocumque titulo, causa, vel praetextu, etiam constructionis, aut refectionis Aedificiorum, monumenta, insignia, lapides et inscriptiones ad praeteritos Archipresbyteros et Capitulum Terlitien. spectantes nunquam amovere, delere, aut deformare possit. Sed et teneatur in novis Aedificiis constituendis, vel veteribus restaurandis, fideliter reponere et conservare. Quodque unicam Synodum Dioecesanam habeat. Prima autem, quae post praesentis gratiae concessionem pro utraque Dioecesi celebrabitur, habeatur in Ecclesia Iuvenacen.; et deinde liberum sit Episcopo pro tempore existenti eamdem Synodum in una vel altera Ecclesia, seu Iuvenacen. seu Terlitien. congregare; et in ea, quoties illam haberi contigerit, Capitulum Iuvenacen. semper praecedat Capitulo Terlitien. Dicto vero moderno et pro tempore existenti Iuvenacen. et Terlitien. Episcopo, donec praedictus Antonius Archipresbyter infrascriptos fructus, sibi ut infra reservandos, perceperit, a nunc et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis, ac Locis piis Terlitiensibus centum ducati Regni Neapolitani etc. annuatim persolvantur, absque eo quod modernus et pro tempore existens Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus praedictus aliquid aliud praetendere possit; non comprehensis tamen in eisdem centum ducatis monetae praedictae, iuribus Curiae, aliisque ex literis patentibus collationis Beneficiorum Ecclesiasticorum, Canonicatuum, et Dignitatum provenientibus, quae a die captae possessionis, ad modernum, donec vixerit, ac Iuvenacen. et Terlitien. Ecclesiis praedictis praefuerit, et deinde ad pro tempore existentem Iuvenacen. et Terlitien. Episcopum pertinebunt. Ipseque modernus et pro tempore existens Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus, pro visitatione Ecclesiarum, et Locorum piorum Civitatis Terlitien., nullam procurationem exigere possit. Sed pro Cathedratico et Synodatico, ac subsidio charitativo, et pro quocumque alio titulo, ac iure, percipere debeat annuos ducatos quadraginta eiusdem monetae etc., quin ullum subsidium

charitativum a nunc et pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis eiusdem Ecclesiae Terlitien., praeter ipsos ducatos quadraginta monetae praedictae, praetendere queat; adeo ut sit in arbitrio et libera voluntate eorumdem Capituli et Canonicorum, ac Civium Terlitiensium, ea, quae ab Archipresbyteris pro tempore exigi hoc nomine solebant, illi, si velint, subministrare. Post decessum tamen, seu ad alicuius Ecclesiae regimen promotionem dicti Antonii Archipresbyteri, quem dictus Paulus Episcopus tam proprio, quam in praefatis Iuvenacen. et Terlitien. Ecclesiis successorum suorum nomine, tum etiam Deputati Capituli et Canonicorum, ac Communitatis Terlitien. in pacifica perceptione eorumdem fructuum sibi, ut praefertur, inferius reservandorum non molestandi se obligarunt, in ipsorum fructuum perceptione, et fruitione modernus, et pro tempore existens Iuvenacen. et Terlitien. Episcopus succedat, non comprehensa tamen in eisdem fructibus ea portione, quam nunc ex bonis ad Capitulum et Canonicos Ecclesiae Terlitien. spectantibus dictus Antonius Archipresbyter percipit; sed ea integre, atque omnino, cum omnibus suis fundis, ad eosdem Capitulum, et Canonicos Terlitien. revertatur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 106-120].

404.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749. [1]

§ 1. Inter praeteritos, ac praesentes labores nostros in eum potissimum finem a Nobis susceptos, ut imminens iam magni Iubilaei Annus ea, qua par est, pietate celebretur, et Fideles Christi spiritualem S. Indulgentiae fructum consequantur, non postremo loco habenda est ea, quam adhibuimus, cura, ut libros de Anni Sancti Iubilaeo pertractantes, qui numero pauci non sunt, consuleremus. In hisce vero libris perlegendis illud animadversum a Nobis est, quod inter eorum Auctores, alii quidem sunt, qui in controversiarum tractatione ita se gerunt, ut iisdem discutiendis, ac resolvendis, vel ad eorum scripta tantummodo attendant, qui aetate praecesserunt, vel de propositis quaestionibus ex eo, quod sibi ac propriae intelligentiae magis conveniens videatur, pronuntient, nulla interim attentione adhibita ad Summorum Pontificum Constitutiones, quibus Anni Sancti Iubilaeum Christifidelibus indicitur, et in quibus inserta quaedam verba reperiuntur, quorum beneficio quaestiones ante exortae commode et opportune explanantur. Alii contra, earundem Constitutionum verba accurate considerantes, dum illa rite ponderare non praetermittunt, ex eisdem quaestionum ipsarum solutiones deducunt, atque eas difficultates de medio tollunt, quae ab illis excitatae fuerant, qui vel ante scripserunt, quam Constitutiones ipsae prodirent, in quibus opportuna verba inserta sunt, quorum vigore excitatae iam difficultates evanescunt; vel qui si posterius scripserunt, nullam in scribendo, ut par

[1] Ad Poenitentiarios et Confessarios pro Anno Sancto in Urbe deputatos.

erat, adhibuerunt ad Pontificiarum Constitutionum verba mentis applicationem. Hunc, qui prope iam instat, Magni Iubilaei Annum, si Divinae Maiestati placuerit vitam nostram ad illud usque tempus perducere, tertium numerabimus ex iis, quos Nos in hac Urbe celebratos vidimus: nec immemores sumus disputationum, et quaestionum, quae non sine aliqua contentione agitabantur inter Confessarios, Romae primum, deinde etiam foris, postquam, peracta hic Anni Sancti celebratione, Iubilaeum ad alia loca transmittitur. Ea igitur de causa, Nos opportunam operam dedimus, primum ut in Constitutionibus, quas de Anni Sancti Iubilaeo publicavimus, ea verba inseremus, quae non minus a Nobis, quam ab iis Doctoribus, qui ante Nos scripserunt, talia reputantur, quae excitatas prius difficultates, vi sua dissolvant; deinde vero, cum quaestiones aliquae adhuc indecisae remanerent, quae a solis verbis in Constitutionibus insertis solutae dici non poterant; aliquot etiam pro hisce Declarationes facere non praetermisimus. Non tamen idcirco Nobis certo pollicemur, omnia Nos omnino dubia diluisse, quae suboriri possint hominibus ingenio nimis ad Methaphysicas subtilitates prono, quae quidem, quantum in speculativis rebus afferunt usum, tam magno sunt in Moralibus Disciplinis incommodo. Illud tamen speramus, tantum Nos hac via profecisse, ut per eam aliis, quibus plusquam Nobis otii sit, liberior ac latior ad iter persequendum semita recludatur. Ut vero haec quaecumque egimus, ac meditati sumus, in caeterorum commodum, et in praecipuam Confessariorum praesertim, et eorum, qui animarum curam gerunt, utilitatem evadant; ad Vos, Dilecti Filii, Encyclicas hasce nostras Litteras dirigimus, adimplentes hoc modo, quod polliciti sumus in Consistoriali Allocutione nostra, quam in Consistorio die 5 Maii vertentis anni 1749 a Nobis habito pronunciavimus.[1] Atque ut etiam confusio omnis removeatur, et debito ordine procedatur, de qualibet Constitutione super Anni Iubilaei Sancti per Nos ad praesentem usque diem publicata singillatim agemus.

I.

De Apostolica Constitutione, quae incipit: Peregrinantes, *in qua indicitur Universale Iubilaeum Anni Sancti, publicata die 15 Maii, in Festo Dominicae Ascensionis, 1749.*[2]

§ 2. In hac Constitutione nostra haec, quae subiicimus, verba leguntur: *Vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis.* Primi Nos omnium sumus, qui Confessioni Communionem adiecimus, eam inter opera illa comprehendentes, quae ad consequendas Anni Sancti Indulgentias iniuncta sunt atque praescripta. Quae vero Nos causae moverint, ut praedicta verba adiungeremus, eas in Consistoriali Allocutione nostra expressimus, quae in Consistorio die 5 Maii anni 1749 habito a Nobis pronunciata fuit. Neminem autem arbitramur futurum, qui eam in medium quaestionem adducat, num videlicet sub nomine Sacrae Communionis, Sacramentalis

[1] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 125-128.
[2] Cf. N. 399.

Communio, an vero Communio spiritualis intelligatur; quoniam Sacrum Tridentinum Concilium, Sess. 13, cap. 8 trium Communionum mentionem facit, videlicet solius Sacramentalis, quae Communio est illorum, qui eam in peccato lethali recipiunt; solius Spiritualis, quae illorum est, qui summopere cupientes Panem Eucharisticum gustare, viva fide, *quae per dilectionem operatur,* spiritualis illius fructus atque utilitatis participes fiunt; et Sacramentalis simul ac Spiritualis, quae est illorum, qui *prius ita se probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam Mensam accedant.* Nos sub sacrae Communionis nomine Sacramentalem simul ac Spiritualem Communionem intelleximus, atque intelligimus, cum sensus verborum obvius hic plane sit; neutiquam rati, rem tam absurdam cuiquam in mentem venire posse, ut sub nomine sacrae Communionis, sola Sacramentalis Communio intelligi possit; quemadmodum etiam opportune a Patre Passerino, *de Indulgentiis,* quaest. 43 et 44 animadversum fuit; licet ipse scriberet quidem post damnationem ab Alexandro VII die 7 Septembris 1665 prolatam illius propositionis: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae;* sed scriberet ante damnationem promulgatam a Venerabili Servo Dei Innocentio XI die 2 Maii 1679 in alteram propositionem: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

§ 3. In celebri illa Bonifacii VIII Constitutione, quae incipit *Antiquorum,* sub titulo *de poenitentiis et remissionibus, in Extravagan. commun.*, ubi indicit Iubilaeum Anni Sancti, haec verba leguntur: *vere poenitentibus, et confessis, vel qui vere poenitebunt et confitebuntur;* et in Extravaganti *Unigenitus* Clementis VI eodem libro, et sub eodem titulo haec alia leguntur verba: *vere poenitentibus, et confessis.* Ex hisce autem verbis gravis est controversia quodam tempore excitata, num ad Indulgentiae consecutionem confessio *in voto* sufficiens sit, an vero confessio *in re* requiratur; quod idem est ac si diceretur, utrum ad consequendam Indulgentiam peccata Sacerdoti actualiter confiteri necessarium sit, an vero satis sit ea cum intimo doloris sensu, et sincero contritionis actu detestari cum confitendi proposito, confessionem interim in aliud tempus differendo, ac in Pascha praesertim, quo tempore unusquisque Fidelium, lege ab Ecclesia praescripta, sacram recipere Communionem obligatur.

§ 4. Indicata tantum, verum non decisa huiusmodi quaestio est a Card. de Lugo, *de Poenit.*, disp. 27, sect. 6, num. 94. Nos eam rite ac secundum leges discussam reperimus. Ludovicus Bologninus Canonici Iuris Doctor illustris famae, in suo *de Indulgentiis* Tractatu, in eam inclinat sententiam, quod contritionis actus cum praedicto proposito coniunctus, sufficiens sit. Felinus Sandeus, vir suis supra Ius Canonicum scriptis item insignis, in eo, quem scripsit *de Indulgentia plenaria* Tractatu, in eandem pariter sententiam propendet; verum contrariam tutiorem esse affirmat. Bolognini, et Felini opera in Tractatibus, qui vulgo *Magni* dicuntur, sunt impressa tom. 14. edition. *Venet.* ann. 1584, pag. 145 a tergo, et pag. 158 a tergo. Silvester vir in Theologica Facultate praeclarus in sua summa *in verb. Indulgentia,* n. 20, postquam propriam in eam sententiam propensionem ostendit, quod sufficiat confessio *in Voto*; eos qui Indulgentias consequi volunt, ad actualem

Confessionem consilio suo excitat, atque in ea pariter sententia est Venerabilis Cardinalis Bellarminus, tom. 2, *Controversiarum*, lib. 1, *de Indulgentiis*, cap. 13, § *Tertia quaestio;* Sanctarellus, *Variar. resolut.*, quaest. 76, a num. 7, usque ad num. 23, Auctores, qui pro utraque stant opinione, diligenter colligit et accurate, ipse tamen ad consecutionem Indulgentiae Anni Sancti actualem Confessionem requirit. Nos ad Auctores ab ipso collectos Iohannem Baptistam Pauliani, lib. 3, cap. 2, pag. 147 et seqq. addemus, qui super Iubilaeo Anni Sancti a Iulio III publicato scripsit; qui quidem Auctor ex vi verborum *vere poenitentibus, et confessis* actualem Confessionem requiri contendit.

§ 5. Navarrus tam celebris, qui olim opinionem, quae sufficientem esse vult Confessionem *in voto,* secutus fuerat, Cardinalis Caietani auctoritate permotus, in suo *de Iubilaeo* Tractatu, *Notabil.* 18, num. 1 et seqq. et num. 6 eam prorsus abiecit, et alterius opinionis sectator evasit, quae requirit Confessionem actualem, quamque Fidelibus magnae spiritualis utilitatis occasionem dedisse cognoverat. Pater Viva, *de Iubilaeo,* quaest. 8, art. 3, qui per occasionem Iubilaei Anni Sancti ab Innocentio XII publicati scripsit, et Pater Constantini in suo Tractatu, part. 2, art. 5, de Anno Iubilaei a Benedicto XIII indicti, considerant, quod sub verbo *vere poenitentibus* comprehenduntur peccatores contriti; verum quoniam ad verba *vere poenitentibus* adduntur haec alia, *et confessis,* in hisce ultimis actualis Confessio exprimitur atque praescribitur.

§ 6. Dici autem potest, quod huiusmodi opinio facta iam sit sententia Sanctae Sedis; nam cum in Congregatione Indulgentiarum propositum, et quaesitum esset, num videlicet, quemadmodum Missionarii, qui in regionibus Infidelium morantur, licite Sanctam Missam celebrant, praemisso contritionis actu ob grave aliquod, quod admiserint, peccatum, cum non adsit Confessarius, nec debeant die Festo Fideles Missa privari; ita consequendi Indulgentias, quae concedentur *vere poenitentibus, et confessis* capaces dicendi sint facientes actum contritionis, nec praemittentes Confessionem; Congregatio praedicta respondit, nequaquam eos esse capaces, verum Summo Pontifici supplicari debere, ut nova eos gratia capaces reddat, ut, non facta actuali Confessione propter deficientiam Confessarii, solo contritionis actu ad consequendas Indulgentias habiles evadant. Hanc vero resolutionem Clemens XII Praedecessor Noster approbavit, et gratiam impertitus fuit. Documenta referuntur in Opere P. Theodori eiusdem Congregationis Indulgentiarum Consultoris, *de Indulgent.*, part. 1, cap. 11, art. 5, in fine.

§ 7. Nos hac formula *vere poenitentibus, et confessis,* Confessionem actualem intelleximus, semperque intelligemus, quam inter praescripta, et adimplenda opera ad consequendas Indulgentias necessaria reponimus. Dicere, quod sic intelleximus, et intelligimus, sufficiens fortasse fuisset; verum quae ante exposuimus, ea de causa exponere opportunum existimavimus, ut fundamenta agnoscantur, quibus nostra innixa sententia est.

III.

De Apostolica Constitutione, quae incipit: Convocatis, *signata sub die 25 Novembris 1749.* [1]

§ III.

De Facultatibus Minorum Poenitentiariorum circa vota, contentis in Constitutione: Convocatis.

§ 40. Dum Iubilaei Annus a praedecessore nostro Alexandro Papa VI celebratus fuit, quemadmodum apud Bzovium *ad Annum Christi 1500,* num. 5, videre est, inter alias petitiones, quas Poenitentiarii Minores Pontifici obtulerunt, ea, quae sequitur, ordine undecima est: *Commutatio omnium Votorum, dempto Continentiae, aut Religionis solemni:* Licet autem tunc temporis id illis concessum fuerit, certum tamen est, subsequentibus temporibus nihil aliud facultatis ipsis tributum esse, quam ut omnia Vota simplicia, etiam Apostolicae Sedi reservata, in alia pia Opera commutare dispensando possent.

§ 41. Quod idem est ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae in solemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis, minime habere. Haec autem sola solemnia Vota sunt; quum alia omnia Vota, licet publice facta, simplicia Vota sint, secundum Bonifacii VIII Decretalem, cap. unic., *de Voto, et Voti redemptione, in sexto;* et communem Auctorum sententiam *apud Pontas in verbo Votum,* in princip., posse vero e contrario omnia alia simplicia Vota, licet S. Sedi reservata, in alia pia opera, dispensando, commutare.

§ 42. Sanctus Thomas 2, 2, quaest. 88, art. 12, ad tertium, duorum dumtaxat simplicium Votorum Summo Pontifici reservatorum mentionem facit, *Continentiae, et Peregrinationis Terrae Sanctae;* idcirco autem duorum praedictorum tantum Sanctum Doctorem mentionem fecisse putandum est, quia suo forsan tempore illa duo solum reservata Sanctae Sedi fuerant. Crevit postea simplicium Votorum numerus, quae Pontifici sunt reservata; ea autem, sicut unicuique probe notum est, Vota sunt Religionem ingrediendi, Perpetuam continentiam servandi, peregrinationis ad Sanctam Urbem Ierusalem, ad Sanctuarium Sancti Iacobi de Compostella, item ad Urbem Romam visitandi gratia Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli; sive id ex consuetudine ortum sit, sive ex subsequenti Canonica dispositione Sixti P. IV, registrata in cap. *Etsi Dominici,* cap. 5, *de poenit. et remiss., inter Extravagan. Communes.* Alii sunt, qui inter Vota Summo Pontifici reservata, Votum adiungunt visitationis Sanctae Domus Lauretanae; verum huius rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac Classe omnia perpetua Vota reponunt; id quod errori locum praebere potest, nisi aliquid addatur. Propositio enim intelligi debet de solo Voto perpetuo, quo quis Episcopatum acceptans, obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, iuxta Responsum

[1] Cf. N. 402.

Innocentii III, in cap. *Nisi cum pridem, de renuntiatione,* ac probatiorum Theologorum Doctrinam, quemadmodum apud Sylvium in 2, 2 *D. Thom.*, quaest. 8, art. 12, conclus. 2 videre est.

§ 43. Super eo, quod hactenus dictum est, nulla, quod sciamus, extitit Controversia. Controversia autem, quae alias excitata est, ea fuit, num videlicet Poenitentiarius, qui facultatem absolvendi a Votis simplicibus habet, etiam de quinque Sedi Apostolicae reservatis loquendo, possit hac auctoritate uti, quando Vota iuramento confirmata sunt. Quod quidem alii eum posse crediderunt, docente Sancto Thoma 2,2, quaest. 89, art. 8 arctius esse vinculum Voti, quam iuramenti, ac proinde, cum Poenitentiarius auctoritatem habeat absolvendi a Voto, dici debere, eumdem habere etiam auctoritatem absolvendi a Voto per iuramentum confirmato. Alii autem contra senserunt; quia, cum in Voto per iuramentum confirmato, duo diversa vincula insint, alterum, quod oritur ex Voto, alterum quod ex iuramento; qui habet auctoritatem solvendi unum, non habet item auctoritatem alterius dissolvendi, nisi individualiter eidem concedatur; cuius rei argumentum desumitur ex eo, quod qui per vim coactus Votum fecit, non tenetur illud adimplere; verumtamen ad idem implendum obligatur, si ipsum iuramento confirmaverit; similique ratione, si quis promisit solvere usuras, non tenetur eas solvere, cum tamen ad earum solutionem adstringatur, si promissionem iuramento confirmaverit; iuxta Decretalem: *Debitores, de Iureiurando.*

§ 44. Eorum auctorum nomina, qui tam pro una, quam pro altera stant opinione, videri possunt in Leandro, part. 1, Tractat. 5, *de Sacramento Poenitentiae,* disput. 14, quaest. 101. Azorius porro *Institut. moral.*, tom. 1, lib. 11, cap. 10, quaest. 2, utriusque opinionis fundamenta refert, atque ad extremum illi adhaeret, quae habendi auctoritatem absolvendi a Votis, potestatem denegat id faciendi, tum cum Vota iuramento confirmata sunt. P. Sirus, *de Facult. Minor. Poenit.*, par. 1, cap. 6, dub. 4, Facultatem ad commutanda Vota concessam, Vota etiam Iureiurando confirmata comprehendere affirmat. Nos autem ad omnem controversiam removendam, inter Facultates Poenitentiariis Minoribus pro Anno Sancto concessas, § 8 huiusce Constitutionis nostrae, illam etiam auctoritatem dedimus, non solum ut possent Vota simplicia, etiam S. Sedi reservata, in alia pia Opera, dispensando, commutare; verum et illud adiecimus, ut id ipsum circa illa Vota facere possent, quae Iureiurando confirmata sunt: *Omnia et singula simplicia Vota etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam iurata, commutare, dispensando, possint in alia pia opera;* quod quidem a Nobis etiam in citata Constitutione, *Pastor bonus,*[1] super Facultatibus Cardinalis Maioris Poenitentiarii, factum est, in qua agendo de auctoritate, quae ipsi concedebatur, Vota simplicia S. Sedi reservata in alia Opera, dispensando, commutandi, verba, quae sequuntur, adiecimus: *tametsi privato iuramento confirmata.* Pro exemplo nobis fuit circa praemissa, id quod a Praedecessore nostro Gregorio Papa XIII erga PP. Societatis Iesu praestitum fuit. Horum Confessariis Ordinariis ob eorumdem Superioribus deputatis, et ab Ordinariis approbatis Paulus III Facultatem commutandi

[1] Die 13 apr. 1744, § 29. – Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 319-330.

Vota concesserat, iis exceptis, quae S. Sedi reservata erant; cum vero dubitatum esset, num praedicta Facultas Vota comprehenderet iuramento confirmata; Gregorius XIII, salva Pauli III exceptione, auctoritatem etiam ad Vota iurata extendit, sicut in Compendio Privilegiorum eorumdem *in verb. Commutatio,* § 1 videre est.

§ 45. Operae pretium est hic animadvertere, quod Facultates, de quibus hactenus pertractatum est, non sunt Facultates commutandi simpliciter, et absolute, verum *commutandi dispensando;* cum commutatio, et dispensatio, res inter se diversae sint. Nam dispensatio obligationem Voti tollit, sine ulla alia subrogatione; at simplici commutatione non extinguitur obligatio Voti, verum materia Voti transfertur in aliam materiam, quae ipsi subrogatur. P. Sirus in suo Opere superius allegato, par. 1, cap. 6, dub. 2, observat, totum id, quod Poenitentiario Facultatis attribuitur, in commutatione mixta cum aliqua dispensatione consistere; quodque, sicut sola ac simplex commutatio subrogationem exigeret in materiam maiorem, aut saltem aequalem, sic commutatio mixta cum dispensatione, capax est alicuius moderatae inaequalitatis inter materiam Voti, et materiam subrogatam: *Ut principale,* scribit praefatus Auctor, *ponitur: commutare, et ut accessorium iungitur: dispensando, ita ut esse debeat essentialiter commutatio, quae de sui natura est in maius, vel in aequale, et per accessoriam dispensationem a rigore naturae suae aliquantisper recedat: ergo moderata, et non exorbitans, debet esse inaequalitas materiae subrogatae in commutatione Voti, cum accessoria dispensatio sequi debeat naturam sui principalis, scilicet commutationis, eius naturam non multum immutando; ne quod accessorie ponitur, locum habeat principalis, nempe plus dispensando, quam commutando, quod esset contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Poenitentiario, ut possit dispensando commutare, non commutando dispensare.*

§ 46. Permultum ad rem, de qua agimus, duo illa faciunt exempla, quorum alterum Pontificis est Alexandri III in sua Decretali: *Venientis, de Voto,* in qua valde gravibus de causis Clericum dispensat, qui Voto se obstrinxerat Hierosolymam proficiscendi ad Christi Domini Sepulchrum invisendum; Votum tamen in Eleemosynas commutans, eique iniungens, ut per totum vitae suae tempus propriis sumptibus *tam in victu, quam in vestitu* pauperem aleret, dummodo tamen eius facultates ad onus hoc ferendum non impares essent. Alterum vero est Innocentii III in Decretali: *Magnae,* eod. Tit., in qua Episcopum Trecensem ab adimplendo Voto dispensat, quod, licet improvide, fecerat item Hierosolymam se conferendi, eidem iniungens, *ut omnes expensas, quas fuerat in eundo, morando, et redeundo facturus, alicui Religioso committat in necessarios usus Terrae illius,* id est Terrae Sanctae, *sine diminutione qualibet transferendas;* tum autem labori, quem in itinere sustinere debuisset, aliorum laborum augmentum subrogans quos ut pro servitio gregis sui susciperet mandavit: *Labores etiam laboribus recompenset, sollicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, et ieiuniis fortius se exercens, ac super grege suo vigilans sollicitudine Pastorali.*

§ 47. Verba illa, quae non simplicem tantum commutationem, verum *commutationem cum dispensatione coniunctam* indicant, non solum ad bonam

regulam super dispensatione, et commutatione Votorum in alia pia Opera, utilia sunt; sed etiam difficultati, quae oriri poterat, quaeque alias inter Auctores exorta est, occasionem praecludunt; quae quidem difficultas ex eo originem habuit, quod vel solum verbum *commutatio,* vel solum verbum *dispensatio* adhibitum sit; cum alii quidem contenderent, quod potestas commutandi Vota non ferat secum potestatem super ipsis dispensandi, cum commutatio, ac dispensatio sint actus, quemadmodum dictum est, omnino distincti; alii vero docerent, quod nec ex facultate quidem concessa super Votis dispensandi, alia commutandi potestas deduci possit; cum de potestate delegata agatur; quae semper intra praecisos limites in litteris Delegationis praescriptos restringi debet. Ita cum aliis multis Pignatellus in suo *Tract. de Anno Sancto,* cap. 19, dub. 2, et 3 ratiocinatur. Neque tandem defuere, qui de Anno Sanctu agentes, docuerunt, concessam intelligi Facultatem commutandi, ac dispensandi in Votis, etiamsi neutra expressa foret. Verum huiusmodi opiniones communiter reprobatae ac reiectae sunt, quemadmodum apud P. Viva, *de Iubilaeo,* quaest. 12, art. 1, num. 2 et apud Constantinum, *de Iubilaeo Anni Sancti,* part. 3, cap. 1, § *Potrebbe,* cum multis aliis seqq. videre est. Quibus etiam praeclusa opportune via est per nominata saepius a Nobis verba *commutare dispensando* in supradicto num. VIII ac sequentibus inserta.

§ IV.

De Facultatibus super Dispensationibus, *quae continentur in Constitutione:* Convocatis.

§ 48. Qui aliqua Canonici Iuris, ac Moralis Theologiae vel mediocri cognitione imbutus est, duas hasce controversias procul dubio non ignoraverit; quarum una est, num sub nomine Censurae comprehendatur Irregularitas, quae oritur ex delicto; altera vero, utrum qui censuram incurrit, id est aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cum sit in Minoribus Ordinibus constitutus, susceptos Ordines solemniter exercens, incurrat irregularitatem. Oritur prima quaestio ex intelligentia Decretalis: *Quaerenti, de verbor. significat.,* ubi interrogatus Summus Pontifex, quid sub censurae nomine comprehendatur, respondit, quod comprehenditur interdictum, suspensio, et excommunicatio; quo non obstante, Gonzalez *in Commentar. ad dict. textum* contendit, quod sub nomine censurae etiam irregularitas ex delicto comprehendatur. Contrariam tamen sententiam tuentur Suarez, Molina, Trullengus, Filliuccius, Reginaldus, aliique complures. Altera vero controversia oritur ex Decretalibus, quae leguntur sub tit. *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante,* in quibus etiamsi legatur quod qui ligatus excommunicatione minori celebrat, graviter peccat, sed non incurrit irregularitatem; quae tamen incurritur ab eo, qui excommunicatione maiori ligatus, Sacerdos cum sit, celebrat, vel in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus constitutus, Subdiaconi, aut Diaconi functiones exercet, dummodo sciat, se incurrisse in censuram, aut non ignoret ignorantia crassa, supina, aut erronea; nulla tamen ex iis est, quae de Clerico excommunicatione maiori excommunicato, non in sacris Ordinibus, sed in minoribus constituto, loquatur, et quae eum irregularem declaret, si susceptos Ordines solemniter exercet. Navarrus, Avila, cum aliis multis eius sententiae sunt, quod in praedicto casu Irregularitas non incurratur. Contra vero Pirhing, ad lib. 5, *Decretal.,* tit. 27, § 6; Anacletus *ad eundem titulum Decretal.,* num. 21, et 22, et Fagnanus in cap. *Si quis Presbyter,* a num. 2 usque ad fin., *de Clerico excommunicato ministrante,* eumdem Irregularitatem incurrere affirmant; atque hic quidem postremus, talem esse Poenitentiariae, et Congregationis Concilii sententiam adiungit.

§ 49. Ex hisce controversiis dubia duo exoriri poterant: primum, utrum cum Poenitentiariis num. IV, Facultas absolvendi *a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris,* attributa sit, concessa etiam ipsis intelligeretur auctoritas absolvendi *in occultis,* et quod ad forum conscientiae, ab irregularitatibus *ex delicto* contractis, excepta tamen illa semper, quae provenit ex homicidio voluntario; quoniam iuxta quorumdam opinionem irregularitates *ex delicto* sub Censurae nomine comprehenduntur. Alterum autem, num, cum data esset minoribus Poenitentiariis Facultas absolvendi Sacerdotes, et alios in sacris Ordinibus constitutos, ab irregularitate contracta *ob violationem censurarum,* pro illis etiam data intelligeretur, qui sunt in minoribus, Ordinibus constituti.

§ 50. Gonzalez in Commentariis ad citatam Decretalem *Quaerenti, de verb. significat.,* licet opinionis eorum assecla sit, qui sub Censurae nomine irregularitatem ex delicto comprehendi volunt; attamen protestatur, quod si per Iubilaeum Facultas datur absolvendi ab omnibus censuris, non illa intelligitur concessa absolvendi ab irregularitate *ex delicto,* quum haec speciali mentione digna sit, et difficilius remitti consueverit. Ad omnes hasce disputationes evitandas, duae classes constitutae sunt, altera Censurarum, altera irregularitatum. In priori verbum *absolutionis* adhibitum est, in posteriori vox *dispensatio,* cum haec propria loquendi forma sit ex Sacro Concilio Tridentino desumpta, sess. 24, cap. 6, *de Reform.* Ex quo quidem satis manifestum fit, quod, quidquid sit de ea controversia, num sub nomine censurae irregularitas *ex delicto* comprehendatur, cum Nos censuras ab irregularitate separavimus, cumque, respectu irregularitatis, Poenitentiariis minoribus nonnisi Facultatem dederimus dispensandi ab irregularitate *ob violationem censurarum,* idque per vocem *dumtaxat,* hinc alia omnis irregularitas, sive ex delicto, sive ex defectu, excluditur. Et quamquam ibi non nisi Sacerdotes, et in Sacris Ordinibus constituti nominentur; unusquisque tamen per se satis intelligere potest, si, eo concesso, quod est maius, concessum intelligitur quod minus est, nequaquam vetitum esse Poenitentiariis, quibus data est facultas dispensandi cum Sacerdotibus aut in Sacris Ordinibus constitutis, super occulta irregularitate *ob violationem censurarum* contracta, quo minus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti.

§ 51. Sequuntur aliae Facultates dispensandi in foro conscientiae, et in casibus occultis, quae minoribus Poenitentiariis occasione Iubilaei conceduntur. Quod vero ad hasce pertinet, nihil aliud hic inculcandum est, nisi ut ab eisdem attente consideretur, quam ipsis, et quibus terminis conclusam

concedatur, ne de ministerio suo in praeiudicium animarum suorum Poenitentium male gesto ante Dei Tribunal rei fiant.

§ 52. Facile evenire potest, ut Advenae, qui consequendi causa Indulgentiam Anni Sancti sese Romam contulerunt, sive ob magnam paupertatem, sive alia urgenti de causa, tamdiu morari non possint, ut quindecim visitationum Basilicarum numerum compleant; quemadmodum fieri etiam potest, ut Romani, ut alii Urbis incolae, sive ob morbum, sive ob aliud legitimum impedimentum, easdem Basilicas, per vices triginta visitare non possint. Hac de causa num. XX Constitutionis Nostrae novissime indicatae, Poenitentiariis minoribus auctoritas est attributa, quo ad Advenas, quindecim visitationes Basilicarum ad tres saltem reducendi, aut visitationes ipsas in alia pia opera commutandi; quo autem ad Romanos, ceterosque Urbis incolas, sequenti num. XXI concessa ipsis auctoritas est triginta visitationes in alia pia opera commutandi, quae ab impeditis adimpleri possint, ipsorum Poenitentiariorum conscientiam onerando, ne praedictis Facultatibus abutantur.

§ 53. Huiusmodi autem auctoritas tum quo ad Romanos, tum quo ad Advenas, ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera iniuncta nec potest, nec debet extendi; exempli gratia ad Confessionem, ad Communionem, aut etiam ad preces, quae a Basilicarum visitatione separari possunt. Quapropter controversiae illi, ac disputationi, quae inter Doctores habetur, non est amplius locus: num videlicet in Iubilaeis, iniuncta Confessionis, et Communionis opera etiam quoad personas sacrae Communionis capaces, in alia pia opera commutari possint. De hac controversia tractant Cardinalis de Lugo, disput. 27, *De Poenit.*, sect. 7, num. 118, tom. 1; Leander, *De sacram. Poenit.*, tract. 5, quaest. 95; La Croix, lib. 6, part. 2, *De Indulg.*, n. 1442. Constantinus in suo de Anno Iubilaei tractatu, part. 3, cap. 4, pag. 204 et seqq., animadvertit, quod, cum Facultas commutandi ad visitationes Basilicarum restringatur, non solum ea ad commutationem aliorum operum iniunctorum, sicut modo innuimus, extendi non potest, verum ulterius quod commutatio ipsa nequaquam fieri debet in alia opera, licet pia, ad quae poenitens ex alio titulo esset obligatus. Quaestio sane inter Scriptores est, utrum quis Indulgentiam consequi possit, opera aliqua faciendo, ad quae ex alio titulo obligatur. Exempli gratia, utrum, cum inter opera iniuncta eleemosyna praescripta sit, sufficiat ad consequendam Indulgentiam, pro eleemosyna tantum pauperi dare, quantum quis eidem iam dare teneretur ratione iustitiae; sive posito quod quis, vigore alicuius Testamenti, aliquid in subsidium pauperum erogare teneretur, an is, huiusmodi faciendo eleemosynam, possit eam habere pro implemento illius, quae inter opera sibi ad consequendam Indulgentiam iniuncta comprehensa foret. In hac quaestione, sicut in caeteris omnibus, alii affirmant, alii negant; quemadmodum apud Benzonium, *De Anno Iubilaei*, lib. 5, dub. 30, videre est. Sed illa verior opinio esse videtur, quod acquiri nequeat Indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, nisi per Indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit: id enim saepe contingit, cum inter iniuncta opera trium dierum ieiunium praescribitur, ac dies nominatim indicando, exempli gratia dicitur, quod esse debent tres dies quatuor temporum Septembris. Ita cum aliis multis Passerinus, *De Indulgentiis*, quaest. 41, distinguit, cum quo P. Theodorus, *De Indulgentiis*, tom. 1, cap. 10, art. 6, concordat. Verum, etiamsi id in ipsis, quas expressimus, rerum circumstantiis locum habeat; non tamen ad praesentem rem nostram applicari potest, in qua de commutatione visitationum Basilicarum in alia pia opera sermo est, cum haec commutatio non possit fieri in alia pia opera, ad quae poenitens ex alio titulo obligaretur. Agitur enim de subrogatione; et cum pro constanti regula habeatur, id quod subrogatur, eiusdem qualitatis, ac naturae esse debere, cuius est opus ipsum, cui fit subrogatio; sequitur inde, quod, quoniam visitatio Basilicarum non erat opus, ad quod praecepto ullo quis obligaretur, sed novum onus ad consequendam Indulgentiam impositum; eiusdem speciei ac naturae esse debet etiam opus, quod in locum ipsius subrogatur.

§ 54. Ita sapienter disserit Constantinus, loco citato, qui quidem illud etiam adiungit, nequaquam licitum esse Poenitentiariis, salva eorum conscientia, numerum visitationum Basilicarum imminuere, aut in alia pia opera commutare, nisi impedimentum vere adsit, aut moralis impotentia visitationes praedictas faciendi.

§ 55. Universam hanc materiam S. Caroli Borromaei monito absolvamus, quod in suis Instructionibus ad Confessarios § 16 habetur: ipsa Sancti Cardinalis verba opponimus, quae quidem ad propositum nostrum, tam quoad Facultates super dispensationibus, quam quoad eas, quae commutationes Votorum respiciunt, sufficientia fuissent, nisi diversitas ac multiplicitas sententiarum inter scriptores, rem Nos fusius persequi coegisset: *Confessarius, qui aliquod Privilegium, Facultatem, et Auctoritatem habet illorum Vota commutandi, qui sibi confitentur, nequaquam illa commutet, nisi in maiora alia pia opera, et quae Deo gratiora sint, aut saltem aequalia, diligentem rationem habens expensarum, laborum, aliarumque incommoditatum, quas sustinuissent, si Vota sua adimplessent. Praeterea si Facultates habent per Iubilaea, aut Privilegia Litteris Apostolicis concessa, absolvendi a peccatis licet enormibus, et poenis, ac censuris Ecclesiasticis, illud tamen advertant, non habere se potestatem dispensandi cum illis, qui in irregularitatem incurrerint, nisi in praedictis Litteris Apostolicis expressa huiusce rei mentio fiat.*

§ V.

De Monitis contentis in Constitutione: Convocatis, *quae necessaria sunt Poenitentiariis Minoribus, ut Facultatibus sibi concessis rite utantur.*

§ 56. Inter monita, quae num. XXIII incipiunt, primum pertinet ad Sacerdotem, qui pro audiendis Confessionibus approbatus, confessionem excipit personae secum complicis in peccato turpi et inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum, eamque absolvit. Alio tempore inter Auctores controversia erat, utrum huiusmodi absolutio valida foret, et communis opinio stabat pro eiusdem validitate, cum nulla esset lex, quae illius invaliditatem induceret. Quaestio item erat, num absolutio licita esset; atque opinio communis

ad licitum propendebat, quoties non minus Poenitens, quam Confessarius commissum peccatum abhorrerent, neque novi consensus periculum subesset.

§ 57. Episcopi animarum sibi commissarum boni regiminis studiosi, considerantes, rem hanc, quidquid de ea abstracte, et in cathedra dici possit, in praxi minime bonam, sed potius perniciosam esse, coeperunt in Synodis subtrahere Confessarii, licet a se approbatis, iurisdictionem absolvendi personas sibi complices in peccato contra sextum Decalogi praeceptum commisso. Postea vero, cum Deo placuisset, Nos sine Nostro ullo merito ad summum Pontificatum evehere, Nobiscum instanter agere non destiterunt, ut Generali Constitutione huic inconvenienti opportuna remedia adhiberemus.

§ 58. Facti huiusce historia a Nobis in nostro Tractatu *De Synodo*, lib. 7, cap. 14, refertur. Tunc publicata fuit a Nobis Apostolica Constitutio, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae*, 20, *Bullar.*, tom. I,[1] in qua quemcumque Confessarium omni auctoritate ac iurisdictione absolvendi personam complicem in peccato turpi et inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum privavimus, adeo ut absolutio ab eodem data nulla atque invalida remaneat, tamquam ab eo data, qui a Nobis iurisdictione ab absolvendum necessaria in eo casu privatus est.

§ 59. Casum articuli mortis, et in quo nullus alius esset Sacerdos, qui personae moribundae confessionem audire posset, excepimus: exinde vero aliam Constitutionem, cuius initium: *Apostolici muneris*, 120, *Bullar.*, tom. I,[2] publicavimus, in qua explicantes casum articuli mortis, et in quo nullus alius, praeter Sacerdotem complicem, adesset, qui poenitentem personam moribundam absolvere posset, adiunximus, quod in dictis circumstantiis posset complex absolvere, etiamsi alius esset Sacerdos, cui tamen si moribundus confiteretur, posset exinde infamia, aut scandalum in Sacerdotis complicis, aut personae poenitentis praeiudicium redundare; dummodo infamia esset vera, et scandalum etiam esset verum, et non Sacerdotis complicis praetextum esset. Huic porro onus imposuimus omnem diligentiam adhibendi ad infamiam, et scandalum removendum. Praeterea non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit Poenitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos non desit, sive, qui, cum alius sit Sacerdos, sibi fingit, quod si Poenitens illi confiteatur, infamia, aut scandalum inde oriturum sit, et ideo eius confessionem excipit, atque eum absolvit, Excommunicationis maioris poena a Nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit, cuius absolutionem Nobis solis, ac Successoribus nostris reservavimus.

§ 60. Cessant itaque per has leges a Nobis editas quaestiones illae veteres, num absolutio a Sacerdote complice Poenitenti socio in peccato contra sextum Decalogi praeceptum data, valida, an invalida, licita, an illicita sit. Et quia quo tempore citatam nostram Constitutionem: *Sacramentum Poenitentiae*, condidimus, consideravimus, quod cum occasione Iubilaeorum ampla Confessariis Facultas detur excipiendi confessiones, et a quolibet enormi peccato absolvendi, institui quaestio potuisset, num forsan pro tempore Iubilaei restituta esset Confessario complici Facultas socium Poenitentem absolvendi; in dicta Constitutione declaravimus, quod cum ipse a Nobis iurisdictione complicem absolvendi privatus sit, adeoque ob id tamquam Confessarius legitimus, et approbatus haberi non debeat, hinc est quod in quocumque Iubilaeo censendus est in eodem gradu remanere, inhabilitatus nimirum, et exutus auctoritate complicem in peccato turpi, et inhonesto absolvendi. Atque ad haec respicit primum ex Monitis, et quibus hic agimus.

[1] Cf. N. 309.
[2] Cf. N. 355.

§ VII.

De quibusdam declarationibus contentis in Constitutione: Convocatis, *quo ad praesens Iubilaeum, ac primum de Declarationibus, quae respiciunt Personas, quae illud consequi volunt.*

§ 68. Celebris Ioannes de Anania, qui anno 1458 vivere desiit, parvum *De Iubilaeo* Tractatum conscripsit, in cuius fine Quaesita aliquot proposuit, inter quae ea legimus, quae sequuntur: num Iubilaeum iuvet Episcopo, qui, non obtenta prius a Summo Pontifice licentia, eius consequendi gratia Romam proficiscitur: num iuvet Parocho, qui sine Episcopi sui venia discedit: num Monaco, qui sine Abbatis sui permissu abit: num Viro, qui sine assensu Uxoris: num denique Uxori, quae sine Mariti licentia Romam venit. Earumdem dubiorum examen circa annum 1599 a saepius nominato Benzonio, *De anno Iubilaei*, lib. 5, a dub. 14 ad dub. 18, continuatum est. Ac decisum tandem fuit, minime supradictis personis licere, sine praevia Superiorum suorum licentia, Patrias suas relinquere, ac Romam proficisci ad consequendum Iubilaeum Anni Sancti; ac sine ipsa venientes peccare. Verum cum Romam pervenerint, si hoc peccatum una cum aliis omnibus vero cum dolore confessi fuerint, ac quantum ad consequendam Indulgentiam praescriptum est, praestiterint, eam consequi. Eadem mens, et sententia est Quarti in Tract. *De Iubilaeo Anni Sancti*, pag. 67, cap. 1, punct. 6, dub. 1 et seq., illud tantummodo adiungit, non posse quidem Uxorem sine Viri venia, et consensu venire; posse tamen Virum venire sine consensu Uxoris, dummodo eiusdem absentia nec diuturna, nec gravis incommodi, aut detrimenti Uxori, et familiae futura sit; ac iure quidem contra Religiosos, et Animarum Pastores exclamat, qui sine necessariis licentiis, gratia obtinendi Iubilaeum Anni Sancti, iter Romam suspiciunt, cum generalis invitatio, quae a Summo Pontifice omnibus fit, intelligi debeat, illos tantummodo comprehendere, qui licite, et cum requisitis conditionibus venire possunt. Huiusmodi rationibus, ac sententiis adhaeret Constantinus in suo Tractatu *De Anno Sancto*, part. II, cap. 4, pag. 103 et seq. Nos in supra citata Encyclica Epistola Nostra. die 26 Iunii vertentis anni[1] super praeparationem ad Annum Iubilaei edita, praedictis punctis secundum rationes, ac sententias nuper adductas, responsum

[1] Cf. § 7. - Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 145, 146.

fecimus. Ad eam igitur Epistolam Nos referimus, ex cuius tenore necessario prima declaratio num. XLIII expressa deducitur, quod Personis Romam ad hoc Iubilaeum consequendum venire volentibus non intelligitur data veniendi libertas, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

§ 69. Pontifex Bonifacius VIII in sua pluries nominata Decretali: *Antiquorum,* inter Extravagantes Communes, *De poenitentiis et remissionibus,* visitationem Basilicarum Romanis per triginta vices, Peregrinis vero, et Advenis per vices quindecim praescripsit: *Si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, et saltem semel in die; si vero Peregrini fuerint, aut Forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant.* Haec eadem verba in alia Decretali Clementis VI, quae incipit: *Unigenitus,* ibi, sub eodem titulo, reperiuntur. Eadem loquendi forma a Pontifice Clemente VII adhibita est in Indictione Iubilaei, quam fecit per suam Bullam, cuius initium: *Inter sollicitudines,* die 17 Decembris 1524 expeditam. Progressu temporis, verbo *Romani* aliud adiunctum fuit: *vel Urbis incolae,* aliud vero *Forenses* omissum fuit, quemadmodum in Constitutione Gregorii XIII, quae incipit: *Dominus ac Redemptor,* videre est: *Triginta continuis, vel interpolatis diebus semel saltem in die, si Romani, vel Urbis incolae fuerint; si vero Peregrini, quindecim diebus devote visitaverint,* et aliis compluribus.

§ 70. Quamvis verbum *Romani* nulli controversiae locum dare posse videretur, res tamen contra fuit; nam cum Romanus sit non ille solum, qui Romae natus est, et in Urbe moratur, verum etiam ille, qui licet Romae natus, alio domicilium transtulit; quaestio fuit, num hic Anno Iubilaei Romam veniens, per triginta, an per quindecim vices Basilicas visitare deberet. Navarrus, *De Iubilaeo et Indulgentiis,* num. 42, pag. 163, eius sententiae fuit, quod vices quindecim sufficerent, cum in hoc casu domicilium origini praevalere debeat, et ea maxime ratione, quod Romanus, qui alibi domicilium habet, Romam veniens, idem itineris, ac laboris incommodum subit, ac Advena, et Peregrinus. E contrario Benzonius, *De Anno Iubilaei,* lib. 5, dub. 3, eum ad triginta visitationes obligatum existimavit: *Turpe est enim,* ait ipse, *virum Romanum vel avaritiae, vel accidiae, seu torporis vitio laborare, praesertim in eo Anno, in quo Urbs tota gaudio, iubilatione, munificentia, atque singularissima festivitate refulget.* Praeterea autem dubium illud propositum fuit, num sub *Romani* nomine ad effectum, de quo agitur, etiam ille, qui in proximis Urbis locis habitat, comprehensus intelligeretur.

§ 71. Disputationibus porro super voce *Romani,* aliae super verbis, *vel Urbis incolae,* successerunt. Navarrus, loco citato, num. 43, ait, sub nomine *incolae* in praesenti casu eum intelligi debere, qui annum Romae moratur, aut saltem tamdiu moratur, ut Romae incola dici possit. Quarti, et Constantinus practice disserunt. Horum prior pag. 126 et seq., sub nomine *incolae Urbis,* eum intelligi debere vult, qui Romae minime natus, neque ex ea oriundus est, verum in ea domicilium contraxit, ac proinde Curiales, Procuratores, Advocatos, Aulicos ad triginta visitationes obligatos esse, atque huic item oneri subiacere debere Scholares, Mercatores, Litigantes, qui maiorem

anni partem Romae morantur, cum hi omnes in Urbe, si non verum domicilium, at quasi domicilium contraxerint. Alter vero pag. 119 et seq. considerans, Peregrinis quindecim tantum visitationum numerum praescribi ratione incommodi in itinere suscepti, Romanis vero, et Romae degentibus numerum maiorem triginta visitationum, eo quod praedictum incommodum ac laborem non sustinuerint; affirmat, omnes quotquot itineris incommodo caruerunt, triginta visitationum oneri subiacere debere; contra vero a graviori onere exemptos esse, et ad levius tantum, scilicet quindecim visitationum onus obligari omnes illos, qui supradictum itineris incommodum passi sunt.

§ 72. In Constitutione nostra: *Peregrinantes,*[1] in qua Iubilaei Annum indiximus, ea quae sequuntur verba adhibuimus: *Per triginta continuos, aut interpolatos dies etc. si Romani, vel Incolae Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem huiusmodi dies devote visitaverint.* Praedicta autem verba in hac novissima Constitutione nostra num. XLIV exponentes, diximus, idque nunc etiam repetimus, sub nomine *Romanorum* omnes illos venire, qui Romae nati sunt, et Romae degunt, sive qui in suburbano districtu nati pariter sunt, atque ibi habitant, in eo scilicet tractu, ad quod se protendunt vineae intra quintum ab Urbe lapidem; haec est enim legalis notio, et intelligentia huiusce vocabuli *Romanus,* quemadmodum valde apposite Spondanus *in Epitome Annal. Card. Baronii* ad *ann. 1, in princip.* animadvertit: *Iurisconsulti responderunt, eos, qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae natos intelligi; Romam enim esse etiam qua continentia aedificia essent; nec Romam muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi; cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra Urbem habitaremus.* Diximus etiam, ac modo hic iteramus, sub nomine *incolarum Urbis* omnes illos censeri, qui Romam advenerunt animo ibi maiorem anni partem commorandi, itemque omnes illos, qui Romae alicuius muneris aut negotii causa, sive alicuius officii ac ministerii ibidem acquirendi desiderio et expectatione morantes, si non verum ac rigorosum domicilium, saltem quasi domicilium contrahunt. *Deus plebis Israël elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent incolae in terra Aegypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea:* legitur in *Actis Apostolorum,* cap. 13, v. 17. Atque ii, qui latini sermonis proprietatem optime tenent, *incolas* illos esse affirmant, qui, cum alibi nati sint, locum incolunt, in quo sibi habitationem delegerunt, licet loci eiusdem cives aut indigenae non sint; in quorum numero idcirco Causidici, Procuratores, Advocati, Aulici, Scholares, Mercatores, Litigantes, aliique id genus homines recensendi sunt, quod etiam probe animadversum fuit, ab antiquo Glossatore Decretalis *Antiquorum, inter Extravagantes communes, de poenitentiis et remissionibus, in verbo Forenses,* cuius haec verba sunt: *Quid de Curialibus existentibus in Curia Papali? respondet Sixtus Papa, illos facere debere triginta dies. Et est ratio, quia isti nec vere peregrinantur, nec vere sunt forenses, sed ut moraturi in Curia accedunt.* Igitur omnes ii, quos supra nominavimus, per triginta vices Basilicas visitare tenentur. Eidem visitatio-

[1] Cf. N. 399.

num numero illos etiam obligatos fore declaravimus, et nunc declaramus, qui alia, quam Iubilaei consequendi, causa Romam advenerint; omissa enim controversia, num hi possint sub *incolarum Urbis* nomine comprehendi, manifestum est, quod, cum ipsi itineris incommodum alia de causa passi sint, non aliter ad Iubilaeum consequendum se comparare poterunt, quam si triginta Basilicarum visitationes expleverint. Idem decrevimus de illis, qui consequenti Iubilaei gratia Romam venientes, amplius sex mensibus in eadem commorantur, cum iis liceat sine gravi incommodo per dicti temporis spatium ad triginta vices visitationem Basilicarum adimplere. Verbum illud *Forenses*, a primis Decessoribus nostris praetermissum, Nos etiam omisimus; quod quidem, iuxta loquendi morem medio aevo usitatum, nihil aliud, quam exteros significare poterat, ut probe Lucas Holstenius *Collectionis Labbeanae Concilior.*, tom. 8, pag. 138 animadvertit, dum verba Synodi Romanae saeculo nono sub Leone IV habitae exponit: *Tantam superfluitatem Presbyterorum forensium.* Antiquo verbo *peregrini* usi sumus, qui illi sunt, qui iter suscipiunt causa visitationis Sacrorum Liminum, et sacrae Indulgentiae consequendae: *Advena sum, et peregrinus apud vos:* legitur *in Genesi*, cap. 23. Verbo autem *peregrini*, aliud adiecimus *externi*, quod non minus secundum rectum latini idiomatis usum, quam quod magis interest, secundum propriam in Divinis Scripturis loquendi rationem, advenam aut alienigenam significat; unde *Exodi*, cap. 23, legitur: *Per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro;* et *Numerorum*, cap. 1: *Quisquis externorum accesserit, occidetur;* et capite tertio: *Externus, qui ad immolandum accesserit, morietur.* Atque, ut ad propositum nostrum revertamur, declaravimus ac declaramus, sub *peregrinorum* aut *externorum* nomine omnes alios comprehendi, qui sub nomine *Romanorum*, aut *incolarum Urbis*, secundum explicationem paulo ante datam, minime comprehenduntur.

§ VIII.

De declarationibus contentis in Constitutione: Convocatis, *circa opera iniuncta.*

§ 73. Optandum omnino esset, et melius, ac tutius procul dubio foret, si antequam visitatio Basilicarum inciperetur, fructuosa praemitteretur Confessio, ut visitationes ipsae in statu gratiae fierent, atque iteraretur confessio, si quis, visitationibus inceptis, in lethale aliquod peccatum prolaberetur. In Actis Ecclesiae Mediolanensis, part. 7, *edition. Mediolanen. 1599*, pag. 1031, magni Sancti Caroli Borromaei ita legitur: *Ante omnia autem unicuique sedulo curandum est, ut conditiones a Sanctitate Sua in litteris concessionis ipsius Iubilaei expressas diligenter observet; quoniam minime illud consequeretur, qui easdem non observaret. Harum prima est, ut vere contritus, et confessus sit, quod unusquisque facere debet antequam visitationes Ecclesiarum incipiat, pro maiori securitate Sancti Iubilaei acquirendi. Ob eamdem causam, si quis postquam confesssa est, et Ecclesiarum visitationes incepisset, in mortale aliquod (quod Deus avertat) peccatum prolaberetur, mortale peccatum confiteri debet, ac deinceps reliquum dierum numerum persequi, qui supererunt ad complemum usque numerum dierum, quibus quatuor Ecclesiarum visitatio ab eo facienda erit.*

§ 74. Huiusmodi porro agendi ratio a S. Antonino in *Summa*, part. 1, tit. 10, cap. 3, § 5 in fin., a Cardinali Bellarmino, *de Indulg.*, lib. 1, cap. 13 *Controversiar.*, tom. 2, a Becano, in *Summa*, tit. *de Sacramentis*, cap. 28, *de Indulgentiis*, quaest. 6, Benzonio, *de Anno Iubilaei*, lib. 5, dub. 4, § *Dico septimo*, et Pontas in verb. *Indulgentiae*, cas. 13 pro tuta agnoscitur, et approbatur. Quod vero et Nos id summopere cupierimus, et ex animo cupiamus, satis intelligi potest tum ex iis, quae in supradicta Encyclica Epistola nostra scripsimus, tum ex iis, quae fecimus, dum proxime praeterita aetate publicas per Urbem Missiones haberi iussimus, tum denique ex his, quae facimus, dum hoc Adventus tempore, usque ad Festum S. Thomae, easdem Missiones per varias Ecclesias Urbis continuari curamus; quae omnia ad eum tantummodo scopum et finem diriguntur, ut a peccatoribus rite, et cum emendationis fructu Confessiones prius fiant, quam Porta Sancta aperiatur, ac proinde antequam Basilicarum visitationes fieri incipiant; nec illud etiam omittendo, quod desiderium huiusmodi nostrum, et ex ipsa Constitutione nostra: *Peregrinantes*, satis deducitur, in qua visitationibus Ecclesiarum Confessio, et Communio praemittitur.

§ 75. Verum nequaquam in hoc difficultatis summa versatur; sed praecipuum in eo dubium consistit, num videlicet, si forte a quopiam lethalis culpae reo visitatio Basilicarum incipiatur, et continuetur, et sic ab eo huiusmodi opus fiat, quod bonum est eo bonitatis genere, quo esse possunt opera, quae a peccatoribus fiunt; deinde vero idem rite et recte confiteatur, et sacram Communionem in statu gratiae recipiat; proindeque in ultimo opere, quod ad Iubilaeum consequendum adimplevit, in statu gratiae sit; num, inquam, praecedentes Ecclesiarum visitationes pro sufficienti operum iniunctorum implemento haberi et censeri possint. Super hoc difficultatis puncto fuse disserit Navarrus, *de Iubilaeo, notabili 19;* sed communior opinio est, visitationes etiam in statu peccati factas sufficere ad Indulgentiam consequendam, dummodo postremum opus, in quo acquiritur Indulgentia, in statu gratiae perficiatur; cum temporalis poena non remittatur, nisi peccato deleto, ac remissa aeterna poena, quod quidem per Poenitentiam obtinetur. Ita insigniores Theologi in suis Theologicis operibus ratiocinantur, videlicet Suarez, *in 3 part. D. Thomae*, tom. 4, disp. 52, sect. 2, num. 7; Valentia, tom. 4, disp. 7, quaest. 20, *de Indulg.*, punct. 5, § *Non tamen;* Cardinalis De Lugo, *De Sacram. Poenit.*, disp. 27, sect. 6, num. 83; Sylvius, part. 3, *D. Thom.*, tom. 4, *in suppl. ter. part.*, quaest. 27, art. 1; Estius, *in 4 Sent.*, dist. 20, § 8, per tot. et signanter vers. *Caeterum*, et seqq.; Juvenin, *in Tract. de Sacram.*, disp. 13, *de Indulg.*, quaest. 6, § *Caeterum* aliique complures. Illi etiam, qui morales Theologi dicuntur, in hac re concordi sententia sunt, quos inter Filliuccius, *Oper. Moral.*, tom. 1, tract. 8, cap. 10, quaest. 5, num. 258; Santarellus *variar. resol.*, quaest. 76, num. 15; La Croix, lib. 6, part. 2, *de Indulg.*, num. 1410; Bonacina, *de Iubilaeo*, quaest. 6, art. 2, num. 4, item alii qui ex professo de Iubilaeo scripserunt, ex quibus Viva, *in Histor. Indulg.*, *inter quaest. et resol. pract.*, quaest. 32, Amort, tom. 1, pag. 203, *Venet. edit.*, ann. 1698, atque illi

etiam, qui Romae tractatus de Indulgentiis composuerunt, atque ediderunt, in quorum numero PP. Passerinus, *de Indulg.*, quaest. 73, per tot. et praesertim num. 514; Vanranst in Opuscul. *de Indulg.*, quaest. 6, num. 7 et seq., ac Theodorus, *in Tractatu de Indulg.*, lib. 1, cap. 8, art. 1 per tot. Haec autem, quae communis opinio dici potest, suo et quidem valido fundamento non destituitur, quum Ecclesiarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia non est, factae, opera sint moraliter bona, quamquam aeternae vitae non meritoria; licet enim opera inimici sint, illius tamen inimici sunt, qui se ad reconciliationem cum Deo comparat, atque disponit: hoc vero prioribus Ecclesiae saeculis in publicis illis poenitentiis adumbratum videtur, quae ab illis fiebant, qui in graves, ac publicos excessus prolapsi erant, qui quidem antequam absolutionem ab ipsis obtinerent, et sic in eodem statu peccati, in adimplendis operibus ac poenitentiis sibi praescriptis se exercebant. Hoc autem semel constituto, quod in ultimo opere, quod ad consequendam Indulgentiam adimpletur, status gratiae absolute necessarius sit, quodque non item absolute requiratur huiusmodi status, dum alia iniuncta opera adimplentur, in sententiae huius confirmationem laudati Auctores publicam Fidelium consuetudinem advocant, ei satis notam qui Indulgentiam concedit, et ab eodem non improbatam; cum fieri vix possit, ut sibi persuadeat, visitationes, quae ad Iubilaeum consequendum vel per triginta, vel per quindecim dies interpolatos fiunt, non nisi ab iis fieri, qui in gratia constituti sunt; neque vero a sententia sua removentur, ob eam causam, quod in Iubilaei universalis Bulla visitationi Basilicarum Confessio, et Communio praemissa sit; huic etenim argumento respondent, ordinem verborum non adaequatam esse regulam pro ordine factorum, ac praeterea adiungunt, in Indulgentiis sufficere auctoritatem in concedente, gratiam in recipiente, ac pietatem in causa; pias autem esse Basilicarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia constitutus non est, factae sint, dummodo debitis cum circumstantiis adimpleantur, quum ad consequendam habitualem gratiam praeparationes sint.

§ 76. Atque haec est summa eorum, quae in sententiae huius comprobationem afferri solent ab iis, qui eandem tuentur; a qua Nos, in praesenti minime recedendum ducimus, neque recedimus, quemadmodum ex iis, quae ad num. XLV novissimae Constitutionis declaravimus, videre est. Quoniam, licet quo ad Nos, magis ac magis semper in votis habeamus, ut visitatio Ecclesiarum in statu gratiae fiat, ac proinde vel post fructuosam Confessionem, vel saltem post Contritionis actum; reputantes tamen, non omnia quaecumque optamus posse semper contingere, humanamque fragilitatem commiserari opus esse, a fructu Indulgentiae minime excludendos illos existimavimus, qui non praemissa Confessione, visitationem Ecclesiarum incipiunt, ac prosequuntur, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo Indulgentia acquiritur, in statu gratiae sint; ac dummodo visitationes ipsae cum sensu devotionis adimpleantur. In Bulla: *Peregrinantes*, legitur *devote visitaverint;* in Extravaganti: *Unigenitus*, inest verbum *devotionis;* in alia: *Quemadmodum*, verbum *reverenter;* Navarrus autem *de Iubilaeo*, sub num. 44, eadem illa verba exponens, ita ait: *Per quae significatur, visitationem has Ecclesiarum fieri debere bene, et quidem recte; non licet, per asserta cum communi, non sit necessarium ut fiant in statu gratiae, necessarium tamen est, quod sint actus boni moraliter.* Ad iniunctum igitur visitationum opus adimplendum necesse est, ut visitatio fiat consilio atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis eius; ut tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in easdem ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis religionis actus exerceatur. Ex quo deduci potest, quod si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitatum Ecclesias se confert, aut animi relaxandi, seu, quod dicitur, deambulationis habendae gratia, iter conficit, Iubilaeum minime consequitur. Illum vero omnino omittimus, de quo dicere supervacuum est, qui in actuali peccato mortali, animo, exempli gratia, alios ad peccandum inducendi, Ecclesiam visitaret; ut, et huiusmodi, et alios similes casus indicando, disserunt Vanranst, *de Indulg.*, quaest. 7 a num. 15 ad num. 20; Constantinus, part. 2, cap. 6, pag. 121; Quarti, *tract. de Iubil.*, pag. 146 et seq.; Viva, *de Iubil.*, quaest. 8, art. 5, num. 3; Pignatellus, *de Anno Sancto*, dub. 21, cap. 8; Amort, *in quaestionibus practicis in fine Historiae Indulgentiarum*, quaest. 72, aliique complures.

§ 77. Confessionis praeceptum, prout a iure Divino statutum fuit, sola mortalia peccata comprehendit, nec ad venialia extenditur. Cum vero Ecclesia in Concilio Lateranensi certum confitendi tempus, quod est Pascha Resurrectionis, praescripserit, controversia est, num necessitati confitendi peccata mortalia, aliam adiecerit, ut venialia etiam peccata confiteri necessarium sit. Et quamquam communiter dicatur, nequaquam adiunctam esse necessitatem etiam venialia peccata confitendi ad adimplendum praeceptum; non desunt tamen Auctores, qui pleni studio ac zelo contrariam opinionem tuentur, ac docent, eum, qui non nisi venialia peccata habet, saltem in Paschate Sacerdoti se sistere debere, ut ei notum faciat, se, Divina opitulante gratia, nonnisi venialium culparum sibi conscium esse. Juvenin, *de Sacramentis*, dissert. 6, cap. 8, art. 2; Du Hamel, tom. 7, *tract. de Poenitentia*, dissert. 3, cap. 2, num. 5, § *Quid vero dicendum*; Habert, tom. 8, *de Poenitentia*, cap. 9, quaest. 2; Auctor additionis ad Pontas, tom. 1, *in verb. Confessio*, cas. 51, in editione latina; Auctor Theologiae Moralis ad usum Seminarii Petrocoriensis, tom. 4, lib. 2, tract. 1, quaest. 9, videri possunt. Nos hanc controversiam intactam relinquimus. S. Antoninus in Summa sua, tom. 1, tit. 10, cap. 3, num. 10, *ultimae impressionis Veronae*, expresse docet, rem dignam ac laudabilem ad consequendam Indulgentiam fieri a Poenitente, qui a lethalibus peccatis liber cum sit, venialia confitetur. Verum ad propositum nostrum ne id quidem sufficiens erat, quoniam controversiae caput non circa utilitatem, sed circa necessitatem versatur. Quaestio enodanda illa est, quae inter Theologos agitatur, utrum videlicet, cum ad Iubilaei consecutionem Confessio praescripta sit, etiam iis, qui peccata mortalia non habent, sed tantummodo venialia, praescripta intelligatur. Apud Sanctarellum, quaest. 76, *variar. resolut.*, num. 2 et seq., et in Cursu Morali Salmanticensium, tom. 1, tract. 5, cap. 7, punct. 3, num. 34, Auctores tam pro affirmativa, quam negativa parte collectos videre est. Ipsi vero, se affirmativae opinioni, quam quidem tutiorem asserunt, adhaerere profitentur. Cardinalis autem de Lugo, disp. 27, *de Sacramento Poenitentiae*, sect. 7, num. 101, ac Leander, part. 1, tract. 5, disput. 14, quaest. 76,

negativam partem sequuntur, ea nixi ratione, quod, quando de Confessione sermo est, de mortalium peccatorum Confessione semper intelligatur. Cum vero non desit auctoritas iniungendi Confessionem etiam venialium, quemadmodum probe Cardinalis de Lauraea in 4 sent., tom. 2, *de necess. Sacram. Poenit.*, disput. 24, art. 2, § 4, et Clericatus, *de Sacrament. Poenit.*, decis. 50, num. 7, advertunt, quod textu Pontificis Clementis V in Clementina, quae incipit; *Ne in agro, de statu monachorum,* comprobatur, ubi Monachis unus saltem in mense confitendi imponit, etiamsi probabiliter posset ac deberet existimari magnam ipsorum partem non nisi venialia peccata habere; cumque etiam certum sit, quod, dum ad Iubilaei consecutionem facienda praescribuntur opera, quae ex natura sua mera consilii opera, ac supererogatoria essent, veluti exempli gratia ieiunium per aliquot dies, ab Ecclesiastico praecepto non praescriptos, sive devota Basilicarum visitatio, quemadmodum in praesenti Anni Sancti Iubilaeo fit: praescribi etiam venialium peccatorum Confessio iis potest, qui mortalia non habent, etiamsi extra huiusmodi circumstantias, atque in abstracto loquendo, peccata venialia confitendi obligatio non adesset. Ita Nos fecimus, ac num. XLVI novissimae Constitutionis declaravimus, ad Iubilaeum consequendum, etiam ab eo, qui nonnisi peccata venialia habeat, confessionem peragendam fore. *Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis iniungere, ut qui Indulgentiam consequi vellet, venialia peccata confiteretur, sicut iniungit alia opera supererogationis, neque tamen hoc esset facere venialia materiam necessariam Confessionis, sed cum alias venialia sint congrua materia Confessionis, illam quoque exigeret, si vellet, in acquisitione Indulgentiae,* quae Benzonii verba sunt *de Anno Iubilaei,* lib. 5, cap. 15, dub. 6.

§ 78. Ne multa, quaestioni illi, quae inter Theologos fit, utrum, quando ad consequendam Indulgentiam Confessio praescribitur, ille, qui non nisi peccata venialia habet, ad confitendum obligetur, tunc locus est, cum Confessio tamquam dispositio ad statum gratiae pro Iubilaei consecutione necessarium requiritur; non autem quando Confessio inter praescripta opera comprehenditur, quemadmodum nunc a Nobis factum est, dum eamdem, ut onus iniunctum ad consequendam Indulgentiam imposuimus; sicut etiam Pasqualigus, quaest. 63; Viva, *de Iubilaeo,* quaest. 8, art. 3, § *Dices,* et Constantinus, *de Anno Sancto,* par. 2, cap. 5, pag. 106, apposite animadvertunt.

§ 81. Pauca alia in Constitutione: *Convocatis,* sub Capite declarationum supersunt, et quae ad tollendas controversias aliis temporibus excitatas, magis magisque semper faciunt. Prima est sub num. XLIX, non opus esse in visitatione Basilicarum, ad Indulgentiam consequendam, per Portam Sanctam ingredi, aut egredi, cum id in nulla Constitutione praescriptum sit, licet huiusmodi ingressus, et egressus pro opere supererogationis aestimandus sit; quod etiam a Passerino, *de Indulg.*, quaest. 55; Quarti, *Tract. de Anno Sancto,* pag. 62; Pignatello, *eod. Tract.*, dub. 30, cap. 8, opportune animadversum est.

§ 82. Altera autem respicit casum, in quo per Anni Sancti progressum, aliquod, ut quandoque fieri consuevit, Indultum publicetur pro minuendo praefixo visitationum Ecclesiarum numero. Dubium hic igitur erat, num, si quis iam Basilicas visitasset, posset uti visitationibus iam factis, easdem

computando in numero Visitationum, quae in Indulto praescriptae essent. Alia praeterea dubitatio erat, utrum, si ante Indulti publicationem numerum visitationum in eodem praescriptarum iam complesset, Indulto uti posset, nullam praeterea aliam visitationem faciendo. Omnes hae difficultates num. L sublatae sunt, ea scilicet declaratione, quae ibidem habetur, quod qui visitationes Basilicarum per aliquot vices fecit, antequam Indultum publicaretur, visitationibus iam factis uti potest pro complemento numeri, qui in Indulto praefigitur; itemque, quod qui ante publicationem Indulti, visitationum numerum in ipso praefixum iam complevit, gaudere Indulto potest, dummodo aliam quatuor Basilicarum visitationem faciat, eamque unico die totam perficiat; quod quidem etiam a supra laudatis Auctoribus, Passerino, *de Indulgentiis,* quaest. 47; Quarti, *Tract. de Anno Sancto,* pag. 133 et seqq., ac Pignatello, *de Anno Sancto,* cap. 8, dub. 2 et seq. indicabatur.

§ 83. Tertia est illa, de qua hic pauca subiungimus. In Constitutione nostra: *Peregrinantes,* Basilicarum visitationem devote fieri debere, praecipitur, et ad consequendam Indulgentiam, pias Omnipotenti Deo preces adhibendas esse pro Sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani Populi salute, ac tranquillitate; verum nequaquam hic, sicut nec in aliis quidem Decessorum Nostrorum Constitutionibus, in quibus Anni Sancti indicti sunt, vocalesne, an mentales huiusmodi preces esse debeant, explicatur; ex quo quidem aliis temporibus controversiarum causa exorta est. Viva, *de Iubilaeo,* quaest. 8, art. 5, dub. 7 mentalem sufficientem esse existimavit; Constantinus, part. 2, art. 7, pag. 128 mentalem quidem sufficere probabile esse dicit, verum vocalem esse tutiorem; Quarti, pag. 178 alterutram satis esse affirmat; Cardinalis de Lugo, *de Poenitent.*, disp. 27, sect. 7, num. 3, et Amort *in quaest. pract. in mater. Indulgent.*, quaest. 74 mentali vocalem addere, tutius esse aiunt. Vanranst, *de Indulg.*, quaest. 7, num. 20 nec solam mentalem, neque solam quidem vocalem, si *notabiliter modica* sit, sufficientem esse dicit. Et contra nimiam hanc orationis modicitatem tam ipse etiam Viva, quam reliqui superius citati Auctores exclamant; licet enim oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, praescripto ac legi Constitutionis; *Peregrinantes,* satisfacere possit; plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo, sive taedio, negligentiaque proficisci solet. Nos itaque ab istorum considerationibus nihil recedentes, ad num. LI declaravimus, vocalem orationem pie adhibitam ad consequendam Indulgentiam sufficientem esse; laudandum eum, qui spiritu ac mente orat, dummodo tamen vocales aliquas preces orationi illi adiungat.

§ IX.

De iterata acquisitione Iubilaei, et aliis declarationibus circa Facultates concessas pro Anno Sancto vertente.

§ 84. Vetus illa quaestio fuit, num qui tempore Anni Sancti per triginta vices (quantum omnino ad Indulgentiam consequendam praescriptum est) Basilicas devote visitasset, confessus praeterea etiam fuisset, ac Sanctam

recepisset Communionem, ac ideo se Indulgentiae fructum consecutum esse confidere posset, iterum ipsum consequi valeat, visitationem Basilicarum ad praescriptum numerum iterando, iterumque confitendo, et communicando. Huiusmodi controversia a Iohanne de Anania in parvo suo de Anno Sancto Tractatu indicata, atque ab aliis postea iterum resumpta fuit. Filliucci, tom. 1, tract. 8, cap. 10, *de Iubilaeo,* num. 261 opinio in eam propendebat partem, ut operibus iniunctis repetendis Iubilaeum denuo acquireretur; verum postea, ratus a Congregatione Concilii Anno 1620 rem contra decisam esse, ab hac sententia discessit; Vanranst, *de Indulgentiis,* quaest. 6, num. 15, Iubilaeum iterum acquiri non posse contendit, etiamsi opera iniuncta adimpleantur. Navarrus, *de Iub. et Indulg., notab.* 32, sub num. 46 nihil in Bullis Anni Sancti iteratae Iubilaei acquisitioni contrarium reperiri considerans, partes illius opinionis amplectitur quae in favorem illorum est, qui opera iniuncta repetunt; Navarro Benzonius, *de Anno Iubilaei,* lib. 5, cap. 15, dub. 23 subscribit; et haec communis sententia dici potest, quemadmodum apud Vivam, *de Iubilaeo,* quaest. 6, art. ult.; Constantinum, *de Anno Sancto,* part. 2, cap. 6, quaest. 9, pag. 123; Quarti, *de Iubilaeo Anni Sancti,* pag. 53, et seq. videre est. Constantinus porro ita a Pontifice Urbano VIII declaratum fuisse refert, et Congregationis Concilii declarationem a Filliuccio nominatam minime authenticam esse affirmat. Nos autem de hac alia proposita Controversia mentem nostram num. LII declarare opportunum existimavimus. Etenim considerantes, minime hic agi de duarum hebdomadum Iubilaeo, verum de Iubilaeo, quod annum integrum perdurat; non de operibus iniunctis agi, quae pluries in die adimpleri possint, quemadmodum fit, quando Plenaria Indulgentia illis conceditur, qui certis ac praescriptis diebus certam Ecclesiam visitaverint; in quo quidem statu rerum, etiamsi pluries in Die Ecclesiae illius visitatio fiat, unica tantum Indulgentia acquiri potest, iuxta Decretum Congregationis Indulgentiarum a san. mem. Innocentio Papa XI expresse approbatum, ac die 7 Martii 1678 rite ac secundum legis formulas promulgatum, in quo ita legitur: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri;* verum de visitationibus agi numero non paucis, Basilicarum quae inter se dissitae ac distantes sunt, quaeque non nisi multis ac distinctis diebus fieri possunt, minime dubitavimus declarare, posse pluries per Annum Sanctum, iniuncta opera iterando, Sanctam Indulgentiam acquiri. Diximus, iniuncta opera iterum repetendo, acquiri denuo posse Indulgentiam. Verum quoniam in Iubilaeo Indulgentiae adiuncti sunt alii favores, et gratiae; in eadem Constitutione, atque eadem § declaravimus, illum, qui semel illarum particeps factus est prima vice, qua Iubilaeum consecutus fuit, iterum earum participem fieri non posse, si post primam Iubilaei acquisitionem, iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis Votorum commutationibus, aut Dispensationibus indigeat.

§ 91. Habetis igitur, dilecti Filii, quaecumque exponere vobis necessarium iudicavimus; ut, graviorum controversiarum, quae aliis temporibus excitatae, per nostras Constitutiones occasione huius Iubilaei editas de medio tolluntur, earumque solutionum compendium quoddam a Nobis elaboratum

prae oculis habentes, ministerium vestrum accurate et exacte, quod maxime optamus, implere valeatis; ad quem etiam finem adiumentum Vobis allaturam arbitramur Encyclicam alteram Epistolam nostram die 26 Iunii Anni vertentis datam de Praeparatione ad Annum Sanctum,[1] quam itidem ut legatis, et consideretis, etiam atque etiam monemus. Neque vero mirum quidquam Vobis videri debet, si in hac Epistola nostra, quam in praesens exhibemus, recentibus Actoribus plerumque usi sumus, nequaquam similes Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo *nova, et vetera;* etenim, cum controversiae ut plurimum a recentibus Auctoribus, atque ab iis, qui de Anno Sancto scripserunt, excitatae sint; iisdem Nos etiam plerumque uti necessitas coegit. Interim autem Paterna Vos charitate complectentes, Apostolicam Vobis Benedictionem ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 170-248].

405.

Benedictus XIV, const. *Apostolici ministerii,* 9 dec. 1749.

Apostolici ministerii Nostri partes non minus esse putamus, ad suborientes abusus eradicandos, idonea remedia comparare, quam opportunas rationes praescribere, quibus servatis, ipsa exhibita remedia vim suam obtinere, et optatum effectum reipsa edere valeant.

§ 1. Sane quum Nobis innotuisset nonnullos esse in florentissimis Portugalliae, et Algarbiorum Regnis Presbyteros Sacramenti Poenitentiae Ministros, qui a poenitentibus nomen personae ipsis in peccato, quod confessi fuerant, complicis, aliquando etiam locum habitationis eiusdem complicis, exquirebant, absolutionem quoque sacramentalem iis denegando, qui eorum inquisitionibus satisfacere recusarent.

§ 2. Nos Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum per ea Regna constitutorum zelum excitare non omisimus, ut omne suum studium, operamque conferrent ad eas respective Dioeceses, in quibus Presbyteri sic delinquentes existerent, a tam pernicioso malo liberandas, ex quo *oblocutiones et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta erant:* reiicientes simul, ac reprobantes praetextus illos, quibus huiusmodi Confessarii interrogantes, sese tuebantur; desiderii nimirum emendationis ipsius complicis; nec non quarundam opinionum, quae apud alios Doctores repertae fuerant, et quarum aliquae, aut falsae, aut erroneae censendae erant, aliae autem per se verae, et sanae, ab ipsis sic delinquentibus perperam applicabantur; ut latius videre est in Nostris Litteris Apostolicis die VII Mensis Iunii anni Dom. MDCCXLV editis in forma Brevis, quarum initium est *Suprema omnium Ecclesiarum,* quaeque impressae sunt in *Bullarii Nostri,* tom. I, pag. 134.[2]

[1] Cf. N. 400.
[2] Cf. N. 360.

§ 3. Has Litteras sub Annulo Piscatoris primum expeditas, in forma specifica deinde confirmavimus, et ampliori robore communivimus per alias nostras Apostolicas Litteras sub Plumbo editas IV Nonas Iulii anni 1746 incipientes *Ubi primum,* quae etiam impressae leguntur in II tomo *Bullarii Nostri,* num. 8.[1] His autem posterioribus Litteris non solum Tribunali Sanctae Inquisitionis praedictorum Regnorum, atque Ditionum iniunximus, ut contra eos severe procederet, qui priora Decreta nostra impugnare, aut perverse interpretari ausi fuissent, sed etiam *contra Confessarios de nomine complicis Poenitentem interrogantes, eidemque Poenitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen huiusmodi interrogandi, et denegandi actus talibus circumstantiis coniunctus sit, ac convertitus, quae sic agentem Confessarium, de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.*

§ 4. His cohaerenter addidimus praeceptum denunciandi Confessarios, aliquo ex supradictis modis delinquentes eidem Tribunali Sancti Officii intra terminum dierum pro aliis denunciationibus ab eodem Officio praefigi solitum; exemptis dumtaxat, ex iustis gravibusque causis, ab huiuscemodi denunciandi onere personis Poenitentium in causa propria, id est in casu, quod ipsi peccatum suum confitentes, a Confessario adigerentur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato; statuentes tamen, quod *quando aliunde, quam ex propria confessione, novissent Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum et ipsi denunciare ex ista aliunde habita notitia tenerentur.*

§ 5. Et quoniam id etiam evenire posse prospeximus, ut Confessarius aliquis Poenitentem de complicis nomine interrogando, atque etiam manifestare nolenti absolutionem negando, id facere imprudenti certe, ac malo, sed tamen simplici quodam, et nudo actu, *id est iis circumstantiis destituto, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum redderent:* ideo in ipsis posterioribus Litteris declaravimus, in huiusmodi casu, neque Confessarium praedicto Inquisitionis Officio denunciandum necessario fore, nec eius delictum eiusdem Sancti Officii, et Tribunalis cognitioni subiectum esse, sed ad cuiuslibet Ordinarii in propria Dioecesi iudicium, et correctionem pertinere; prout in ipsis secundo loco memoratis Litteris latius habetur expressum.

§ 6. Sic igitur istius respective statutis finibus, tam iurisdictioni Tribunalis Inquisitionis, quam Ordinariorum Praesulum auctoritati; persuasum Nobis fuit, certam et tutam rationem procedendi contra Sacerdotes in Sacramenti Poenitentiae administratione, ut praefertur, delinquentes assertam per Nos fuisse. Verum quum deinde Nobis ex parte nonnullorum Ecclesiasticae pacis zelo flagrantium fuerit insinuatum, in huiusmodi methodi executione novis perturbationibus procul dubio aditum apertum iri; propterea quod nemo esset, qui in casibus discrepantiae, iudicium proferret; quoniam delictum idem in certis quibusdam circumstantiis ad Tribunal S. Officii, in aliis

[1] Cf. N. 370.

vero ad Ordinarii iudicium deferendum fore statueramus, ac praeterea demonstratum Nobis fuerit, quod, dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio faciendae, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines a patrando tam pernicioso, et profligato delicto retraherentur. Idcirco Nos, praedictam iterum perversam praxim in utrisque praefatis Litteris Nostris reprobatam atque proscriptam, eorum nempe, qui in administrando Poenitentiae Sacramento, complicis nomen, cum absolutionis denegatione, quatenus reticeatur, a poenitente rescire contendunt, praesentium quoque tenore damnantes, et reprobantes; nec non confirmantes statutam pertinentiam cognitionis huiusmodi causarum praedicto Inquisitionis Officio, quoties delinquentis actus iis circumstantiis, quas in secundo dictis Litteris Nostris latius expressimus, coniunctus existat, nec non obligationem denunciandi eidem Officio Confessarium quemcumque, huiusmodi delicti memoratis circumstantiis convestiti reum; excepta tamen ab huiusmodi denunciationis onere ipsa persona poenitentis in causa propria, iuxta id, quod in ipsis praefatis Litteris per Nos decretum, et in praesentibus superius relatum fuit; ad reliquas in futurum perturbationes avertendas, et praecavendas, omnibus mature pensatis, auditisque prudentium virorum, et in illis rebus apprime peritorum consiliis, Nostris motu proprio, et certa scientia, sequentes ordinationes, et leges ab omnibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, omnino tenendas, atque observandas, earumdem praesentium tenore, et Apostolica auctoritate edicimus, et promulgamus.

§ 7. In primis itaque, exceptis dumtaxat personis poenitentium in causa propria, ut supra declaratum est, quas quidem iustis ex causis ab omni denunciationis onere eximimus, et pro exemptis in tali casu semper haberi decernimus, omnibus et singulis, qui Sacerdotem aliquem sive Saecularem, sive Regularem (cuiuscumque gradus, et conditionis, et cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam speciali, et individua mentione digni, ad hoc, ut praesenti sanctione comprehendatur, existat) quocumque alio modo, praeterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum peracta, cognoverint in administrando Poenitentiae Sacramento interrogasse poenitentem de nomine complicis, eidemque indicare recusanti absolutionem denegasse; sive id fecisse intellexerint propter adhaesionem praedictae reprobatae praxi, aliave de causa erroneae opinionis suspicionis ingerente; sive id etiam per imprudentiam egisse, et per actum praefatis destitutum circumstantiis, propter quas, iuxta praecedentem Constitutionem nostram, praedicto Inquisitionis Officio esset denunciandus, et quibus deficientibus, iuxta ipsius Constitutionis tenorem; eius delicti cognitio ad Ordinarii Tribunal spectare debuisset, iniungimus, et mandamus, atque in virtute Sanctae Obedientiae, sub eisdem poenis, quibus ad debitas aliorum delictorum denunciationes adstringuntur, praecipimus, et iubemus, ut huiusmodi Confessarium quocumque modo in praemissis delinquentem, saepe dicto Sanctae Inquisitionis Officio intra consuetum praefiniti temporis spatium omnino deferant, et denuncient.

§ 8. Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti Officii Tribunali denunciatus fuerit, vel etiam illius carceribus inclusus, quatenus probationes ad

carcerationem sufficientes habeantur; si forte Ordinarii illius, cuius iurisdictioni reus subiectus erit, Procurator in ipso Tribunali Sancti Officii de more interveniens eas adesse circumstantias crediderit, ob quas delicti cognitio iuxta praecedentem Constitutionem nostram ad Ordinarii Forum spectare deberet, ac propterea insteterit, se super huiusmodi pertinentiae articulo alterius aut fusius audiri, vel etiam scripto easdem circumstantias et rationes exponere, suaeque Curiae iura tueri se velle declaraverit; volumus, et statuimus, ut iuxta eiusdem Tribunalis consuetudinem, satis temporis illi ad scribendum assignetur; neque interea idem Tribunal ad alium actum irretractabilem, multoque minus ad definitivam sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator, intra praescriptum sibi tempus, iura Curiae Episcopi constituentis sui, vel voce, vel scripto exposuerit.

§ 9. Quoties autem praefatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentia Causae proponat, eamque examinari postulet; tunc volumus, in ipso Sancti Officii Tribunali huiusmodi examen fieri; nec omitti posse, absque totius consequentis processus nullitate. Simul autem omnibus, et singulis tum eiusdem Officii Inquisitoribus, et Consultoribus, tum ipsis Ordinariorum Procuratoribus districte mandamus, ut deposita quacumque animi affectione, aut praeoccupatione, qua erga proprium respective Tribunal facile ferri possent, coram Deo disquirant, ac videant, an reus de praefato delicto inquisitus, illud cum eiusmodi circumstantiis patraverit, ob quas illius Causa, iuxta praecedentem Constitutionem nostram, ad Inquisitionis Tribunal pertinere deberet; an vero cum aliis, quae Causam ipsam ex eiusdem Constitutionis lege in Ordinarii Foro iudicandam constituunt.

§ 10. Prolato demum ab Inquisitoribus iudicio super causae pertinentia, volumus, et statuimus, ut si quidem Causa adiudicata fuerit Tribunali Sancti Officii, in huius potestate reus permaneat, et iuxta ipsius Officii leges et regulas puniatur; si vero iudicatum fuerit, causam ad Sancti Officii Tribunal non pertinere, idem Officium, ut eius fert consuetudo, reum dimittat, et Procurator de reo ita dimisso certiorem faciat Ordinarium sui constituentem, ut ea accepta notitia, adversus eumdem reum servatis servandis iuxta Canonicas sanctiones possit procedere. Si quis autem praemissum iudicii huiusmodi ordinem a Nobis per praesentes constitutum pervertere, aut turbare ausus fuerit, noverit, se omnibus Canonicis poenis subiectum fore, quaecumque in sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus, adversus Ecclesiasticae Iurisdictionis perturbatores, violatores, et invasores latae, et statutae dignoscuntur.

§ 11. Praesentes autem Litteras, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 102-106].

406.

Benedictus XIV, const. *Officii Nostri*, 15 mart. 1750.

Officii Nostri ratio non eam modo sollicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, et impleri curemus; sed id etiam a Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quae earum debitae executioni multis modis officere dignoscitur, opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare ac removere studeamus.

§ 1. Sane fel. rec. Praedecessor Noster Gregorius Papa XIV providam Iuris Canonici sanctionem prae oculis habens, qua scilicet, sub Tit. *De homicidio voluntario, vel casuali,* cap. 1 innovatum fuit vetus praeceptum Legis a Deo Exodo latae: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur;* per suam Anno Incarnationis Dominicae MDXCI nono Kalendas Iunii editam Constitutionem, quae incipit: *Cum alias,* [1] iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, locaque Sacra, et Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minime suffragare decrevit. Tum vero piae memoriae Praedecessor quoque Noster, ac Dignitatis Nostrae amplificator Benedictus Papa XIII Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXV sexto Idus Iunii, edita Constitutione, quae incipit: *Ex quo Divina,* [2] non eos tantum, qui proditorie, ut praefertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusit et repulit. Demum san. mem. proximus decessor Noster Clemens Papa XII in sua Constitutione, quae incipit: *In Supremo Iustitiae solio,* Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXV Kalendis Februarii edita, [3] eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis praedictae beneficio minime gaudere voluit atque decrevit.

§ 2. Insuper iidem proxime memorati Praedecessores Benedictus, et Clemens, ad ea, quae in iure Canonico, et in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quae, si qui commisissent, eos a praedicto beneficio asyli, et confugii apud Ecclesias, ac Loca Sacra, et Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque a Doctoribus, ac dicti Iuris, et Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quaestiones et controversias, declarando ac definiendo sustulerunt; ut ex eorundem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e Nostris Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam praesentes moderabamur, pro illius populi curae Nostrae concrediti

[1] Cf. N. 172.
[2] Cf. N. 290.
[3] Bull. Rom., tom. 14, p. 17-23.

instructione, edidimus, quaeque impressa extat Tom. II, Editionis Italicae num. XXI, in Latina vero Editione num. LXI.

§ 3. Ad hoc autem, ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicuius ex delictis exceptis huiusmodi, ad extractionem Delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quum praefatus Benedictus Praedecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personae reitate ea suppeterent indicia, quae ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut vero extractum huiusmodi Ministris, et Officialibus Curiae saecularis tradere et consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quae, iuxta regulas Iuris, vocantur *ultra torturam*; alter deinde Praedecessor Clemens XII ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Iudici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret, posset idem extractum huiusmodi Curiae saeculari tradere et consignare. Caeterum iidem Praedecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per praemissa imminui, nec inde ullam Iustitiae laedendae occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones Delinquentium huiusmodi e loco immuni nunquam sine auctoritate Episcopi, et interventu Personae Ecclesiasticae ab ipso Episcopo deputandae, fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, praedictis etiam concurrentibus indiciis, Curiae saecularis Officialibus tradi et consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum poenis servanda, ut Ecclesiae, seu Loco immuni restituerentur, quatenus in progressu Causae iidem extracti indicia huiusmodi purgarent atque diluerent.

§ 4. Cum autem ea, quae per Clementem Praedecessorem praedictum, Iuris communis, et Gregorianae, ac Benedictinae Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis Dominii Apostolicae Sedis minime extenderentur, visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum, quae Anno MDCCXLI, cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliae Rege illustri, tum quae Anno sequenti MDCCXLII cum alio pariter Carissimo in Cristo Filio Nostro Carolo Emanuele illustri quoque Sardiniae Rege sancita fuerunt, praemissas, aliasque in Clementis Literis praefatis contentas dispositiones, in eorumdem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id expetentium Dominia, peculiaribus respective editis Literis, quarum exemplum videre est in *Tomo primo Bullarii Nostri Constitut. LXXXVIII*, quae incipit: *Alias felicis*,[1] extendimus et ampliavimus.

§ 5. Verum, quum tot ista per Praedecessores Nostros praedictos, ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quaestiones, quae in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quae pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi praefatas Constitutiones in variis homicidiorum huiusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio

[1] Die 24 iun. 1744.

tollere, seu penitus antevertere valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse indicavimus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas saepissime tam Ecclesiasticorum, quam Saecularium Iudicum acta expendere et exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus et dubiis involutas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque gravium Vivorum, Iurisque Canonici peritorum, et in criminalibus iudiciis versatorum consiliis, motu proprio, ac de Apostolicae, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, Nostram et Praedecessorum Nostrorum mentem in hunc, qui sequitur, modum declarare, et quaedam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

§ 6. Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Praedecessoris Constitutione, quae incipit: *Cum alias*, dum ea delicta enumerantur, quae ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusa censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur, deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Praedecessor Benedictus in supracitata Constitutione, quae incipit: *Ex quo Divina;* placuit laudato Praedecessori Clementi XII huiusmodi Constitutiones per suam, quae incipit: *In supremo Iustitiae solio*, ad Ecclesiasticos etiam cuiuscumque gradus, et ordinis, homicidium animo praemeditato ac deliberato patrantes, extendere et ampliare, ita ut nec ipsi, in huiusmodi casu, Ecclesiastica Immunitate iuvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii Causa ab eorum Iudice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, circa poenam sanguinis, ad praescriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione.

§ 7. Cum dubitatum fuerit, an sub hac Clementis Praedecessoris ampliatione et extensione Regularium quoque Ordinum Professores, et Alumni comprehendatur; Nos, ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus et declaramus, omnes et singulos cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Militiae, et Instituti Regulares, tam in ipsis expresse Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, cuiuscumque gradus et conditionis extiterint, etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alias, quaelibet expressa et individua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub praesentis, aut praemissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret, si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo praemeditato ac deliberato, patraverint, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticae, iuxta formam earundem Constitutionum Benedicti, et Clementis, exclusos fore, et censeri.

§ 8. Et quoniam praedictus Clemens Praedecessor speciali Decreto edito die 5 Octobris anni MDCCXXXVI expresse declaravit, Mulieres etiam, quae aliquod delictum eiusmodi commisissent, quod inter excepta, et ab immunitatis localis beneficio exclusa, iuxta praemissa, haberi debeat, pari iure hac in re cum Viris censeri, et sub dispositione ipsius Literarum incipien.: *In supremo Iustitiae solio*, aeque in omnibus comprehendi debere; Nos huius nostrae Constitutionis tenore declarationem praedictam approbamus et confirmamus, eique inviolabilis legis, iuxta quam in occurrentibus casibus iudicari omnino debeat, plenarium robur adiicimus: decernentes similiter, ac declarantes, sub eiusdem Clementis, nostraeque huius Constitutionis dispo-

sitione, etiam Milites in omnibus et per omnia comprehensos esse, nec ullum militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

§ 9. Praeterea quum in praefata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis praedictae beneficio excludantur omnes et singuli tam Laici, quam Ecclesiastici inquisiti, et processati, vel in contumaciam banniti, et condemnati, *ex causa et occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem ;* saepe disputari contigit, an is, qui non casu, vel ex propriae defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo, aut saxo ; quae scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent ; ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super huiusmodi dubio definiendo decernimus, quemcumque Homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Saecularem, aut cuiusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, et nocendi animo ac voluntate prodiisse. Quae quidem definitio nostra conformis est Divinae Legi, quae habetur in Libro Numerorum, cap. 35, ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subiungitur : *Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem iecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias, aut, cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, iugulavit: quod si fortuito, et absque odio et inimicitiis, quidquam horum fecerit, et hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quaestio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui Oleo Sancto unctus est, moriatur.*

§ 10. Accidit autem in homicidiis, id quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur, sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli iure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de saucii vita sollicite explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratuum diligentiam praevertens, tempestive sibi consulit, meritasque poenas evadit. Quod quum ab iis, qui iustitiae administrandae praepositi sunt, Nobis expositum fuerit persaepe evenire, et quidem non sine magna publicae tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex huiusmodi evasionis fiducia concipiunt ; iidemque postularint, huiusmodi malum opportunis providentiae nostrae remediis submoveri.

§ 11. Ideo Nos, de praedictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per praesentes decernimus ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum aut Religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitae periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni, servatis servandis, extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiae omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, et quidem sub iisdem poenis, quibus in memoratis Benedicti, et Clementis Literis ii subiiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus huiusmodi indicia diluerit.

§ 12. Quod vero in citata Gregorii Praedecessoris Constitutione circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopis superiores Praelatos pertineat, non vero ad alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut Nullius Dioecesis; ita ut, occurrente casu in loco exempto, et Nullius Dioecesis, tunc negotium huiusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur, id quod ab alio quoque Praedecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem praesentium Literarum tenore approbamus, et confirmamus. Sed quoniam nonnullae ad Nos querelae super hoc delatae fuerunt, quod quaedam Curiae Ecclesiasticae pro parte Officialium Curiae Saecularis requisitae, extractionem delinquentium in casibus exceptis huiusmodi diutius quam par est, protrahere consueverunt; Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Praesulibus, enixe studioseque suademus, et respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, et quoties de delinquentibus in casibus exceptis huiusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere non recusent; sique ea, quae iuxta praemissa requiruntur, re vera suppetere agnoscant, eorundem delinquentium extractionem e loco immuni quamprimum decernant, ut vel Episcopalibus Carceribus nomine Ecclesiae detineantur, vel etiam ad Curiae Laicalis Carceres eiusdem Ecclesiae nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut iustitiae cursus per Apostolicas Constitutiones praescriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiae immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, et personarum iuribus asserendis, et sustinendis, quum ea, contra sacrarum legum praescriptum infringi, ac violari contingat. Quum tamen huiusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, quum praefata delicta excepta non in Civitatibus, sed per Dioeceses, in locis a Curiae Ecclesiasticae residentia remotis, perpetrantur; idcirco Nos per easdem praesentes praedictis Episcopis, aliisque superioribus Praelatis facultatem concedimus et impertimur, ut, quoties in huiusmodi casibus pro parte Curiae Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria iuridice colligant ; ut, his nimirum inspectis, iidem Antistites, prout iuris erit, ad delinquentium huiusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

§ 13. Et quidem haec omnia, quae per praesentes hucusque declaravimus, definivimus, atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, et in Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, et Locis, Nobis, et Sanctae Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectis, etiam specialem, et individuam mentionem requirentibus, eorumque Curiis Ecclesiasticis, et Saecularibus, etiam Baronalibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictae Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *concordati* extensae, et ampliatae fuerunt (quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem Concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus), locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque huiusmodi tam Ecclesiasticarum, quam Saecularium Curiarum Iudicibus, Magistratibus, Officialibus, et Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

§ 14. Illud etiam, quod in praeallegatis Nostrorum Praedecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum poenarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet Curiae Saeculares, eorumque Magistratus, Iudices, et Officiales quicumque, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticae auctoritatis interventu, capere, aut incarcerare, neve ad declarandum, crimina a praedictis admissa esse de exceptis in eorundem Praedecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut praefertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant seu praesumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, et innovamus; atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari praecipimus; contrafacientes quoque, et transgressores, easdem omnes poenas, quae in praeallegatis Constitutionibus indictae sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus: Decernentes, in numero transgressorum huiusmodi, eos etiam esse et censeri, qui, in spretum Ecclesiasticae auctoritatis, et Canonicarum Sanctionum, praescripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, et Loca immunia obsidere praesumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in Curiae Saecularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes huiusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes et singulas poenas atque censuras adversus Ecclesiasticae immunitatis violatores, in iure, ac in praedictis Constitutionibus Apostolicis latas atque statutas, incurrere decernimus ac declaramus. Sane huiusmodi artes atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quae in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus decimotertio, ac decimoquarto Ecclesiae saeculis, statuta leguntur;[1] ibi

[1] Concilium Provinciale Lambethense hab. Anno 1261, tom. 11, part. 1, Labbeanae Collectionis Conciliorum, col. 810; Concil. Exoniense Anni 1287, tom. 11, part. 2, dictae Collectionis, col. 1281, tit. 15; Concil. Provinciale Nugaroliense Anni 1303,

enim, expositis Ecclesiarum circumsessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesiam confugerant, ad deditionem adigebantur, quicumque similia attentare praesumpserint, anathematis mucrone feriuntur. Et nos igitur, qui Ecclesiae spiritum circa praemissa toties aperte declaratum, atque a Praedecessoribus Nostris constanter servatum, exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhaerentes, decernimus, et declaramus, omnes, et singulos, qui sub Ecclesiasticae Immunitatis tutela degentibus, huiusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, praeter alias poenas atque censuras adversus eiusdem Immunitatis violatores, ut praefertur, latas atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio ac privilegio Ecclesiastici confugii et asyli tam apud Ecclesias, et loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, et Loca Sacra, et Religiosa, indignos, atque privatos fore, et habendos esse, non secus ac alii omnes, *qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia aliove loco immuni violenter extrahunt, et abducunt;* quos scilicet laudatus Praedecessor Benedictus XIII in sua allegata Constitutione, *non illius tantum Ecclesiae, quam violarint, sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse aut debere* declaravit; et quorum Nos numero supradictos etiam iure et merito accensendos esse decernimus.

§ 15. Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis Dominii Nostri, ac nonnullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproca quaedam consuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus huiusmodi commiserint, et intra fines alterius se receperint, instante Curia illius Ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiantur, eidemque Curiae tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, huiusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes huiusmodi, in Terris, ad quas confugerunt, sub Ecclesiae alicuius, vel alterius loci immunis tutela se receperit: idcirco Nos, Ecclesiasticae Immunitatis rationes cum recta Iustitiae administratione, et Reipublicae tranquillitate opportune copulare volentes, decernimus, et mandamus, ut, si huiusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quae in Apostolicis Constitutionibus praefatis excepta sunt, in temporali Romanae Ecclesiae dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Dioecesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cepit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni praefatae locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, et cum interventu personae Ecclesiasticae, fieri mandet. Eademque ratione, si in praefatis aliorum Principum

dicto tom. 11, part. 2, eiusdem Collectionis, col. 1479, can. 6; Concil. Palentinum Anni 1322, dicto tom. 11, part. 2, praefatae Collectionis, col. 1697, cap. 7; Concil. Vallisoletanum Anni 1322, tom. 3, Collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre, pag. 564, tit. 18, num. 51; Concilia Marcianense, et Sylvanectense Anni 1326, supradicto tom. 11, part. 2, d. Collectionis Labbeanae, col. 1751, tit. 11 et col. 1770, cap. 5; Concilium Vaurense Anni 1368, eodem tom. 11, part. 2 dictae Collect. col. 2012, tit. 93.

Ditionibus, in quibus traditionis praedictae consuetudo viget, eiusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianae, aut Benedictinae Constitutionis, sive ratione *Concordati* cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratae, pro excepto haberi debeat; volumus, et statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticae, intra cuius iurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut huius scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac, si ita res feret, externae postulanti Curiae valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex praemissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, praedictarum Benedicti, et Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respective leges, atque tenores, inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiae nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privative quoad omnes alios etiam Ecclesiasticos Iudices, ex indiciis, ut praefertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est quaestio, inter excepta connumerari debeat, nec ne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causae, indicia huiusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

§ 16. Ipsas demum praesentes Litteras, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 278-285].

407.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Anno vertente*, 19 iun. 1750.[1]

Anno vertente reparatae salutis millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, Pontificatus autem Nostri quinto, tum ut partes Apostolici Nostri Ministerii impleremus, tum etiam, ut praeclaram significationem paterni animi nostri, ac dilectionis, qua semper complexi sumus, complectimur, superque complectemur inclytam Nationem Cophtam, praeberemus, auditis gravium, ac prudentum hominum sententiis, nostris quoque laboribus, ac privato studio adiunctis, Pastoralem Instructionem super quibusdam, de quibus ambigebatur, ad eorum ritus, et mores spectantibus edidimus.[2]

§ 1. Ea vero in Instructione, quae typis impressa fuit, nostroque Bullario inserta, actum est de Ritu Cophtorum, quo Sacramentum Confirmationis a simplici Sacerdote, statim post Baptismum confertur; agitur etiam de more ac consuetudine eorumdem, conferendi Ordinem Diaconatus pueris adhuc

[1] Dilectis Filiis Fr. Iacobo a Cremisir Presbytero Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Praefecto Missionis Apostolicae in Aegypto, caeterisque Missionis Coptae Missionariis.

[2] Cf. N. 357.

in infantili aetate existentibus. Quibus de rebus ea, quae consentanea erant, et opportuna, constituta sunt; nonnulla autem indefinita remanserunt; quia, priusquam de illis responsum a Nobis daretur, necessarium visum fuit plura, quae haud satis nota, et perspecta erant, exquirere, ut in eadem Instructione videre licet. Interea vero omnes curas ac diligentias adhibere non praetermisimus, ut eorum, quae adhuc deerant, cognitionem assequeremur. Collectis deinde omnibus, quoad fieri potuit, quae necessaria videbantur, die 12 Martii anni currentis 1750, nonnullos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, alios in Sacrae Theologiae facultate Magistros, alios autem in iure Canonico peritos, coram Nobis, rimatis antea per Nos omnibus et perpensis, congregari iussimus. In hac autem Congregatione, dubia, quae proponebantur, in duas Classes dispertita fuerunt: una eorum fuit, quibus neque adhuc ullum responsum praeberi poterat; altera vero eorum, quibus et tunc responderi poterat, et quae opportuna videbantur, decerni.

§ 2. Inter dubia, quae indefinita remanserunt in nostra Pastorali Instructione Anni 1745, unum illud fuit: *An spes ulla effulgeat proximi reditus alicuius Episcopi ad sinceram cum Catholica Ecclesiam unitatem.* Alterum vero: *An et quomodo tolli possit, et radicitus extirpari abusus conferendi Ordines ante legitimum tempus et induci quoad aetatem Ordinandorum observantia decretorum Concilii Tridentini, quam in casu simili, ad Catholicae Fidei praesidium, et disciplinae Ecclesiasticae augmentum, Gregorius XIII plurimum commendavit Patriarchae Maronitarum.* Haec autem duo dubia in praedicta ultima Congregatione reposita fuerunt in eorum Classe, quibus neque adhuc responderi poterat, cum ex iis, quae novissime Nobis relata fuerunt, nulla proxima spes affulgeat, ut aliquis ex eiusdem Nationis Episcopis, eiuratis schismatis, ac haeresum erroribus, ad Catholicae Ecclesiae sinum revertatur.

§ 3. Similiter inter dubia, quae indefinita relicta fuerunt in superius laudata Instructione, reperitur illud: *An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum Confirmationis: Cui, vel quibus dicta facultas tuto delegari possit, ut Sacro Chrismate praecipue liniantur filii orti a Parentibus Catholicis post haeresim eiuratam, et abluti Sacro Baptismate, saltem a Sacerdote Latino.* Et illud quoque: *An in casu concessionis huiusmodi facultatis, expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur administrando Confirmationem infantibus immediate post Baptismum (nisi in casu necessitatis), sed in ea tantum aetate, qua confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.* Haec autem postrema duo dubia in ultima Congregatione posita fuerunt in Classe eorum, quibus responsum praeberi nunc potest.

§ 4. Itaque eorum examine assumpto, auditisque Congregatorum sententiis, Decretum fieri placuit in hunc modum: *Sanctissimus consentaneum iudicavit delegare Praefecto Missionum Aegypti facultatem extraordinariam conferendi, Chrismate tam ab Episcopo benedicto, Sacramentum Confirmationis illis, qui a Sacerdotibus Latinis Baptismum acceperunt. Caveat autem Praefectus huiusmodi Sacramentum illis conferre, qui septimum aetatis annum nondum attigerint, nisi forte periculum mortis immineret, ne, ingravescente morbo, sine hoc Sacramento decedant. Denique Sanctitas Sua facultatem elar-*

giri solum intelligit, donec necessitas id postulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Episcopus in Aegypto habeatur.

§ 5. Huiusmodi Decretum etiam in praesenti a Nobis confirmatur: cum in omnibus, ac per omnia conveniens, ac consentaneum sit tum iis, quae exposita fuerunt in praecedenti nostra Instructione Anni 1745, § *Quod attinet ad primum;* tum etiam iis, quae fuse a Nobis tractata sunt in nostro Opere *de Synodo Dioecesana* impresso Anno 1748, lib. 7, ubi cap. 7 actum est de consuetudine Presbyterorum Graecorum impertiendi Sacramentum Confirmationis statim post Baptismum, et de Episcopo qui est Minister ordinarius huius Sacramenti; et cap. 8, de necessitate, quam habet Sacerdos Latinus, si a Summo Pontifice constituatur Minister extra ordinem Sacramenti Confirmationis, utendi Chrismate ab Episcopo benedicto; et cap. 9, resumpta integra materia, exponitur, quousque se proferat tolerantia Apostolicae Sedis, et in quibus Graecorum Regionibus locum habere valet vetus consuetudo, qua eorum Sacerdotes Fidelibus statim ubi Sacro Lavacro abluti sunt, Sacramentum Confirmationis conferunt; adeo ut non aliud hic addere opus sit, quam Praefecto Missionum Aegypti eandem a Nobis concedi facultatem, quae data est Guardiano Sancti Sepulchri, qui ex beneficentia, et gratia Sedis Apostolicae, durante eius Officio, ubi Episcopi Latini in suis Dioecesibus residentes non adsunt, in Terrae Sanctae Locis Sacramentum confert Confirmationis; facultatem videlicet conferendi Sacramentum huiusmodi, Oleo et Chrismate, etiam antiquis, si nova haberi non possint, per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis: quemadmodum quisque legere poterit in Nostra Constitutione, quae decima est in Tomo primo Nostri Bullarii.[1] Quamvis enim, iuxta ea, quae in Pontificali Romano praescripta sunt, singulis annis Feria quinta in Coena Domini Sacrum Chrisma renovari debeat, neque liceat uti Chrismate Anno praecedenti consecrato; id tamen locum non habet, si aut Chrisma recipi nequeat, nisi ab Episcopo qui a Communione Apostolicae Sedis separatus sit, aut etiam si aliquis Episcopus adsit in Communione Ecclesiae Catholicae degens, ea tamen sit locorum distantia, vel aliud intercedat impedimentum, ut ab eo novum Chrisma accipi nequeat; tunc quippe licere censetur uti vetere Chrismate ab Episcopo Catholico annis praecedentibus benedicto, sicut a Nobis late demonstratum est in Nostra Notificatione 14, Tom. 4, *Bonon. edit.*, cum in ea Urbe degentes Archiepiscopi munere fungeremur.

§ 6. Quod autem pertinet ad aetatem, qua Sacramentum Confirmationis dari debet, aut conferri permittitur etiam iis, qui adhuc per aetatem capaces non sunt probe, ac bene percipiendi vim, ac valorem Sacramenti, id, quod responsum est, apprime concordat cum iis, quae a Nobis collecta, et fuse exposita sunt in laudato Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana,* lib. 7, cap. 10.

§ 14. Haec autem sunt, quae a Nobis constituta fuerunt, quaeque pro recta Cophtorum disciplina, dirigentisque moribus opportunum esse duximus, ut huic nostrae secundae Instructioni insererentur. Hinc autem inclyta illa natio, quae etiam antiquis temporibus suae unionis cum Apostolica Sede,

[1] Cf. N. 305.

quae centrum est unitatis, illustria praebuit argumenta, satis intelligere poterit, quam eximio charitatis affectu eam in Domino prosequamur; eique interea, veluti dilectionis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 286-290].

408.

Benedictus XIV, allocut. *Postquam,* 30 sept. 1750.[1]

§ 1. Postquam, Deo adiuvante, ea omnia complevimus, quae ad internum, externumque huius Basilicae cultum, quem oculis cernitis, exequenda esse constitueramus; propositum Nobis erat eiusdem Basilicae Dedicationem, sive solemnem Consecrationem peragere; non ideo sane, quod Nobis unquam in mentem venerit, hanc, qualiscumque operae vel sumptus fuerit, restaurationem, pro vera ipsius Basilicae reaedificatione accipiendam esse; qua quidem peracta, novam Ecclesiae Consecrationem fieri Sacri Canones iubent; neque enim antiqui parietes loco moti, aut deiecti fuerunt; sed quia ex rerum gestarum monumentis, quae ferebantur, nullum, quod certam prioris Consecrationis, fidem faceret, invenire potueramus.

§ 2. Ignota Nobis non sunt illa, quibus probari contenditur, Liberium Praedecessorem quondam nostrum, qui hanc Basilicam quarto Ecclesiae saeculo erexit, ipsius quoque Dedicationem peregisse: sed quum eadem monumenta subinde narrent, eumdem Pontificem insignes reliquias, Praesepe, et Cunas Domini Nostri Iesu Christi, ea occasione, hic collocasse, id satis esse potest, ut omnis auctoritas et fides iis derogetur. Illud enim merito verius putatur, nonnisi circa medium saeculi septimi venerandas illas Reliquias in hac sacra Aede per Theodorum Pontificem fuisse reconditas. Verum, ubi animum oculosque convertimus ad ea, quae Sanctus Sixtus Pontifex huius nominis III, non integro post Liberium saeculo, in hac Basilica praestitit; quae nimirum tanta fuerunt, ut a pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis, ipse totius molis, quae adhuc superest, unicus auctor et aedificator habeatur: visis deinde authenticis Litteris alterius Praedecessoris nostri Gregorii Papae IX, in quibus mentio fit de Basilicae Consecratione ab eodem Sixto III peracta, cum Indulgentiarum quoque indicatione, quas Sanctus Pontifex ea occasione concessit; quumque praeterea nullam dubitandi causam haberemus, quin extantes nunc Ecclesiae parietes iidem sint, qui sub Sixto erant, vel eius cura excitati fuerunt; huiusmodi Consecrationis faciendae consilium abiecimus, idque dumtaxat statuimus, quod iam nunc fieri mandamus, ut quod praedictus Pontifex Gregorius IX narrat de Ecclesiae Consecratione a Sancto Sixto III peracta, marmoreae tabulae inscriptum publico aspectui proponatur; et intra Ecclesiae ambitum de more apponantur Cruces Consecrationis indices; quas quidem minime tunc appositas fuisse credimus, cum Sanctus Sixtus eam consecravit; quamvis

[1] Habita in Basilica S. Mariae Maioris ante Consecrationem Altaris Pontificii eiusdem Basilicae.

enim ritus consecrandi Ecclesias ex institutis veteris Testamenti in Christiana Sacra translatus, ipsis prioribus Ecclesiae saeculis, et maxime post redditam a Constantino Ecclesiae pacem, procul dubio in usu fuerit; non tamen constat, quo potissimum tempore huiusmodi Cruces figendi mos inoleverit. Denique ut in posterum ab huius Basilicae Clero officium Dedicationis Ecclesiae, iuxta aliarum Ecclesiarum consuetudinem, quotannis certa die celebretur, volumus et indulgemus. Nostram vero operam unice redigendam censuimus ad Consecrationem Arae maximae, quam, veteri sublata, utpote praesenti structurae totius Basilicae minime respondente, augustiore hac forma aedificari curavimus.

§ 3. Sacer itaque ritus, cui operam daturi sumus, is est, qui in Pontificali Romano appellatur *Altaris consecratio, quae fit sine Ecclesiae Dedicatione.* Altare autem, quod consecraturi sumus, Pontificium Altare eo ipso fore decernimus, non secus ac illud erat, quod hinc sublatum fuit, aliarumque Patriarchalium huius Almae Urbis Basilicarum Altaria maxima esse dignoscuntur; ita ut nemini, praeter Romanum Pontificem, in eo liceat Missarum Sacrificia celebrare, nisi si cui speciale Indultum per Litteras Apostolicas ad id concedatur.

§ 4. Et quoniam Altare vetus, ut accepimus, dedicatum et sanctificatum fuerat in honorem Beatissimae Virginis Mariae in cuius etiam honorem tota haec Aedes Omnipotenti Deo dicata dici potest, unde Basilica nunc *Sanctae Mariae Maioris,* nunc *Sanctae Mariae ad Praesepe,* nunc *Sanctae Mariae ad Nives* appellari semper consuevit; Nos etiam novum hoc Altare in honorem eiusdem gloriosae Virginis Dei Genitricis, Coelorumque Reginae dedicamus. Ad te igitur demisso mentis obsequio plenaque fiducia conversi, Virgo Beatissima, opem tuam supplices imploramus, ac deditissimi tibi Bernardi Confessoris verbis, te ita precamur: *Nos omnes tuo Filio commenda, tuo Filio repraesenta: et fac, o Benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam percepisti, ut qui, te mediante, dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostra; te quoque intercedente, participes nos omnes efficiat gloriae et beatitudinis suae.* Magnus Praedecessor noster Innocentius III, cuius multa in Apostolici regiminis administratione praeclare gesta, ac singularem in sacris disciplinis peritiam, Ecclesiastica monumenta testantur, in tui honorem, Virgo gloriosissima, Monasterium aedificavit; cum vero in exitu vitae, atque in extremi certaminis discrimine, ingentibus trepidantis conscientiae fluctibus premeretur, auxilio tuo, et intercessione, ut memoriae proditum est, ab imminenti naufragio liberari, et portum salutis feliciter tenere promeruit. Ecce appropinquat dierum nostrorum terminus: nosque, egregio memorato Pontifici meritis ac virtutibus impares, graviora fortasse manent subeunda pericula. Ut itaque illi in supremo agone laboranti praesens patrocinii tui praesidium, ob Monasterii in tuum honorem extructi meritum, attulisti; ita nobis, quaesumus, in illa tremenda lucta conflictantibus, pari pietate succurrere; atque haec, quae in honorem tuum, et ad augendum huius Sacrosanctae Basilicae, quae tuis auspiciis, tuoque augusto nomine celebratur, splendorem et cultum conferre studuimus, benigne respiciens, interventionis tuae suffragio, Virgo Beatissima, Nos ab insidiantis hostis furore defendere, et usque ad beatum Filii tui, Dei nostri, conspectum perducere digneris.

§ 5. Reliquum est, ut Nosmetipsos, atque huius Basilicae Clerum, cunctosque fideles in ea nunc congregatos, quive ad eandem devote visitandam accedent, vestris commendemus orationibus, gloriosi Sancti cum Christo regnantes, quorum Reliquias in hoc Altari recondimus, seu quorum Corpora et Reliquiae in hac Basilica asservantur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 541-544].

409.

Benedictus XIV, litt. encycl. *Benedictus Deus,* 25 dec. 1750. [1]

Benedictus Deus, Pater misericordiarum, et Deus Totius consolationis, qui dedit Nobis elapsum Iubilaei Annum, secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, faustumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto huius Anni decursu, Dilectorum in Christo Nostrorum Ecclesiaeque Filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem Nostram innumeros ex omni lingua, et populo, et natione, ex omni ordine, aetate, ac sexu, Christifideles, qui ipso suo adventu, et propriae fidei fervorem, et amplitudinem Regni Dei testabantur. Eosdem vidimus ad sacra eiusdem Urbis Templa certatim accurrentes, in spiritu contrito et humiliato, animarum suarum expiationi consulere, et sicut olivarum novellas in circuitu Mensae Domini, vivifica Christianae unitatis, et pacis Sacramenta percipere. Tum etiam impigro studio, et religiosa frequentia, ab una ad alteram saepe procedentes Ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi Basilica, Salvatoris Nostri Clementiam, per merita ipsius Beati Praecursoris, eiusdemque Dilecti Discipuli et Evangelistae exorantes; nunc in Liberiana Aede in Exquiliis, gloriosae Virginis Dei Genitricis opem atque praesidium implorantes; nunc Sacram Apostolorum Principis Confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi Doctoris Gentium Martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes, pro Ecclesiae Catholicae pace, et exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate, et salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spiritali gaudio auribus Nostris audivimus eiusdem Urbis vias, et fora, areas, et colles, piis precationibus, suavibus canticis, ac Divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus Fidelium greges, Nostris pedibus circumfusos, in persona humilitatis Nostrae, Vicariam Christi potestatem venerari, ac Beati Petri Apostolatum, cuius Dignitas in indigno haerede non deficit, effusis filialis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis Sacrorum praeluxerunt exempla Pastorum, qui ad honorandam de more memoriam eiusdem Beatissimi Ecclesiae Prin-

[1] Universis Christifidelibus.

cipis, hoc Anno potissime frequentes se contulerunt, et quorum Nos splendida corona stipati, sacros conventus maxima cum dignitate, universaeque Fraternitatis aedificatione, celebravimus. Quid vero dicemus de Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque Curiae Nostrae Proceribus, qui piorum operum assiduitate caeteris praeeuntes, simulque Christianae humilitatis exercitationibus infra quoscumque, licet abiectae sortis, Fratres sese demittentes, Christi bonus odor facti sunt universae Civitati, et omnibus, qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimae Urbis Cleri, ac Populi devotione narrabimus, cuius pietatis exempla, cuius charitatis officia ergo advenas et peregrinos, hoc Anno praesertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuncianda fore non dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanae Urbis Cives et Incolae, qui fecerunt hanc misericordiam cum Fratribus suis. Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes eius laetificaverunt animam Nostram.

§ 1. Sed praeterea magna a Nobis spes iure ac merito concepta est, eumdem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostris misericordiam suam Nobis ostensurum, idque demum Ecclesiae suae largiturum fore, quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Ecclesiam ipsam Catholicam, et Regnum Filii sui, per totum terrarum Orbem, et sanctitate, et amplitudine exaltet; ut cunctis Mundum purget erroribus, ut inter Christianos Principes concordiam, et pacem confirmet; universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad aeternae salutis portum dirigat, atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de praedictorum Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, decrevimus, Universos Christifideles, qui ubique locorum et gentium unius Fidei communione iunguntur, in huiusmodi votorum societatem adscire, apertoque largius Indulgentiarum Thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per poenitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitaeque erga Sedem Apostolicam observantiae specimen in hoc ipso praeseferentes, iniuncta pietatis et religionis opera exercebunt; et singuli in semetipsis, id, quod pro aliis postulabant, obtineant; et quas pro Fratribus preces supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiae et charitatis suae merito commendent.

§ 2. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacumque Mundi parte existentibus, et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso Anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Iubilaeum a Nobis concessum adepti sunt, vere poenitentibus, et confessis, et sacra Communione refectis, qui intra sex menses, a die publicationis praesentium in qualibet Dioecesi faciendae computandis, Ecclesiam ipsius Cathedralem, seu Maiorem, aliasque tres eiusdem Civitatis, aut Loci, sive in illius Suburbiis existentes, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, aliisve

de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam eiusdem Anni Iubilaei omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu Ecclesias, intra et extra Urbem pro consequendo Iubilaeo huiusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

§ 3. Navigantes vero, et iter agentes, ut, si post elapsos menses huiusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, et visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali, vel Maiori, aut Parochiali loci eorum domicilii, seu stationis huiusmodi, eandem Indulgentiam consequi possint, et valeant. Nec non praedictis Locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque Puellis, aut Mulieribus, sive in Monasteriorum Clausura, sive in aliis Religiosis, aut piis Domibus, et Communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque, et Eremitis, ac aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Personis, Saecularibus, vel Regularibus, in Carcere, aut Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super praescriptis huiusmodi visitationibus tantummodo; cum Pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione huiusmodi dispensare, ac illis omnibus et singulis, sive per se ipsos, sive per eorum, earumque Regulares Praelatos, aut Superiores, vel per prudentes Confessarios, alia pietatis, charitatis, aut religionis opera, in locum visitationum huiusmodi, seu respective in locum Sacramentalis Communionis praedictae, ab ipsis adimplenda praescribere; atque etiam Capitulis, Congregationibus tam Saecularium, quam Regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, Ecclesias huiusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant, earundem tenore praesentium, concedimus pariter, et indulgemus.

§ 4. Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum, Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum; caeteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Saecularibus, et cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad eundem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Saecularem, quam cuiusvis etiam diversi Ordinis, et Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis Confessiones huiusmodi excipiendae erunt, ad personarum Saecularium Confessiones audiendas

approbatum, qui intra dictum semestris spatium, illas, et illos, qui scilicet praesens Iubilaeum consequi sincere, et serio statuerint, atque ex animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedant, ac vice, et in foro conscientiae dumtaxat, ab Excommunicationis, Suspensionis, et aliis Ecclesiasticis Sententiis et Censuris, a iure, vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis Locorum, ac Nobis, et Sedis Apostolicae, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reservatis, et a Sacris Canonibus fulminatis, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis, et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis, absolvere; nec non Vota quaecumque, etiam iurata, ac Sedis Apostolicae reservata (Castitatis, Religionis, et Obligatoriis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii, semper exceptis; nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare; et cum Poenitentibus huiusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam Regularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium eorundem Ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob Censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possint et valeant, eadem auctoritate, et Apostolicae benignitatis amplitudine, concedimus et indulgemus.

§ 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam ulli Confessario facultatem absolvendi Complicem in quolibet inhonesto contra sextum Praeceptum peccato; aut Complici, Confessarium huiusmodi ad effectum praesentium eligendi licentiam impertiri; ut iam in aliis Nostris Literis incipien. *Sacramentum Poenitentiae,* Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri Anno Primo editis,[1] generaliter declaratum fuit; neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice Ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§ 6. Caeterum, si qui post inchoatum, huius Iubilaei consequendi animo, praescriptorum operum implementum, morte praeventi, praefinitum Visitationum numerum complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac Sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si praedictas Ecclesias diebus praescriptis reipsa visitassent. Si qui autem, post obtentas, vigore praesentium, absolutiones a censuris, aut Votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud, ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum eiusdem Iubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus huiusmodi absolutiones, commutationes, et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 212-267].

[1] Cf. N. 309.

410.

Benedictus XIV, const. *Imposito Nobis,* 29 mart. 1751.

Imposito Nobis Apostolicae servitutis officio convenit universae Christi Familiae toto Terrarum Orbe diffusae necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium Ecclesiae Ministrorum in remotis Regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini, ac spirituali consolationi, etiam per congruae dispensationis Indulta, prout rerum, locorum, et temporum rationes, ac veneranda maiorum nostrorum exempla suadent, consulere, et providere.

§ 1. Sane dudum Dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia ac potissimum in Montibus Pokuciae, in Podolia, in vastissimis Ukrainae Regionibus, et in universa fere Russia Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiae, rarissimae vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione Lapideas Sacratas Tabulas, et Calices aureos, vel argenteos, per longa et difficilia itinera, sine gravi incommodo, et sine periculo confringendi easdem Tabulas, et Calices, secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concedatur celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis, ut vocant, et Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab eiusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere: multique praeterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis eiusdem Ritus longe degunt, Sacerdotis Latini praesentia, a quo Sacra Mysteria peragantur, eisque distribuantur, omnino carebunt; prout reipsa saepe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur huiusmodi facultas, Sacrosanctum nempe Missae Sacrificium, etiam sine Lapidea Sacrata Tabula, celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum, atque in Missarum celebratione, eorumdem Ruthenorum stanneos Calices adhibendi.

§ 2. Cum autem huiusmodi Missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium adversus Haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, examini et iudicio, de more, rimissae fuerint; et consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram nobis habito die XXII Ianuarii elapsi Anni MDCCL; Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi iussimus; ac praeterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in Curia praesens aderat, quique et antea diu in Polonici Regni Ditionibus, atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum, Graecorumque Unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat; et deinde ad easdem Regiones, et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit, mandavimus, ut Nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque Nobis sententiam super huiusmodi postulatis, tam voce, quam scripto, aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis praecedentium Decretorum monumentis, iisque per Nos accurate perpensis, atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis: quum is praeterea Nobis retulerit, complures esse in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritus, et quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super Antimensiis Graecorum Unitorum absque Lapidea Tabula Missarum Sacra facere; eiusdemque consilium fuerit, quod sicuti Graecorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis relictis, Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis; ita, ad constitutam feliciter Unionem magis, magisque stabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum Lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorundem Graecorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis Sacerdotibus Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Tabulis de more consecratis, et Calicibus aureis, sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorundem Ruthenorum Antimensiis, et cum Calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupulo, celebrare.

§ 3. Porro, quod attinet ad Calices stanneos, omissis iis, quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei, et vitrei Calices in Altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *de Sacrificio Missae*, sect. 1, § 26 et seqq. Latinae Editionis Patavinae: nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit huiusmodi Calicibus e stanno confectis in Missa uti, si Ecclesiarum, vel Sacerdotum paupertas tanta sit, ut Maioris pretii vasa comparari nequeant; quin immo in can. *Ut Calix, de Consecrat.*, distinct. I, haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tum pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat.* Et quidem ad comprobandam asserendamque huiusmodi Ecclesiae Indulgentiam plura leguntur apud Sanctum Thomam, 3 part., quaest. 83, art. 3, ad sextum, aliosque Scriptores de hoc disciplinae capite agentes: Quart., *ad Rubricas Missalis*, part. 2, tit. 1, sect. 1, dub. 1, § *Colligitur;* Pasqualig., *de Sacrificio Novae Legis*, tom. 2, quaest. 764 et quaest. 765; Biss.; *Hierurgia Sacra in verb. Calix*, § 2.

§ 4. Quod vero spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missae Sacrificium, nisi super Altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re agimus in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae*, cit. sect. 1, § 2 et seq. In Graeca autem Ecclesia huiusmodi Sacrati Lapides minime sunt in usu; sed ibi a pluribus iam saeculis in more positum est, ut, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco Lapideae huiusmodi Tabulae, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cuius angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur *Antimension*, et super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de rebus Liturgicis tractantes videre licet, Goar., in *notis ad Eucholog. Graecor.*, pag. 521, Venetae Editionis; Christianus Lupus, in *Synodos General. et Provincial.*, in *dissert. de S. Leonis IX actis*, cap. 13, Bruxellen. Editionis, part. 3; Renaudot, *in Collectione Liturgiarum Oriental.*, tom. 1, pag. 182, Edit. Parisien.; Magri, in *notitia vocabulor. Ecclesiasticor.*, in *verb. Antimensia;* Card. Bona, *Rer. Liturgicar.*, lib. 1, cap. 20, § 2 eiusque Commentator Robert. Sala, tom. 2, pag. 70, num. 4, Taurinen. Editionis.

§ 5. Quum vero nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Graecos Fideles observantiae prospexerit; nunquam proinde Missarum celebrationem, quae super huiusmodi Antimensiis a Graecis Catholicis fit, improbavit; sed eam, et quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Graecos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in Institutione per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII edita,[1] tum in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis, Bullarii nostri*, tom. I, Constit. 57, § 6, num. 17.[2]

§ 2. Quum vero in iis Regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius, quam alterius Ritus Ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento, et sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine Sacrata Altaris Lapidea Tabula Missas celebrare, easque super Graecorum Antimensiis offerre; quob ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit, eadem § 6, num. 19.

§ 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini ritus longe degentes, quum Sacratas Lapi-

[1] Cf. N. 179.
[2] Cf. N. 328.

deas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, et sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel Missae celebrationem penitus omittere, et sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritus, et sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum Antimensiis peragere compelluntur. In huiusmodi rerum circumstantiis, Apostolicae Sedis provida indulgentia iamdudum enituit; quum scilicet anno MDCII ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis praedictae Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, et Vestibus Sacris eorundem Catholicorum uti, et Missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et e contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, Altaribus, et Calicibus, ac Vestibus Sacris uti, et Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino. Et praedicta serventur secluso omni scandalo, et de licentia Praelatorum, et Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

§ 8. Nos igitur, praemissae necessitatis intuitu, atque etiam huiusmodi Decreti consideratione adducti, praesentium litterarum tenore, atque ex certa scientia, et Apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII, nostrisque super Ritibus Italo-Graecorum editis Constitutionibus, et Ordinationibus, non modo relatum superius Decretum approbamus, et confirmamus; verum etiam praefatis omnibus Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi, et eorum quilibet, in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus Lapideis Altarium Tabulis rite consecratis, super Sacris eorundem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in huiusmodi celebratione eorundem Calicibus stanneis uti libere, et licite possint, et valeant, concedimus, et indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu Generalium, aut Provincialium, vel Synodalium Conciliorum contrariis Constitutionibus, et Ordinationibus, sive Locorum, Personarum, aut Ordinum Statutis, Ritibus, Usibus, et Consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 9. Volumus autem, sicut in praemisso Decreto expresse cautum reperitur, ut dicti Missionarii, et Sacerdotes Latini, etiam quum eos, vigore praesentis concessionis, super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eandem celebrare teneantur; firma nimirum, et in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Praedecessore quoque Nostro Sancto Pio Papa V edita, quae incipit: *Providentia Romani Pontificis*, constitut. 11, tom. 2, Bullar. Rom. Edit. Luxemburg.,[1] per quam omnes facultates, et Indulta, tam Graecis, ut Missas, et Divina Officia Latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Graeco Ritu peragere valerent, revocata, atque perpetuo sublata

[1] Cf. N. 113.

fuerunt; quamque Nos etiam earundem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate, confirmamus, et innovamus.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 359-362].

411.

Benedictus XIV, litt. ap. *Fra le moltiplicità*, 1 maii 1751.[1]

Fre le moltiplicità degli affari non ci siamo punto scordati di quello da Lei rappresentatoci nella sua lettera del 15 di marzo, della nobile donna luterana, che maritata con un nobile uomo cattolico, è pronta ad abiurare gli errori di Lutero; ma nello stesso tempo domanda la dispensa di poter proseguire a ricevere la santa Eucaristia sotto l'una e l'altra specie, non in pubblico ma in privato, e previa anche una protesta, da porsi in iscritto, di convenire nel credere, che nulla di più riceva quegli che si comunica sotto le due specie, di quello che si comunica sotto una sola, e di credere anche tutto ciò, che crede la S. Chiesa cattolica in ordine all'Eucaristia.

1. Tre sono le cose stabilite dai Concilii di Costanza,[2] di Basilea[3] e di Trento:[4] la prima, che tutto ed intero Gesù Cristo si contiene sotto ciasche-

[1] Ad Nuntium Ap. N.

[2] Martinus V (in Conc. Constantien.), const. *Inter cunctas*, 22 febr. 1418, art. 17, 18' de quibus errorum Wicleff et Husz suspecti interrogandi (in Conc. Constantien.)' const. *In eminentis*, 22 febr. 1418. – Cf. N. 43, 44.

[3] Sess. XXX. – « Ut lucidius videatur pro declaratione catholicae veritatis, quid circa perceptionem sacrae Eucharistiae tenendum sit, et agendum pro utilitate et salute populi Christiani, post diligentem perscrutationem divinarum scripturarum, sacrorumque canonum et doctrinarum a sanctis patribus et doctoribus traditarum, in hac sancta Synodo longis temporibus habitam, consideratisque omnibus quae pro declaratione huius rei consideranda fuerunt, decernit et declarat eadem sancta Synodus, quod fideles laici sive clerici communicantes, et non conficientes, non adstringuntur ex praecepto Domini ad suspiciendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum Eucharistiae Sacramentum. Sed Ecclesia, quae regitur Spiritu veritatis secum manente in aeternum, et cum qua Christus manet usque ad consummationem saeculi (sicut ait divina scriptura), ordinare habet, quomodo ipsis non confiti cientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti et salute fidelium videri expedire. Sive autem sub una specie, sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem seu observantiam Ecclesiae, proficit digne communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambigendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre totus Christus. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta, et hactenus diutissime observata, et a doctoribus divinae legis sacrarum scripturarum atque canonum multam peritiam habentibus, iam a longaevo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiae ipsam immutare ». – Mansi, tom. 29, col. 158.

[4] Sess. XIII, *de Eucharistia*, c. 3, can. 3; sess. XXI, *de Communione*, c. 1-3, can. 1-3.

duna delle due specie, e che tutto ed intero Cristo si riceve tanto da chi si comunica sotto una specie, quanto da chi si comunica sotto ambedue le specie: la seconda, non restare defraudato, chi lo riceve sotto una sola specie, di veruna grazia propria del Sagramento e necessaria per la salute eterna; la terza non esservi verun precetto divino, che astringa i non sagrificanti a ricevere la Comunione sotto ambedue le specie; dal che può facilmente dedursi, che, stante la buona credenza della dama, sarebbe facile accomodare la protesta che essa è pronta di fare, salvando in essa tutto il dogma; riducendosi perciò la difficoltà alla disciplina, che colla richiesta che si fa, quando si ammettesse, resterebbe lesa in tutto e per tutto, alla deficienza di causa legittima per concedere la dispensa, ed alle cattive conseguenze, che da una simile dispensa potrebbero derivare.

2. Abbiamo detto che, concedendosi quanto dalla nobile donna si richiede, resterebbe lesa in tutto l'ecclesiastica disciplina, giusta la quale chi non sagrifica, riceve la Comunione sotto la sola specie di pane. Di questa disciplina sono pieni i libri; e noi stessi ne abbiamo diffusamente discorso nella nostra opera *del Sacrifizio della Messa.* Nè qui altro resta da aggiungere, se non che il gran Cardinale Osio nel suo dialogo *de utraque specie,* dopo aver detto, non raccorsi dalle storie e monumenti della Chiesa di Polonia, essere mai stata distribuita al popolo la Comunione sotto ambedue le specie, conchiude, aver la Chiesa Polacca sino dal suo principio ricevuta la disciplina della Comunione sotto la sola specie del pane ne' laici, e per conseguenza in chi non sagrifica; della qual disciplina della Chiesa Polacca parla ancora il Cardinal Bellarmino, *De Sacramento Eucharistiae,* lib. 4, cap. 24, § *Cardinalis Osius.*

3. Abbiamo detto, mancare le cause per potere legittimamente dispensare; non consistendo queste nel solo spirituale profitto, che sperasi che i requirenti conseguiranno ottenendo ciò che chiedono; ma essendo necessario, che tutto ciò ridondi nel bene della cristiana repubblica, che è lo stesso che dire, non bastare una causa privata, ma dover alla privata esser unita ed accoppiata la pubblica; come si deduce dal Concilio di Trento alla sess. 22 nel decreto *super petitione concessionis calicis,* ove rimettendo l'affare al Romano Pontefice soggiunge: *Qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae, et salutare petentibus usum calicis, fore iudicaverit.*

4. Tale fu la concessione ai Boemi e Moravi di comunicarsi sotto l'una e l'altra specie, fatta dal Concilio di Basilea, che poi fu rivocata. Tale l'autorità data dai due Pontefici Paolo III e Giulio III ai suoi Nunzii in Germania, di poter concedere l'uso del calice, della quale però essi non si servirono. Tale pure fu la celebre concessione fatta dopo il Concilio di Trento dal Pontefice Pio IV in cui accordò agli Arcivescovi ed Elettori ecclesiastici di deputare nelle loro provincie sacerdoti cattolici ad amministrare il Sacramento sotto l'una e l'altra specie a que' laici, che ne avessero fatta divota premura, dalla quale concessione non essendosi poi ricavato quell'utile spirituale, che speravasi, non dubitarono i sommi Pontefici S. Pio V e Gregorio XIII di rivocarla: cose tutte, che si ricavano dalle storie della Chiesa, memorate anche da noi nel citato nostro trattato *del Sacrifizio della Messa,* e che involvendo la conversione di nazioni e di popoli, non v'ha dubbio che ridondavano in pro ed utile della cristiana repubblica.

5. Alla categoria altresì dell'utilità della cristiana repubblica si possono ridurre le concessioni fatte ad alcuni principi e principesse, di comunicarsi sotto l'una e l'altra specie; sapendosi quanto al pubblico bene contribuisca il far grazie ai principi, quando ne sono meritevoli, e quando quello, che domandano, non è contrario al ius divino, o naturale: e forse per questi motivi il Pontefice Clemente VI concesse al Re di Francia il poter, ogni volta che voleva, ricevere la santa Eucaristia sotto l'una e l'altra specie; della quale facoltà però non si sono mai i Re cristianissimi serviti, che nel solo giorno, in cui si consacrano, come da noi è stato osservato nel più volte nominato nostro trattato *del Sacrifizio della Messa;* aggiungendo a quanto vi abbiamo esposto, l'attestazione del Tournely, teologo francese, che nella 2 parte del suo trattato *de Eucharistia* alla pag. 68 della stampa di Parigi, parlando di quanto fu stabilito dal Concilio di Trento in questa materia, soggiunge: *intacto tamen laudabili Regum nostrorum usu, qui die, qua inaugurantur, Eucharistiam sub utraque specie percipiunt:* ed ora altresì aggiungendo noi, che lo stesso Clemente VI forse per gli stessi motivi concesse al primogenito di Filippo VI Re di Francia, ed a Bona sua moglie, come pure alla Regina Giovanna moglie dello stesso Filippo Re di Francia, il ricevere la Comunione sotto l'una e l'altra specie, delle quali concessioni si ritrovano i monumenti appresso il Raynaldi *all'anno di Cristo 1343 e 1345.*

6. Nè dallo stato della pubblica utilità può o deve in veruna maniera sottrarsi la concessione da noi rinnovata agl'Italo-greci di potersi comunicare sotto l'una e l'altra specie in que' luoghi però solamente, ne' quali tal uso è introdotto e vigente, colla condizione però che ammettano e credano quanto si ammette e si crede dai latini in ordine alla Comunione, che si riceve sotto la sola specie del pane, come può vedersi alla nostra Costituzione *Etsi pastoralis,* che è la LVII nel tom. I del nostro *Bollario* al § 6, num. 15,[1] avendo noi creduto, che il tutto si sarebbe sconvolto, se si fosse pensato a sradicare l'antica introdotta consuetudine.

7. Richiedendosi dunque, come sinora si è detto, per causa della dispensa, oltre il profitto del requirente, l'utilità della cristiana repubblica, e concedendosi ancora, che nella dispensa, di cui si tratta, s'involva il motivo della salute dell'anima di chi ne fa premura, giacchè dice di volersi convertire, purchè se le conceda la comunione sotto l'una e l'altra specie, non vi è chi non vegga, che sempre manca l'utilità della repubblica cristiana, il che porta la mancanza della sua causa per la dispensa, non essendo causa sufficiente la sola privata utilità disgiunta dalla pubblica.

8. Se non c'inganniamo, chiaro è l'esempio di colui che, ridotto in punto di morte, chiede il santissimo Viatico; dubitandosi però con buon fondamento, e forse anche sapendosi di certo, che ricevendolo sotto la specie di pane, non potrà inghiottirlo: cercasi dai teologi, se ad esso possa amministrarsi il Viatico o sotto la specie del vino, o almeno intingendo la specie

[1] Cf. N. 328.

del pane nella specie del vino consecrato, acciò in questo modo possa cibarsi del santissimo Viatico. Alcuni pochi hanno creduto ciò potersi fare; altri hanno detto potersi intingere il pane nell'acqua o nel vino non consecrato: altri sono arrivati al segno di asserire, che dicendo i medici che il vino o l'acqua potessero essere di nocumento all'ammalato, sarebbesi anche potuto immergere il Viatico nel brodo, porgendolo all'ammalato con un cucchiaro; ma la comune opinione rigetta tutto, non obligando il precetto di ricevere in punto di morte l'Eucaristia, se non quando questa si può ricevere nelle maniere prescritte dalla Chiesa, che è lo stesso che dire sotto la sola specie del pane. I nomi di questi autori, che così opinano, ed il sentimento de' quali fa la loro sentenza comune, sono da noi riferiti nel più volte allegato trattato nostro *del Sacrifizio della Messa.*

9. Ora si osservi nel caso proposto e risoluto come sopra, che non manca in esso la privata spirituale utilità del requirente, ma che, concorrendo la deficienza dell'utilità della repubblica cristiana, si esclude dai migliori teologi qualsivoglia epicheia, e si sta al rigore della legge, nè v'è fra loro chi ricorra alla presunta volontà del Papa, che, informato del caso, se fosse richiesto, darebbe la dispensa. Nelle materie, nelle quali si concede la dispensa, quando ve ne sia il bisogno preciso ed urgente, e nelle quali basta la sola privata utilità del requirente, non hanno i teologi difficoltà d'insegnare e sostenere, che, non essendovi modo nè tempo di ricorrere al sommo Pontefice, si può, ed anche alle volte si deve, procedere all'atto, ancorchè manchi la pontificia dispensa per altro necessaria, dovendosi credere, che se il Papa ne fosse informato, l'avrebbe accordata. Ciò particolarmente si vede ne' matrimonii, che si contraggono in punto di morte per debito di coscienza, e per legittimare la prole, ancorchè al contratto matrimoniale osti qualche impedimento dirimente, non essendovi tempo allora di ricorrere al Papa per la dispensa, e presumendosi, che, richiesto, l'avrebbe accordata. Somigliante discorso nè si è fatto nè si fa nel caso dell'ammalato, che non può inghiottire il Viatico, che gli si vuol amministrare, secondo il solito sotto la sola specie di pane; ed il discorso non si fa, sapendosi, che in queste materie il Papa non dispensa pel solo motivo della privata utilità, volendovi accoppiata la pubblica, che nel caso del detto ammalato non si può rinvenire.

10. Restano le cattive conseguenze di sopra accennate, che, dalla richiesta dispensa, quando si concedesse, potrebbero derivare. Sono queste ben avvertite dal celebre Silvio sopra *la terza parte di S. Tommaso,* quaest. 80, art. 12, quaesit. 4, e si riducono ai seguenti capi. Il primo, che chi è stato una volta seguace dell'errore della necessità della Comunione sotto l'una e l'altra specie, dà un giusto fondamento di sospettare, non ostanti le contrarie proteste, che, volendo proseguire di ricevere l'Eucaristia nello stesso modo, ritenga in testa o l'errore già professato, o nel cuore l'affetto al predetto errore. Il secondo, che, essendo impossibile che, praticandosi ancora qualsivoglia cautela, resti occulta la dispensa, o resti occulta l'uso della dispensa, renderassi impossibile l'escludere la iattanza degli eretici, che anderanno disseminando fra i poveri rozzi cattolici, avere finalmente la Sede Apostolica confessato, che essi avevano ed hanno ragione nel punto dell'Eucaristia da

amministrarsi sotto l'una e l'altra specie. Il terzo, che non mancherebbero fedeli, che domanderebbero la stessa cosa, o credendo esser essa anche buona per loro, o pure, dubitando se sia vero quanto sopra l'articolo è stato loro insino ad ora insegnato. Il quarto, che si aprirebbe una strada alla novità, leverebbe l'uniformità tanto necessaria, e particolarmente in questo augustissimo Sagramento.

11. E così conchiudendo, si esorti la pia e nobile donna a spogliarsi dell'affetto, che le resta verso il Calice, sottoponendosi intieramente ai dettami della S. Romana Cattolica Chiesa, che essa vuol riconoscere per sua pietosissima madre, quale amando i figli, sa molto bene ciò che è buono, e ciò che è cattivo per loro, come in tal proposito discorse eloquentemente nel sacro Concilio di Trento il Villalpandeo, teologo di Segovia, nella sua celebre orazione stampata appresso l'Arduino nel tom. 10 della sua *Collezione de' Concilii,* p. 312.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 382].

412.

Benedictus XIV, const. *Providas,* 18 maii 1751.

Providas Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Leges, atque Sanctiones, non solum eas, quarum vigorem, vel temporum lapsu, vel hominum neglectu labefactari, aut extingui posse veremur, sed eas etiam, quae recentem vim, plenumque obtinent robur, iustis gracibusque id exigentibus causis, novo auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

§ 1. Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens Papa XII per suas Apostolicas Litteras Anno Incarnat. Dominicae MDCCXXXVIII, IV Kalend. Maii, Pontificatus sui anno VIII, datas, et universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est: *In eminenti,* nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes, vulgo *de' Liberi Muratori,* seu *des Francs Macons,* vel aliter nuncupatas, in quibusdam Regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit, atque prohibuit; praecipiens omnibus, et singulis Christifidelibus, sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumeret huiusmodi Societates inire vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, et alias prout in eisdem Litteris latius, et uberius continetur, quarum tenor talis est, videlicet:

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem.

§ 2. *In eminenti,* etc.

Omittuntur litterae, quia eas habes supra, in N. 299.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo iactare non dubitaverint, dictam excommunicationis poenam a Praedecessore Nostro, ut praefertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro Apostolicarum Constitutionum a Praedecessore editarum subsistentia, Pontificis Successoris expressa confirmatio requiratur.

§ 4. Cumque etiam a nonnullis piis, ac Deum timentibus viri Nobis insinuatum fuerit, ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi nostri cum eiusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem, magnopere expediens fore, ut eiusdem Praedecessoris Constitutioni novum Confirmationis nostrae suffragium adiungeremus.

§ 5. Nos, licet hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis eiusdem Constitutionis Legibus vere poenitentibus, atque dolentibus, seque a damnatis huiusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, et nunquam in posterum ab illas et illa redituros ex animo profitentibus, absolutionem ab incursa excommunicatione, tum antea saepe, tum maxime elapso Iubilaei anno benigne concessimus; seu dum facultatem Poenitentiariis a Nobis deputatis communicavimus, ut huiusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eandem absolutionem nostro nomine et auctoritate impertiri valerent; dum etiam sollicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus Iudicibus, et Tribunalibus, adversus eiusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit; non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia, et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi nostri sensus, ac firma et deliberata voluntas, quoad censurae per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, impositae vigorem et substinentiam, satis aperte inferri debuerant; siquae autem contraria de Nobis opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere possemus, causamque nostram, iusto Dei Omnipotentis iudicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras actiones recitatas fuisse constat: *Praesta, quaesumus, Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus, ut nec terreni nos lacerationibus patiaris iniustis, nec captionis adulationibus implicari, sed potius amare quod praecipis,* ut habet antiquum Missale, quod S. Gelasio Praedecessori Nostro tribuitur, et a Venerabili Servo Dei Iosepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quae inscribitur: *Contra obloquentes.*

§ 6. Ne tamen aliquid per Nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque eos obstruere, audito prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, eandem Praedecessoris Nostri Constitutionem praesentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam, in forma specifica, quae omnium amplissima, et efficacissima habetur, confirmare decrevimus; prout eam ex certa scientia, et Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, earundem praesentium Litterarum tenore in omnibus, et per omnia, perinde ac si nostris motu proprio, auctoritate, ac nomine primum edita fuisset, confirmamus, roboramus, et innovamus, ac perpetuam vim, et efficaciam habere volumus, et decernimus.

§ 7. Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis, et damnationis causas in praeinserta Constitutione enunciatas, una est, quod in huiusmodi Societatibus, et Conventiculis, cuiuscumque Religionis, ac Sectae homines invicem consociantur; qua ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicae Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum, et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in huiusmodi Conventiculis fiunt; quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimium diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.* Tertia est iusiurandum, quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt; quasi liceat alicui, cuiuslibet promissionis, aut iuramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in huiusmodi Conventibus fiat, quod si contra Religionis, aut Reipublicae statum, et Leges. Quarta est, quod huiusmodi Societates non minus Civilibus, quam Canonicis Sanctionibus adversari dignoscuntur; quum scilicet Iure Civili omnia Collegia, et Sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum libro XLVII, Tit. 22, *de Collegiis, et corporibus illicitis;* et in celebri epistola C. Plinii Caecilii secundi, quae est XCVII libri X, in qua ait, edicto suo, secundum Imperatoris mandata, vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, id est, ne Societates, et Conventus sine Principis auctoritate iniri, et haberi possent. Quinta est, quod iam in pluribus Regionibus memoratae Societates, et Aggregationes Saecularium Principum Legibus proscriptae atque eliminatae fuerant. Ultima demum, quod apud prudentes, et probos viros eaedem Societates, et Aggregationes male audirent, eorumque iudicio, quicumque eisdem nomina darent, pravitatis, et perversionis notam incurrerent.

§ 8. Denique idem Praedecessor in praeinserta Constitutione Episcopos, et Superiores Praelatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius executione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

§ 9. Quae omnia, et singula non solum a Nobis approbantur, et confirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respective commendantur, et iniunguntur; verum etiam Nos ipsi, pro Apostolicae sollicitudinis officio, praesentibus Nostris Litteris, Catholicorum Principum, omniumque Saecularium Potestatum opem, auxiliumque ad praemissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus; quum ipsi Supremi Principes, et Potestates electi sint a Deo defensores Fidei, Ecclesiaeque protectores; ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia praestetur; quod iis in memoriam revocarunt Trid. Synodi Patres, sess. 25, cap. 20, multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus, suorum Capitularium tit. 1, cap. 2, ubi, post demandatam omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum Sanctionum observantiam, haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis ditionum suarum Praesidibus et Ministris iniungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Eccle-

siae Legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro Imperio honores retinere, licet etiam Filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem, aut communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

§ 10. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 373-377].

413.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Magno cum*, 2 iun. 1751.[1]

Magno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in Dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter Oratoria privata insurrexisse; quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certe vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Ordinationes vestrae Pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum maius semper eisdem honoris, atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae huiuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de huiusmodi materia doctrina traditur Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctae Sedis Decreta vel dissimulant, vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum Nos Venerabiles Personas Vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem Decessorum nostrorum, tum nostram hac super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid maioris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum obiectum, est quaeque in quaestione versatur; cum omnis huiusmodi res ab Apostolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo iure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in Encyclica hac Epistola nostra continentur, ordinabitur, et statuetur, id pro

[1] Ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae.

exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit; cuius rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem, et auctoritatem Fraternitatibus Vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium Litterarum tenore Vobis ad huiusmodi effectum concedimus, et impertimur.

§ 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quae in Episcopalibus Palatiis vestris habetis, pro Missa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra Functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset; nisi hoc a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus Sanctum Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in *Homilia 37 super Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in Oratorio Episcopii sui Missas fecit*, tam ut propriae, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Iohannis Eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, Missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum, *De veteri, ac nova Ecclesiae disciplina*, part. 1, lib. 2, cap. 93, num. 6. Alia exempla in Opere *De Oratoriis privatis inscripto*, cap. 6, collecta reperiuntur (quod opus novissime a Iohanne Baptista Gattico Canonico Lateranensi Romae in lucem editum est) per quae Episcoporum ius circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

§ 2. Huic quidem iuri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit: quippe quod tantummodo sess. 22, *De observandis, et evitandis in celebratione Missae*, propter multa, quae parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis praecepit, ne Saecularibus, ac Regularibus Missam celebrare permitterent *privatis in Domibus*, et extra Ecclesias, aut Oratoria publica, quae Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Cappellis, quae in Episcopalibus Palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini Interpretum, in aliquot eiusdem Resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro *De Sacrificio Missae* Tractatu retulimus: sect. 2, § 45 et seq., latinae edit. Patav.; Nos enim, tunc etiam cum *in minoribus* constituti, opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium Sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

§ 3. Illud tantummodo de huiusmodi Episcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quae in Episcopiis sita sunt, restringeretur,

nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere, vel ipsi eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

§ 4. Verum recol. mem. Praedecessor Noster Bonifacius Papa VIII in Decretali sua: *Quoniam Episcopi, De Privilegiis,* in Sexto, male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam Dioecesim Altari portatili, seu viatico uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut Altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire Divina.* Dignum animadversione verbum est, *Ubicumque,* quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra Dioecesim sita sunt, comprehendit.

§ 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii Resolutiones merentur, cum ad Quaesitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam Dioecesim est, ad utendum Privilegio Altaris viatici, petere eius rei veniam ab Episcopo Locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacio VIII Privilegium fuisset; quoniam illius Pontificis aetate antiquum Ius in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quaesitum propositum fuisset: num Privilegio per Bonifacium VIII Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V Decretum,[1] de quo pariter mox dicetur, praeiudicium ullum attulissent; nihil pariter Privilegio illi detractum fuisse respondit;[2] cum tam in Concilio, quam in citato Decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam iuribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Praedictae Resolutiones a Nobis referuntur in nostro Tractatu, *De Sacrificio Missae,* latinae editionis Patavinae, sect. 2, § 42; nec non in *Commentariis* bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas, tom. 4, *Super Constitutione II Urbani V,* num. 15 et seq., et a Gattico in recenti eiusdem Tractatu, *De Oratoriis domesticis,* in tit. *De usu Altaris portatilis,* cap. 12, num. 1 et seq.

[1] S. C. C., litt. encycl. a. 1615: « Tametsi Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum optimis innixa rationibus saepissime responderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis non nisi a Sede Apostolica esse concedendas, etc. Illustrissimi Patres, etc. Sanctissimi Domini Nostri iussu signandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii Decreto unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam ».

[2] S. C. C., a. 1623: « Proindeque Cappellas, et Oratoria ad illorum usum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Constitutionis iussu sanctae memoriae Pauli V iampridem edita de non celebrando in privatis Oratoriis ».

§ 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem maius praeiudicium Privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu huius Privilegiis Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra Dioecesim, ad Laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium Privilegium ostentarent, vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum huiusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit huiusmodi excessum prohibere, eiusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum iurisdictionis subiectis contigisset. In Codicibus Actorum, seu Regestis Congregationis praedictae, lib. 48 *Decretorum,* fol. 471, Resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Praedecessore nostro Clemente Papa XI die 15 Decembris 1703 sequens Decretum publicatum fuit,[1] in quo postquam incoveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra Domum propriae habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut per plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolant,* ad remedium gradus fit: *Ad abusus huiusmodi eliminandos, etc. Sanctissimus Dominus Noster, etc., expresse declarat, Episcopis, et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore Iuris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere.*

§ 7. Magni huius Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem ut recto Privilegii usui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, et effraenata, cuiquam praebere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Dioecesim visitant, vel iter faciunt, aut alia iusta de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de huiusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII, immediato Clementis eiusdem Successore, habitae fuerunt, quarum Nos tunc *in minoribus* existentes, a Secretis fuimus, opportunum factu indicatum est, ut ea, quam mox subiicimus, Declaratio fieret; quae postea inserta fuit in eiusdem Innocentii Litteris incipientibus: *Apostolici Ministerii,*[2] quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam eiusdem Successor Benedictus XIII in *forma specifica* confirmavit,[3] et ut in omni-

[1] Cf. N. 264.

[2] Die 23 maii 1723, § 24. - Cf. N. 280.

[3] Cf. N. 283.

bus locis pro regula, ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter eiusdem Concilii decreta retulit tit. XV, cap. III, in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod, cum in praedicto Decreto*, de Clementis XI Decreto sermo est, *statuatur, nec licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.*

§ 8. Optimum factu iudicavimus in Encyclica hac Epistola Nostra exponere Vobis haec, quae ad Fraternitates Vestras praecipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est quoad Sacella, seu Cappellas, quae in Episcopalibus Palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus, et extra vestram Dioecesim facere permissum est; causas etiam Concessionum, ac Privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut Vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter Cappellas Episcopalium Aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi, et commodo vestro, quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata Oratoria in domibus Laicorum, sive intra, sive extra Dioecesim vestram, in quibus aliquando Vobis, pro praecipuo fine huiusmodi commodi, et consolationis vestrae, Privilegio Altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusus privatorum Oratoriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quae in domibus Laicorum sunt, gradum facientes aliqua praemittemus.

§ 9. Primum quidem est, privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos Sacra Mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis notis ad Canones Trullanos apposite animadvertit. Alterum autem, privata Oratoria in domibus Laicorum, subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones iam cessassent; cum in *Sacramentario Gallicano*, quod Mabillonius, tom. 1, *Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae recitanda erat in Missa, quae celebrabatur *in domo cuiuslibet;* nec ad huiusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu nostro, *De Sacrificio Missae*, sect. 1, § 10, cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis huiusmodi Oratoriis privatis in domibus Laicorum, seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil

de Iustiniani Novella 58 dicemus, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4 et 15 Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu, *De Sacrificio Missae*, loco superius citato a Nobis allata fuerunt.

§ 10. Quartum, quod licet fere semper in Laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit. Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.* Verba sunt can. *Missarum, De Consecrat.*, dist. 1. Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Graecorum non nisi unicum Altare erat, et postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon in *Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis Laicorum Oratoriis, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

§ 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptum fuit, opera Cardinalis Osii, et Nuntii Commendonii, in magno Conventu, habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta, lib. 24, cap. 13, videre est) in sess. 22, in Decreto *De observandis, et evitandis in celebratione Missae*, sequenti modo statutum, et ordinatum fuerit: *Neve putiantur*, de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, et visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*, cum adiecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini, *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus Laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum Ius ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum, et Oratoriorum privatorum in Laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque huiusmodi semper fuit Conciliaris Textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa eiusdem interpres; quaeque etiam a fel. record. Praedecessore Nostro Paulo Papa V in Epistola Encyclica anno 1615 ad omnes Episcopos expedita, approbata

fuit; quae quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam in citato Tractatu nostro, *De Sacrificio Missae,* sect. 2, § 42, impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque Verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missae Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem huiusmodi licentias dandi, ipsius Concilii Decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

§ 12. Postquam Ius concedendi Oratoria in privatis Laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest, quantum curae, ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem moderamine. Qua de re in Archivo Congregationis Concilii, cuius olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad maiores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Litterarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, et quod licentia huiusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a Sacerdote vel Saeculari, vel Regulari, dummodo Saecularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae, et Ascensionis Domini, Annunciationis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Titularis Ecclesiae Loci. Exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, et Ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine Parochialium iurium praeiudicio fieri debere.

§ 13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt; ut quum, exempli gratia, iustis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquando citius, aut aliquando serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis praefixus est; vel etiam in diebus exceptis; et alia huiusmodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiae exortae sint; Apostolica Sedes per huiusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

§ 14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus Coniugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir, aut Uxor Missae intersunt, si consanguinei, et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, Ecclesiastico praecepto diebus Festis satisfaciant; id tanquam tutum, ac Brevis litteras cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Coniugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo iubente in privato Oratorio Missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, et affines, eamdem audientes Festo die, Ecclesiastico praecepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more Auctorum opiniones erant; verum cum huiusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3 decembris 1740 in causa, euius inscriptio erat *Marsicen. Oratorii,* propositum, ac discussum esset: decisum fuit, non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultariorum praesentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum in tom. 9 Resolutionem Concilii anni 1740, ad pag. 89 et seq. videre est.

§ 15. Cum autem Decreti huiusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7 Ianuarii 1741 confirmatum fuit; ac praeterea demandatum, ut in huiusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quae Missa pro filiis, consanguineis, et affinibus valeat, maioris claritatis gratia, subiecta clausula adiungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, et affines praedicti unicam dictam Missam, vobis quidem praesentibus audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem, quae Indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit; adiunximus, ut pro Indultariis personis illae haberentur, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

§ 16. Nos ab huiusmodi norma minime recedimus; verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente, conceditur, ut Missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in Fronte Brevis minime nominetur, hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis personis adsistit, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominantur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum cum ipsa adsistat, facere ut Missa celebretur.

§ 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur Viro et Uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem Vir superstitem habet Matrem; haec vero in Fronte, seu Inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque Mater eamdem Missam celebrari facere possit, et valeat; id

sufficiens est, ut sola Matris praesentia adhibita, Missa in Oratorio celebrari possit, etiamsi Mater in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in huiusmodi generis Brevibus indicantur; verum curae Nobis erit, ut in posterum felicius etiam, et sine ulla confusione exprimantur.

§ 18. In consuetis sive ordinariis Brevibus, solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet Sacerdote Missae celebrantur. Interdum illi, qui privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in huiusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit: num possent die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missae celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii eiusdem a Secretis eramus, peculiarem Dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13 Ianuarii anni 1725 resolutum a Congregatione fuit, quod a Sacerdote tres Missae celebrari possent, quemadmodum tom. 3 Thesauri Resolutionum, pag. 109 et seq., et pag. 116 videre est.

§ 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quae in iis Oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet, iam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in Ecclesiis, in quibus Sacri huius Lavacri Fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum, vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica, *de Baptismo, et eius effectu,* videre est.

§ 20. Quod autem Sacramentum Poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub Titulo *de Sacramento Poenitentiae,* cum de Sacerdote sermo fit, qui Confessiones audit, statutum fuit:[1] *In Ecclesia, non autem in privatis aedibus, Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V confirmatum fuit. Et magnus Ecclesiasticae disciplinae Instaurator Sanctus Carolus Borromaeus tum in Instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in Monitis ad Confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis Civitatis eiusdem, part. 1, pag. 11, part. 4, pag. 520, eadem part. 4, pag. 761, et pag. 773 videre est; pag. autem 775 Superioribus Regularium inculcat, ut id a Subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis Confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X Bulla, *Superna,*[2] nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam*

[1] Tit. III, c. 1, n. 7.
[2] Cf. N. 246.

Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cuiusvis Ordinis etc. Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a Iure permissos. Quod decretum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptistelli Civitatis eiusdem Episcopo anno 1722 celebrata fuit.

§ 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quae ab unoquoque Catholico Paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum Decreti Concilii Lateranensis, *in Cap. Omnis utriusque sexus, de poenitentiis, et remissionibus,* tum Concilii Tridentini, sess. 13, cap. 8, can. 10, nemo est, qui ignoret, praeceptum hoc in propria Parochiali Ecclesia adimplendum esse, aut in alia Ecclesia cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias Dioecesum consuetudines. Porro fel. record. Praedecessor Noster Paulus Papa IV Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut Sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis;[1] atque hoc privilegium a sanctae memoriae altero Praedecessore Pio Papa V *per communicationem,* ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.[2]

§ 22. Verum quia, secundum praecedentem Eugenii IV Constitutionem,[3] Paschale tempus, intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum Sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere; resolutum fuit, die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali praecepto in propria Parochiali Ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares alii Paschalis temporis diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii Decreta sunt quibusdam in Causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi, et Mechliniensi, quae a Nobis in Nostro *de Synodo Dioecesana* Tractatu, lib. 7, cap. 42, num. 3 relata sunt.

§ 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Tridentino Concilio, sess. 22, cap. 6, *de Sacrificio Missae,* quae subiicimus verba legantur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior perveniret,* non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt; neque ad hoc praestandum ullo particulari Indulto opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite Nos *in Nostra Institut. 34,* § 3 disseruimus, inter eas,

[1] Const. *Ex clementi,* 1 iul. 1555, § 7, 12. – Bull. Rom., tom. 4, I, p. 315-319
[2] Cf. N. 121.
[3] Cf. N. 53.

quas tum, cum Bononiae resideremus, Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico Sermone edidissemus, postea Romae latinae redditae, atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini, sive praxi, cohaerens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt, quam vel Saecularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinuisset.

§ 24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis, ut ratio est, cur ab hoc Systemate recedamus. Siquidem, cum Nos magna illa controversia, super Communione illis distribuenda, qui Missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter Sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt; Ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, iuxta praesentis temporis disciplinam, libera eidem facultas pateat, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad Altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in Litteris nostris, quarum initium est: *Certiores effecti,* et quae in Bullario nostro tom. 1, num. 64 leguntur,[1] videre est.

§ 25. Atque haec sunt, Venerabiles Fratres, quaecumque in Encyclica hac Epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus, quo quidem satis intelligetis, quod legendis et considerandis Apostolicis Litteris concessionum Oratorii, Decessorum nostrorum Decretis, harum Congregationum Resolutionibus, quae a Nobis, etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, et controversiis locus reliquus sit. Verum quia Vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quaecumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione, et consideratione, aut ex ignoratione Decretorum, et Pontificiarum resolutionum, originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet aetate nostra, et multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in Encyclicam hanc Epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

[1] Cf. N. 331.

§ 26. Quod si Vos etiam id praestare curabitis, ut in Dioecesanis Synodis vestris, in vestris item Edictis, quae a Vobis pro bono Dioecesis vestrae regimine publicantur; Pontificiorum Decretorum, ac Resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum extabit, ut et vivam in Vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis, aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in praesentia tenent nostri Italiae Episcopi, qui aut Pontificiorum Decretorum, quae super privatis Oratoriis condita sunt, Summam in Synodis suis inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem Decreta *per extensum* adiunxerunt, quemadmodum in Synodo anno 1724 a bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera anno 1726 celebrata a bon. mem. Cardinali Pignattelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quae anno 1736 habita fuit a Venerab. Fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

§ 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae numquam praeteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacrae leges ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter praesidium, quo nituntur, Magnatum Saeculi, apud quos Cappellani munere inserviunt; idem nono etiam Saeculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re queratur in suo Tractatu, *de Privilegio et iure Sacerdotii,* cap. 11. Non tamen idcirco vobis Sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum Natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis eiusdem Oratoriis contingant, cum id Magnati, cuius in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur; sperare est, ipsum omne suum inobedienti Cappellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur, praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra Cappellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit; pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad Encyclicam hanc Epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

§ 28. At enim inconvenientia a Privilegiatis, et Exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

§ 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici, et ut super eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum Decretali Honorii III in cap. *In his, de privilegiis,* videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare

etiam in domibus laicorum, sive super Altari viatico, sive super Altari fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum Sacrum Tridentinum Concilium in citata sess. 22, in Decreto iam citato *de observandis, et evitandis in celebratione Missae,* Episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missae celebrentur *a Saecularibus, aut a Regularibus quibuscumque,* eisdemque dedisset facultatem procedendi, tamquam Apostolicae Sedis Delegatos, contra refractarios: *Ut Delegati Sedis Apostolicae;* atque omnibus privilegiis, exemptionibus, et consuetudinibus contrariis, cuiuscumque generis essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptiomibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* hinc necessario consequitur, Sacrum Concilium Tridentinum tam praecedentibus Altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tamquam Sedi Apostolicae Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, qnae obstet, quaeque impediat, quo minus abusus tollantur.

§ 30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Iuris* inclusum sit; etenim Sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quae *in corpore Iuris* inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adiecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Praesul Fagnanus in cap. *Nonnulli,* num. 42 et seq. sub tit. *de Rescriptis,* ample demonstrat.

§ 31. Quod si forte quis hoc unquam obiiceret, concessum saepe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, Altaris viatici usum concedi; Fraternitatibus vestris notum esse debet, huiusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi Ecclesiae non sunt, aut si sunt, talis Haereticorum potentia est, ut in easdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo praecise necessitati providetur; quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

§ 32. Gregorii XIII Decessoris nostri privilegium legite, quod anno 1580 Fratribus Ordinis Praedicatorum Provinciae Polonicae concessit, quod Bullariis Religiosae illius Familiae, tom. 7, pag. 192 insertum est: *In quibusdam Civitatibus, Oppidis, et locis Provinciae Poloniae tanta haereticorum potentia, et impietas existit, ut Catholicos impune opprimant, nec iisdem Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi, ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Praedicatorum Provinciae Poloniae Priori Provinciali, ut licentiam, et facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, et honore, super quibus in domibus Nobilium Civium, ei Incolarum Civitatum, Oppidorum, et locorum dictae Provinciae, in quibus vel Ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia, et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, et honestis, per se ipsos Missas in praesentia Personarum Catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tuntum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.*

§ 33. Legite item iam superius citatum Clementis XI Decretum, quod, maioris etiam commoditatis vestrae gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, praeter publicationem eiusdem Romae factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Itatiam, transmissum fuisse, sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus, et animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum praestantiorum, inter Pontificii Iuris peritos, Auctorum assertiones ubique a promptu sint), manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis Altaris privilegia, quae Regularibus concessa fuerunt, et num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima iam celebrata est, nec pro secunda huiusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante Auroram, vel post Meridiem, Missam celebrare; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino huiusce rei necessitas sit, illud Nos in praesentia Decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta eiusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibíta cum vigore ea remedia sint, quae ab ipsa Apostolica Sede contra huiusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

§ 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris Edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Saecularis, vel Regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive intra, sive extra Coenobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod praestari debet, quodque ab Episcopis praestari solet, quemadmodum apud Clericatum, *de Sacramento Ordinis,* decis. 19, num. 42, ubi Episcopales Synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a vobis impositae et inflictae negligentur; nequaquam certe Nos Officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui Fratres nostri sunt, iura sarta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam Populis curae vestrae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

[Bened. XIV Bull., tom 3, p. 377-389].

414.

Benedictus XIV, ep. encycl. *A quo primum*, 14 iun. 1751.[1]

A quo primum supremae Dei bonitati complacitum est, ut Sanctae Catholicae Religionis nostrae primordia in Poloniae Regno constituerentur, quod circa decimi saeculi finem sub Praedecessore nostro Leone VIII, Ducis Mieceslai, et Coniugis Dambrowkae Christianae opera, contigisse, apud Dlugosz, Annalium vestrorum Scriptorem, lib. 2, pag. 94, litteris consignatum est; ab eo usque tempore pia semper ac devota Polonorum Natio adeo constans in suscepto Sanctae Religionis proposito perstitit, adeo ab omni Sectarum genere abhorruit, ut, licet illae nihil intentatum reliquerint, ut in Regnum istud introductae suam ibidem sedem statuerent, atque in eodem suorum errorum, haeresum, vel pravarum opinionum semina dispergerent, eo fortius Polonorum constantia sese illarum conatibus opposuerit, et luculentiora magis fidelitatis suae praebuerit testimonia.

§ 1. Sane, quod ad propositum hoc nostrum aptissimum, et per se multo maximum habendum est, non modo gloriosa illa Martyrum, Confessorum, Virginum, Virorum sanctitatis fama insignium, quibus in Poloniae Regno nasci, enutriri, et mori contigit, memoria est, quae in Sacris Ecclesiae Fastis recensetur; sed et complurium ibidem Conciliorum, ac Synodorum celebratio, quae feliciter ad exitum perducta sunt, et quibus magna cum gloria de Lutheranis victoria reportata est, qui omnes rationes ac vias experti sunt, ut sibi aditum, receptumque in idem Regnum pararent. Iam vero tum magnum Petrocoviense Concilium, quod sub Magno Praedecessore, et Concive nostro Gregorio XIII, Praesule Lipomano Episcopo Veronensi, et Nuntio Apostolico eidem praesidente, celebratum fuit, in quo tanta cum Dei gloria libertas conscientiae, quam in Regnum illud aditum, ac domicilium quaerebat, proscripta fuit; tum demum amplum illud Synodalium Constitutionum Provinciae Gnesnensis volumen, in quo ea omnia litteris consignata sunt, quae a Polonis Episcopis utiliter, et sapienter acta, ac provisa fuerunt, ut in Populis regimini eorum commissis Christiana Religio adversus Iudaicam perfidiam illibata servaretur, licet temporum conditio ferat, ut iisdem Urbibus, atque Oppidis, tum Christiani, tum etiam Iudaei contineantur, haec quidem luculentissime, atque evidentissime comprobant, quantam, quod ante dictum est, Polonorum Natio ex eo sibi laudem comparaverit, quod Sanctam Religionum a Maioribus suis ante tot saecula susceptam sartam semper studuerit tectamque servare.

§ 7. Summa autem difficultatis in eo sit est, quod Synodalium Sanctionum vel memoria excidit, vel executio negligitur. Vobis itaque, Venerabiles Fratres, onus incumbit, ut easdem renovetis. Vestri hoc officii ratio exposcit, ut earumdem executioni sedulo insistatis. In hoc autem ab Ecclesiasticis hominibus, sicut par, et aequum est, initium facite, quos in recta agendi ratione viam aliis commonstrare, et exemplo caeteris praelucere opus est. In Dei enim miseratione Nos sperare iuvat, bonum Ecclesiasticorum hominum exemplum aberrantes Laicos in rectam semitam reducturum. Quae quidem a vobis eo facilius, ac fidentius praecipi, et mandari poterunt, quod (prout certis atque idoneis auctoribus allatum est), vestra neque bona, neque iura per vos Iudaeis locari, nullum cum eisdem mutuas pecunias dandi, atque accipiendi negotium intercedere, unoque verbo ab omni cum eisdem commercio liberos omnino Vos, atque immunes esse Nobis innotuit.

[1] Ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae.

§ 8. Ratio, ac methodus a Sacris Canonibus ad debitam a contumacibus obedientiam exigendam praescripta, ea est, ut in maximi momenti causis, cuiusmodi praesentes sunt, Censurae adhibeantur, et ut inter casus reservatos illi etiam adiungendi sint, a quibus discrimen Religioni, atque exitium imminere praevideatur. Probe notum vobis est, Sacrum Tridentinum Concilium[1] iurisdictionis vestrae firmitati consuluisse, tum cum vobismetipsis ius reservandi casus asseruit; neque eos ad publica tantum crimina restrinxit, verum etiam *ad atrociora et graviora,* dummodo mere interna non sint, extendit, atque ampliavit. Compluries autem ab huiusce Almae Urbis nostrae Congregationibus in variis Decretis, et Encyclicis Epistolis decisum, ac pronunciatum fuit, atrociores inter, atque graviores casus, eos recenseri debere, ad quos procliviores homines sunt, et qui coniunctam Ecclesiasticae Disciplinae, sive salutis animarum, quae Episcopali curae commissae sunt, perniciem habent; quemadmodum a Nobis in nostro Tractatu, *de Synodo Dioecesana,* lib. 5, cap. 5, per totum, fuse ostensum est.

§ 9. Ad hanc autem rem nihil per vos auxilii a Nobis desiderari patiemur, ac pro expediendis difficultatibus, in quas procul dubio incideretis, si vobis contra eos Ecclesiasticos procedendum esset, qui a iurisdictione vestra exempti sunt, Nos Venerabili Fratri Archiepiscopo Nicaeno nostro isthic Nuntio opportuna pro eodem negotio mandata praescribimus, ut ab eodem, iuxta facultates sibi traditas, necessaria praestentur. Illud simul pro certo vobis pollicemur, Nos, tum cum opportunitas feret, enixe atque omni efficacia de hac re cum illis etiam agere non praetermissuros, opportuna quorum auctoritate ac potentia adiuncta, effici potest, ut a Nobili Poloniae Regno huiusmodi labes, atque ignominia auferatur. Vos autem, Venerabiles Fratres, a Deo primum, qui bonorum omnium auctor est, ferventiori cordis affectu opem exposcite. Ab eodem Nobis etiam, atque huic Apostolicae Sedi auxilium precibus vestris implorare; et dum omni vos charitatis plenitudine complectimur, Fraternitatibus vestris, et Gregibus curae vestrae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 390-394].

[1] Sess. XIV, *de poenitentia*, c. 7.

415.

Benedictus XIV, allocut. *Perspectam*, 5 iul. 1751.

§ 1. Perspectam Vobis ex hoc ipso loco ante biennium, cognitamque fecimus mentem nostram deligendi Vicarium Apostolicum, qui administrandam susciperet eam partem Dioecesis Aquileiensis, quae ad Venetae Reipublicae ditionem minime pertinet. Cum vero Vicarium ipsum Apostolicum iam elapso anni spatio constituimus, aperte declaravimus, tum in Allocutione, quam in Consistorio pronunciavimus, tum in Litteris Apostolicis, quas super hoc negotio edidimus, ita Vicarium Apostolicum interea temporis a Nobis deputari, ut tamen firmiori remedio uti parati essemus, si Partes inter se dissidentes aliquando convenirent, initasque ab ipsis pactiones Nobis patefacerent, ut illas accurate perpenderemus, nostroque iudicio probaremus.

§ 2. Interim Charissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Illustris Regina Bohemiae et Hungariae, et Imperatrix; Dilecti quoque Filii Nobiles Viri Dux, et Senatores Reipublicae Venetae, unanimi consensu nonnulla inter se pacta statuerunt, quae Nobis deinde proposita sunt, ac diligenter examinata, libentissime comprobanda iudicavimus.

§ 3. Summa totius rei in eo posita est, ut Patriarchatus Aquileiensis perpetuo supprimatur, duoque erigantur Archiepiscopatus, quorum unus Utini, alter Goritiae constituatur. Quapropter huiusmodi consilium amplectentes, quod magis consentaneum utiliusque ad animarum salutem administrandam, pacemque inter Catholicos Principes stabilius conservandam, peritissimis viris ultra citraque montes visum est; insuper inhaerentes pactionibus communi Partium assensu firmatis; Apostolicam Constitutionem in lucem edituri sumus, qua de medio tollentes Patriarchatum Aquileiensem, duos Archiepiscopatus instituimus iis in locis, quos superius memoravimus, utrique suos limites tribuentes, quibus non solum ipsorum propria Dioecesis, sed etiam propria cuiusque Provincia discernantur; omniaque partita, definita, ac distincta inter ipsos ita sint, ut in auctoritate exercenda nullum in posterum alter alteri inferre queat impedimentum; in quo publicae pacis et quietis stat etiam fundamentum.

§ 4. Sacrorum Canonum scientia, rerumque ad Ecclesiasticam historiam spectantium cognitione Vos ita praeditos arbitramur, ut supervacaneum iudicemus vestris oculis argumenta subiicere, quibus Pontificum auctoris innititur in novis erigendis, vel abolendis Patriarchatibus, Archiepiscopatibus, et Episcopatibus, et in ipsis Dioecesibus dividendis, videlicet, cum uni Dioecesi partem attribuunt, quae, reliquis partibus adiunctis, aliam Dioecesim integre constituebat. Vestram quoque eruditionem offenderemus, si Patriarchatus Aquileiensis initia Vobis in memoriam revocare vellemus, qui profecto a Schismate, quod Trium Capitulorum dictum est, saeculo sexto dimanavit; quod quidem magis praeclari rerum Scriptores adfirmant, quique magis eidem Patriarchatui suffragantur. Silentio praeteribimus exempla praeteriti temporis, quibus Patriarchatus in duos Archiepiscopatus divisus, vel duo constituti Archiepiscopatus comprobantur, secreta in duas partes Dioecesi, vel Provincia, quas unus tantum Archiepiscopus obtinebat. Nos quidem multum laboris insumpsimus in huiusmodi antiquitatis monumentis perquirendis; plura etiam congessimus, ut privato studio nostro indulgeremus, utque magis perspicue intelligeremus, quid consilii a Nobis capiendum esset, cum huius generis negotia proponerentur. Verum, si haec omnia in medium Vobis adduceremus (ut vulgato proverbio utamur), noctuas Athenas ferre videremur. Accedit etiam, quod alienum prorsus est, nostram vestramque huius diei laetitiam, memoria veterum dissidiorum, atque bellorum, quae inter Principes exarserunt, perturbare, et gravissimas difficultates recensere, quae ob temporum calamitates in cura animarum gerenda obiectae fuerunt. Quamobrem, ut huiusmodi impedimenta de medio tollerentur, iidem Principes nonnullas inter se pactiones statuerunt, quas deinde Nobis propositas, assensu nostro, uti dictum est, confirmavimus, easque mandandas executioni quamprimum censemus.

§ 5. Itaque Vos hortamur magnopere, ut animos vestros ad Deum, a quo bona universa descendunt, nobiscum convertatis; quem profecto tam magni singularisque beneficii solum auctorem dignoscimus, ac fatemur. Ipse lumen suum Nobis impertivit. Ipse animum nostrum graviter afflictum, et perculsum erexit, ac virtute sua corroboravit, ut labores, contrarios eventus, mentis aegritudines, omnemque tristitiam libenter ac fortiter sustineremus. Denique Ipse gravissimum hoc negotium hoc potissimum tempore ad finem perduxit, quo Nos, licet immerentes, Summum Pontificatum gerimus; ut exploratum fieret omnibus, a Domino factum esse istud, quod est mirabile in oculis nostris; siquidem contingere id poterat, cum alii Romani Pontifices Praedecessores Nostri hanc Apostolicam Sedem tenerent, qui nos quidem pari auctoritate exaequabant, meritis tamen longe nobis praecellebant.

§ 6. Itaque Deo beneficentissimo singulares agimus gratias, et habebimus perpetuas. Sed, quoniam Ipse causis secundis, veluti quibusdam instrumentis, uti consuevit, ut ea perficiat, quibus hunc Orbem terrarum complere statuit; iisdem Nos quoque referre gratias debemus, et meritas laudes impertiri. Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris et Imperatricis animum Deus Optimus Maximus spiritu pacis, ac verae Religionis inflammavit, cui sane ipsa sine ulla cunctatione paruit, adducta potissimum pietatis studio, quo Principes Austriacae Domus suae prae caeteris semper commendati fuerunt. Dilectos quoque Filios Nobiles Viros Ducem, ac Senatores Venetae Reipublicae eodem spiritu pacis ac verae Religionis Deus incendit, quem ipsi facili paratoque animo susceperunt, ut Praedecessorum suorum, qui, ob eximia facinora pro Christiana Fide toties peracta, maximis laudibus ubique celebrantur, praeclara exempla sequerentur. His sane fundamentis excitatum, conditumque fuit universum aedificium, perfectumque negotium. Quam ob causam ipsos rei totius Artifices non modo debitis laudibus prosequimur, sed gratias quoque Nos habituros sincera mente fatemur.

§ 7. Eodem prorsus animi sensu commendamus, plurimasque rependimus gratias Dilectis Filiis Nostris hoc loco praesentibus, Carolo Cardinali Rezzonico, et Mario Cardinali Millino, qui in gerendo, ac demum in perficiendo tam gravi negotio, nihil omnino intentatum reliquerunt, ut illud ad suum finem perducerent, integramque servarent inter Principes concordiam, quorum causam ac rationes tuebantur. Siquidem nihil aliud sibi ante oculos propositum habebant, quam animarum saluti prospicere, Deique gloriam amplificare; a quo procul dubio, dum in vivis agent, et postquam mortalitatem exuerint, mercedem meritis consentaneam assequentur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 545-546].

416.

Benedictus XIV, const. *Iniuncta Nobis*, 6 iul. 1751.

Iniuncta Nobis a supremo Pastorum Principe, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, Ecclesiarum omnium sollicitudo, Nos usque a primis Pontificatus nostri annis adduxit, ut gravissimum Aquileiensis Patriarchatus negotium a Praedecessoribis nostris Romanis Pontificibus iam pridem susceptum, et a pluribus eorum diu multumque agitatum prosequeremur; nil aliud Nobis in nostrae tractationis initio, progressu, fineque proponentes, quam id, quod iisdem quoque Praedecessoribus nostris propositum semper fuisse non dubitamus; ut scilicet Aquileiensis Ecclesiae status ita disponeretur, prout optimo regimini animarum eidem subiectarum, et libero spiritualis gubernii exercitio magis congruere, et opportunum fore dignosceretur.

§ 1. Hunc unice scopum prae oculis habentes, superioribus annis certam quamdam Ecclesiastici regiminis formam in ulteriori Aquileiensis Dioecesis parte interea observandam statuimus; sperantes gradum hinc factum iri, ad firmum, stabilemque rerum ordinem, per quem vigentes perturbationes perpetuo tollerentur, ibidem feliciter constituendum; quemadmodum colligere licet ex nostris Litteris Apostolicis incipientibus: *Omnium Ecclesiarum,* quas die XXIX novembris anni MDCCXLIX,[1] et ex iis, quarum initium est: *Postquam per alias,* quasque die XXVII Iunii anni MDCCL,[2] in forma Brevis edidimus; quibus nimirum, temporaneum urgentibus necessitatibus remedium aptantes, decrevimus, illud tamdiu duraturum fore, *donec aliqua ratio communi Partium consensu, nostraque, aut Successorum nostrorum approbatione, iniri valeret, per quam animarum Fidelium necessitatibus consuleretur.*

§ 2. Verum scientes, omne datum optimum, et omne donum perfectum ab Omnipotente Deo petendum, et expectandum esse, nunquam omisimus in toto gravissimae causae decursu, Divinam Maiestatem, interpositis etiam aliorum orationibus, enixe exorare, ut inter perturbationum procellas, et multiplicium difficultatum scopulos, trepidantem consilii nostri navim in

[1] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 546-549.
[2] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 552-559.

portum Nobis optatum, ad afferenda nimirum animabus Christi Sanguine redemptis necessaria salutis aeterna subsidia, afflante Spiritus sui aura, deducere dignaretur.

§ 3. Invocantes Nos exaudivit misericors Dominus, dumque maximarum tribolationum, et amaritudinum fluctibus iactaremur, misit ex alto adiutorium suum, factaque tranquillitate, Nos uberi consolationum suarum dulcedine recreavit. Ipse etenim, in cuius manu sunt Regum corda, uno eodemque tempore Charissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris in Romanorum Imperatricem Electae animum inclinavit, ut de proponendo stabili remedio pro Aquileiensibus rebus perpetuo componendis cogitaret; simulque effecit, ut Dilecti Filii Nobiles Viri Dux et Respublica Venetiarum concordi studio id ipsum optarent. Cuius rei indubium testimonium Nobis praebuerunt Epistolae ad Nos conscriptae tum a predicta Maria Theresia Regina in Imperatricem Electa sub die XVII Martii currentis anni MDCCLI, quas Nobis exhibuit Dilectus Filius noster Marius huius S. R. E. Presbyter Cardinalis Millinus nuncupatus, tum a praefato Venetiarum Duce sub die XXXI eiusdem mensis, et anni, quas dilectus quoque Filius noster Carolus eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Rezzonicus etiam nuncupatus Nobis exhibuit.

§ 4. Qui sane Marius, et Carolus Cardinales die VI Aprilis ad audientiam nostram una simul se conferentes, memoratis respective Litteris Nobis redditis, non solum flagrantia utriusque Partis desideria, ut huiusmodi perpetuo ac stabili remedio Aquileiensis Patriarcatus negotium terminaretur, unanimi Nobis voce repraesentarunt; sed etiam sigillatim ea Nobis exposuerunt, de quibus Partes ipsae olim dissentientes, nostris invitationibus, et hortationibus obsecundantes, diligentibus tractatibus et colloquiis habitis, convenerunt; cuius Conventionis exempla in scriptis redacta Nobis relinquentes, earumdem Partium nomine Nobis humiliter supplicarunt, ut illi, pro rerum conventarum subsistentia et observantia, approbationis nostrae robur adiicere, necnon pro earumdem rerum executione, Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudinem interponere dignaremur...

§ 8. His omnibus matura consideratione pensatis, iisdemque conventionis Capitibus attente perpensis, implorato saepius Divini Luminis adiutorio, ac requisitis, auditisque super his nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententiis, de eorum consilio et assensu, postulationibus huiusmodi pro parte dictae Charissimae in Christo Filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris, in Romanorum Imperatricem Electae, necnon Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis et Reipublicae Venetiarum, Nobis, ut praefertur, exhibitis, in omnibus et per omnia plenissime annuentes; non modo praeinserta omnia et singula Conventionis capita, utpote ad publicum bonum, et felix animarum regimen tendentia; praesentium Litterarum tenore laudamus et approbamus; verum etiam per easdem praesentes ad ea exequenda et statuenda, quae pertinet ad omnimodam, atque perpetuam suppressionem Patriarchatus Aquileiensis, necnon ad erectionem duorum Archiepiscopatuum aequalibus omnino iuribus, praeeminentiis, ac praerogativis praeditorum, relicto, ut infra, Dilecto Filio

nostro Danieli S. R. E. Presbytero Cardinali Delfino nuncupato, dum vixerit, Patriarchae Titulo, procedere volentes; aliorum vero Capitum inter praefatas partes, ut supra dictum est, conventorum, ac respective a Nobis approbatorum executionem, per alias nostras Apostolicas Litteras implendam, statuendamque reservantes.

§ 9. De Apostolicae potestatis nostrae plenitudine, qua Nobis datum est iustis concurrentibus causis, Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, et Episcopales erigere, transferre, supprimere, et extinguere, earumque Dioeceses dividere ac separare, prout in Domino expedire noverimus: Motu proprio, et certa scientia, ac praesentium Litterarum tenore, in dicta Aquileiensi Civitate et Ecclesia, Patriarchalem Cathedram, Dignitatem, et Sedem, Titulum, ac denominationem, atque omne Patriarchale, Metropoliticum, et Dioecesanum ius eidem Ecclesiae ac Sedi hactenus adnexum, necnon ipsius Ecclesiae Capitulum, Dignitates, Canonicatus, atque Praebendas; ita ut deinceps Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Cathedralis Ecclesia Aquileiensis, illiusque Capitulum minime existat, nec ullus Aquileiensis Patriarcha, Archiepiscopus, aut Episcopus, vel illius Ecclesiae Dignitas, aut Canonicus denominari possit, penitus, omnino, ac perpetuo supprimimus et extinguimus.

§ 10. Ut autem animabus Christifidelium in locis hactenus Aquileiensis Patriarchatus per Nos, ut praefertur, suppressi, et extincti spirituali iurisdictioni subiectis, quaeque in temporalibus tam Venetae Reipublicae, quam Austriacae Familiae supremo parent dominio, degentium, Ecclesiastici regiminis subsidia non desint: simili motu, scientia, et potestatis plenitudine. per easdem praesentes, ex nunc in Civitate Utinensi unam Archiepiscopalem Cathedram et Sedem, Archiepiscopatum Utinensem nuncupandam, cum omnibus, et singulis iuribus, etiam Metropolitico caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis Archiepiscopalibus Ecclesiis de iure, usu, ac consuetudine competentibus, perpetuo erigimus et constituimus; cui quidem Archiepiscopatui, pro peculiari eius Dioecesi, totum illum Regionis tractum, qui temporali Reipublicae Venetae dominio subiectus est, et hactenus a pro tempore existente Patriarcha Ecclesiae Patriarchalis Aquileiensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, Dioecesano iure obtinebatur, et pacifice regebatur, tribuimus et assignamus; necnon in Suffraganeos eos omnes, et singulos Episcopos, quorum Cathedrales Ecclesiae in praefatae Reipublicae Venetae dominio consistunt, quique ad hunc diem eidem Patriarchatui Aquileiensi per Nos, ut praefertur, suppresso et extincto subiecti fuerunt, subiicimus atque supponimus; prout latius, atque distinctius per alias nostras Apostolicas Litteras super erectione huiusmodi Utinensis Ecclesiae Archiepiscopalis, aequalibus, ut praefertur, iuribus et praerogativis cum infrascripta Goritiensi Archiepiscopali pariter Ecclesia insigniendae peculiariter expediendas, statuetur, et explicabitur.

§ 11. Simili quoque modo ex nunc in Civitate Goritiensi alteram Archiepiscopalem Cathedram et Sedem, Archiepiscopatum Goritiensem nuncupandam, cum omnibus et singulis praedictis iuribus, etiam Metropolitico, caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis Archiepiscopalibus Ecclesiis de iure, usu, ac consuetudine competentibus, earumdem praesentium tenore, dictisque motu, scientia, et potestatis plenitudine, perpetuo pariter erigimus et constituimus; cui etiam Archiepiscopatui, pro eius peculiari Dioecesi, alteram Patriarchalis hactenus Ecclesiae Aquileiensis, per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, Dioecesis partem, quae Austriacorum Principum dominio subest, quaeque novissimis temporibus per Vicarium Apostolicum Episcopali charactere praeditum, a Nobis ad tempus, et ad nostrum, ac Sedis Apostolicae beneplacitum inibi constitutum, in spiritualibus gubernata fuit, tribuimus et assignamus; ita ut, statim ac novae Archiepiscopali Goritiensi Ecclesiae huiusmodi, Apostolica auctoritate, futurus illius Archiepiscopus praeficietur, praedicti Apostolici Vicarii gubernium, necnon omnes et singulae providentiae et ordinationes, sive a Praedecessoribus nostris romanis Pontificibus, sive a Nobis ipsis, pro animarum regimine in dicta Aquileiensis quondam Dioecesis parte Austriacae Ditioni subiecta, captae, editae, atque statutae, exinde in posterum pro sublatis, irritis, abrogatisque eo ipso habeantur; eidemque Goritiensi Archiepiscopatui in Suffraganeos, eos omnes et singulos Episcopos, quorum Ecclesiae Cathedrales in temporali Austriaca Ditione consistunt, quique ad hunc diem Patriarchali Ecclesiae Aquileiensi per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, simili iure subiectae fuerunt, supponimus, atque subiicimus; prout etiam in aliis nostris Apostolicis Litteris super erectione huiusmodi Goritiensis Ecclesiae Archiepiscopalis, aequalibus pariter iuribus et praerogativis cum supradicta Utinensi Archiepiscopali Ecclesia insigniendae, peculiariter expediendis, plenius atque distinctius statuemus, et explicabimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 394-404].

417.

Benedictus XIV const., *Cum nuper*, 8 nov. 1751.

Cum nuper Charissimus in Christo Filius noster Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus, per Dilectum Filium nostrum Ioachimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Portocarrero nuncupatum, ad sua, suorumque Regnorum negotia apud Nos, et Apostolicam Sedem gerenda specialiter deputatum, et voce et scripto Nobis repraesentari curaverit, opportuna aliqua Apostolicae auctoritatis nostrae providentia opus esse in Indiis Occidentalibus ipsis Regis Dominio subiectis, super hoc, quod in iis Regionibus Parochiae, Doctrinae, aliaque Munia et Officia ad animarum curam pertinentia, per Regulares dumtaxat obtinentur, et administrantur, in vim quarumdam Litterarum Apostolicarum a recolendae memoriae Praedecessore nostro S. Pio Papa V, die XXIV Martii Anni MDLXVII editarum, et incipientium: *Exponi Nobis;*[1] quibus aliorum etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum confirmationes accesserunt; ex quo fit, ut universus Clerus Saecularis illarum Partium, quantumvis a multo iam tempore, et

[1] Bull. Rom., tom. 4, II, p. 363, 364.

numero frequens, et moribus, atque doctrina conspicuus esse dignoscatur, ab iisdem Parochiis, Doctrinis, caetérisque Officiis, atque muneribus animarum curam concernentibus, omnino exclusus remaneat; qua quidem de re quum Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum Regiones constituti, non semel apud ipsum Ferdinandum Regem conquesti fuerint; idcirco ipse, pro sua prudentia, magnopere expediens in Domino fore iudicaret, ut quamvis etiam eorumdem Antistitum votis, et Saecularis Cleri rationibus, obstarent Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, Nos, hodierni temporis circumstantias perpendendo ab illis longe diversas, quibus huiusmodi provisiones emanarunt, eisdemque Constitutionibus derogando, praedictis Archiepiscopis et Episcopis liberam facultatem concederemus, ut dictas Parochias, Doctrinas, aliaque munia, et Officia ad animarum curam spectantia, Regularibus Personis hucusque conferri solita, in posterum etiam saecularibus Clericis, seu Presbyteris conferre libere et licite possent: Nos, omnibus mature perpensis, quum Regiam hanc petitionem non modo Sacris Canonibus, sed etiam praedicti Sancti Pii Pontificis menti, et dictorum Praedecessorum nostrorum, ac Sedis Apostolicae Institutis conformem agnoverimus; hanc rem eiusmodi esse gaudemus, ut liceat Nobis ea verba usurpare, quibus olim Magnus Praedecessor noster Innocentius Papa III Castellae Regem est alloquutus: *Cum personam tuam, inter Christianissimos Reges, et Catholicos Principes, speciali dilectionis praerogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, et ad ea gratanter intendimus, quae Serenitati Regiae novimus complacere,* ut videre est in ipsius Pontificis Epistolarum *Regest. XIII,* lib. 1, Epist. IV.

§ 1. Sane, quemadmodum negari nequit, ex veterum Canonum lege, Monachos et Regulares Ecclesiarum Parochialium regiminis capaces fuisse; de quo diserte pronunciat Innocentius III in sua Decretali: *Quod Dei timorem, Tit. de Statu Monachor.,* per haec verba: *Et per antiquos Canones, etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis Officium, quod privilegium est, exercere:* ita certum nunc est, ex recentiori Canonica Disciplina, interdictum esse Regularibus Parochialem curam assumere sine dispensatione Apostolica; quae dispensatio a Romano Pontifice non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo autem sollicitanda non est, nisi Ecclesiae necessitas, aut utilitas id suadeat. Quae de re Rescriptum adest Congregationis Cardinalium Concilium Tridentini Interpretum, relatum a celeberrimo Scriptore Fagnano in *Commentar.* ad cit. cap. *Quod Dei timorem,* n. 17 *de Statu Monachor.,* in haec verba conceptum: *Cum fuerit requisitum, an Regularis possit praefici curae animarum ab Episcopo, sine dispensatione Apostolica; Sacra Congregatio Concilii censuit, non posse, nisi accedente dispensatione; quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo, pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae.* In eandem sententiam deinceps alia complura Decreta prodierunt a Summis Pontificibus confirmata. Quibus inter se collatis, nostroque diuturno studio et labore diligenter ponderatis, ad definiendam veterem controversiam super capacitate Canonicorum Regularium *Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris* nuncupatorum, ad obtinenda Beneficia Curata, et Residentialia, Apostolicam Constitutionem septimo Idus Iulii Anno Domini MDCCXLV edidimus, incipientem: *Quod Inscrutabili,* quae in Bullario nostro impressa est, tom. 1, num. CXXXV,[1] atque etiam, una cum Dissertatione super hoc a Nobis exarata, inserta fuit a diligentissimis Editoribus in *Commentariis Ioannis Baptistae Rigantii ad Regulas Cancellariae Apostolicae.* In qua nempe Constitutione decretum fuit, praedictos Canonicos, utpote veros Regulares, Apostolica Dispensatione indigere, ut huiusmodi Beneficia assequantur; tametsi *a Sanctorum Monachorum consortio non seiuncti, regulae inserviant laxiori;* ut de ipsis loquitur praedictus Innocentius Praedecessor, in citato cap. *Quod Dei timorem, de Statu Monachor.*

§ 2. Ab hac norma minime recessisse putandus est laudatus Praedecessor Sanctus Pius V, dum per suas allegatas Litteras: *Exponi Nobis,* Religiosos Viros ad Parochias assequendas in partibus Indiarum Maris Oceani, aliaque Parochialia munia exercenda, habiles reddidit; sed hanc suam concessionem ea ratione constabilivit, quod scilicet ipsi Regulares eo usque in dictis partibus Officio Parochi functi fuerant; additis sequentibus verbis, *propter Presbyterorum defectum.* Quibus nimirum verbis satis ostenditur, huiusmodi Litterarum dispositionem locum habere dumtaxat, ubi desint, nec haberi possint Presbyteri Saeculares ad animarum curam exercendam idonei; iuxta declarationem editam a felicis recordationis Praedecessore nostro Innocentio Papa X per Litteras Apostolicas datas die XIV Maii anni MDCXLVII, et in Bullario Romano relatas tomo V inter eius Pontificis Constitutiones n. XXXII, quarum initium est: *Cum sicut accepimus;*[2] ubi de hac ipsa Piana Constitutione loquendo, statuit *illam non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

§ 3. Haec olim per Nos ipsos, dum in minoribus constituti, Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretarii munere fungebamur, latius deducta fuerunt occasione propositionis cuiusdam Causae *Mexicanae,* quae diebus quarta Iulii, et octava Augusti Anni MDCCXXII, in eadem Congregatione discussa fuit, ut videre est in tomo II *Thesauri Resolutionum dictae Congregationis Concilii.* Et quamvis ad instantiam tunc existentis Archiepiscopi Mexicani, contendentis liberam sibi fieri facultatem, ut Parochiales Ecclesias, atque Doctrinas, quas Regulares privativo iure sibi vindicabant, conferre posset etiam Presbyteris Saecularibus, quos magno numero, et requisitis qualitatibus praeditos in sua Dioecesi adesse asserebat, nihil tunc definitive rescriptum fuerit: nihilominus hanc generaliter sententiam ab ipsa Congregatione admissam, receptamque meminimus, ac pro certo testamur; quod nempe, deficientibus tantummodo Presbyteris Saecularibus, praedicta Piana Constitutio locum habere deberet. Ideo autem nullum in ea Causa Decretum tunc editum fuit, quia, quum praedicta Piana Constitutio ad instantiam Regis Catholici primum emanaverit, et omnes Indiarum Occidentalium Regiones comprehendat; nihil pru-

[1] Cf. N. 361.
[2] In Bull. Rom., tom. 6, III, p. 244-247, haec const. est de die 14 maii 1653.

denter decerni posse visum fuit, nisi et Decreta desuper edenda ad Catholicorum Regum notitiam deducerentur, et non solum quid Mexicanae Dioecesi, sed etiam quid aliis Indiarum Ecclesiis, atque Dioecesibus contingeret, et magis opportunum foret, certis relationibus innotesceret.

§ 4. Quare, quum hodie ex parte ipsius Regis Catholici opportuna super hoc providentia requiratur; hanc vero Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Ordinariorum dictarum Regionum preces vehementer exposcant; cumque huiusmodi preces, et Canonicis sanctionibus consentaneae, et ipsius Sancti Pii Praedecessoris menti minime adversantes, et huius demum Apostolicae Sedis sensui institutoque conformes esse dignoscantur; cum denique aequum non sit, ut eiusmodi Privilegium, quod eo tempore concessum fuit, quum in Indiis Occidentalibus Presbyterorum Saecularium copia non aderat, his etiam temporibus parem vim habeat, dum Cleri saecularis numerus satis amplus ibidem existit, pluresque Sacerdotes Saeculares ad animarum curam idonei, caeterisque optimis dotibus instructi reperiuntur: idcirco Nos, praedicti Charissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici instantiae libenter annuentes, ac etiam motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, praedictis Venerabilium Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis Dilectis Filiis, in Indiis Occidentalibus constitutis, permittimus et concedimus, ut, non obstantibus praemissis Sancti Pii V Praedecessoris Litteris, aliisque in earum confirmationem ab hac eadem Apostolica Sede emanatis (quibus etiam, quatenus opus sit, earundem praesentium serie ac dictis motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus), Saeculares Clericos, seu Presbyteros quoscumque, quos scilicet, praevio examine, iuxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt,[1] idoneos et habiles repererint, ad Parochias, Doctrinas, et alia quaecumque munia et Officia ad animarum curam pertinentia, prout ipsis opportunum in Domino visum fuerit, admittere et assumere, eisque etiam Parochiales Ecclesias huiusmodi, aliaque Ecclesiastica perpetua Beneficia, quibus animarum curam imminet, in Titulum conferre, dictosque Presbyteros, seu Clericos, de illis providere possint et valeant; ad quem effectum Nos ipsis necessarias omnes et opportunas facultates concedimus et impertimur.

§ 5. Quia vero ex hac concessione nostra minime sequetur, quin Regulares praedicti plures adhuc Parochias, atque Doctrinas, in Indiarum Occidentalium Regionibus, et in praesens retinere, et in posterum adipisci valeant; aliunde autem Nobis relatum est, nonnullos huiusmodi Regulares animarum curam exercentes contendere, se Episcopis, et Ordinariis Locorum, *in officio officiando* dumtaxat, ut ipsi loquuntur, subiectos esse; ideo Nos ad quarumcumque inordinationum pericula avertenda, rectaeque disciplinae leges asserendas intenti, dicimus et declaramus, huiusmodi Regulares curam animarum gerentes, in iis quidem, quae concernunt eorum Regularis Instituti observantiam, Episcopo nullatenus subiectos esse, sed a suis Superioribus Regularibus quoad haec privative dependere; in his autem, quae vel ad ipsum

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 18.

spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent, Nos ipsarum praesertim tenore declaramus, eosdem Regulares etiam Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, subiectos esse; ideoque ab eisdem Episcopis, et Ordinariis, eorumque Visitatoribus, aeque ac a suis Regularibus Superioribus, in his omnibus corrigi posse; siquidem impossibile non est, ut alicuius ex ipsis vitae ratio talis esse dignoscatur, quae cum animarum regimine minime conveniat, et Fidelibus Parochiae subditis spirituale detrimentum et scandalum pariat. Hoc idem, Canonicis Sanctionibus, et Concilii Tridentini Decretis inhaerentes, iamdudum statuimus atque decrevimus, per nostras sub Plumbo Litteras datas duodecimo Kal. Decemb. Anno MDCCXLVI, quarum initium est: *Firmandis atque asserendis*, et impressae sunt in Bullario nostro tom. I, num. CIX,[1] quae, cum ad Indias etiam Occidentales se extendant, ibidem quoque executioni mandari debent, et inviolabiliter observari. Quod idem decernimus de duabus Regulis in eadem Constitutione nostra, ex Apostolicae Sedis Decretorum auctoritate, constitutis; quarum una est, quod in omnibus rebus, in quibus Regulares animarum curae praepositi Episcoporum simul, et Regularium Praelatorum iurisdictioni cumulative subsunt, si aliter ab uno, aliter ab alio Superiore iudicari contingat, Episcopi iudicium Regularis Superioris iudicio semper praeferri debet. Altera vero est, quod quum Regulares nonnisi cum amovibilitatis qualitate animarum curam exercere valeant, tam Episcopus, quam Regularis Praelatus, quoties ita in Domino expedire iudicaverint, Regularem Parochum ab huiusmodi cura valent removere: ita ut neque Regularis Superior compelli possit huiusmodi remotionis causas Episcopo significare; neque Episcopus ad similem remotionem procedens, Regulari Praelato notas facere teneatur causas, quibus ad id adductus fuerit.

§ 6. Quoniam vero fieri alicubi potest, maxime autem in novis Populorum ad Fidem reductionibus, ut Regulares Parochos mutare, etiam cum Saeculares Sacerdotes non desint, minime expediat; idcirco Nos eorundem Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Praesulum, prudentiam admonemus, ut in huiusmodi circumstantiis, et ubicumque res optime constitutas invenerint, nec ullam eas immutandi necessitatem revera adesse compererint, ab innovationibus abstineant; et tam hoc iure, quod ipsis competere asseruimus, quam ea facultate, quam Nos eisdem per has nostras Litteras impertiti sumus, ita utantur, quemadmodum aequitatis ratio, et animarum utilitas, ad quam unice respicere debemus, requirent, ac suadebunt, super quo Nos eorundem Episcoporum, et Ordinariorum Praesulum conscientiam oneramus.

§ 7. Denique ne quis unquam, aut ullibi, cuiuslibet Ordinis, aut Instituti Regularis, ad animarum curam exercendam, sine praevio examine et approbatione Episcopi, seu Ordinarii Localis, assumi possit, earundem praesentium serie statuimus, atque decernimus; prout alias statutum, decretumque per Nos fuit, tam in praecitatis nostris Litteris, quam in aliis sexto Kalendas Martii Anni ab Incarnatione Domini MDCCXLV editis, et in Bullarii Nostri tomo II, num. I impressis, quarum initium est: *Quamvis ad confir-*

[1] Cf. N. 349.

mandum;[1] quaeque et iisdem Sacrorum Canonum, ac Tridentinae Synodi, necnon Provincialium et Synodalium Conciliorum in ipsismet Indiarum Regionibus habitorum sanctionibus innixae sunt, et tam ad Occidentales, quam ad Orientales Indias se protendunt, ac utrobique inviolabilis legis vim obtinere debent.

[Bened. XIX Bull., tom. 3, p, 404-409].

418.

Benedictus XIV, ep. *Probe*, 15 dec. 1751.[2]

§ 1. Probe te meminisse arbitramur, Nos in Epistola nostra die 28 mensis Februarii anni 1747 ad Venerabilem Fratrem Vicarii Urbis Vicesgerentem, Tarsensem tunc temporis Archiepiscopum, nunc autem Constantinopolitanum Patriarcham conscripta, quae typis excusa, deinde in secundum *Bullarii* nostri tomum inserta fuit,[3] definiisse, patrem, qui ex Iudaica perfidia ad Christianam Fidem conversus sit, posse filium suum infantem vel impuberem, Iudaea Matre licet dissentiente, Sanctae Religioni nostrae initiandum offerre; Matri etiam Christi Fidem amplexae hanc eamdem potestatem inesse, quantumvis Pater in Iudaismo perseverans contradicat; praeterea huiusmodi offerendi ius ad Tutores pertransire; illiusque paternum quoque Avum participem esse, qui, secundum opinionem, quae Tribunalium decretis pluries rata habita, et confirmata est, Nepotem infantem vel impuberem Sanctae Religioni Christianae valide offert, etiamsi vel Pater, vel Mater, aut etiam utrique in Iudaismo permanentes contradicant. Qua quidem de re omnia in eadem Epistola nostra plene discussa et comprobata reperiuntur. Verum quia nulla ibidem Paternae Aviae facta mentio est, num videlicet haec Nepotem infantem, vel impuberem, Parentibus etiam illius, ac Tutoribus contradicentibus, Sanctae Religioni nostrae offerendi ius haberet; eventus nuperrime contigit, qui de hac quoque re Nobis agendi occasionem praeberet. Iudaeus etenim cum decesserit, ac filios duos uxoremque gravidam reliquerit, eamdemque uxorem tutricem constituerit, aliis etiam Iudaeis tutoribus, tam filiorum, qui nati, quam qui nascituri essent, nominatis; superstes Avia paterna erat, Christianam Fidem iamdudum amplexa, quae Sanctae Religioni nepotes offerre volebat, et cuius pio proposito ac studio tam patrui, quam paternae amitae, Iudaei scilicet prius defuncti fratres, et sorores, qui antea pariter Sanctum Baptismum receperant, adhaerebant. Cum itaque controverti coeptum sit, num huiusmodi oblatio acceptari possit ac debeat, ea in praesens quaestio necessario instituenda est, quae in altera Epistola plane praetermissa fuit; exacteque discutiendum, num Avia nepotes offerendi potestatem habeat, et num ea oblatio acceptanda, quamvis tam Mater tutrix, quam alii tutores Iudaei contradicant. Hoc controversiae caput argumentum erit praesentis Epistolae nostrae, quam Tibi, Dilecte Filii, directam volumus, quoniam in Sanctissimae Inquisitionis Tribunali, in quo Assessoris Officium laudabiliter sustines, eadem res inter Consultores primum, tum inter Cardinales coram Nobis examinata est, omnibus ante perlectis, quae a Viris expertissimis pro utraque parte scripto deducta fuerunt.

[1] Pag. 1-6.

[2] Ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi, Congregationis S. Officii Assessorem.

[3] Cf. N. 377.

§ 2. In huius autem quaestionis examine occurrit statim Nobis difficultas huiusmodi. Nemini, quod suum non sit, licite offerendi potestas est; neque eam oblationem, si fiat, recipere ullo modo licet; non igitur ea oblatio recipienda est, per quam infans in Iudaismo natus Sanctae Religioni initiandus offertur, nisi ab eo fiat, qui eam in ipsum auctoritatem habeat, quae patria potestas appellatur. Quare cum paterna Avia in filios filii sui patria potestate minime praedita sit, primo statim intuitu visum est Nobis legitime inferri posse, neque illi potestatem esse Nepotes infantes aut impuberes licite offerendi, neque oblationem ab ea factam licite acceptari posse, praesertim cum Mater tutrix contradicat, eique assentiantur Tutores eidem matri a Genitore adiuncti.

§ 9. Quorsum nostra haec omnis pertineat ratiocinatio, minime tibi obscurum esse potest; cum enim ea colligi possit, legitimam impuberum oblationem patriae potestatis sequelam esse, cumque paterna avia ea potestate minime praedita sit, ius offerendi nepotem ex filio numquam ad eam pertinere potest; si autem id paternae aviae, cum de nepote ad Claustrum, sive Monasterium offerendo agitur, interdictum est; potiori ratione interdictum illi esse debebit huiusmodi nepotem ad Baptismum offerre; etenim, secundum recentiorem disciplinam, ut supra dictum est, impubes, qui Monasticae vitae oblatus est, cum ad pubertatem pervenerit, Religiosum Institutum deserendi libertatem habet; sed infanti aut impuberi Iudaeo ad Baptismum oblato, et baptizato, in Christiana Fide permanendum omnino est, et, si cum ad pubertatem pervenerit, contra facere praesumat, Canonicis poenis punietur, secundum Bonifacii VIII Decretalem, cuius initium: *Contra,* sub titulo, *De haereticis,* in sexto. Verum quia huiusmodi argumentationi illud valide opponendum occurrit, permultum scilicet discriminis inter Claustrum, ac Baptismum intercedere, cum sine priori aeterna salus obtineri possit, quae sine altero neutiquam sperari potest; de Baptismo dispiciendum Nobis hoc loco est, ac demonstrandum, omnia quaecumque dicta sunt de oblatione ad Monasterium, habere locum, etiam cum agitur de oblatione ad Baptismum.

§ 10. Res haec, de qua quaerimus, tam a Theologis, quam a Pontificii Iuris peritis pertractatur, quinam videlicet sint, qui filios infantes, vel impuberes Christianae Religioni, et Sancto Baptismati offerendi ius habeant. Primo igitur loco, huiusmodi ius penes parentes esse affirmant, sive ii Neophyti sint, sive etiam Ethnici, vel Iudaei; dummodo, si tales sint, fide bona ab eis oblatio huiusmodi fiat, et infantes baptizati apud Christianos remaneant, neque illis, propter perversionis periculum, restituantur, quemadmodum a Nobis in supracitata Epistola ad Urbis Vicesgerentem conscripta plurimis probatum est. Concordat S. Thomae doctrina in *Quodlibet* 2, art. 7, in 2, 2,

quaest. 10. art. 12, et in 3 part., quaest. 68, art. 10, ubi docet, infantes Infidelium sine parentum consensu nequaquam baptizari posse; eaque doctrina et ab aliis communiter recepta, et cum aliorum Tribunalium Ecclesiasticorum, tum etiam Supremae huins Inquisitionis sententiis atque iudiciis roborata et confirmata est, ut etiam a Nobis in eadem Epistola desuper citata, nnm. 4 et seq. demonstratum est.

§ 11. Secundo loco iidem Auctores docent, quoties maritus Christi fidem amplectatur, uxore in Iudaismo remanente, si haec oblationi communis prolis ad Baptismum repugnet, ius offerendi penes solum patrem remanere, cum non in matris, sed in patris potestate, secundum civiles leges, filius sit; quam rationem etiam Pontifex Gregorius IX adduxit in celebri sua Decretali: *Ex litteris, de conversione Infidelium: Cum autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, etc., respondemus, patri eumdem puerum assignandum.*

§ 12. Tertio loco, cum, Gregorio XIII summum Pontificatum tenente, controversia exorta fuisset, utrum paternus avus, qui Christianam Religionem amplexus, nepotem ex filio, dissentiente matre Iudaea, baptizandum offerre volebat, id faciendi ius haberet; responsum, decretumque est, avum matre etiam dissentiente, offerre posse, adeoque oblationem illam admittendam esse, quemadmodum admissa fuit. Quae a Nobis in citata Epistola nostra num. 17 relata et comprobata habentur. Huius quoque rei mentionem factam a Sylvio, in tom. 4, super 3 part. S. Thom., quaest. 68, art. 10, conclus. 6, deprehendere licet, cuius verba huiusmodi sunt: *Gregorius XIII dicitur statuisse, ut parvulus, quem avus paternus baptizari volebat, baptizaretur, invita matre Iudaea, quae defuncto patri superstes erat; quia scilicet avus tamquam pater curam Nepotum habet.* Neque vero desunt iudiciales sententiae a Tribunalibus prolatae, quae a Nobis, loco citato, indicatae sunt, per quas avo ius offerendi nepotes permittitur, non solum si, defuncto patre, mater repugnet, verum etiamsi utrique parentes superstites contradicerent; idque propter eam rationem, quod leges non tantum filium, sed et filii filium patriae potestati subiiciunt: *Qui igitur ex te et uxore tua nascitur, in tua potestate est: item qui ex filio tuo et uxore eius nascitur, id est nepos tuus et neptis, aeque in tua sunt potestate, et pronepos et proneptis, et deinceps caeteri,* ut habetur in *Institutionibus Imperialibus*, et in l. 4, *de his, qui sui, vel alieni iuris;* et qui in familia nascitur, illius capiti, qui avus paternus est, subiectus remanet; filius vero, qui avi potestati subiectus est, alios in potestate habere non potest, quemadmodum l. 5, eodem titulo prosequitur.

§ 13. Quarto loco Auctores praedicti ius offerendi tutoribus attribuunt, sub quorum cura infantes et impuberes vivunt, cum pro eo, quod pertinet ad illorum educationem, patria potestas in ipsos transfusa sit; quare quemadmodum de iure non licet, ut supra dicium est, infantes infidelium sine parentum consensu baptizare; ita neque sine tutorum consensu eosdem baptizandos offerre permissum est, ut etiam in citata Epistola nostra, § 14, habetur; quod tamen a Soto in *4 Sententiarum,* distinc. 5, quaest. unica, art. 10, in 2 conclus. ad § *Addit,* non libenter admittitur, cuius hic verba subiicimus: *Addit idem Paludanus, idem esse de puero utroque orbato parente, qui renuentibus tutoribus, non est baptizandus: sed arbitror non esse tam atrocem iniuriam, ac si parentes contradicerent.*

§ 14. Omittimus hic verba facere de eo casu, quum scilicet Iudaei filius in extremo mortis discrimine constitutus sit, quo nempe casu, repugnantibus etiam parentibus, a quolibet ad Baptismum offerri, et baptismalibus aquis ablui potest; idque ratione modici damni, quod ad parentes inde provenit, gravissimi autem aeternique praeiudicii, quod in prolem redundaret, nisi salutari lavacro regeneraretur, ut in citata Epistola nostra ad num. 8 disseruimus. Nec etiam hic agendum censemus de altero casu, si forte videlicet evenerit, ut Iudaei filius a patre relictus ac destitutus sit; quem, invitis etiam parentibus, baptizandum offerre cuilibet permissum est, eo quod ipsi, propter destitutionem eiusmodi, patria potestate ceciderint, iuxta responsum Praedecessoris nostri Gregorii IX in cap. 1, *De infantibus, et languidis expositis,* ubi ita legitur: *Si a parte, vel ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus:* cum iis, quae insuper a Nobis in citata Epistola, num. 9, deducta reperiuntur.

§ 15. Ex Auctorum sententia, nequaquam denegatum Dominis ius est offerendi filios mancipiorum suorum infidelium ad sacrum Baptismatis fontem; qua de re licet S. Thomas expresse verba non fecerit; cum tamen idem citatis locis docuerit, filios eorum, qui apud Christianos Principes servitutem civilem serviunt, invitis parentibus, baptizari non posse, satis quidem dixisse putandus est, ut inferre liceat, eiusdem doctrinam esse, quod filii servorum, qui servi sint servitute poenali, possint a dominis ad Baptismum offerri; quemadmodum apposite a Sylvio loco citato ad conclus. 7 animadversum fuit, atque ante eum a Suarez, tom. 3, super 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disput. 25, sect. 4, § *Dico secundo,* indicatum fuerat. Porro Iudaei Christianorum servi sunt, sed civili servitute, ut docet S. Thomas; et licet Innocentius III in cap. *Etsi Iudaeos, de Iudaeis,* de eisdem affirmet, quod eos *propria culpa submisit perpetuae servituti,* cum tamen idem Pontifex subiungat, quod *pietas Christiana eos receptat, et sustinet cohabitationem illorum,* satis indicat, se Iudaeorum servitutem civilem innuere voluisse; quod etiam Vasquez, tom. 2, super 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disput. 154, cap. 5 in fine, probe animadvertit. Servi autem servitute poenali Turcarum filii sunt, bello capti, non autem filii Christianorum; nam in bellis, quae Christianos inter geruntur, Iuris Gentium rigor in eo dumtaxat, quod spectat ad res, non autem in eo, quod ad homines attinet, observatur, neque homines bello capti capientium servi fiunt, licet hostium res in hostis dominium transeant, qui eisdem potitur; ita in monumentis a Vinnio collectis, tom. 1 suarum *Institutionum Civilium,* lib 1, tit. 3, pag. 35, novissimae editionis Venetae habetur. Neque vero iuri illi, per quod domino licet filios servi sui, qui servitute poenali servus sit, ad Baptismum offerre, patria genitoris potestas ullo modo officit: *Nam qui serviliter domino subiicitur, est in potestate domini, tam ratione sui, quam aliarum personarum sibi coniunctarum, puta uxoris, aut filiorum, nec amplius in res suas dominium retinet; quin et potest a domino divendi. Loquimur hic de servitute proprie dicta, vi*

cuius dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas; hisce verbis Hon. Tournely in suis *Praelectionibus Theologicis de Sacramento Baptismi* edisserit, pag. 328, editionis Parisiensis anni 1727.

§ 16. Probe intelligimus, dilecte Filii, nonnullos ex praecedentibus Epistolae huius paragraphis praetermitti per Nos potuisse, alterius Epistolae nostrae ad Urbis Vicesgerentem conscriptae, lectionem tibi proponendo, in qua ea omnia, quae in praemissis paragraphis summatim indicavimus, exposita plenissime sunt; verum ita faciendum existimavimus, tum maioris ordinis et claritatis gratia, tum ut uno aspectu legentibus tria exhiberentur: Primum quidem, quod ius ad Baptismum offerendi ex patria potestate, tamquam ex origine, consequatur; alterum, quod cum avia paterna patriae potestatis expers sit, non ita facile sustineri posse videatur, eandem habere ius offerendi nepotem, dum maxime Iudaea mater tutrix, aliique pariter tutores dissentiant; postremum autem, quod sicut ob patriae potestatis defectum avia nequaquam ius habet nepotem ad Monasterium offerendi, ita ex eiusdem patriae potestatis defectu, ne illud quidem ius habere potest, ut eumdem offerat baptizandum.

§ 17. Atque haec ea difficultas est, quae Nos non modo aliquandiu haerentes atque suspensos tenuit, verum etiam in eam partem proclives, ut paternae aviae oblationem repudiaremus. Verum cum deinde animadversum a Nobis sit, fieri aliquando posse, ut etiam extra circumstantias paulo ante indicatas, vel scilicet infantis in extremo mortis discrimine positi, vel eiusdem a parentibus deserti ac destituti, vel denique poenalis servitutis, liceat infantem et impuberem Iudaeos baptizandos offerri ob eo, qui patriam super ipsos potestatem minime habeat; id tandem Nobis persuasum remansit, quod, licet ius offerendi competat unicuique patriam potestatem habenti (quod argumentis desuper adductis satis comprobatum est); non tamen omnino alteri cuicumque, qui patriam potestatem non habeat, praeclusa remanet via, quo minus oblationem huiusmodi in aliquo peculiari casu facere possit.

§ 18. Gregorius IX, sicut antea memoratum est, in citato cap. *Ex litteris, de conversione infidelium,* decrevit, quod cum pater ad Christianam Fidem conversus esset, mater autem in Iudaismo remansisset, filius patri assignari deberet, non autem penes matrem relinqui, propterea quod in illo, non vero in hac, patria potestas sita esset; idque eo vel magis, quod ita Sanctae Religionis favor exigeret: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, et non matris, etc., in favorem maxime Fidei Christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Cum autem ibi nulla a Gregorio mentio habeatur de altero casu, cum scilicet mater ad Christi fidem conversa foret, pater vero in Iudaismo permaneret; non tamen ea res ab Auctoribus praetermissa est, iique omnes, debere tunc filium apud matrem remanere, atque huic ius ad Baptismum offerendi competere affirmant, licet ipsa potestate patria nequaquam praedita sit; idque tanta concordia inter se, ut omni diligentia adhibita, neminem Nobis reperire contigerit, a quo contrarium asseratur. Cardinalis Ostiensis in *Commentariis* super memorata Decretali *Ex litteris,* num. 13, usque eo progreditur, ut Pontificem Gregorium dicat in Decretali sua minus plene rem explicuisse; *Potuisset ergo Dominus Gregorius hanc materiam plenius, brevius, et planius expedire, ut sic dixisset: si quis duorum coniugum Infidelium ad fidem conversus fuerit, in infidelitate alio remanente, liberi infantes converso adiudicentur.* Quod quidem Cardinalis Ostiensis dictum, tum ab Abbate in *Commentariis* super eamdem Decretalem an num. 6, tum a Petro de Ancharano ad num. 17, aliisque compluribus celebratur. Nobis vero, quod a Cardinali Ostiensi nimis fidenter dictum est, minime probari potest; sed duo hic dicenda occurrunt: primum, quod cum ibi ageretur de patre ad Christianam Fidem converso, et matre in infidelitate remanente, eaque res ad Pontificis Iudicium delata fuisset, non aliae Gregorii partes erant, quam ut ad rem propositam responderet; alterum quod, cum ipse pro ratione definitionis suae favorem Fidei adduxerit, iure ac merito responsum ab Auctoribus est, quod a Gregorio in casu patris ad Christi Fidem conversi, matre in Iudaismo remanente, dictum fuerat, in ipsum in casu etiam matris conversae, et patris in Iudaica perfidia haerentis, locum habere debere, cum in utraque facti specie idem Religionis favor ita suadeat; idque eo vel magis quod in Concilio Toletano IV, quod anno 633 sub S. Isidoro celebratum fuit ad can. 63 in *Collectione Conciliorum Hispaniae* Cardinalis de Aguirre, tom. 2, pag. 489, expresse statutum decretumque reperitur, filium quidem sequi debere matris Religionem, quoties ipsa ex Iudaea, patre Iudaeo remanente, Christiana facta sit; contra vero patris Religioni adhaerere debere, si matre in Iudaismo remanente, pater ad Christianam Fidem transierit: *Filii, qui ex talibus nati existunt,* id est ex Matrimonio inter eas personas, quarum altera in Iudaismo permanserit, altera autem Christianam deinceps Religionem amplexa fuerit, *Fidem ac conditionem matris sequantur, quae iam in Christianam translata est Fidem; similiter et ii, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, et fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem, non Iudaicam superstitionem.*

§ 19. En igitur casum, quo, in Religionis favorem, oblatio ad Baptismum admittitur, etiamsi ab illo facta sit, qui patriae potestatis expers est; etenim patria potestas, ut dictum superius est, in patre non autem in matre consistit. En, inquam, casum, ubi posita in altera trutinae lance tum patria naturali potestate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quae eidem tanta amplitudine a Iure Civili attributa est, ex altera vero parte posita dumtaxat aliquali illa potestate, quam mater ex naturae lege in filii generatione acquirit sine alio quopiam Iuris Civilis praesidio, haec trutinae pars alteri praevalet, propter illud ponderis, quod ex favore Religionis eidem accedit. Porro haec ratio ab antiquis peritissimis Decretalium interpretibus et rite aestimata, et magni, ut par erat, momenti habita est; nam Pontifex Innocentius IV in suis *Observationibus* in citatam Decretalem, *Ex litteris,* scribit, quod tam ubi iudicium patris pro Baptismo filii matris voluntati praefertur, quam ubi matris oblatio patris dissensui praevalet, ratio, quae contraria omnia exsuperat, in favore Fidei posita est; Antonius vero a Budrio super idem cap. *Ex litteris,* num. 7, eo usque progreditur, ut vehementiori quadam emphasi dicat, quod cum Iudaea mater ad Christianam Fidem conversa filium ad Baptismum offert, dissentiente patre, qui in Iudaismo reman-

sit, dici ob favorem Fidei potest, quod mulier vir evaserit, et ex matre patre effecta sit.

§ 21. Feliciter Nobis patriae potestatis obstaculum superasse videmur, quod Nobis aliquam difficultatem ingerebat, in eoque superando ratione validissima nixos fuisse, quae in Religionis favore posita est; ingenue tamen omnino agnoscimus, aliquid praeterea adhuc desiderari, ut statuere possimus, oblationem ad Baptismum ab Avia factam, tam Iudaea matre, quam Tutoribus Iudaeis repugnantibus, licitam validamque esse, adeoque admittendam. Nam si in solo favore Fidei omnia posita ac fundata essent, exinde consequeretur, ut a quacumque persona, licet extranea, fieret oblatio infantis Iudaei ad Baptismum, parentibus licet ipsius reluctantibus, eadem admittenda esset; contra quam docet Sanctus Thomas, quem caeteri Theologi communiter sequuntur, Infantes ex infidelibus natos, sine parentum consensu minime baptizandos esse; atque illud etiam fortasse eveniret, ut Christianorum cuilibet permissum in posterum videretur, in Hebraeorum Vicum penetrare, atque alicuius Iudaei infantem, utroque parente invito, vel ibidem baptizare, vel foras asportando baptizandum offerre, quod hodierno tempore non solum improbatur, sed etiam a Tribunalibus Ecclesiasticis vindicatur.

§ 22. Verum, si casus hic, qui in quaestione versatur, una cum adiunctis circumstantiis consideretur, haud facile quidem demonstrari poterit, ex eo quod aviae oblatio admittatur, vel communem laedi Theologorum sententiam, quam supra exposuimus, vel violentiis aut dolis aditum aperiri ad Hebraeorum infantes, invitis eorum parentibus, Baptismati offerendos, aut re ipsa baptizandos; tum quia communis Theologorum sententia nihil aliud docet, nisi quod minime licet infantes infidelium, *invitis parentibus*, baptizare; cumque iidem nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi sint, qui sub appellatione parentum veniant, locum excipit legalis dispositio, quae docet, *sub appellatione parentum* aviam comprehendi; quam ad rem verba Textus in promptu sunt in *L. Appellatione ff. de verbor. significat. Appellatione parentum non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia:* tum quia hoc ipso in casu non improvisa aliqua vis, aut impetus intercedit, nec talis oblatio fit a persona penitus extranea, cum paterna avia sit, quae ad Christi Fidem conversa nepotem ad Baptismum sponte offerat; ac praeter id, quod iam dictum est, videlicet *appellatione parentum* paternam quoque aviam comprehendi, observandum etiam occurrit, quod Romanis legibus a tutela mulieres omnes excluduntur: *Tutelam administrare virile munus est, et ultra sexum foeminae infirmitatis tale officium est,* quemadmodum legitur in *L. Tutelam, Cod. Quando mulier tutelae officio fungi potest.* Quum tamen deinde rigorem huiusmodi mitigari placuisset, et mulieres etiam ad tutelam exercendam idoneas declarari; id ad solam aviam, solamque matrem restrictum fuit, ut in Authentica *Matri et Aviae,* eodem titulo, videre est; quod quidem signum evidens, imo argumentum satis clarum est, paternam aviam minime extraneam dicendam esse, etiam in eo, quod pertinet ad nepotum seu filiorum filii sui educationem; maxime vero ubi, velut in praesenti casu, cum avia ipsa consentiunt patrui; quorum quidem

in Iudaica lege tanta ratio habetur, ut matri in proprii filii successione praeferantur, quemadmodum in cap. 27 *libri Numerorum* praescriptum habetur, ac super ipso observant expositores Tostatus quaest. 33, Calmetus, ad vers. 11, et du Hamel, ad vers. 6.

§ 23. Hic vero novimus dictum iri, aviam ad legitimam nepotis tutelam habilem quidem redditam esse, verum secundo loco, id est post matrem; ac praeterea locum non esse loquendi de Tutoribus legitimis, quoties, ut in re praesenti accidit, testamentarii adsunt a patre dati. Verumtamen utrique responsionis parti non deest, quod denuo reponi possunt. Verum quidem est, secundum iam citatam authenticam *Matri et Aviae,* in tutela legitima matrem aviae praeferri: *Matri et Aviae secundum ordinem tutelam subire permittimus:* quo loco Glossa ad verba *secundum ordinem* notat: *Cum primo Mater, secundo Avia admittitur;* at saltem extra controversiam non est, et valde incertum videtur, utrum praelatio matris respectu aviae, matri competat quando ipsa Iudaea sit; cum complures, iique graves Auctores doceant, matrem in tutela filii aviae praeferendam esse, cum ipsa Christiana est, non autem cum Iudaea. Etenim Authentica *Matri et Aviae* desumpta est ex Novella 118, *de haeredibus ab intestato venientibus.* In hac Novella Legislator ordinem successionum constituit; ac deinde ad tutelarum ordinem gradum faciens, parem hunc successionum ordini fore statuit, ideoque matri praelationem in tutelis supra aviam tribuit. Ad extremum autem totam suam dispositionem iterum complectens, verbis huiusmodi eamdem concludit: *Haec autem omnia, quae de successione sancimus, obtinere in iis volumus, qui Catholicae Fidei sunt.* Ex quo plausu dignum et probabile argumentum illis suppeditatur, qui contendunt ac docent, in tutela legitima minime matri supra aviam praelationem deberi, cum mater Iudaea est, sed tutelam Christianae aviae deferendam esse, quod ita favor exigat Religionis; cuius quidem ratio a Legislatore habita est in re minoris momenti; cum statuerit, quod licet mater filiam dotare teneatur, quando pater id faciendi de suo facultatem non habet, id tamen a matre omnino praestandum sit, etiamsi patri divitiae suppetant, quoties hic Christianus, et proles Christiana sit, mater vero in infidelitate, aut in Iudaismo remanserit; quemadmodum, Legum Civilium depositiones referendo, pluribus ostendunt Bossius, *de Dote,* ad cap. 5, § 2, num. 26 et seq., et Cardinalis de Luca, *de Dote,* discurs. 142, num. 54.

§ 24. Non inficiamur item, quod minime dubium est, legitimis Tutoribus nequaquam locum esse, ubi Testamentarii adsunt; verum illud videndum restat, num id admittendum sit, quando Testamentarii suspecti sunt, cum, secundum Romanas leges, Testamentariis etiam suspicionis exceptio detur, ipsaeque Leges in Urbe quidem Praetori, in Provinciis autem Praesidibus onus iniunxerint, suspectos tutores removendi, et in eorum locum alios non suspectos substituendi, ut in Institutionibus Iustiniani, et in titulo Codicis, *de suspectis tutoribus vel curatoribus,* videri potest. Pontifex Gregorius IX in controversia, quae per ipsum soluta fuit in pluries laudato cap. *Ex litteris, de conversione infidelium,* utrum videlicet filius apud Iudaeam matrem remanere, an Christiano patri tradi deberet, supradictam legum

dispositionem prae oculis habuit, ut ex subiectis eiusdem verbis colligitur: *Non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitae insidientur illius;* et contra Iudaeam matrem pronunciavit, propter periculum perversionis: *Materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime Fidei Christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Hoc autem responsioni illi fundamentum praebet, non loquendum scilicet de Tutoribus legitimis, ubi Testamentarii adsunt, si Testamentarii ab exceptione immunes sint: secus vero quando iidem exceptionem patiuntur praeiudicii, damnique notabilis, quod pupillo afferent, cum Religionis offensa; quemadmodum omnino contingeret, sic nunc Christianae aviae oblatio reiiceretur, ne ius impediretur eorum Iudaeorum, qui Tutores Testamentarii existunt.

§ 25. Nonnullos fortasse audieris dicentes, quod si oblatio aviae admittatur, res fiet, quae antea nunquam facta fuisse memoretur. Hoc idem Nobis obiectum fuit; sed nihil plane ea res Nos commovit, cum ne casus quidem ullus allatus fuerit, quo aviae oblatio repudiata sit. Cum autem res, quae in quaestionem cadit, non quidem tantummodo ratione dispicienda, sed quoquo modo executioni mandanda sit, et positiva necessitas adsit de ipsa in alterutram partem decernendi; nullus relictus locus est illius negligendae, aut in aliud tempus differendae; sed videndum omnino est, quid secundum iustitiam fieri oporteat. Idem plane contigit Gregorii XIII tempore, quum scilicet ipse decrevit, ut Avi ad Christi Fidem conversi oblatio reciperetur, etiamsi mater dissentiret, quemadmodum a Nobis plene expositum fuit in alia Epistola nostra ad Urbis Vicesgerentem conscripta; et relatum habetur, ut supra innuimus, apud Sylvium, cui nunc adiungimus Valentiam, tom. 4, *Commentarium Theologicorum,* disput. 4, quaest. 3, punct. 3, § *Quarto dico.* Etenim ne tunc quidem ante eiusmodi sententiam a Pontifice prolatam contigerat, ut oblatio avi, dissentiente matre, recepta unquam fuisset. Ergo et sententia illa nova extitit, et tamen executioni demandata, et cum plausu excepta fuit. Eademque dici potest aditum iis aperuisse, qui in praesentia ad recipiendam aviae oblationem propensi sunt, quum pari iure censeri debeant avus et avia in eo, quod pertinet ad curam non minus filii, quam filiorum ipsius, cum haec a familia sua per matrimonium in viri familiam translata, primas in hac partes una cum illo obtinuerit. Et quoniam avi mentione redeunte, obiectum illud iterum redit, patriam potestatem penes eumdem, non autem penes aviam residere; non mirum videri debet, si et Nos responsione illa denuo occurramus, videlicet favorem Religionis id praestare, ut patriae potestatis defectus illi non officiat, qui alio caeteroquin legitimo titulo infantis oblationem facit; ad ea autem, quae supra dicta sunt de communi opinione, qua mater filium, dissentiente patre, valide ac licite baptizandum offert, etiamsi patria potestas in patre, non autem in matre sita sit, non iniucundum fore arbitramur, si id adiungamus, quod ad rem hanc scribit Vasquez, tomo 2, super 3 part. S. Thom., quaest. 68, art. 10, disput. 155, cap. 3, num. 35. *Licet Iure Civili soli patri concessa sit patria potestas in filium, quod attinet ad aliquos effectus in ipso Iure peculiares,*

nempe ut pater usumfructum habeat in bonis filii, non autem mater, et ut suus haeres dicatur, ac proinde iure (ut dicunt) suitatis gaudeat, quod respectu matris non conceditur; tamen, quod spectat ad retinendum filium in suo consortio, et societate, ut illum nutriat, aequale videtur ius matris cum iure patris; ac proinde si alter consentiat, etiamsi sit mater, quia nimirum videtur ex consortio filii cum altero, nempe cum patre, ei damnum spirituale sequi, ratione commodi spiritualis, quod filio ex separatione provenit, consensus illius repugnantiae alterius praevalere debet.

§ 26. Nisi Nos memoria fallit, nihil aliud modo reliquum est, quam ut quaestioni illi respondeamus, quomodo scilicet fieri possit, ut mater, quae super educatione filii infantis ius habet ab ipsa natura derivatum, quod ideo naturale Ius appellatur, eo iure privari possit ab avia, quae aliam auctoritatem in nepotem habere nequit, quam quae ipsi a Iure Civili tribuitur. In quo illud forsan satis esset respondere, praecipuum fundamentum illius praeponderantiae, quae Aviae facto tribuitur, in Religionis favore situm esse; quod autem hic quaeritur, iam antea quaesitum fuisse in altero casu, quum scilicet Gregorius XIII Avi factum dissensui matris praevalere debere iudicavit; nec ullam de huiusmodi quaesito rationem habitam fuisse. Sed ut ad propositae interrogationis nodum proprius accedamus, quaerimus, utrum filii mancipiorum et eorum, qui pleno iure servi sunt, dissentientibus eorum parentibus, baptizari possint. Et quidem, si secundum communem opinionem responsum dandum sit, respondendum erit, posse. Iterum igitur quaerimus, num huiusmodi parentibus faveret, nec ne, ius naturale pro educatione filiorum suorum infantium; neque responderi posse arbitramur, eosdem naturali eorum iure in proprios filios caruisse. Quaerimus denique, quomodo filii praedicti baptizari possint sine consensu parentum, pro quibus stat ius naturale, quod immutabile dicitur. Verum, ut huiusmodi interrogationi responsum dari possit, ad Theologos recurrendum est. Respondent ipsi, ius patrum in filios infantes, pro eo, quod ad educationem pertinet, naturale dici posse duplici ratione; vel scilicet quia a natura originem habeat, vel quia lex naturae iubeat, ut nemo alius eorum educationi, exclusis parentibus, se immiscere possit. Admittunt Theologi, ius illud primo sensu naturale esse, non autem secundo; ideoque concludunt, quod cum dominium mancipii seu servi, eiusque filiorum, iure gentium in Dominum transferatur, potest Dominus filios infantes a parentibus separare, eosque baptizandos iubere, etiamsi parentes dissentiant. Ita edisserit Sylvius, tom. 4, sup. 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10, concl. 7, et ante eum satis solide Suarez, tom. 3, super 3 parte S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sect. 4, § *Quocirca.* Iam vero nihil praeter ius et fas postulare Nobis videmur, dum contendimus, quod quemadmodum naturae ius non laeditur, ubi, repugnantibus parentibus, captivorum filiis Baptismus confertur, ita neque idem naturae ius violari dicatur, quoties, nulla vi adhibita, ac petente persona, quae id faciendi ius habeat, infans Hebraeus, dissentiente matre, aut Sacro Fonte abluitur, aut baptizandus offertur; sicut enim pro primo casu militat Ius Gentium, ita pro altero favor Religionis, cuius vis eam Nobis obligationem imponit, ut eamdem promoveamus, quantum, seclusa cuiuslibet iniuria, Nobis facere

permissum est; veluti in praesentia continget, si oblatio Hebraei infantis, quae ab Avia sponte fit, recipiatur.

§ 27. Habes igitur, dilecte Fili, eas omnes rationes, quibus adducti sumus, ut eam, de qua quaestio est, oblationem recipiendam iudicaremus, quemadmodum recipiendam iudicamus; quae rationes et causae, sive per se singulae considerentur, sive, ut in casibus practicis fieri consuevit, coniunctim accipiantur, magni procul dubio ponderis, atque momenti sunt. Quod si in re dubia in favorem Fidei pronunciandum esse constans regula est, quisnam erit, qui, perpensis tot propositis rationibus, materiam hanc saltem pro dubia habendam, adeoque in favorem aviae, quod idem est in casu, ac in favorem Religionis, decernendum non existimet? Novimus, dilectos Filios Sanctae Inquisitionis Consultores, tum sacrae Theologiae, tum Canonici Iuris peritos, quorum suffragia validis rationibus innixa perlegimus, pro avia communiter censuisse. His concordes audivimus in Congregatione coram Nobis habita Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententias pro admittenda aviae oblatione. Quare tam sapientibus consiliis inhaerendo, huic Epistolae nostrae finem imponimus, oblationem aviae recipiendam esse decernentes, tibique impertientes Apostolicam Benedictionem.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 417-442].

419.

Benedictus XIV, ep. *Urbem*, 19 mart. 1752.[1]

§ 1. Urbem Antibarum, italice *Antivari*, eo nomine appellatam, propterea quod in ora illius regionis, quae nunc *Albania* dicitur, contra Barium Apuliae civitatem constituta sit, iamdudum, ut nosti, Othomanicae Dominationis iugum premit, ab anno scilicet 1571, ut testatur Reipublicae Venetae Senator Iacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, *Historia* eiusdem Reipublicae, tom. 2, lib. 7, pag. 261. Neque Venetis datum est, illius possessionem recuperare, magno licet virtutis conatu, tum anno 1648, tum etiam anno 1717, in id incubuerint, ut idem Historicus prosequitur. De hac Urbe P. Daniel Farlatus, tom. 1, *Illyrici Sacri*, in *Prolegomenis*, part. 2, cap. 5, § 3, pag. 150, ita scribit: *Antibarum Urbs priscis ignota, quod saeculis posterioribus condita fuit e regione Barii civitatis Apuliae, a qua denominata est, quasi contra Barium;* idemque Auctor subdit, Dioclea urbe in ruinis iacente, Archiepiscopalem illius titulum translatum fuisse Antibarum; et nomina Episcoporum suffraganeorum, qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in Bulla Alexandri Papae II. Ut autem Sedes Archiepiscopalis in praefata civitate collocaretur, occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis, Antibarensi, Cattarensi, Olchiniensi, et Suacensi, qui,

[1] Ad Rev. P. Nicolaum Lercari, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarium conscripta, occasione Postulatorum a R. P. Archiepiscopo Antibarensi eidem Congregationi propositorum.

dum Spalatum petebant, ut Provinciali Concilio interessent, naufragio perierunt; ut videre est in laudatis *Prolegomenis*, part. 3, sect. 2, § 5, pag. 308.

§ 2. Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli laude magnopere commendandus, quum Dioecesim suam visitasset, et acta Visitationis ad Congregationem de Propaganda Fide misisset, super duobus sequentibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem praeberi, et adiumenta praestari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albania potitos, magnam partem bonorum ad Ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla deinde Christifidelibus divendita, alia vero eisdem ab colendum tradita fuerunt. In secundo autem refert, nonnullos ex Christianis, domos habentes proximas Ecclesiis eversis, et praedia praediis Ecclesiarum contigua, areas et terras ad easdem Ecclesias olim pertinentes usurpasse. Quaerit propterea quomodo in his se gerere debeat; et an huiusmodi malis remedium ullum, et quodnam sit adhibendum; declarans se lumine sibi praestito usurum, ut opportunis documentis instruat Confessarios, qui ea vehementer exoptant; quum aliqui sint ex huiusmodi possessoribus, qui nihil pensi habeant, alii vero propriae conscientiae stimulos cohibere cupiant, atque a censuris absolvi, quas contra detinentes Ecclesiarum bona statutas et latas esse non ignorant. Addit praeterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in praefata visitatione peragenda, in sua Dioecesi evenire comperit, in aliis quoque Albaniae Dioecesibus contingere; ita ut, manibus magno operi admotis, tumultus, atque discordias suscitatum iri valde pertimescat.

§ 3. Utroque capite huiusmodi in Congregatione de Propaganda Fide mature discusso, existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se Missionariis, Parochis, et Confessariis, eisdem iniungere, ut poenitentibus demonstrent, non posse eos sine propriae conscientiae danno detinere bona, quae olim ad Ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata, in eorum manus devenerunt, sive ea a Turcis ipsis emerint, sive tamquam derelicta sibi usurpaverint; ideoque necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se in eorum bonorum possessione confovere possint; totamque difficultatem in novo huiusmodi legitimo titulo adinveniendo versari. Quamobrem ipsa Congregatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant, eique distinctam exhibere indicationem quantitatis, qualitatisque bonorum, quae ex antiquo Ecclesiarum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsius autem Archiepiscopi aequitati et prudentiae permittendum, ut et Ecclesiarum utilitati, quantum fas est, providere, et possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos admittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam canonibus impositis, iuxta facultates, quae a Nobis praefato Aschiepiscopo concedi poterant. Conclusit denique, hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui invitati ad praemissa praestanda accesserint, contumacibus in propria perditione derelictis. Quum vero haec omnia a te, Dilecte Fili, iuxta tui ministerii debitum, Nobis diligenter relata fuerint, et pro opportuna facultatum concessione supplicatum; Nos vero ad rem accurate inspiciendam et perpendendam nonnihil temporis sumpserimus; nunc tandem decrevimus sententiam nostram hac super re, quae magni momenti effectus parere potest, in scriptis redigere.

§ 4. Sane a nemine in dubium revocatur, quidquid in bello iusto capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire; mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut maiores ad defensionem vires sumat, ac se a futuris eventibus tueatur. Sylvius in 2, 2, quaest. 40, art. 1, quaesit. 6, conclus. 6 et conclus. 7; Covarruvias in 2 part. *Relect. Regul. Possessor malae fidei*, § 11, sub num. 6. Similiter extra controversiam est, in bello iniusto, totum id, quod capitur, restituendum; quum occupatio huiusmodi nihil aliud sit, quam formalis rapina. Ita docet S. Thomas 2, 2, quaest. 66, art. 8, ad primum; en eius verba: *Circa quaedam distinguendum est: quia si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum iustum, ea, quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae; unde nec ad restitutionem teneantur, etc. Si vero illi, qui praedam accipiunt, habeant bellum iniustum, rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur.* Illustria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum iniustitiam belli suscepti agnoverunt, quicquid abstulerant, prompte restituerunt, ac detrimenta, quaecumque victis et debellatis populis praeliando intulerant, summa fide repararunt. Haec in Livii Historiis occurrunt; ac duo huiusmodi exempla a Valerio Maximo referuntur, alterum, quod pertinet ad Faliscos a Quinto Lutatio domitos, alterum ad Camarinos a Publio Claudio devictos, atque per varias Orbis plagas dispersos. *Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis captos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id gestum ab Imperatore videbatur,* (Senatus) *maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, et praedia restituit, etc., iustitiaeque promptissimo tenore effecit, ut exilio suo laetari possent, quia sic renati erant.*

§ 5. Hinc patet, quum bellum, quo Turcae Antibarum occuparunt, omni procul dubio fuerit iniustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum et occupatum fuit, sive mobile sive immobile fuerit, id eos iniuste usurpasse, veramque in eo rapinam commisisse; quare omnis iustitiae ratio postularet, ut ab ipsis cuncta restituerentur Christifidelibus, quos fortunis suis iniuste spoliarunt, vel, illis vita functis, eorum haeredibus et successoribus. Sed hoc non est praesentis quaestionis subiectum; et si esset, frustra de eo ageretur, quod in perditis et desperatis rebus habendum est. Quaestionis cardo vertitur circa bona, quae Turcae Christianis vendiderunt, et nunc ab emptoribus detinentur; quaeriturque utrum, qui ea emerint, quique emptorum haeredes aut legitimis successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint, an vero eadem legitimi dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad Ecclesias et Monasteria pertinentibus, quorum iniusta detentio censurarum poena mulctatur; quodque, quum Ecclesiastici, non secus ac Peregrini, in bellis, minime sint partes Reipublicae nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum, nec istorum personae laedantur, neque bonis suis exturbentur, et legitur in Decretali: *Innovamus, de Tregua et Pace;* ubi, necessitatis publicae causa, hoc ipsum Privilegium ad mercatores etiam et agricolas extenditur, ut optime ad citatum textum pendunt Repetentes. Quamquam autem id saepe saepius re ipsa non observetur: *Quos Canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id, quod positivi iuris pertinet, an abusus deleverit, nescio:* verba sunt Cardinalis Caietani in eius *Summa*, verbo: *Belli damna*, § 4, *De damnis;* illud tamen non obstat, quominus praedictorum Canonum ratio habenda sit, quoties de animarum directione in foro conscientiae agatur.

§ 23. Si autem ea, quae hactenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui fundos ab iniustis invasoribus occupatos emerunt; et hi quidem illos, nullo recepto pretio, restituere tenentur; quanam excusatione tueri se poterunt alii illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarensis, agros et fundos ad Ecclesias et Monasteria spectantes, ipsi furtim invaserunt, et per occasionem adiacentiae aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis, qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges Civiles usucapionem longi temporis in rebus furtivis, ob malae fidei vitium, nequaquam admittunt. Cum autem inter antiquos Prudentes orta esset quaestio, an furtum in solis rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet; cumque eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo intelligendum esse; ulterius deinde progressi, in eo convenerunt, ut si quis, absque vi, licet mala fide, alicuius rei immobilis possessionem usurpasset, non ipse quidem posset huiusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius, qui ab ipso rem illam bona fide accepisset; ut videre est in L. *Furtum* 37, § 1, ac in L. sequ. ff. *De usucap.* atque in *Institutionibus* Iustiniani, eodem titulo. Sed neque hic subsistit immoderata laxitas Auctorum Iuris Civilis, qui, ad inducendum usucapionis ius, satis habuerunt, bonam fidem initio adeptae possessionis adfuisse; parum solliciti si mala fides deinde supervenisset; ut videre licet in L. 48, § 1, ff. *De acquirendo rerum dominio*, et in L. unic. C. *De usucap.* At Sacri Ecclesiae Canones, nil aliud, quam aequitatem, animarumque salutem respicientes, tot inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam praescriptionem induci, nisi bona fides et initium possessionis, et medium, et finem comitetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* Verba sunt Innocentii III, in cap. ult. *De praescriptionibus.* Haec autem bona fides in nemine sane eorum, de quibus nunc sermo est, admitti potest; quum incredibile sit, in toto assertae usucapionis decursu, nullam eis suppetiisse notitiam, quod bona occupata ab Ecclesiam pertinuerint.

§ 24. Quod si praedicti possessores hoc saltem contenderent, se bona huiusmodi retinere posse tamquam a dominis, nimirum ab Ecclesiis et Monasteriis, derelicta, quo casu bona fiunt occupantis, iuxta § penult. et ult. *Institutionum, De rerum divisione*, et L. 1 et seq. ff. *Pro derelicto;* in magno quidem errore versarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quae dominus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro; sed illa dumtaxat, quae quis sponte deserit ac derelinquit, propterea

quod eorum possessionem detinere nihili pendit: *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abiecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus eius esse desinit.* Quocirca derelictae nequaquam censentur res, quae a domino navis, ut naufragium effugiat, in mare proiiciuntur; et si quis illas lucri causa recuperat, furtum committit. *Alia sane causa est earum rerum, quae in tempestate, levandae navis causa, eiiciuntur; hae enim dominorum permanent; quia palam est, eas non eo animo eiici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Haec omnia verba sunt Textus Civilis in citatis duobus ultimis paragraphis Tituli *Institut., De rerum divisione.*

§ 25. En tibi, Dilecte Fili, quicquid in unum congerere Nobis datum est, ut quaestionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem in summa, sententiae Congregationis de Propaganda Fide, quam Nobis retulisti, consentaneum dici potest. Verum non ideo Nobis plane satis factum esse profitemur. Innuit in suis litteris Archiepiscopus, id quod Antibari accidit, in aliis quoque Albaniae Civitatibus contingere, ubi complures sunt Christiani, qui bona immobilia Ecclesiarum aut empta de Turcis, aut de facto occupata possident. Ulterius itaque progreditur prudens ille Praesul; cumque magnopere cupiat aliquam sibi viam patefieri ad pacandas conscientias, illasque a censuris, quibus propter iniustam Ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictae sunt, absolvendas; nihilominus aeque vereri se ostendit, ne turbae excitentur, si hodiernis possessoribus, ut iustitiae ratio postularet, iniungeretur, aut fundorum, aut fructuum, vel alicuius portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque est, Antibarum, aliasque Albaniae Civitates, de quibus nunc agitur, sub temporali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus, aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: *uti possidetis, ita possideatis,* quod ad pacandas conscientias nihili valeret; nisi etiam deterius aliquid in Christianorum, Sanctaeque nostrae Religionis perniciem contingeret. Hoc illud est, quod animum nostrum commovet, atque perturbat; Nosque eo adducit, ut nisi nova, et certiora Nobis suppeditentur indicia, ex quibus intelligamus, quid maxime in praedictis regionibus timeri posset, si huic negotio manus admoveantur, nihil Nos statuere posse existimemus de instructionibus, aut facultatibus circa haec Antibarensi Archiepiscopo communicandis. Quod nunc tibi significare possumus, et de quo tibi mandamus, ut ipsam Congregationem certiorem facias, illud est, Nos ita animo esse comparatos, ut suprema, qua fungimur auctoritate, pro Generalis bonorum Ecclesiasticorum Administratoris officio, huiusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus condonemus, eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis iniuste occupatorum et detentorum, idoneos reddamus, et ab incursis censuris absolvamus; ne forte Christianae Religionis eversionem intueri in illis regionibus, in quibus, licet sub Turcarum dominatione degentibus, eadem adhuc Deo miserante viget, neve, Episcoporum eiectiones, aut innocuorum Christifidelium persecutiones, et vexationes audire cogamur;

Nobisque tot mala imputari, propterea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam Nobis Deus *in aedificationem, et non in destructionem* largitus est, quaque Praedecessores nostri similibus in casibus uti non dubitarunt.

§ 26. Quum tempore Mariae Angliae Reginae, bonae memoriae Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset Provincia, Angliam ipsam Ecclesiae Romanae reconciliandi, Pontifex Iulius III in Brevi expedito die 8 Martii 1554 facultatem ei concessit, cum his, qui Ecclesiasticorum bonorum possessionem iniuste occupaverant, quique ad Ecclesiae Romanae sinum redirent, concordandi et transigendi super fructibus male perceptis, et super mobilibus consumptis: *restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis;* uti videre est in tom. 4, *Conciliorum magnae Britanniae,* pag. 42, col. 2. At quia in rei executione fortasse compertum est, huiusmodi facultates nimis angustas esse, in alio Brevi expedito die 28 Iunii eiusdem anni, praefato Cardinali plenam ac liberam largitus est potestatem *cum quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum tam mobilium, quam immobilium in praefato Regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis, arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum eis, ut praefata sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi; omnia et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, consulendi et faciendi; salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praefatae Sedis beneplacito et confirmatione.* Breve hoc editum est in citato tom. 4, pag. 102 et 103, et in *Annalibus* Raynaldi ad annum Christi 1554, num. 8. Praedictus vero Cardinalis, *ne novae inde turbae concitarentur, Ordinibus postulantibus, et urgentibus, adactus est publico instrumento, Pontificis nomine et auctoritate, omnes de eiusmodi bonis et possessionibus, quoad poenas et censuras canonicas, in perpetuum securos et absolutos declarare:* verba sunt Spondani ad eundem annum 1554, num. 4. Hisque consentiunt Sanderus, *De Schismate Anglicano,* lib. 2, pag. 349, edit. Rom. an. 1586; Davanzatus in sua *Historia Schismatis Anglicani,* edita Florentiae, anno 1628, pag. 91, qui omnes pariter conveniunt in celebranda praefati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negotium, servata Ecclesiae dignitate, transegit.

§ 27. P. Schmalzgrueber in suo citato consilio 15, tom. 2, casum perpendit haeretici Principis, qui Augustanam Confessionem deserens, Catholicam amplectitur Religionem; ac quaerit, quomodo gerere se debeat quoad bona Ecclesiastica, quae auctoritate pacis Westfaliae ab Ecclesia reprobatae possidet; et quidem eiusdem consil. quaesit. 2, num. 22, concludit, quod *vel restituere illa tenetur, vel ad ea retinenda Apostolicae Sedis dispensationem sollicitare,* exemplum afferens Ducis Neuburgi Wolphangi Willhelmi, ac eius filii Electoris Palatini Willhelmi; et asserens, quod erga conversos ad Fidem Catholicam *adeo benigna esse solet Sedes Apostolica, ut etiamsi iusta sit causa, retentionem illorum,* id est immobilium Ecclesiae bonorum, *ipsis dispensative concedat.*

§ 28. Denique Praedecessores noster Clemens Papa XI ad Augustum II Poloniae Regem in Litteris datis die 10 Nov. an. 1712 in tom. 2 illius Brevium editorum, pag. 243, ut eum ad promovendam Fidei Catholicae propagationem in suis Saxoniae ditionibus excitaret, ita scripsit: *Certam reddimus Maiestatem tuam, quod neque a te, neque a tuis Successoribus Catholicis, aut ab aliquo alio, qui sanctam ibi Religionem nostram amplexurus sit, Nos unquam illorum bonorum, quae per Saxoniam antiquitus ad Ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi sumus: quinimmo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si, haeresi eiurata, ad Catholicam Fidem redire constituant, nos ipsis praefata bona omnia in perpetuum condonabimus; idque ea ratione ac forma exequemur, ut ne a nostris quidem Successoribus in posterum quicquam adversus haec postulari queat.* Atque hoc promissum adimplens Clemens XII in sua Constitutione, quae incipit *Sedes Apostolica,*[1] num. 67, in tomo 13, novi *Bullarii* Romae editi, illis Saxoniae incolis, qui bona ad Ecclesias antiquitus pertinentia possidentes, haeresim aut eiurassent, aut eiuraturi forent, concessit, ut bona, quae possidebant, retinere, ac de illis, tamquam de rebus suis, disponere libere possent; omnesque praeterea fructus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.

§ 29. Allata haec exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui Sanctae Romanae Ecclesiae gremium ingredi cupiebant; hic autem sermo est de hominibus, qui nostrarum partium sunt, quique Christiana et Catholica professione censentur. Verumtamen rationis fundamentum idem omnino in allatis exemplis, ac in nostra facti specie, Nobis esse videtur; ut scilicet suprema Apostolica auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis, ac urgentibus casibus, quibus per ordinariae auctoritatis usum satis provideri nequit. Eos vero, qui recedendi a Nobis tentatione sollicitari possent, a praecipiti casu, quantum fas est, remorari, si non idem est, ac viam sternere illis, qui ad Nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre Nobis videtur. Haec habebamus Tibi significanda: Tibique, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 452-476].

420.

Benedictus XIV, const. *Ad honorandam*, 27 mart. 1752.

§ 1. Ad honorandam memoriam Beatissimi Apostolorum Principis, cuius praedicatione Urbs haec ad Christi fidem conversa Martyrio consecrata, Sepulcro illustrata est, cuius patrocinio stabilitatem, cuius auctoritate in universa Ecclesia primatum obtinet, incenso iampridem animo ferebamur; non solum ob debitum gloriosissimo Ecclesiae Principi venerationis obsequium, quo permoti plerique Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ad

[1] Die 9 iul. 1732. – Bull. Rom., tom. 13, p. 284-286.

tuendum augendumque Vaticanae Basilicae splendorem ac decus eiusdemque iura et ornamenta amplificanda, operam auctoritatemque suam, quadam veluti pietatis et munificentiae contentione, conferre certarunt; verum etiam peculiari devotionis nostrae studio impulsi, et iucundissima illius temporis recordatione, quo, inter eiusdem Basilicae Canonicos adscripti, coram Beati Apostoli Confessione, Omnipotenti Deo in Hymnis et Canticis Matutinum Vespertinumque Sacrificium labiorum nostrorum ineffabili affectu suavitatis obtulimus. Et quamvis huiusce animi nostri erga Beati Petri Apostoli honorem et cultum, ipsiusque Ecclesiae decorem atque utilitates magnopere propensi, plures atque perspicuas iam ediderimus significationes: quum tamen eas probe nosceremus cum amplissimis beneficiis a plerisque Praedecessoribus nostris in eamdem Basilicam effuse congestis, nullo modo esse comparandas, vehementer optabamus aliquam Nobis occasionem praeberi, qua Nobis liceret illustre aliquod amoris studiique nostri in ea statuere monumentum, suprema dignum auctoritate, quam inscrutabilis Dei providentia Nobis cum Apostolici culminis haereditate concessit: ut sicuti assidua quondam erga B. Apostolorum Principem ministerii nostri extiterunt obsequia, ita, dum ad ipsius successionis fastigium, meritis licet imparibus, evecti sumus, collata Nobis potestas in eiusdem honorem aliqua saltem ex parte referretur: ipsiusque Ecclesia, quae olim officiosam filii pietatem in Nobis experta fuit, paternae nunc charitatis nostrae fructus in se derivari sentiret.

§ 2. Itaque memoria repetentes, pro ea notitia, quam de Vaticanae Basilicae rebus, ex diuturna munerum ab eius Capitulo Nobis iniunctorum administratione, olim acquisivimus, complura ipsius iura et privilegia existere, diversis temporibus et titulis, iure meritoque ipsi tributa; quorum aliqua, ad ipsius Basilicae decus, clariori in luce collocanda, aliqua vero nonnunquam aliorum controversiis, frusta licet, impetita, novo tandem Apostolicae confirmationis robore constabilienda viderentur: idcirco plerasque et illustriores eiusdem Basilicae praerogativas Nobis ob oculos repraesentari iussimus, earumque origine, usu, et possessione mature perpensis, nec non ipsarum cum iustitia et Canonicis legibus consonantia penitus perspecta, plures ex illis, licet firmissimis titulis, et non interrupta possessione fundatas, hac nostra perpetua valitura Constitutione expresse complecti; nonnullas vero, quas aliquando in dubium revocari contigerat, de Apostolicae potestatis plenitudine asserere et confirmare; alias demum Motu proprio, non ad alicuius oblatae Nobis petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate, et certa scientia, ac voluntate, eidem Basilicae, eiusque Archipresbytero, Capitulo, et Clero, ex integro tribuere, et concedere decrevimus, prout in Domino iudicavimus salubriter expedire.

§ 3. Et quoniam amplissima honoris praeconia, quibus complures ex Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Vaticanam Beati Petri Basilicam, tanquam dilectam Sponsam, ac splendidissimam Apostolicae dignitatis Sedem, cumularunt, eorum Apostolicis litteris, ac perennibus monumentis consignata reperiuntur; praecipua vero ipsius Basilicae iura, privilegia, atque statuta, quorum complexu eiusdem status, dignitas, et regimen consistit, plurium quoque Romanorum Pontificum cura et sollicitudine iamdudum

constituta et coordinata noscuntur; novissime vero a fel. record. Decessore nostro Clemente Papa XI per Apostolicas litteras sub Annulo Piscatoris die v Septembris Anno MDCCI datas, in genere confirmata fuerunt; Nos quoque generaliter praedicta omnia iura, privilegia, exemptiones, praerogativas, gratias, et indulta quaecumque, memoratae Basilicae, eiusque Capitulo et Canonicis, a praefatis Praedecessoribus nostris quomodolibet concessa, et respective confirmata, consuetudines quoque, atque statuta, dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, neque posterioribus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, aut sacris Canonibus, vel Concilii Tridentini Decretis adversentur, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen auctoritate Archipresbyteri, et Capituli, in his, quae ab ipsorum arbitrio, et facultatibus pendere dignoscuntur; eademque iura, privilegia, gratias, et indulta huiusmodi semper firma, valida, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et quandocumque spectabit, perpetuis futuris temporibus, in omnibus et per omnia volumus suffragari.

§ 4. Ac perpendentes cum recolendae mem. Praedecessoribus nostris Innocentio III, Gregorio IX ac Innocentio VI minime conveniens esse, ut in praedicta Vaticana Basilica, quae speciale Sedis Apostolicae membrum, ac Pontificiae dignitatis ornamentum et domicilium existit, *ullus omnino, praeter auctoritatem Romani Pontificis, aliquam sibi vindicet potestatem,* propterea ipsam Basilicam, eiusque Aedificia, ac Seminarium, nec non pro tempore existentes illius Capitulum, et Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Ministros, et Seminarii praedicti Alumnos, aliasque personas eiusdem Basilicae servitio pro tempore addictas, durante servitio huiusmodi, et in his, quae ad praedictum servitium pertinent, ab omni et quacumque superioritate, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis spirituali iurisdictione tam ordinaria, quam delegata, cuiuscumque Superioris, ac etiam pro tempore existentis nostri et Romanorum Pontificum Successorum nostrorum in Urbe eiusque Districtu Vicarii in spiritualibus Generalis, auctoritate et tenore praedictis eximimus, et perpetuo exemptos esse et fore decernimus; illosque sic exemptos, Nobisque et Sedi Apostolicae immediate subiectos, sub speciali nostra, et praedictorum Successorum nostrorum tutela et protectione recipimus, et immutabiliter constituimus.

§ 5. Iurisdictionem autem quoad praemissa in spiritualibus Ordinariam in eamdem Basilicam, eiusque Seminarium, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, Ministros, aliosque omnes ipsi quomodolibet inservientes, una cum omnibus et singulis iurisdictionibus, potestatibus, et privilegiis, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, indultis, auctoritatibus, et facultatibus, quae alias per fel. rec. Paulum III,[1] Pium IV, Sixtum V,[2] Paulum etiam V, Urbanum VIII, Clementem IX, Clementem XI, et alios quos-

[1] Const. *Cum dilectus*, 1 nov. 1542. – Bull. Rom., tom. 4, I, p. 212-214.
[2] Const. *Cum ex debito*, 11 apr. 1590. – Bull. Rom., tom. 5, I, p. 117-121.

cumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, bon. mem. Alexandro Cardinali Farnesio, et successive Evangelistae Cardinali Cosentino, ac Scipioni Cardinali Burghesio, et Francisco Cardinali Barberino, ac Carolo Cardinali etiam Barberino, et Francisco Cardinali Nerlio, ac Hannibali Cardinali Albano Sancti Clementis, respective nuncupatis, dum viverent, dictae Vaticanae Basilicae Archipresbyteris, nuper vero per Nos ipsos dilecto Filio nostro Henrico Tituli Sanctae Mariae in Porticu nuncupatae, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, Duci Eboracen. nuncupato, Archipresbyteratum eiusdem Basilicae ex concessione, et dispensatione nostris in Commendam ad sui vitam obtinenti, ac eorum singulis, tanquam dictae Basilicae Archipresbyteris, et quoad Basilicam et Ecclesiam praedictam, etiam illorum personae intuitu, vel ad eorum vitam dumtaxat in genere vel in specie concessa sunt, et concedi consueverunt; volumus in posterum ipsius Archipresbytero praedicto nunc existenti, eiusque in perpetuum in Archipresbyteratus dignitate Successoribus, tam per se ipsos, quam per suos respective Vicarios ab illis pro tempore deputandos, auctoritate Apostolica exercenda, praesentium litterarum mansuro vigore competere; ita ut futuri pro tempore Vaticanae Basilicae Archipresbyteri, vigore litterarum Apostolicarum super concessione Commendae dicti Archipresbyteratus, seu illius collatione et provisione, expeditarum, statim post adeptam pacificam eiusdem Archipresbyteratus possessionem, huiusmodi spiritualem iurisdictionem, tanquam Archipresbyterali Dignitati perpetuo adnexam, quoad praemissas res atque personas exercere; servata tamen forma Constitutionis piae mem. Innocentii Papae XII etiam Praedecessoris nostri super suppressione, abolitione, et abrogatione Tribunalium et Iudicum particularium Urbis, ac reductione privilegiorum, et eorumdem Tribunalium ad ius commune, sive ad Iudices Ordinarios Romanae Curiae, editae de anno MDCXCII,[1] quam Nos per aliam nostram Constitutionem XV Kalendas Martii anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI Pontificatus Nostri Anno II datam[2] expresse confirmavimus, atque innovavimus; eisdemque iuribus, privilegiis, et facultatibus uti et frui libere et licite possint et valeant; absque eo quod alias peculiares litteras, seu concessiones a Nobis aut a Successoribus nostris, super his petere et impetrare, seu desuper expedire teneantur.

§ 6. Proindeque, ut iidem Canonici, Beneficiati, Clerici, Alumni, et Ministri praedicti, ab eodem Archipresbytero, eiusque in Archipresbyteratus dignitate pro tempore Successoribus quibuscumque, quatenus Episcopali charactere praediti sint, vel de ipsorum licentia tantum, nec alias, a quocumque Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, per eum, eosque deputando, ad omnes, etiam sacros, et Presbyteratus Ordines promoveri, et tam ipse Archipresbyter, eiusque in Archipresbyteratus dignitate Successores, quam Antistites ab eo deputati, eosdem Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, et Ministros, re ipsa actu inser-

[1] Const. *Romanus Pontifex*, 17 sept. 1692. – Bull. Rom., tom. 9, p. 271-273.
[2] Const. *Quantum ad procurandam*, 15 febr. 1742. – Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 120-127.

vientes, ut supra, absque nostra, vel Successorum nostrorum, aut nostri in Urbe, eiusque districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis, vel cuiusvis alterius, etiam eorum originis, Ordinarii licentia, dimissoriis, aut examine; Convictores vero Seminarii praedicti, accedentibus ipsorum respective Ordinariorum licentia, ac dimissorialibus litteris, ad praemissos omnes Ordines, servatis de iure servandis, promovere licite possint ac debeant, praesentium tenore perpetuo concedimus et indulgemus.

§ 7. Idcirco idem Archipresbyter, eiusque Successores Archipresbyteri praefati, ex eiusdem Capituli gremio tres aut plures pro tempore Examinatores, in Sacra Theologia, vel in Iure Canonico Magistros, sive Doctores, deputare possint, ac debeant, quorum munus sit, praedictos Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Alumnos, sive Convictores, ut supra, atque Ministros, ad quemcumque, etiam Sacrum et Presbyteratus Ordinem promovendos, sive ordinandos, iuxta Concilii Tridentini Decreta,[1] examinare, atque probare, prout hactenus laudabiliter factum esse novimus, et Nos ipsi, dum eiusdem Basilicae Canonicatum obtinebamus, plures annos huiusmodi Examinatoris officium sustinuimus. Idemque pro tempore Archipresbyter possit cum praedictis Canonicis, Beneficiatis, Clericis, Alumnis, aliisque praedictae Basilicae Inservientibus, super observantia interstitiorum ad Ordines praedictos suscipiendos, iustis de causis, dispensare; atque ipsis, in quolibet Ordine constitutis, ministrandi, celebrandique licentiam tam in praedicta Basilica, quam in quibuslibet aliis Saecularium, aut Regularium Ecclesiis in Urbe et extra Urbem, per Litteras Dimissoriales, quas quidem tam ab ipsis Archipresbyteris, quam ab eorum pro tempore Vicariis confectas atque subscriptas, ubique admittendas fore decernimus, valeat impertiri.

§ 8. Item Consecrationes Altarium eiusdem Basilicae, nec non Ecclesiarum, quae inter ipsius Basilicae membra connumerantur, et Altarium in ipsis existentium, sacrorum quoque utensilium ac vestimentorum benedictiones, ab eisdem Archipresbyteris, sive ab eorum Vicariis Episcopis, aut aliis Antistitibus vel etiam, quoad ea, in quibus Sacra Olea non adhibentur, ab aliquo ex Canonicis praedictae Basilicae Presbytero, de ipsorum tamen Archipresbyterorum mandato et delegatione, fieri possint; ac demum tam Ordinationes praedictas, quam caetera Pontificalia munia sive functiones, ab eodem Archipresbytero nunc existente, eiusque in Archipresbyterali dignitate Successoribus quibuscumque, sive per se ipsos, sive per suos respective Vicarios, qui Episcopali charactere sint insigniti, ac etiam per alios Episcopos, Archiepiscopos, aut Patriarchas de gremio Capituli, vel, his deficientibus, etiam per alios extraneos Antistites quoscumque, de licentia tamen ipsius Archipresbyteri, in praefata Basilica tantum exerceri posse, perpetuo statuimus, atque decernimus. Quin etiam, vacante huiusmodi Archipresbyteratus dignitate, omnia Pontificalia munia huiusmodi, sive functiones, exceptis Ordinationibus praedictis, et excepta collatione Sacramenti Confirmationis, de quo inferius agemus, pro rerum et temporis opportunitate, de Capituli dumtaxat licentia, ab aliquo Antistite, ut praefertur, de eiusdem Capituli gremio, atque

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 7, 14.

etiam ab extraneo, si ab Episcopo de ipsius Capituli gremio impleri nequeant, in eadem Basilica pariter exerceri posse concedimus. Innovantes insuper, et perpetuo confirmantes Praedecessorum nostrorum Innocentii VI et Urbani V Privilegium, quo eamdem Basilicam sanguinis aut seminis effusione forte violatam, a Canonico Altarista, seu Antiquiori Canonico in Presbyteratus Ordine constituto, cum aqua tamen ab aliquo Antistite rite benedicta, reconciliari posse indulserunt.

§ 9. Praesertim vero veterem observantiam, plurium Romanorum Pontificum, ac potissimum Ioannis XIX, Benedicti IX, Innocentii III et Gregorii IX vigentibus ad hunc diem privilegiis et concessionibus inductam, ac perpetuo usu, et immemorabili consuetudine firmatam, qua in eadem Basilica singulis annis Feria v in Coena Domini, tum sancta infirmorum et Catechumenorum Olea, tum etiam Sacrum Chrisma, ab ipsius Archipresbytero, sive huius pro tempore Vicario in Episcopali gradu constituto, vel ab alio Antistite, de Archipresbyteri praedicti licentia, rite confici, et benedici, pluribusque Ecclesiis Parochialibus, tam eiusdem Vaticanae Basilicae Filialibus, quam aliis quibusdam non Filialibus, distribui consuevit, auctoritate nostra confirmamus, et quatenus opus sit, praesentium tenore innovamus, et in perpetuum stabilimus; volentes, ut omnes et singuli Rectores vel Parochi sive Curati Ecclesiarum, tam videlicet earum, quas inter praedictae Basilicae Filiales infra recensebimus, aliarumque, si quae sunt, aut in posterum Filiales existent, quam aliarum quomodolibet eidem Basilicae subiectarum, praesertim Sanctae Mariae in Transpontina nuncup., et tam Ecclesiae, quam Hospitalis S. Spiritus in Saxia, et caeterarum omnium, quae vel expressis Praedecessorum nostrorum legibus, vel recepta consuetudine ad id teneri dignoscuntur, huiusmodi sacrorum Oleorum confectioni in die Coenae Domini, nec non Benedictioni Fontis Baptisterii in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, singulis annis; ut praefertur, interesse, vel si ipsi legitimo impedimento detenti fuerint, alios respective Presbyteros ad ipsorum vices in huiusmodi sacris Functionibus decenter sustinendas, mittere; iidemque Rectores vel Parochi seu Curati Olea praedicta ab ipsa Basilica quotannis in sacros Ecclesiarum suarum usus asservanda atque utenda recipere, teneantur; et quatenus opus sit, opportunis praeceptis et poenis, arbitrio Archipresbyteri statuendis, adigantur. Neque vero propter huiusmodi praesentiam ab ipsis praestitam, vel propter praedictorum sacrorum Oleorum receptionem, ab ullo quomodolibet, sive iudicialiter, sive extraiudicialiter molestari possint, vel ad aliam quamcumque Ecclesiam aut Basilicam pro huiusmodi praesentia praestanda accedere, aut praedicta sacra Olea ab alia qualibet recipere compellantur.

§ 10. Huic porro iuri sacrorum Oleorum et Chrismatis conficiendorum, consequens est, ut Sacramentum Confirmationis in ipsa Basilica, et ab illius pro tempore Archipresbytero, sive ab illius Vicario Episcopo, aut etiam de ipsius licentia, ab alio quolibet Antistite, ministrari et conferri possit. Quod quum eidem Archipresbytero ab antiquissimis temporibus licuisse constet, et quidem, quod attinet ad personas eiusdem Basilicae ministeriis addictas, illique actu inservientes, in contradictorio quoque iudicio coram Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum habito, eidem

Archipresbytero, sive per se, sive per alium ab ipso deputatum, indistincte licere definitum fuerit, cum subsequuta contradicentium acquiescentia; Nos huiusmodi Resolutionem sive Decretum a tunc existentibus Congregationis praedictae Cardinalibus die xv Februarii anni MDCXLVIII latum, et a fel. rec. Praedecessore nostro Innocentio Papa X approbatum, mox etiam a recol. mem. Clemente Papa X Praedecessore pariter nostro per Litteras in forma Brevis die XXVIII Iunii anni MDCLXXV editas, iterum confirmatum, quatenus praedictam Archipresbyteri facultatem admittit, auctoritate quoque nostra roboramus; et quoad praedictos Basilicae Vaticanae Ministros eidem actu ministrantes et inservientes, eiusdemque pro tempore Archipresbyteri iurisdictioni in spiritualibus subiectis, debitae executioni demandari, ac perpetuo inviolabiliter observari praecipimus. Quod vero spectat ad alias personas, quae neque sunt de ipsius Vaticanae Basilicae gremio, aut illius servitiis addictae, neque Archipresbyteri praedicti iurisdictioni subsunt, plenissime Nobis cognita atque perspecta est lis et controversia, quae diu agitata fuit, quaeque adhuc indecisa pendet, super iure conferendi Sacramentum Confirmationis personis huiusmodi in Vaticana Basilica. Ex quo siquidem recol. mem. Praedecessoris nostri Clementis Papae XI beneficio in eadem Basilica Canonicatum et Praebendam adepti fuimus, quum ipsius Archivi praefectura Nobis a Capitulo demandata fuisset, id munus per annos quatuordecim, nimirum usque ad nostram promotionem ad Anconitanam Ecclesiam, retinuimus. Cumque propterea Nobis a praedicto Clemente XI Praedecessore iniunctum fuisset, ut quaecumque ad huiusmodi Confirmationis negotium coram diversis Iudicibus vario eventu discussum pertinerent, in unum redacta, eidem consideranda exhiberemus, vel potius ea, quae olim ipsiusmet Pontificis tunc in minoribus eiusdem Basilicae Vicarii, deindeque Canonici, opera ac studio digesta et ordinata fuerant, eidem in memoriam revocaremus; Nos quidem omnibus investigatis atque collectis, totam ipsi exposuimus rationum summam, ob quas contendebatur licitum esse in Ecclesia S. Petri in Vaticano Sacramentum Confirmationis omnibus Civitatem Leoninam usque ad Septimianum incolentibus, idemque Sacramentum recipiendi causa ad ipsam Ecclesiam confluentibus conferre. Quarum rationum momenta, quum olim anno MDCXLI Congregatio S. R. E. Cardinalium, ac Romanae Curiae Praelatorum ad cognoscendas causas in Apostolica Visitatione occurrentes deputatorum agnovisset, ac decreto edito comprobasset, huiusmodi Decretum ab Urbano Papa VIII confirmatum fuerat per Litteras in forma Brevis datas die xv Ianuarii Anni MDCXLII. Et quamvis deinceps concessa adversus hasce Urbani litteras aperitione oris, causaque ad aliam Congregationem eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum delata, resolutio prodiisset, quae huiusmodi facultatem limitavit et coarctavit ad eas tantum personas, quae in ministeriis ipsius Basilicae, ut supra diximus, actu inservirent, atque haec pariter resolutio a Clemente Papa X per speciales Litteras in forma Brevis confirmata fuisset; nihilominus adversus has quoque litteras aperitio oris concessa fuerat a venerab. mem. Innocentio Papa XI sub die XXIV Iunii anni MDCLXXXV, cuius obtinendae in primis auctor extitit ipse Praedecessor Clemens XI, dum in eadem Vaticana Basilica, ut

supra diximus, Vicarii munus exercens, Archipresbyteri et Capituli preces atque rationes eidem Innocentio XI, supplici Libello a se diserte exarato, porrexerat. Cum autem post haec, huiusmodi controversia, quae ad eamdem Congregationem Concilii Tridentini, rescripto eiusdem Innocentii XI Praedecessoris remissa fuerat, usque ad ipsius Clementis XI Pontificatum indecisa conquievisset, in animo quidem ipsi erat, pro sua sapientia et auctoritate tunc eam dirimere, fineque debito terminare. Sed quoniam gravissimorum negotiorum, quae supervenerunt, cura et sollicitudine detentus, ipse id, quod optabat, praestare non potuit, integrum Nobis reliquit, aliquam huiusmodi controversiae in perpetuum extinguendae rationem excogitare. Quam quidem, matura deliberatione praehabita, praesentium tenore edicimus, et promulgamus, ac de Apostolicae potestatis plenitudine in posterum observari mandamus. In primis videlicet praedictam controversiam, litem, et causam, inter dilectos filios Capitulum et Canonicos S. Ioannis in Laterano ex una, et Archipresbyterum, Capitulum, et Canonicos S. Petri in Vaticano Patriarchalium Urbis Basilicarum ex altera partibus, super iure et facultate conferendi Sacramentum Confirmationis in saepedicta Vaticana Basilica, coram praefata Congregatione Concilii Tridentini, vel in alio quovis Tribunali coram quocumque Iudice, et in quacumque instantia pendentem, (cuius statum, merita, et alia quaecumque etiam de necessitate iuris, vel facti omnino exprimenda, nec non utriusque Capituli et Ecclesiarum praedictarum iura, privilegia, indulta, concessiones, et litteras Apostolicas, eorumque plenos et integros tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis haberi volumus) Motu, scientia, et potestatis plenitudine praefatis, harum serie ad Nos avocamus, penitusque et omnino supprimimus, perpetuumque desuper silentium praedictis partibus, aliisque quibuslibet in praemissis ius aliquod seu interesse habentibus, vel habere praetendentibus, imponimus, atque os occludimus.

§ 11. Volumus autem, Sacramentum Confirmationis in Lateranensi quidem Basilica perpetuis futuris temporibus de more administrari a Cardinali pro tempore Romani Pontificis in Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, vel ab ipsius Vicesgerente, aut ab alio Antistite, quem ipse Vicarius praedictus, pro suo arbitrio, ad id deputaverit, idque toties, quoties, quibusque temporibus, atque diebus ipsi Vicario opportunum videbitur. Sed insuper moderno et pro tempore existenti S. R. E. Cardinali Vaticanae Basilicae Archipresbytero, non tam ratione veterum titulorum, iurium, privilegiorum, atque consuetudinum, quae tamen Nobis plene cognita esse supra memoravimus, quam vigore novae huius concessionis, quam motu proprio ipsi, eiusdemque in Archipresbyteratus dignitate Successoribus quibuscumque, de Apostolica liberalitate tribuimus, praesentium tenore perpetuo concedimus et indulgemus, ut singulis annis infra Octavam Natalitiae Solemnitatis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli principalium huiusce Almae Urbis Patronorum, singulis videlicet septem diebus dictam Solemnitatem immediate sequentibus, in praedicta Vaticana Basilica, per se ipsum, si ipse Episcopali gaudeat charactere, sin minus, vel etiam si ipse aliquo impedimento detineatur, per suum Vicarium Episcopum, aut per alium

Antistitem de gremio Capituli, vel, his deficientibus, etiam per alium quemlibet Antistitem ab ipso deputandum, omnibus et singulis non solum Vaticanae Basilicae inservientibus, atque ipsius Archipresbyteri iurisdictioni, ut praefertur, subiectis, et non solum ex civitate Leonina nuncupata, aut ex Septimiano praedictis, sed etiam ex caeteris Urbis Regionibus quibuscumque, et alias undecumque in hunc finem confluentibus, Sacramentum Confirmationis perpetuis futurus temporibus administrare et conferre libere et licite possit et valeat.

§ 12. Qua in re non tam nostro erga praedictam Vaticanam Basilicam amori studioque indulgemus; nec eo tantum consilio ad id adducimur, quo Sanctorum Apostolorum cultum in hac Alma Urbe magis magisque augeri, eorumque Festivitatis Octavam in ipsa Urbe solemnius concelebrari cupientes, aliis nostris Apostolicis Litteris pridie Kalendas Aprilis an. MDCCXLIII datis[1] plura praescripsimus per eos dies a singulis Romanae Curiae Ordinibus, et Cleri, Populique coetibus adimplenda; sed peculiari quadam ratione movemur, quam Nobis sacrae antiquitatis monumenta suppeditant; ut scilicet in ea Basilica, in qua et olim, ex praedictorum Romanorum Pontificum delegatione, Sacramentum Baptismi solemniter in Sabbato Sancto administratum fuisse constat, et nunc etiam, ex veteri approbataque consuetudine, de qua inferius verba faciemus, Baptismus idem omnibus indistincte, et quolibet anni tempore confertur, in eadem etiam Sacramentum Confirmationis, quod olim regeneratis statim post Baptismum conferebatur, aliquibus saltem anni diebus, omnibus pariter optantibus, ab ipsius Basilicae Archipresbytero, vel ab alio, ut praefertur, ab eo deputato, vigore specialis concessionis, et peculiaris privilegii eidem impertiti a Romano Pontifice, sub cuius immediata iurisdictione praedicta Basilica existit, administrari possit atque conferri. Huc accedit, quod sicuti gloriosissimi Apostoli Petrus et Ioannes, in ipsis Ecclesiae nascentis exordiis, primi ab Apostolico Collegio adhuc Hierosolymis agente in finitimas Regiones ablegati fuerunt, ut per eorum ministerium, et manuum impositionem, novelli credentes acciperent Spiritum Sanctum, quemadmodum Liber Actuum testatur; ita maxime congruum Nobis visum est, ut in duabus Patriarchalibus Romanae Urbis Ecclesiis, quae in eorumdem Apostolorum honorem atque memoriam Omnipotenti Deo dicatae caeteris Urbis et Orbis Ecclesiis dignitatis et gloriae praerogativa antecellunt, Caelestium Charismatum fontes ad perennem Ecclesiae aedificationem Christifidelibus perpetuo paterent.

§ 13. Ut autem omnia, quae ad praedicti Sacramenti administrationem pertinent, rite recteque impleantur atque serventur, volumus atque praecipimus, ut in eadem Vaticana Basilica, et in loco ad id decenter aptato inter Altare Cathedrae S. Petri, eiusque Confessionem, vel alibi, pro rerum et temporis opportunitate, intra eamdem Ecclesiam, singulis praedictis diebus, horis antemeridianis, et ad populi commodum opportunis, Sacramentum Confirmationis administretur; praemissa semper in singulis diebus huiusmodi, ad instructionem Confirmandorum, apta et gravi oratione, per aliquem de

[1] Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 270-274.

Clero Vaticano, quem praefatus Cardinalis pro tempore Archipresbyter ad id deputaverit, peragenda, super ipsius Sacramenti sanctitate atque praestantia. Et sicut hactenus Regestum eorum, qui in ipsa Basilica confirmati fuerunt, ab Archivi Capitularis Custode servari consuevit; ita ab eodem in posterum authenticum omnium Confirmatorum huiusmodi Regestum in ipso Archivo diligenter retineatur, et asservetur; ex quo, ad petentium instantiam et opportunitatem, authentica pariter Testimonia, seu Fides, extrahi possint, atque uno verbo omnia et singula observentur, et impleantur, quae circa collationem et administrationem Sacramenti Confirmationis, providis Ecclesiae regulis praescripta reperiuntur.

§ 14. Baptismi vero Sacramentum in eadem Vaticana Basilica non solum Infantibus intra peculiares ipsius Parochiae fines in lucem editis; sed, ut superius innuimus, aliis etiam quibuslibet, tam in Urbe, quam extra illam natis (quorum quidem plurimos, ob venerationem Beatissimi Apostolorum Principis, a piis parentibus ad ipsius Ecclesiam baptizandos deferri constat) libere et licite administrari, tum veteri omnium ferme saeculorum usu et observantia receptum est, tum etiam in sacris Visitationibus, et praesertim in ea, quam anno MDCXXV fel. rec. Urbanus Papa VIII in dicta Basilica peregit, ac praeterea iudiciali definitione Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die XV Maii anni MDCC edita, agnitum fuit, atque firmatum, et Nos demum huius nostrae Constitutionis vigore id ipsum indubitanter atque perpetuo servari volumus, atque decernimus.

§ 15. At quoniam non ignoramus, nonnullos aliquando ex aliarum Urbis Ecclesiarum Parochis sive Curatis, vel de suorum iurium conservatione plus nimio sollicitos, vel etiam contra praedicta Decreta pervicaciter obfirmatos, vetus hoc Vaticanae Basilicae, eiusque Capituli, et Parochi sive perpetui Vicarii, ius, et iuris huiusmodi exercitium, si non aperte impugnare, at saltem artificio eludere et impedire consuevisse; denegando scilicet propriis Parochianis ea Documenta, sive Schedulas de legitimis Infantium natalibus, quae eidem Vaticanae Basilicae Parocho exhiberi debent, aut Schedulas ipsas eiusmodi forma concipiendo, ut vel parentes ipsius prolis, absque proprio dedecore eas exhibere, vel Vaticanus Parochus easdem, absque iniuria Basilicae, recipere non possent; aut demum aliis artibus, quibus ab religiosae huiusmodi voluntatis implemento praedictos respective Parochianos deterrendos esse prospicerent; adeo ut Nos ipsi, propter nonnullorum huiusmodi Parochorum culpam, necesse habuerimus, omnes in commune Urbis Parochos initio Pontificatus nostri apud Nos congregatos, gravibus verbis hac de re admonere, atque etiam Edictis per organum dilecti Filii nostri S. R. E. Cardinalis hodierni nostri in Urbe Vicarii publice propositis, coercere: idcirco, ut omnis in posterum tergiversandi via cuilibet perpetuo sit praeclusa, statuimus atque decernimus, ut praedictarum Schedularum exempla sub certa et invariabili forma Typis imprimantur, eaque non solum aliarum Urbis Ecclesiarum Parochis distribuantur; sed etiam ab ipsius Vaticanae Basilicae Parocho, vel a Sacristiae Curatoribus, cuilibet petenti gratis concedantur; volentes, et huiusmodi Schedulis impressis nihil a Parochis adscribi possit aut debeat, praeter parentum nomina, et Prolis nativitatem, cum ipsorum

Parochorum subscriptione, et impressione sigilli eorum Parochiae. Quod si huiusmodi Schedulis alia fortasse, praeter praemissa, ab iisdem Parochis adscribi, vel earum subscriptionem petentibus absque legitima causa denegari contigerit; volumus eosdem Parochos, singulis vicibus, quibus huic nostrae Ordinationi contraire praesumpserint, poenam quinque Ducatorum auri in auro, in subventionem piae Domus, et Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia erogandorum, irremissibiliter incurrere, et cum effectu persolvere, sublata cuilibet condonandi, vel aliter iudicandi facultate. Si vero constiterit, eosdem Parochos aliis artibus adniti hanc spiritualem consolationem, et concessam libertatem suis Parochianis adimere, eosque ab huiusmodi erga beatum Apostolorum Principem devotionis actu revocare; gravioribus etiam poenis, et mulctis, a competentibus Iudicibus, tam ex officio, quam ad recurrentium instantiam, volumus coerceri.

§ 16. Caetera vero illustriora Privilegia, quae ad Vaticanae Basilicae dignitatem et decus pertinent, strictim attingendo asserere et confirmare volentes; decernimus in primis, ut solemnes Romanorum Pontificum Consecrationes, iuxta vetustissimum Romanae Ecclesiae ritum, in Urbe, non alibi quam ad Altare Confessionis Beati Petri Apostoli (super quo praeter Romanum Pontificem, nemini omnino licet, absque expressa ipsius Pontificis concessione, per litteras Apostolicas singulis vicibus expedienda, incruentum Sacrificium offerre), sicut e contra ad praedictum Altare non aliae, quam huiusmodi Successorum nostrorum Consecrationes, sive Ordinationes, peragantur. Coronationes quoque eorumdem Pontificum Romanorum, dum scilicet Sacro Pallio ex Corpore Beati Petri desumpto decorantur, et tanquam Apostolicae ipsius potestatis Successores, publica omnium Ordinum adoratione coluntur, ad praedictum Altare, et in eadem respective Basilica de more celebrentur. Aequum est enim, ut ibi Sacerdotii accipiant unctionem, et sacrae iurisdictionis insignia suscipiant, ubi Apostolorum Principis ossa quiescunt, *a quo,* ut Sancti Innocentii I Praedecessoris nostri verbis utamur, *Episcopatus ipse et tota auctoritas nominis huius emersit.* Qua etiam ratione factum esse non dubitamus, ut Venerabiles Praedecessores nostri Romani Pontifices, per continuam plurium saeculorum seriem, Sacros Christianis Plebibus Rectores, Ecclesiisque Ministros daturi, Ordinationes statis anni temporibus apud Sanctum Petrum habere consueverint; quod et prisci Ecclesiae Romanae Rituales Libri, et disertissimi Sermones S. Leonis Papae I pariter Praedecessoris nostri de Ieiuniis quatuor Anni Temporum abunde testantur.

§ 17. Eademque de causa, a remotissimis usque temporibus, quorum initii memoria non extat, Sacra Pallia, quae a Romano Pontifice Patriarchis, et Archiepiscopis concedi solent, et per quorum traditionem (ut loquitur recolendae memoriae Praedecessor quoque noster Innocentius Papa III) *Pontificalis Officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur,* in eadem dumtaxat Vaticana Basilica, sacris vigiliis praemissis, benedici, et prope Corpus Beati Petri Apostoli asservari consueverunt. In cuius Benedictionis exequendae ritibus, quum pro temporum conditione aliquas subinde variationes inductas fuisse animadverterimus; Nos, edita Constitutione, cuius

initium est: *Rerum Ecclesiasticarum origines,* data pridie Idus Augusti Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVIII, [1] totius Caeremoniae ordinem, et formam, ac preces in ipsa Benedictione recitandas perpetuo statuentes, decrevimus, Pallia huiusmodi per Romanum pro tempore Pontificem quotannis in pervigilio Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Vespertinis Officiis in eadem Basilica celebratis, absente vero Pontifice per S. R. E. Cardinalem, illius vice Officium huiusmodi in Pontificalibus celebrantem, benedici; eademque postmodum sacrata Pallia intra venerandam Apostolorum Principis Confessionem, prope sacrum illius Corpus, et non alibi, pretiosae Capsulae inclusa, quam Nos etiam in hunc finem eidem Apostolorum Principi in obsequii nostri pignus obtulimus, perpetuo asservari. Quam quidem Constitutionem nostram, cum omnibus in ea contentis, praesentium quoque tenore confirmamus.

§ 18. Similiter Unctiones, seu Benedictiones, et Coronationes Romanorum Imperatorum, et Catholicorum Regum, et Reginarum, gloriam suam et honorem ad Aras Supremi Regum Regis, et ad pedes Apostoli, Christiana pietate afferentium, in eadem Vaticana Basilica perfici debere statuimus. Hoc enim requirit et antiqua consuetudo innumeris actibus confirmata, et ipsa supremorum Principum et Christianorum Populorum Religio; quae sane luculentissima quaeque erga Romanam Ecclesiam obsequii et devotionis argumenta, in venerationem potissimum Beatissimi Apostolorum Principis, edidisse dignoscitur. Huic factae sunt civitatum, atque ditionum cessiones et donationes, Regnorumque oblationes et subiectiones; quorum diplomata ac monumenta non semel super Altare Basilicae Vaticanae signata, vel intra Confessionem Beati Petri reposita fuerunt. In eius Aede praestita sunt Romano Pontifici fidelitatis iuramenta, et homagia; ibidem soluti sensus, atque recepti; vel, si eos iniuste denegari contingeret, solemnium protestationum aliorumque legitimorum actuum vi repetiti. Huc denique semper ex omni Christiani Orbis regione fidelium peregrinationes, orationis aut voti causa, susceptae, nec defuerunt etiam ex sublimioribus ordinibus, qui, ex earum implemento, ad melioris vitae propositum conversi, reliquum aetatis suae tempus in Dei cultu transigere decreverint, suaeque mortalitatis exuvias apud Beatum Petrum sepeliendas relinquere.

§ 19. Quemadmodum vero eisdem Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, pro traditae ipsis orthodoxae fidei et canonicae disciplinae praecipua custodia, solemne olim fuit, coram Beati Petri Apostoli Confessione publicas fidei suae professiones recitare, ac, sicubi oportuit vitae quoque suae rationes Clero Populoque exponere; sic etiam, dum Apostolicae sollicitudinis studio, omnium Ecclesiarum Pastores in recti dogmatis et unitatis Catholicae communione debitaeque subiectionis ordine continere semper curarunt, eosdem ad Limina Apostolorum statis temporibus evocare, et quoties ita res tulit, apud eamdem sacratissimam Confessionem, eorum libellos vel incorruptae doctrinae testes, vel quibus obiecta eis crimina depellerentur, aut errores damnarentur, ab ipsis excipere, in more habuerunt. Praeterea plerosque atque praecipuos supremae Apostolicae Iurisdictionis actus, sive

[1] Cf. N. 390.

in perditorum ac pervicacium condemnatione, tum singulis annis in die Coenae Domini, tum quoties peculiaris rerum necessitas id postulavit, sive in reconciliatione illustrium Personarum, quae ad Ecclesiae sinum, eiuratis errorum impietatibus, regredi meruerunt, seu denique in generalium Indulgentiarum, et potissimum in Magni Iubilaei publicatione, apud eamdem Basilicam exercere consueverunt.

§ 20. Quocirca quum Nos dudum aliis Nostris Apostolicis litteris, quarum initium est: *Ad Sepulcra Apostolorum,* IX Kalendas Decembris anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI datis,[1] ex iustis ibidem expressis causis, statuerimus, ut Servorum et Ancillarum Dei Beatificationes, et Beatorum Canonizationes in posterum in eadem Vaticana Basilica, et non alibi, peragantur, non obstantibus quibuscumque contrariis exemplis, quae nullum praeiudicium antiquo instituto et Vaticanae Basilicae praerogativae afferre decrevimus, id ipsum harum tenore confirmamus, et innovamus, et inviolabiliter in posterum observari mandamus.

§ 21. Ac praeterea dilectos filios Canonicos et Clerum praedictae Vaticanae Basilicae, amplioris gratiae favore prosequi volentes, decernimus, ut quoties in eadem Basilica huiusmodi solemnes Canonizationes, iuxta praemissa, celebrabuntur, quemadmodum in novissima Canonizatione quinque Sanctorum Anno Domini MDCCXLVI die Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli per Nos celebrata, de mandato nostro factum fuit; ita et in posterum semper peculiaris et certus locus in adornando sacrae functionis apparatu eisdem praeservetur, ex quo decenter et commode sacrae solemnitatis ritum spectare possint, indeque a nemine quavis auctoritate valeant amoveri.

§ 22. Similiter alias nostras Apostolicas litteras XIV Kalendas Martii Anno ab Incarnatione Domini MDCCXLIV Pontificatus nostri Anno V editas,[2] harum quoque serie confirmantes et innovantes, statuimus, ut si quando, Apostolica Sede vacante, solemnitatem Corporis Christi celebrari contingat, Processio generalis totius Cleri Urbis, cum interventu Officialium Romanae Curiae, quemadmodum vivente Romano Pontifice moris est, apud Basilicam Vaticanam celebretur, eo ritu, atque ordine, quem in praedictis nostris litteris, aliaque Schedula eadem die manu nostra signata,[3] distincte praescripsimus.

§ 23. Supplicationis quoque generalis die festo S. Marci Evangelistae ab universo Clero Urbis ad Vaticanam Basilicam quotannis haberi solitae, perpetuam observantiam, et ritus a Praedecessoribus nostris Alexandro IV, Eugenio IV et Nicolao V Romanis Pontificibus praescriptos, nec non Decreta condita a Congregatione Sacrorum Rituum super eiusdem celebratione, ac praesertim Decretum, super modo, quo alia Urbis Ecclesiarum Capitula Vaticanam Ecclesiam ea occasione ingredientia ab eiusdem Capitulo recipi debent, die XVII Aprilis Anni MDCVI editum, et a fel. rec. Paulo Papa V specialiter confirmatum,[1] novo Apostolicae confirmationis nostrae munimine roboramus, ac perpetuis futuris temporibus inconcusse servari praecipimus.

[1] Cf. N. 320.
[2] Cf. N. 356.
[3] Motu propr. *Omnibus et singulis,* 16 febr. 1745. – Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 499-501.

§ 24. Oblationem praeterea unius Calicis cum octo Cereis facibus, quam Conservatores Camerae Almae Urbis nostrae singulis annis die festo eorumdem SS. Apostolorum, ipsius Almae Urbis Patronorum principalium, iuxta Decreta in Consilio eiusdem Camerae condita, et a Praedecessoribus nostris approbata, saepedictae Basilicae dare et offerre consueverunt, in posterum quoque singulis annis ab iisdem Conservatoribus perpetuo dari volumus et offerri; ita ut, ad normam litterarum Apostolicarum fel. rec. Gregorii Papae XV sub Annulo Piscatoris die XVII Augusti Anni MDCXXI expeditarum, praedictus Calix valoris sexaginta scutorum monetae esse debeat, iidemque Conservatores pecunias pro Calice dicti valoris, et facibus Cereis huiusmodi necessarias, ex quibuslibet eiusdem Camerae Capitolinae redditibus, sive proventibus, desumere, praesentium quoque litterarum nostrarum vigore, possint et valeant. Permittentes eiusdem Vaticanae Basilicae Capitulo et Canonicis praedictis, quemadmodum alias a san. mem. Praedecessoribus nostris Clemente Papa XI et Innocentio Papa XIII per eorum litteras Apostolicas in forma Brevis die X Aprilis Anni MDCCXIII et die XVII Iulii MDCCXXIII respective datas, ad decennium tantum respective valituras, indultum fuit, ut ipsi, vice et loco praedicti Calicis a memoratis Conservatoribus quotannis, ut praefertur, offerri soliti, illius pretium ab iisdem pro tempore Conservatoribus recipere valeant: ea tamen lege, ut pretium huiusmodi penes Montem Pietatis de Urbe illico deponatur, indeque amoveri nequeat, nisi ad effectum illud convertendi in emptionem tot sacrarum Suppellectilium in Basilica praefata magis necessariarum, quibus insignia Senatus Populique Romani apponi debeant, praesenti concessione perpetuum vigorem futuris temporibus habitura.

§ 25. Cumque recol. mem. Praedecessor Noster Alexander Papa VII die XXVII Sept. anni Domini MDCLIX ad Divini cultus augmentum, et sacrarum Suppellectilium in eadem Vaticana Basilica conservationem, providum Decretum ediderit, a Nobis alias in Opere de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione Tomo I[2] relatum, et in praefatis Apostolicis litteris incipientibus: *Ad Sepulcra Apostolorum,* denuo confirmatum, quo certam contributionem, quingentorum scilicet scutorum auri in auro in cuiuslibet Servi Dei Beatificatione, et mille scutorum auri similium in cuiuscumque Beati Canonizatione, ab huiusmodi Causarum Postulatoribus, favore Sacrarii eiusdem Basilicae persolvi mandavit, in conficiendis, sive conservandis sacris Suppellectilibus praedictis, et non aliter, omnino erogandam; Nos huiusmodi Decreti Chirographum, eiusque integrum tenorem praesentibus pro plene, et de verbo ad verbum insertum habentes, denuo auctoritate nostra approbamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, quae ab ipso Alexandro Praedecessore decreta sunt, motu, scientia, et potestate simili rursus decernimus, et constituimus; et in futurum inviolabiliter observari mandamus.

[1] S. R. C. Decr. Authent., n. 209.
[2] L. I, c. XLVI.

§ 26. Confirmamus pariter et innovamus aliorum Praedecessorum nostrorum, praesertim Sixti IV, Clementis VII, Pauli III, Clementis VIII et Pauli V Romanorum Pontificum Constitutiones, et Ordinationes, quibus certa portio a singulis Archipresbytero, et Canonicis, ac Beneficiatis, et Clericis Beneficiatis, in adeptione possessionis eorum respective Archipresbyteratus, et Canonicatuum, Praebendarum, et Beneficiorum, supradictae Sacristiae respective solvenda praescribitur; quemadmodum etiam integra medietas omnium fructuum et distributionum primi anni dictorum Archipresbyteratus, et Canonicatuum, ac Praebendarum, et Beneficiorum omnium, post adeptas illius et illorum respective possessiones, eidem Sacristiae applicari iubetur: quas quidem praestationes ad eiusdem Sacristiae impensas, quas ipsa quotidie pro dictis sacris Suppellectilibus, aliisque ad divinum cultum pertinentibus subire debet, congrue sustinendas, et non aliter, erogari perpetuo volumus et iubemus.

§ 27. Et quoniam a recol. mem. Praedecessore pariter nostro S. Pio Papa V per litteras, quarum initium est: *Romani Pontificis,* datas apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXVII tertio Kalendas Sept. Pontificatus sui anno II,[1] summa aequitatis et providentiae ratione generaliter statutum fuit, ut omnia et singula sacra ornamenta, paramenta, ac vasa, libri, et alia quaelibet ad usum et cultum Divinum in privatis Aedibus, Cappellis, et Oratoriis quorumcumque Ecclesias et Beneficia Ecclesiastica obtinentium destinata, quaecumque tempore eorum obitus, sive ex testamento, sive ab intestato relicta fuerint, ea neque sub quibusvis facultatibus testandi et disponendi de bonis ex Altari, vel alias quomodolibet per eos acquisitis, etiam per Romanos pro tempore Pontifices quomodocumque concessis et concedendis, comprehendantur, neque sub appellatione spoliorum veniant; sed ad singulas Ecclesias, quibus supradicti praefuerint, seu in quibus Beneficia Ecclesiastica obtinuerint, omnino spectent atque pertineant; eiusdemque Ecclesiis post illorum obitum, etiamsi procul ab Ecclesiis ipsis decesserint, vel ad eas nunquam accesserint, iisque, et Beneficiis huiusmodi renunciaverint, eo ipso applicata et incorporata sint et esse censeantur; licet id nova confirmatione minime indigeat, quinimmo quoad Vaticanam Basilicam eiusque Sacrarium in viridi observantia esse dignoscatur; ne tamen in dubium unquam revocari valeat, Nos etiam praesentium tenore memoratam S. Pii Praedecessoris legem in omnibus, et per omnia confirmantes, statuimus atque decernimus, eamdem quoad Cappellas omnium et singulorum, qui in eadem Vaticana Basilica Canonicatus, aut Beneficiatus, seu Clericatus quandocumque obtinuerint, etiamsi eorum obitus tempore non amplius eadem obtineant, omnino observari debere; ita ut, illis defunctis, liceat Capitulo et Canonicis ipsius Basilicae, illiusque Sacrario Praefectis, sacram huiusmodi Cappellarum suppellectilem, propria auctoritate libere apprehendere, dictaeque Ecclesiae et Sacristiae applicare et incorporare; nec ullae donationes, ac relicta, legata, testamenta, codicilli, et aliae ultimae voluntates, seu spolia, super his aliter facta, ullius roboris et momenti existant, aliisve Ecclesiis, locis, aut

[1] Cf. N. 123.

personis quibuscumque, in quorum favorem facta fuerint, ullatenus suffragentur, eisque ius aliquod in rebus huiusmodi, seu ad illas tribuere valeant; sed omnes et singuli huiusmodi sacras res quocumque nomine vel titulo pro tempore detinentes, ad illas Basilicae et Sacristiae praedictis realiter et cum effectu restituendum et consignandum omnino teneantur, et ad id per censuras et poenas, etiam furti et sacrilegii, ac alia opportuna iuris et facti remedia cogi et compelli possint et debeant.

§ 28. Res autem eiusdem Sacristiae, atque Basilicae, videlicet sacra vasa, vestes sacras, imagines, iocalia, aliaque bona, non liceat Archipresbytero, Capitulo, aut alteri cuiquam quacumque dignitate fulgenti, alienare seu vendere, praeterquam ex causa commutationis in alia ad eumdem Divini cultus usum magis necessaria aut opportuna, vel etiam extra eamdem Basilicam commodare ad quemlibet usum, nisi Ecclesiarum Basilicae subditarum, aut quibuscumque personis (iis tantummodo exceptis, quae de gremio Cleri Basilicae sunt, cum debita tamen circumspectione), cuiuscumque dignitatis, etiamsi S. R. E. Cardinales existant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, et suspensionis a portionibus, praeter refectionem omnium damnorum, quae ipsorum culpa Basilicae et Sacristiae praedictis obvenerint.

§ 29. Quae vero pertinent ad conservationem et ornatum Fabricae ipsius Basilicae, quum ea seorsim administrentur a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, eidem Fabricae praepositorum, cuius tamen Congregationis Praefectus, iam usque ab ipsius Congregationis erectione, idem semper dictae S. R. E. Cardinalis fuisse dignoscitur, qui eiusdem Basilicae Archipresbyteratum pro tempore obtinuit; Nos hic de illis agere praetermittemus, ad aliam Nos referentes Apostolicam Constitutionem, quam nuper, videlicet XVII Kalendas Decembris elapsi anni ab Incarnatione Dominica MDCCLI edidimus,[1] et in qua, tum pro iudiciali causarum cursu, tum pro oeconomica rerum ipsius Fabricae administratione, nonnulla praescripsimus, quae opportuna et utilia fore in Domino iudicavimus.

§ 30. Ut autem saepedictae Basilicae iura, dominia, et proprietates, quantum fieri poterit, perpetuo illaesa permaneant, quod iam a pluribus aliis Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et praesertim ab Innocentio III, et Gregorio IX in eorum litteris anno MCCV et MCCXXVIII respective datis, generaliter cautum esse dignoscitur, ut scilicet, quemadmodum contra Romanam Ecclesiam, secundum Constitutiones Canonicas, et legitimas Sanctiones, nonnisi centenaria currit praescriptio, ita etiam Vaticanae Basilicae iuribus, et possessionibus quibuscumque, minoris temporis praescriptio non officiat, idipsum Nos quoque praesentium tenore generaliter, et quoad omnia et singula praedictae Basilicae iura, dominia, proprietates, et possessiones, statuimus et innovamus. Confirmantes providas Sanctiones Praedecessorum pariter nostrorum Clementis Papae VII in ipsius Chirographi Schedula eiusdem manu signata, et Sixti Papae V in ipsius litteris Apostolicis sub datum V Kalendas Octobris anno MDLXXXIX latius expressas, quibus eiusdem Basi-

[1] Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 412-416.

licae iura tam quoad huiusmodi praescriptiones, quam super probationum in controversis casibus conficiendarum onere, ipsiusque Basilicae librorum auctoritate, non obstantibus contrariis forsan municipalium statutorum, etiam almae Urbis, vel iuris etiam communis dispositionibus, clarius atque distinctius statuerunt.

§ 65. Ac decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 3. p. 478-512].

421.

Benedictus XIV, const. *Pias Christifidelium*, 21 aug. 1752.

Pias Christifidelium Societates Omnipotentis Dei cultum per assidua Religionis obsequia, simulque Proximorum utilitatem, per impensa Charitatis officia promoventes, Apostolicae liberalitatis favoribus, et gratiis libenter cumulamus, ac etiam Indulta, et Privilegia semel ipsis concessa ampliamus, et declaramus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

§ 1. Cum itaque alias a Nobis emanaverint Litterae in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, quarum initium est *Attendentes*, favore Confratrum piae Sodalitatis Beatae Mariae Virginis *de Succursu contra Infideles* nuncupatae in Civitate Ianuensi canonice erectae, in quibus inter alia illius Confratribus tunc et pro tempore existentibus concessa Privilegia, et Indulta, hoc etiam continetur, quod Confratres praedicti in Ianuensi Ditione, et Dominio commorantes, et eleemosynas iuxta Confraternitatis huiusmodi Statuta prompte contribuentes, seu alia pia opera in Statutis ipsis contenta et expressa adimplentes, Privilegio vescendi ovis, et lacticiniis, diebus Dominicis, et quibuslibet secundis, tertiis, et quintis Feriis cuiuslibet Hebdomadae Quadragesimae, exceptis tamen Dominica in Palmis, et Hebdomadae Maioris respective nuncupatis diebus, ac servata lege ieiunii, et unica comestione in die, uti possent, et valerent, prout in enunciatis Litteris distinctius continetur.

§ 5. Cumque, sicut nuper pro parte Dilectorum Filiorum modernorum dictae Congregationis Confratrum Nobis expositum fuit, non tam ipsorum maiori solatio, quam ipsius Confraternitatis progressibus magnopere proficuum fore censeatur, si Nos privilegium, seu Indultum huiusmodi, ad alios omnes Quadragesimae dies ampliare, et extendere dignaremur: Nos, qui eiusdem Confraternitatis utilitatem, ac etiam augmentum sinceris desideramus affectibus, illius Confratres praedictos, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus pro eorum parte Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex Apostolicae potestatis plenitudine, supradictum Privilegium, seu Indultum, Ovis et Lacticiniis certis Quadragesimae diebus vescendi, eidem Confraternitati, eiusque Confratribus, ut praefertur, concessum, non solum confirmamus, et approbamus; verum etiam ipsis modernis, et pro tempore existentibus eiusdem Confraternitatis Confratribus praedictis, in Reipublicae Ianuensis Ditione, et universo Dominio tantum commorantibus, non tamen illis, qui Archiepiscopi, Episcopi, et Inferiores Praelati, nec non cuiusvis Regularis Ordinis Professores, et quoad Ecclesiasticos saeculares, qui ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoti respective sint et fuerint, nisi huiusmodi Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, aliique Ecclesiastici Regulares, et Presbyteri Saeculares, sexagesimum aetatis annum compleverint, ut ipsi et eorum singuli, omnibus tam Dominicis, quam ferialibus diebus Quadragesimae, etiam Dominica in Palmis, et per Hebdomadam Maiorem nuncupatam, iisdem Ovis, et Lacticiniis vesci, servatis tamen in singulis Feriis ieiunii legibus, et unica tantum comestione in die, libere et licite possint et valeant, praesentium tenore etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

§ 3. Quia vero ad aures Nostras, non sine animi nostri molestia, fide dignorum relatione delatum fuit, aliud Indultum, seu Privilegium in dictis prioribus Litteris Nostris contentum, per quod videlicet concessum fuit, ut singuli dictae Confraternitatis Confratres Presbyterum quemlibet Confessarium ab Ordinario Loci respective approbatum eligere possint, qui unumquemque eorum a peccatis servatis etiam Sedi Apostolicae, bis in ipsorum vita, et in eorundem mortis articulo absolvere valeat, ita ab aliquibus intelligi et interpretari, ut singuli Confratres praedicti, novam singulis annis adscriptionem eidem Confraternitati, iuxta illius Statuta, obtinentes, duabus vicibus inter unam et alteram adscriptiones huiusmodi, hoc est duabus vicibus in singulos annos, absolutionem a casibus reservatis, et quidem non solum Sedi Apostolicae praedictae, sed etiam Ordinariis Locorum respective reservatis, sine eorundem Ordinariorum licentia, solo dictarum Litterarum Nostrarum vigore, recipere possint: Nos interpretationes huiusmodi, tam rectae disciplinae perniciosas, quam etiam Nostrae menti, ac voluntati contrarias, de medio tollere volentes; Motu proprio, ac certa scientia, earundem praesentium tenore edicimus et declaramus, Nostrae mentis, ac voluntatis nunquam fuisse, nec esse, ut praedictae Confraternitatis Confratres, vigore dictarum Litterarum Nostrarum, extra mortis articulum, plusquam duabus vicibus in toto ipsorum vitae decursu, quantumvis pluries eidem Confraternitati se adscripserint, Privilegio praedicto sibi concesso, eligendi videlicet Confessarium, qui eos a casibus reservatis absolvat, uti, aut gaudere; nec etiam, ut Confessarii ab iisdem Confratribus sic electi, earundem Litterarum Nostrarum vigore, ipsos a casibus Ordinarii Locorum respective reservatis, sine eorundem Ordinariorum licentia, absolvere possint, et valeant; nec unquam huiusmodi eligendi, et respective absolvendi facultatem, ultra duas vices in toto cuiuslibet Confratris vitae cursu, extra ipsorum mortis articulum, et praeterquam in casibus Nobis, et Sedi Apostolicae dumtaxat, non vero etiam Ordinariis Locorum reservatis, nisi eorundem Ordinariorum licentia respective accedat, per Nos in praecitatis Nostris Litteris concessam fuisse; et consequenter absolutiones, in vim earundem Litterarum, contra praesentis declarationis Nostrae tenorem, forsan de praeterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse, sive posse, decernimus et decla-

ramus; et ita censeri volumus, atque praecipimus; reiectis interpretationibus superius enunciatis, quas Nos earundem praesentium tenore, et Apostolica auctoritate, reprobamus, et a quolibet cuiusvis status, gradus, conditionis, et Ordinis, etiam necessario forsan exprimendi, teneri, tradi, defendi, aut in praxim deduci, prohibemus, et interdicimus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§ 4. Ut autem praesentis declarationis Nostrae, nec non reprobationis, et prohibitionis huiusmodi tenor, ad eorumdem Confratrum, et quorumcumque Confessariorum ab ipsis forsan eligendorum, aliorumque in praemissis interesse habentium, notitiam certius perducatur: Nos earundem praesentium serie, et auctoritate praedicta, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac Dilectis etiam Filiis Praelatis inferioribus, Locorum Ordinariis, in praedicta Ditione, et universo Dominio Reipublicae Ianuensis constitutis, committimus et demandamus, ut de vero sensu dictarum priorum Litterarum Nostrarum, et de praesenti voluntate Nostra, praedictos omnes, in suis quique Civitatibus, Dioecesibus, et Territoriis, instructos reddant, aliisque opportunis rationibus animarum securitati, et Apostolicorum Decretorum observantiae prospiciant. Quocirca volumus, ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§ 5. Nulli ergo, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 15-18].

422.

Benedictus XIV, const. *Detestabilem*, 10 nov. 1752.

Detestabilem, ac Divina naturalique Lege damnatum Duellorum abusum, a barbaris gentibus, atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo invectum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum praecipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium coetu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Praedecessorum Nostrorum Nicolai I,[1] Caelestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III,[2] Innocentii IV,[3] adversus singulares pugnas decreta, extant recentiores Apostolicae Sedis Constitutiones, quibus Romani Pontifices Iulius II,[4] Leo X,[5]

[1] Epist. L. ad Carolum Calvum.

[2] In Concil. Lateranensi, Cap. 1 et 2, *de Torneamentis*, ubi trium Praedecessorum Decreta citantur.

[3] In Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiasticos Regni Franciae, apud Raynald. ad ann. 1251, num. 31.

[4] Constit. *Regis pacifici*. – Cf. N. 63.

[5] Constit. *Quam Deo et Hominibus*. – Cf. N. 75.

Clemens VII,[1] ac demum Pius IV,[2] gravissimas poenas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Saecularem Regionum aut Locorum Leges forsan permissa, adiecta infamia, bonorumque proscriptione, etiam adversus complices ac participes, et qualemcumque operam iisdem praebentes.

§ 1. Tridentina vero Synodus[3] latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, et Reges, Duces, ac Principes, caeterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concesserint, ac iurisdictione et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quam ab Ecclesia obtineant, eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Patrinos, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuae infamiae poenam incurrere statuit; et si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

§ 2. Cum vero praefatis saluberrimis Legibus iudicialia dumtaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piae memoriae Praedecessor noster Gregorius Papa XIII[4] huiusmodi poenas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore, et loco, Monomachiam commiserint, etiamsi nulli Patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae Litterae, aut denunciationis Chartulae praecesserint.

§ 3. Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII etiam Praedecessor Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes, et poenas in eis statutas, sua Constitutione, quae incipit *Illius vices*, data XVI Kal. Septembris anno MDXCII[5] diserte complexus, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus praebentes, comitantes; Chartulas, Libellos, Manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes; Socios, Patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam et impunitatem concedentes, quique se praedictis quoquomodo immiscuerint; etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

§ 4. His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, et ab Apostolica Sede constitutis, dubitari iam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia tam publica, quam privata, et naturali, et Divino, et Ecclesiastico iure, prorsus illicita, vetita, atque damnata censeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus aequo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum iudicia inflectentes, ac temperantes, *licere*, docuerunt,[6] *Viro Equestri duellum*

[1] Constit. *Consuevit Romanus Pontifex*.

[2] Constit. *Ea, quae a Praedecessoribus*. - Cf. N. 101.

[3] Sess. 25, cap. 19, *de Reform.*

[4] Constit. *Ad tollendum*. – Cf. N. 149.

[5] Cf. N. 176.

[6] 2 Prop. damnata ab Alexandro VIII, die 24 sept. 1665. – Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 84-86.

acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat;[1] *Fas esse defensione occisiva, vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem, dum alia declinandae calumniae via non suppetat;*[2] *propulsare damna, quae ex iniqua Iudicis sententia certo imminent;*[3] *defendere non solum quae possidemus, sed etiam ea, ad quae ius inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus:* Quas quidem assertiones duellis faventes Apostolica Sedes censura notavit, reiecit, proscripsit.

§ 5. Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi, duella, vel odii, vel vindictae, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi Officii, et sustentationis, vel denegatae sibi a Magistratu iustitiae, defensionis innoxiae titulo, ea licere pronunciant. Laxas, et periculi plenas opiniones huiusmodi, ex vulgatis eorum Libris, ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et quibusdam Dilectis Filiis Sacrae Theologiae Magistris specialiter ad id per Nos deputatis, commisimus; qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis, infrascriptas Propositiones censura, et proscriptione dignas existimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Vir Militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad Officia Militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.

II.

Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel officialis Militiae, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famae, et officii.

IV.

Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

[1] 17 Prop. ex damnatis ab eodem, die 24 sept. 1665. - Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 84-86.

[2] 18 Prop. ab eodem damnata, die 24 sept. 1665. - Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 84-86.

[3] 32 Prop. ex damnatis ab Innocentio XI, die 4 mart. 1679. - Bull. Rom., tom. 8, p. 80-82.

V.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, iustitia aperte denegatur.

§ 6. Auditis itaque, super unaquaque earum Propositionum, dictorum Cardinalium et Consultorum iudiciis, atque omnibus rite et mature consideratis, Nos ipsas, praesentium Litterarum tenore, et Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas reiicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

§ 7. Insuper stricte, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione Divini Iudicii, prohibemus omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

§ 8. Iam vero ut exitiosam Duellorum licentiam, in Christiana, ac praesertim Militari Republica, non obstantibus providis Legibus a plerisque etiam Saecularibus Principibus et Potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus Apostolicae districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes, et singulas dictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate confirmantes et innovantes, ad hoc ut poenarum gravitas et severitas maiorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro Motu proprio, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, earundem praesentium Litterarum serie, statuimus atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, huiusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII, quae incipit *Ex quo Divina*, data VI Idus Iunii Anno Domini MDCCXXV,[1] ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur; ita ut a cuiuscumque Sacri aut Religiosi loco asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de iure servandis, extrahi, et Iudicis competentis Curiae pro merito puniendus, tradi possit et debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, necessarias et opportunas facultates praesentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere

[1] Cf. N. 290.

posse prospiciatur; volumus, et respective permittimus, ut, quatenus Periti ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitae periculum* adesse retulerint, percussor ipse, praevio semper Decreto Episcopi, ut cum assistentia personae Ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, ab huiusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Iudicibus indicta, ut illum Ecclesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem poenas incidant, quae in memoratis Benedicti XIII Litteris constitutae sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus huiusmodi indicia diluerit.

§ 9. Praeterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, Sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo [1] inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Sententiam Iudicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis Locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae Legibus obedientiam praestandi.

§ 10. In huius demum sollicitudinis nostrae societatem vocantes Carissimos in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non Principes, Magistratus, Militiae Duces, atque Praefectos, eos omnes et singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut coniunctis studiis, et animis, exitiosae duellorum licentiae, qua Regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quae nullo pretio aestimari potest, aeterna animarum vita certo periclitatur, omni nisu et constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suaeque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis Legibus, indictisque gravissimis poenis, horrendum scelus proscriptum sit; nisi accuratam ipsarum Legum, poenarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune feret supremus omnium Iudex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus quorum est Divina, et humana iura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Iesus Christus effudit.

§ 11. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 35-39].

[1] Sess. XXV, *de ref.*, c. 19.

423.

Benedictus XIV, litt. ap. *Ex sublimi*, 26 ian. 1753. [1]

Ex sublimi hac Sacrosancti Apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, impositam imbecillitati nostrae omnium Ecclesiarum sollicitudinem, et omnium animarum Iesu Christi Sanguine redemptarum procurationem assidue cogitantes, advigilare, ac providere adnitimur, ut opportunas Apostolicae charitatis potestatisque nostrae partes, in Regionibus praesertim, et Provinciis ab Europa tam longe dissitis, quoad Nobis integrum est, desiderari minime patiamur.

§ 1. Quoniam autem non sine gravissima Pontificii animi nostri molestia accepimus, saepe accidisse, aliquem scilicet ex Vobis, Venerabiles Fratres, istarum Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis, Episcopali titulo, et charactere insignitum, sed sine Coadiutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in Coelis coronam Apostolicis laboribus paratam evolasse, ac neminem, qui Ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum, aut deputatum fuisse: hinc est, quod omnibus, et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniungimus et mandamus, ut qui neque Episcopum Coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium, ex Clero sive saeculari, sive regulari, Generalem habent, statim atque ad unumquemque eorum praesentium nostrarum litterarum certa notitia pervenerit, deputent Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari Generalem, habilem tamen, atque idoneum, qui eveniente cuiusvis Apostolici Vicarii sine Coadiutore cum futura successione obitu, tamquam Apostolicae huius Sanctae Sedis Delegatus, teneatur assumere, et obire regimen, et gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam eiusdem Vicariatus Apostolici huiusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem.

§ 2. Porro Vicario Generali huiusmodi per Apostolicum quemque Vicarium sibi, ut praemittitur, deputando, Nos earumdem praesentium tenore, nunc pro tunc, Apostolica auctoritate nostra concedimus, et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cuiusvis Cathedralis Ecclesiae, Sede vacante, inesse, et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario Generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concedimus, pariterque impertimur usum, et exercitium earum facultatum, quibus utebatur, et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis, quae requirunt Ordinem, et Characterem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeat, saepedicto Vicario Gene-

[1] Indiarum Orientalium Vicariis Apostolicis Episcopis, non habentibus Episcopum Coadiutorem cum futura successione, nec Vicarium Generalem.

rali potestatem etiam indulgemus et damus, consecrandi Calices, Patenas, et Altaria portatilia, cum Sacris Oleis omnino ab Episcopo benedictis.

§ 3. Itaque, Venerabiles Fratres, ex Apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a Nobis suscepta, atque unicuique Vestrum praecepta, animadvertite, quanta sit Apostolici muneris unicuique Vestrum iniuncta cura. Atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem, sollicitudinemque contendatis, ne quispiam Christifidelium Vobis commissorum, et de quibus ratio Supremo Pastorum Principi Aeterno Iudici reddenda est, pereat; sed potius, ut omnes aeternam salutem consequantur, ut Vobis merces vestris meritis debita a iusto Remuneratore Deo tribuatur. Nos interim coelestis praesidii auspicem Apostolicam Benedictionem, in Populos etiam vestrarum Dioecesum et Provinciarum redundaturam, Fraternitatibus Vestris peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 56, 57].

424.

Benedictus XIV, ep. *Ad audientiam*, 15 febr. 1753.[1]

Ad audientiam Nostram nuper admissa Fraternitas Tua Nobis detulit, in hac ipsa Urbe, superiore anno 1752 impressum typis fuisse exiguum Tractatum *De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, auctore Religioso Viro aeque pio, ac in Theologia Morali, et Canonica facultate versato; eoque in Opusculo fuisse affirmatum, licere Episcopis Suburbicariis in Sacellis suarum Aedium, quas Romae incolunt, subditos suos Clericali Tonsura, et Minoribus Ordinibus initiare, non requisito, aut obtento Fraternitatis Tuae opportuno assensu, seu necessaria licentia: id autem tibi visum esse Officii tui iuribus detrahere. Quod quum Nobis etiam tunc visum fuerit, multo magis in sententia persistendum duximus, postquam perlecto memorati Opusculi cap. 3, quaest. 12, ubi auctor quaestionem hanc discutit, rem ipsam nobiscum consideravimus, atque perpendimus.

§ 1. Porro ad sententiam nostram inconcussa stabilitate firmandam sufficeret id, quod ex Tabularii tui monumentis eruitur, nimirum Cardinales Suburbicarios, quoties in Sacellis suarum Aedium cuiquam ex propriis subditis primam Clericalem Tonsuram Minoresque Ordines conferre voluerunt, toties opportunum ad id licentiam a Cardinalibus Urbis Vicariis pro tempore existentibus quaesisse et obtinuisse. Est enim in rebus omnibus magna consuetudinis auctoritas; nec iure et recte plerumque agit, qui novitates inducit, aut inducendas suadet.

§ 2. Verum rem ipsam penitius investigantibus, occurrit perspicuum Concilii Tridentini decretum sess. 6, cap. 5, *De reform.*, ubi haec leguntur:

[1] Venerabili Fratri Nostro, Fr. Ioanni Antonio Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, Nostro in Urbe eiusque districtu Vicario Generali.

Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum: indicta in Episcopum huic legi contrafacientem poena Suspensionis ab exercitio Pontificalium; in Ordinatum vero Suspensionis ab Ordinum susceptorum exercitio, ipso iure incurrenda.

§ 3. In quo animadvertenda est (quod per transennam dictum intelligatur) Sacri Concilii severitas; dum, ut Episcopo in aliena Dioecesi commoranti liceat Pontificalia exercere, non solum expressam Ordinarii Loci licentiam obtinendam decernit, sed insuper vetat, ne is Episcopus Pontificalia exerceat, praeter quam in subditos eiusdem loci Ordinarii: *et in personas eidem Ordinario subiectas tantum.*

§ 4. Quare si Decreti Litterae strictius inhaereas, ac proponatur exempli causa Episcopus Placentinus Bononiae existens, posset hic quidem, accedente expressa licentia Archiepiscopi Bononiensis, Pontificalia exercere in Dioecesanos Bononienses; sed minime ipsi liceret, quantumvis eodem assentiente Archiepiscopo, Pontificalia exercere in Mutinensem quempiam, qui Episcopi sui Dimissorialibus Litteris munitus, Bononiam accessisset.

§ 5. Hoc autem procedere dictum est, si stricte sumantur relata superius Concilii verba: *et in personas eidem Ordinario subiectas tantum.* Non tamen ignoramus, Congregationem Cardinalium eiusdem Concilii interpretum censuisse, ac statuisse, Episcopum in aliena Dioecesi commorantem posse non solum, cum Ordinarii localis licentia, in ipsius Ordinarii subditos Pontificalia exercere, sed etiam, eadem accedente licentia, in subditos aliorum Episcoporum, Dimissoriales Litteras sui Ordinarii afferentes.

§ 6. Extat Resolutio Congregationis anno 1573 edita, lib. 1 *Decretorum*, pag. 85 a tergo, tenoris sequentis: *Prosper Vitalinus Episcopus Bisianensis, requisitus ab Archiepiscopo Neapolitano, ut eius nomine in illa Civitate Ordinationes habeat, et non solum eidem subditos, sed aliarum quoque Dioecesum, si qui forte advenerint, de licentia sui Ordinarii expostulantes, Clericali charactere insignire velit; ipse quidem cupit illius morem gerere voluntati, sed aliquantulum veretur, an id sibi tuto facere liceat, ex Capite ultimo Sessionis sextae de Reformatione. Sacra, etc., censuit, licere, si illi, qui aliarum Dioecesum erunt, habuerint Litteras Dimissorias a suis Ordinariis.* Idque confirmatum invenitur altera resolutione edita die 25 Iunii 1599, lib. 9 *Decretorum*, pag. 73, a tergo.

§ 7. Verum huiusmodi Tridentinae legis rigor, licet Congregationis resolutionibus, et successivi temporis usu nonnihil mollitus et temperatus, satis indicat, quaenam Episcopo in aliena Dioecesi existenti praescripta sit recta agendi ratio; ne scilicet inibi unquam Pontificalia exercere valeat, absque Ordinarii Loci expressa licentia: et consequenter aperte demonstrat, non posse Cardinalem Episcopum Suburbicarium, quum in Urbe est, in proprio Sacello Tonsuram, et Minores Ordines alicui impertiri, non obtenta ad id Cardinalis eiusdem Urbis Vicarii licentia.

§ 8. Quod ut firmiter, statuatur, tria demonstrari oportet. Primum nempe, Cardinalem Episcopum Suburbicarium, dum in Urbe moratur, in sua Dioecesi non esse; quod satis perspicuum videtur, quum Romana Urbs ad Epi.

scopi Romani Dioecesim pertineat, nec unam Dioecesim cum alia confundi oporteat, veluti aperte evincitur ex nostra Constitutione 115, § 11, *Bullarii* nostri, tom. 1.[1] Alterum vero, Cardinalem Vicarium Romae Ordinarium esse; idque extra controversiam omnino est, quum ipse personam repraesentet Pontificis, non qua Pontifex est, sed qua Episcopus Urbis Romae; iuxta id, quod a Nobis demonstratum fuit, in nostro Tractatu *De Synodo Dioecesana*, lib. 2, cap. 3, num. 1 et 2, et latius fortasse explanabitur in nova eiusdem Operis editione, quam, Deo vitam et valetudinem Nobis largiente, pluribus atque proficuis additamentis auctam adornare constituimus. Tertium denique, in collatione Tonsurae et Ordinum Minorum, Pontificalia exerceri; id quod inficiari nemo potest, quemadmodum diligenter advertit Thesaurus in suo Tractatu *De Poenis Ecclesiasticis*, part. 2, verbo *Episcopus*, cap. 4, num. 3, ubi recte observat, Pontificalium nomine, ad effectum, de quo nunc agimus venire non modo quorumvis Ordinum, etiam Minorum collationem, sed etiam consecrationem Vasorum Ecclesiae, ac Virginum, et Chrismatis, necnon Sacramenti Confirmationis ministrationem, ac indumentorum, et Corporalium benedictionem; hoc uno interiecto discrimine inter collationem Ordinum, et reliquos praememoratos actus, quod Episcopus Ordines conferens extra propriam Dioecesim absque Ordinarii Loci licentia, suspensionis poenam, ut supra dictum est, ipso iure incurrit; at reliquos recensitos actus exercendo, eidem poenae nequaquam subiicitur, quum lex non adsit, quae eam ferat; quamvis caeteroquin praemissa agens, peccati reus fiat.

§ 14. Quod si nihil praeterea affirmatum fuisset in praelaudato Tractatu *De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, nulla causa esset, cur in aliquo recederetur ab iis, quae Auctor ibidem docte admodum scripsit. Verum quum idem in quaest. 12, cap. 3, dubium hoc proposuerit: *An iidem Episcopi*, nempe Suburbicarii, *possint immediate per se ipsos Ordines Minores conferre suis subditis in proprio Palatio Romae existente;* et affirmative respondendum censuerit: *Censeo, hos sex Cardinales Episcopos posse in propria Cappella intra fines sui Palatii Romae existentis, et non extra, conferre suis subditis primam Tonsuram, et Ordines Minores,* hac scilicet allata assertionis ratione, quod Aedes, quas Romae inhabitant Cardinales Episcopi Suburbicarii, quamvis ad eorum Episcopatum non spectent, nihilominus, *per fictionem iuris* perinde haberi debeant, ac si Episcopatui adhaererent, et Cappella iu huiusmodi aedibus erecta censenda sit tanquam Ecclesia ipsorum Titulo subiecta: *Palatium Romae existens talium sex Episcoporum, qui Romae residentiam habent, per fictionem iuris censetur adhaerere suo Titulo, nempe suo Episcopatui, qui est eorum Titulus, et Cappella ibidem existens intra fines talis Palatii, est veluti Ecclesia subiecta tali Titulo,* adiectisque exemplis tum Cardinalium, qui Romae in suis Titulis Tonsuram, et Minores Ordines conferunt; tum Abbatum Regularium, qui erga suos subditos Regulares idipsum praestant: haec sunt, quae Nos nequaquam sufficere iudicamus, ut pro huiusmodi iure Episcopis Cardinalibus adstruendo, a Tridentini Concilii sanctionibus, et ab Alexandrina Constitutione[2] sit recedendum; quum magnae

[1] Const. *Romanae Curiae*, 21 dec. 1744. - Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 467-480.
[2] Cf. N. 239.

Nobis difficultates se offerant adversus unamquamque eiusmodi assumpti partem.

§ 15. Nam primo difficultatem offendimus in *fictione iuris*. Tum quia, fictionem iuris inducere, indeque aliquod veluti consequens elicere, privati cuiusque auctoris atque doctoris potestatem excedit, et in eo dumtaxat admittitur, qui condendarum legum auctoritate pollet; unde vulgatum illud axioma: *Fictio legis non habet locum, nisi in casibus a iure expressis;* ut recte advertit Fagnanus in cap. *In praesentia*, num. 23, *De probationibus*. Tum quia excogitata iuris fictio in proposita facti specie locum aliter habere nequit, quam si Cardinalis Episcopus Suburbicarius, dum in Urbe et in suis aedibus commoratur, in propria Cappella residens, animo sibi repraesentet, se in sua Dioecesi existere, quia Palatium Episcopatui adhaerens, et Cappella veluti Episcopatus huiusmodi Ecclesia, censeri debeant. Haec autem opinio in Cardinali Episcopo Suburbicario nimis improbabilis videtur; quum non ignoret, se Romae commorantem, in sua Dioecesi minime residere; et quidem persuasum habet, se ideo desertae residentiae reatum non incurrere, vel quia Pontifex id sciens et patiens, ipsumque praeterea videns, non obstantibus muneribus, quibus pro Apostolicae Sedis utilitate occupatur, Suburbicariae Dioecesis regimen recte gerere posse, tacite cum eo dispensat; vel quia ob easdem rerum circumstantias, declarat, praeceptum Divinum de residentia non comprehendere casum illius, qui certis muneribus in Urbe addictus, si non materialem residentiam in Dioecesi praesens adimplet, formali certe satisfacit, non solum adhibita in id Ministrorum opera, sed propria etiam adiecta praesentia, dum ad ipsam Dioecesim identidem visitandam percommode se confert; iuxta ea, quae fuse discutit Cardinalis Brancaccius in sua Dissertatione *De Optione sex Episcopatuum*, quaeque recte comprobat auctor ipse Tractatus *De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, cap. 4.

§ 16. Praeterea difficultas nobis occurrit in allatis exemplis, ex quibus nullum omnino est, in quo non statim se offerat Apostolicum Privilegium, quod et facultatem tribuat pro collatione Tonsurae Minorumque Ordinum, et locum simul, atque personas definiat, quo in loco, et quas in personas Privilegiatus huiusmodi concessum sibi Privilegium valeat exercere. Nam si de Cardinalibus sermo sit, qui Tonsuram et Minores Ordines conferunt in suis Titulis, eorum ius deducitur ex Decretali in cap. *His quae, De Maiorit. et obed.*, de qua disserit Episcopus Fonseca in suo Opere *De Basilica Sancti Laurentii in Damaso*, lib. 2, cap. 9, cuius Decretalis auctoritate, si Sacerdotali charactere sint insigniti, putant se posse in sua Titulari Ecclesia Tonsuram et Ordines Minores personis eiusdem Ecclesiae servitio addictis conferre; quemadmodum videre est in Disceptatione Cardinalis Albitii *De iurisdictione Cardinalium in suis Titulis*, num. 71 et seqq. Si autem de Abbatibus Regularibus agatur, eorum privilegium conferendi Tonsuram, et Minores Ordines suis subditis Regularibus in propriis Ecclesiis, desumitur ex Can. *Quoniam*, dist. 69, ex Cap. *Cum contingat, de aetate et qualit.* et Cap. *Statuimus, de supplen. neglig.* et ex Cap. *Abbates, de privilegiis*, in 6, dummodo sint Sacerdotes, et Benedictionis munus ab Episcopo acceperint; vel saltem Apostolico Privilegio muniti sint, ad hoc, ut quamvis non benedicti,

omnia praestare valeant, quae fieri possunt ab Abbatibus rite benedictis; ut olim Nos ipsi ostendimus in quibusdam adnotationibus per nos exaratis, dum in minoribus existentes munus Secretarii Congregationis Concilii gerebamus, quae impressae habentur in tomo III *Thesauri Resolutionum*, pag. 23 et seq. Praeclarum quoque suppetit exemplum Cardinalis Archipresbyteri S. Petri in Vaticano, qui, si Episcopali charactere praeditus sit, per se ipse, in dicta Basilica, Minores, Maioresque Ordines confert Canonicis, Beneficiatis, aliisque eiusdem Basilicae servitio addictis, praedicto autem charactere si careat, alium aliquem Episcopum advocat, qui praefatos Ordines in ipsa Basilica conferat; idque in vim Apostolicorum Privilegiorum, quae legi possunt tom. III *Bullarii* eiusdem Basilicae nuper impressi, pag. 340. Non sunt hae fictiones iuris, sed Privilegia, certis, atque stabilibus fundamentis innixa. Quare si a collatione Ordinum Minorum, quam Cardinales in suis Titulis, Abbates, aliique peragunt, argumentum duci velit ad assertum ius adstruendum Cardinalibus Episcopis Suburbicariis, necesse est aut Privilegium ostendere, quo idipsum Episcopis Suburbicariis indulgeatur, ut titulum saltem Privilegio aequipollentem proferre. Quum autem alia non extet Apostolica Constitutio circa Cardinales Episcopos Suburbicarios, praeter saepedictam Alexandri VII, quae Cardinali Urbis Vicario reservat ius conferendi Minores Maioresque Ordines eorum subditis: cumque hactenus iidem Cardinales Episcopi neminem ad Ordines etiam Minores in Urbe promovere consueverint, absque expressa Cardinalis Vicarii licentia; nihil praeterea desiderandum videtur, ad hoc ut auctoris assumptum omni fundamento destitutum dicatur.

§ 17. Et quidem ne illius sententiae quisquam adhaereat, multoque magis ne quis eamdem in praxim deducat, satis esse deberet illius insubsistentiam ostendisse: verum nec illa quoque spernenda est ratio, quod scilicet, admissa etiam speculative contra rei veritatem illius subsistentia, nihilominus in illius praxi plurimum inesset periculi. Quamvis enim auctor Tonsuram tantummodo, Minoresque Ordines, sententia sua complectatur, perfacilis tamen apertusque ab his ad Maiores Ordines transitus esset. Nec praeterfugit accurati Auctoris prudentiam futurum huiusmodi absurdum; sed satis eidem occurrere se reputavit, dum ait, posse quidem ab Episcopo Suburbicario in privato Sacello conferri primam Tonsuram, et Minores Ordines; nequaquam vero Maiores; propterea quod Tridentinum Concilium sess. 23, cap. 8, *De reformat.*, decreverit, ut Ordinationes ad Maiores Ordines, si quidem in Civitate fiant, in Cathedrali Ecclesia, assistentibus Canonicis, celebrentur; si autem illas in Dioecesi haberi contingant, insignior Ecclesia seligatur, in qua, praesente Clero loci, peragantur.

§ 18. Et haec quidem recte. At si Sancta Synodus de Ordinationibus Generalibus loquitur, uti expendunt Fagnanus in cap. *In Ordinando*, num. 45, *De Simonia*, Monacellus in *Formulario*, tom. I, tit. 3, formul. 1, num. 3. Si praeterea, ex mitiori interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur Episcopus, quin iusta aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in Episcopii Sacello Maioribus Ordinibus initiare; quis poterit Cardinali Episcopo Suburbicario, post assertam ipsi facultatem conferendi suis subditis Tonsuram, atque Minores Ordines in Aedium suarum Cappella, inconsulto Cardinali Urbis Vicario, alterum illud ius denegare, celebrandi nimirum in eadem Cappella particularem aliquam Ordinationem ad Ordine Sacros; quum praesertim Cardinalium Cappellae iisdem, ut minimum, praerogativis gaudeant, quibus fruuntur domestica Episcoporum Sacella; uti late demonstravit Cardinalis Brancaccius in altera ex suis Dissertationibus *De Cappellis Cardinalitiis*.

§ 19. Argumenti vim agnoscit Auctor cit. quaest. 12, pag. 50, aperteque fatetur, quibus in casibus Episcopo licet in sui Episcopii Cappella Maiores Ordines alicui conferre, licitum similiter fore Cardinali Episcopo Suburbicario idipsum in sua Cappella peragere: *etiam hi Cardinales idem possent.*

§ 20. Id autem, ut vere loquamur, nimis ultra recti fines progreditur. Quum enim in Episcopatibus Suburbicariis haud in magnus sit numerus promovendorum ad Ordines Maiores, possent singuli, qui his initiandi sunt, identidem se ad Urbem conferre; atque ita, per huiusmodi particulares paucorum Ordinationes, auctoritas ordinaria Cardinalis Urbis Vicarii penitus concuteretur. Neque proderit replicando subiungere, quod ut liceat Ordinationem etiam particularem ad Ordines Maiores extra publicam Ecclesiam in privato Sacello peragere, necesse est, iustam et legitimam causam adesse: huc enim redacta negotii difficultate, conclamatum de eo dici potest. Neque enim deerit, qui continuo suadeat, satis iustam adesse causam, ne is, qui plurium milliarium iter, et quidem pedibus fortasse confecit, ut Ordinationis munus a proprio Episcopo susciperet, sua spe frustratus, nulla sua culpa aut demerito, ad propria reverti cogatur. *Nos, qui in Foro litibusque trivimus aetatem, multum malitiae, quamvis noluerimus, didicimus.* Haec Nos verba apud Plinium multis abhinc annis legisse meminimus.

§ 21. Atque haec sunt, Venerabilis Frater Noster, quae inter plurimas, quibus obruimur, curas, colligere potuimus; non quidem ex ingenii libidine, ut auctorem oppugnaremus magnae existimationis, atque doctrinae, et adeo utiliter in tradenda rerum Ecclesiasticarum praxi a pluribus annis adlaborantem; sed ne eiusdem auctoritate suffulta invalesceret opinio, quae ad severiorem trutinam revocata, contraria invenitur Concilio Tridentino, Constitutioni Alexandrinae, et consuetudini ad hunc diem retentae; quaeque Ordinariam labefactaret auctoritatem tuam, quam Nos propugnare, ac tueri debemus. Hanc itaque Epistolam nostram a Fraternitate Tua in Tribunalis istius Tabularium illatam servari volumus, ut tibi, tuisque successoribus in promptu sit agendi normam ex ea desumere.

§ 22. Eidem vero Epistolae iam forte nimis in longum protractae finem imponentes, monendum te censemus, quae hactenus dicta sunt, locum sibi vindicare, quum agitur de Ordinibus Minoribus atque Maioribus; secus vero, ubi res esset de sola Clericali Tonsura: quo casu iidem ipsi auctores nostri superius citati, Rigantius, Cardinalis Petra, et Honorantes, allegatis etiam nonnullis Resolutionibus Congregationis Concilii, in eo consentiunt, ut liceat Cardinalibus Episcopis Suburbicariis per se ipsos eam solam suis subditis in proprii Palatii Cappella conferre; ex ea nimirum ratione, quod Alexandrina Constitutio de Ordinibus Minoribus, atque Maioribus diserte caveat; quaestio autem est non adhuc definita, utrum prima Clericalis Tonsura sit

Ordo, nec ne. Denique Fraternitati Tuae, quam pleno cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 5, p. 58-72].

425.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753.[1]

Apostolicum ministerium, quod vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, tanta cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos, et assidue in memoriam revocare non dubitamus praeceptum mandatumque Supremi Pastorum Principis Iesu Christi Apostolos suos edocentis, cuius divina legatione in procuranda aeterna Christifidelium salute fungimini cooperatores; nimirum, ut mutua vosmetipsi invicem charitate diligentes, opus vobis iniunctum consummare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in Coelis a iusto remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas Sacrosancti Apostolatus curas, et omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerentes, pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accipimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio Catholicae Fidei, et Christifidelium salus retardatur. Eapropter, ut opportunum, consentaneumque praecedendis et e medio auferendis dissidiis, quae iamdudum inter vos exorta, saepe saepius emergere, ac magis invalescere plenissime docti vehementer dolemus, et pristinae animorum concordiae conciliandae, et in perpetuum confirmandae remedium afferremus; primum quidem non solum exhibita Nobis utriusque partis rationum momenta per Nos ipsos accurate expendimus; sed nonnullis etiam Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositis examinanda mandavimus; deinde vero iisdem Cardinalibus ad Nos accitis, eorumdem sententiam consiliumque requisivimus. Quos postquam Nobiscum convenire, et consentire comperimus, haec, quae sequuntur, statuimus, decrevimus, et a vobis districte servanda proponimus, et mandamus.

§ 1. Cum ab anno 1688 constitutum fuerit, ut Missio Anglicana per quatuor Apostolicos Vicarios administretur, qui Episcopi *in partibus* Infidelium existant; cumque sui limites, et confinia praescripta sint, in quibus ipsorum singuli suo munere perfungantur, nihil omnino immutetur in iis omnibus, quae pertinent ad eosdem Vicarios Apostolicos eorumque deputationem, et limites, quos modo indicavimus.

§ 2. Cum nonnulla Seminaria, et Collegia instituta sint, ex quibus Missionarii Cleri Saecularis in Angliam mittuntur, nulla diligentia, et cura praetermittatur, ut Alumni ad Sacras Missiones obeundas destinati, optimis moribus, pietate, ingenio, doctrina exornentur, et ut periti sint in exercendis Functionibus Ecclesiasticis, et Cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti. Praeses Collegii Duacensis in Belgio, Litteris datis die 25 Ianuarii, Congregationem de Propaganda Fide sincere certiorem fecit de ratione, qua Alumni in praedicto Collegio instituuntur. Hisce proinde Litteris perhonorificum responsum redditum fuit. Romae existit Collegium Anglicanum a Sancto Thoma nuncupatum, curae ac disciplinae Patrum Societatis Iesu commissum, cuius visitationem susceperunt iussu Praedecessoris Nostri Clementis XII duo Cardinales vita iam functi, Davia scilicet, et Riviera, sustinuitque Secretarii munus Cardinalis Monti vitam adhuc agens, qui id temporis munus a Secretis Congregationis de Propaganda Fide gerebat. Itaque plurima statuta fuere, peculiari Decreto Summi Pontificis confirmata, quod die 28 Septembris anno 1739 in lucem emanavit.[1] Sancitum in primis est, ut eodem in Collegio duo Praeceptores in posterum commorentur, quorum unus Controversiis, et Sacris Scripturis explanandis, alter Theologiae Morali tradendae incumberet; eorumque Lectiones Anglicanae Missionis utilitati forent maxime accommodatae. Quamobrem operam suam impendat Cardinalis, cuius in fide, et patrocinio Collegium pro tempore recipiunt, ut executioni mandentur, quae eadem in Visitatione salubriter decreta fuere; atque illud in primis, quod paulo ante innuimus, quippe quod ad finem propositum unice conducere videatur. Pariter compertum est, Collegium Ulissippone Anglis recipiendis erectum esse; alterum Parisiis, Hispali unum, Vallisoleti alterum. Verumtamen cum eorumdem institutio, atque existentia, nihil praeterea innotescat, curae erit a Secretis Congregationis de Propaganda Fide, consiliis cum Cardinale primo Pontificiae ditionis Administro collatis, ut dentur Litterae Nunciis Apostolicis in Lusitania, Gallia et Hispania commorantibus, ut impensius de praedictis Collegiis inquiratur, eorumque gubernatio omnino explorata fiat. Neque id eo tendere opinandum, est, ut quidquam detrahatur auctoritati, vel regimini cuiuscumque, qui legitima ipsorum fruatur possessione; sed eo dumtaxat fine, ut inter Nos, eosdemque plenissime conveniat iis in rebus, quae ad Alumnos spectant ex Seminariis in Angliam ad Missiones obeundas profecturos.

§ 3. Quoniam vero versantur in Anglia Missionarii ex Familiis Regularibus, scilicet Societatis Iesu, Sancti Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarum Excalceatorum; cavere omnino debent earum Provinciales, ne in Missionarios deligant, nisi viros numeris omnibus absolutos, singulari nimirum pietate, ingenii dotibus praeditos quae ad tantam Provinciam, tamque laboriosam requiruntur. Quamobrem ne ob immodicum eorum numerum perturbationes, et incommoda oboriantur, ipsis Regularium Provincialibus immutabiliter praescribitur, ut eos dumtaxat in Angliam mittant, qui vel Sacellis Regiis praefici debeant, aut apud aliquem nobili sanguine natum versari, aut in Locis, quae pro Regularibus fundata, et constituta sunt. Porro a Missionibus Anglicanis se repelli intelligant Regulares, qui ex propria

[1] Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Vicariis Apostolicis, et Dilectis Filiis, Sacerdotibus tam Saecularibus, quam cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam Societatis Iesu, Regularibus, Missionariis Apostolicis Anglicanarum Missionum.

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 14, p. 386-391.

Natione non obtinent Coenobium, vel Provinciam in Catholicis Regionibus: iis tamen, qui ibidem in praesentiarum commorantur, revertendi necessitas non infertur. Enim vero cum Hiberni Sacerdotes ad sustinendam Insulae eiusdem Missionem deputentur, quae plurimos, sapientesque expetit Operarios; cumque in Anglia permulti sint Sacerdotes indigenae tam Saeculares, quam Regulares, consentaneum esse arbitramur, si iidem ipsa in Patria labores suos potissimum impendant, et praedicti Hiberni Sacerdotes Missionariis Anglis tunc solum cooptentur, cum horum paucitas id exigere videatur; ideoque a Vicariis Apostolicis Angliae ad Missionem exoptentur, et evocentur.

§ 4. Sed, ut ad Vicarios Apostolicos revertamur, praeter eam omnem auctoritatem, quae ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordinario in sua Civitate, et Dioecesi, Apostolica Sancta Sedes facultates *formulae secundae* ipsis elargitur, cum potestate illas simplicibus Sacerdotibus, qui idonei videbuntur, communicandi, iis tamen exceptis, quae vel in Ordinem Episcopalem unice spectant, vel exerceri sine Sacrorum Oleorum usu minime possunt. Nihil proinde recensitis Vicariis deest, quod ad sanum regimen, et directionem tam Regularium, quam Cleri Saecularis conducat, qui nullas in hanc diem controversias excitavit, quae debitam Vicariis Apostolicis obedientiam, et subordinationem labefactarent.

§ 5. Attamen quoniam inter privilegia, quibus gaudent Regulares, cuilibet peculiari Ordini a Summis Pontificibus attributa, illud annumeratur, per quod Regulares Familiae ab Episcopali, vel Ordinaria auctoritate eximuntur, vel Sanctae Sedis Iurisdictioni immediate subiiciuntur, ne altercationes ea de re in posterum enascantur, quas plurimas elapsis temporibus constat extitisse, et in dies suboriri, necessitas postulat, ut finis aliquando iis imponatur: quod ita praestari oportet, quemadmodum inferius exponemus.

§ 6. Itaque Regulares Missionarii cum Provinciam adventaverint, ubi Sacras Missiones obire debent, Apostolicum Vicarium convenient, uti facere semper consueverunt, in cuius ditione Ministerium Apostolicum suscepturi sunt. Siquidem institutum Canonicum est, Sacri Concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenae in Sacris constituto licere, Ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, adeoque Sacrum peragere, si Sacerdotem se esse profiteatur, nisi Litteras authenticas Ordinarii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis, vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita can. 7, dist. 71, cui apprime consentit Sacrum Concilium Tridentinum, sess. 22, *De Sacrificio Missae;* Decreto *De observandis, et evitandis in celebratione Missae,* et cap. 13, sess. 23, *De reformat.* Porro huiusmodi praescriptum Regulares etiam respicit, quoties extra Dioecesim versantur, in qua ad Sacros Ordines promoti fuere; proindeque susceptum Ordinem exercere minime possunt, praesertim in Ecclesiis quae ad propriam Sodalitatem non spectant, nisi prius Episcopis, aut Vicariis Generalibus, vel Foraneis, Superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti Ordinis testimonium, et libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis, vel suspensionis perspecta fiat. Quamobrem id etiam est in mandatis Regularibus Missionariis, ut nimirum Vicariis Apostolicis, ea ratione, qua dictum est, sese exhibeant, ubi ad Missionis locum pervenerint.

§ 7. Nullus Saecularis Sacerdos Poenitentiae Sacramentum administrare potest, qui actualis Parochus non existat, vel idoenus ad id in praemisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius Loci, ubi Confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem et Regularibus Sacerdotibus edicitur, quoties velint Saecularium Confessiones audire, quemadmodum ad litteram decernitur a Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 15, *De reformat.,* quo in loco derogat Sacrum Concilium privilegio cuicumque, et consuetudini immemorabili, quae contrarium praeseferret, inquiens: *privilegii et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Idque eo vel magis, quod a Summo Pontifice Sancto Pio V ea in Constitutione, cui initium est *Romani Pontificis,* 133,[1] *Bullarii Romani,* tom. 2, declaratum est, praedictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque Regulares extendi, vel Mendicantes, vel non Mendicantes, quamvis Lector, atque Magister in Sacra Theologia praefulgeat, et potestas Saecularium Confessiones, excipiendi illi facta fuerit a suis Superioribus Regularibus. Sancto Pio V omnino consonat Urbanus VIII in Constitutione, quae incipit: *Cum sit accepimus,* 92,[2] *Bullarii,* tom. IV, per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias Regularibus attributum, cuius praetextu Saecularium Confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint, et consensum ab Ordinario Dioecesano impetraverint. Ac ne Regularium Familiae, quae nisi expresse nominentur, se minime comprehendi putant, ab eadem Constitutione immunes se iactarent, eas nominatim, et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem Summus Pontifex Clemens X edita Constitutione *Superna,* 7,[3] in *Bullario Romano,* tom. IV, § 4, ita firmavit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Saecularium in sua Dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia Dioecesi eas absque Episcopi Dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati.*

§ 8. Quare si insistamus Canonicis institutis, quae superius numeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus, per quos Poenitentiae Sacramentum in Locis ipsius Iurisdictioni subiectis administrandum est; Regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint Saecularium Confessiones excipere. At vero quoniam Missionarii, et imprimis Regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis Coenobiis, in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas Missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad Confessiones audiendas in subeundo examine, illos ab Apostolico munere deterreat, cavebunt inposterum, antequam relinquant Monasteria, in quibus degunt, et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad Confessiones Saecularium audiendas subire coram Ordinario, et Examinatoribus Loci, in quo situm est Monasterium, et consequi testimonium, quo idonei declaren-

[1] Cf. N. 139.
[2] Cf. N. 208.
[3] Cf. N. 246.

tur, quod insuper poterit indicari Vicariis Apostolicis, in Anglia commorantibus per Litteras Ordinarii, qui ad examen eos excepit, et peritos, idoneosque iudicavit. Quod si cuiquam ex Regularibus commodius, atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante Apostolicum Nuncium propriae scientiae periculum facere, id erit eorum in libitu; cum utraque ratione duplex auferatur incommodum; unum scilicet, ne Regulares animum mentemque dimoveant a Missionibus Anglicanis, eo timore, ne a Vicariis Apostolicis admittantur ad Saecularium Confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suae Iurisdictionis Poenitentiae Sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debita, ac necessaria scientia in Examinato deprehensa, illum Confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem Confessionum audiendarum liberam, plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui Adprobatori subiicitur. Primum itaque ab Examinatore praestatur; cuius fidei, et integritati innititur, atque acquiescit, qui Confessiones audiendi facultatem, in limitibus, et confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cuius est praedictam facultatem concedere.

§ 9. His itaque constitutis, cum Regularis examinatus iam, et idoneus iudicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis Apostolicis, cumque id perpendi minime debeat tamquam urbanitas aliqua, seu coeremonia; cum insuper Vicarius Apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas Fidelium Confessiones, qui ditione sua continentur: absoluta penitus hac ratione controversia omnis iudicari deberet. Caeterum Confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex Brevi a Summo Pontifice Urbano VIII dato Cardinali de Sandoval anno 1639 inserto a Casabutio in *Theoria et praxi Iuris Canonici,* lib. 1, cap. 10, num. 13, tum ex recensita Constitutione Clementis X, *Superna,* ad § 4. Porro huiusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, ius competit Ordinario vel abrogandi, vel eas renovando, Sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae, nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine nova causa, quae Confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex Constitutione: *Cum sicut accepimus,* ab Innocentio X in lucem edita 32, § 2, *Bullarii,* tom. IV.[1] *An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum, sine nova causa, suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis? Respondetur, Regulares alias libere ab Episcopo, praevio examine, approbatos ad audiendas Confessiones personarum Saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente.* Quae cum ita sint, ut omni dissidio aditus occludatur, decernimus, atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis Apostolicis Regulari examinato, et approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine praevio examine confirmetur, cum Regulares Missionarii, iis peractis quae num. 20 exponentur, Anglicanae Missionis exercitium denuo suscipient.

[1] Cf. N. 232.

§ 10. In medium igitur proferri minime potest tam Breve Summi Pontificis Urbani VIII, quod incipit: *Britannia,* vulgatum anno 1631,[1] quam Bulla eiusdem Pontificis: *Plantata,* edita anno 1633,[2] aut aliud quodcumque documentum ad firmandam Regularium independentiam a Vicariis Apostolicis in administratione Poenitentiae Sacramenti, aliorumque Sacramentorum. Brevia enim, et huiusmodi documenta emissa fuere, antequam quatuor Vicarii Apostolici in Anglia constituti forent, cum omni auctoritate, quae competit cuilibet Ordinario in sua Civitate, et Dioecesi. Quamobrem sancito libero, et tranquillo ordinariae Episcoporum auctoritatis exercitio, eo ipso desinit Regularium immunitas pro Sacramentis administrandis, quae tunc temporis iisdem concessa fuit, cum praedictum liberum exercitium nullatenus permittebatur; quemadmodum Regulares ipsi luculenter agnoverunt, et confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quae in *Collectione Iudiciorum,* tom. 3, pag. 45, continetur. Accedit praeterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum Orientalium regimine, nequicquam refragantibus amplis Sancti Pii V, et Gregorii XIV privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostra Constitutione: *Quamvis ad confirmandum,* tom. II, nostri *Bullarii.*[3] Eadem plane ratione cum in praesentiarum constitutum sit regimen Vicariorum Apostolicorum, finem habere debet recensita Regularium Missionariorum immunitas, iis delata, antequam praedictis Vicariis Apostolicis regimen, et ordinaria auctoritas tribueretur, et sua cuilibet confinia assignarentur. Notae, et pervulgatae sunt controversiae agitatae, et discussae in Congregatione de Propaganda Fide anno 1701 et 1702 inter Macai Episcopum, Vicarios Apostolicos Sinarum, atque Regulares Missionarios, qui tueri conabantur, ob sua privilegia licitum sibi esse Sacramenta administrare, et quolibet Parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo, et Vicariis Apostolicis dependerent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII fel. record. suos praefinitos fuisse limites cuilibet Vicario Apostolico, decrevit, atque mandavit, ne cuiquam Missionario vel Saeculari, vel Regulari imposterum liceret Poenitentiae Sacramentum Saecularibus impertiri, vel aliis Parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium praeseferrent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset ab Ecclesiastico Superiore, ab Episcopo nimirum, quoties Sacramenta administranda essent in eius Dioecesi, vel a Vicario Apostolico, si in ipsius ditione id foret peragendum. Haec enim habet decretum vulgatum die 14 Februarii 1702:[4] *Missionariis autem, sive Saecularibus, sive Regularibus, etiam Societatis Iesu, non liceat etiam vigore suorum privilegiorum Sacramenta administrare, aut alia munia Parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum, sive Vicariorum Apostoli-*

[1] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 125-128.
[2] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 148-154.
[3] Pag. 1-6.
[4] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 253.

corum, in quorum respective Provinciis, aut Dioecesibus eosdem Missionarios commorari contigerit. Haec profecto luculenter ostendunt nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia, Anglicanis Missionariis concessa, antequam in Anglia Vicarii Apostolici constituerentur. Idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habita die 6 Octobris anno 1695, cuius Decreta Innocentius XII Brevi dato die 5 Octobris anno 1696 confirmavit.[1] Accedit Decretum emissum ab universa Congregatione de Propaganda Fide die 16 Augusti anno 1645, quod nostro Brevi sub die 2 Septembris anno 1745 firmatum fuit.[2]

§ 11. Cum ab hac Sancta Sede animadversum sit, plurima saepe contingere in Regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispensationes, et privilegia quandoque opportuna, quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur; ad quae obtinenda difficile est Romam confugere, eadem Sancta Sedes in more habuit, habetque in praesenti, Episcopis in remotioribus Provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate, vel per inferiores Sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum Missionum Praefectis, atque Apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen, cum nec Episcopi, nec Missionum Praefecti in Anglia hoc tempore versentur, supervacaneum est facultates recensere, quae his, vel illis deferuntur. Sedem habent in Anglia Vicarii Apostolici, qui sibi commissis Provinciis praesunt, atque iis dumtaxat *Formulae secundae* facultates tribuuntur; proindeque Regulares Angliae Missionarii iis solum Facultatibus perfruuntur, quas obtinent ab Apostolicis Vicariis, qui sane eas communicare aliis possunt, uti *ex Formula secunda* manifestum est: *Praedictas Facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eius Dioecesi laborabunt.* In recensitis notatu dignum imprimis est vocabulum illud *idoneis,* quo cognitio indicatur, quam Largitor facultatum habere debet de illo, qui ipsas consequitur, an videlicet idoneus existimetur. Hinc et arbitrium examinis de illo instituendi subsequitur, quoties eius scientia ad facultatem exercendam aliunde non innotescat. Observationem illud etiam exigit, quod necessitas non infertur Vicario Apostolico, ut omnino praedictas facultates communicet; sed, veluti commodum quoddam, huiusmodi potestas illi delata est pro animarum utilitate, quod quidem nunquam non opportunum, saepius etiam necessarium est, cum Superior omnia per se praestare minime valeat. In arbitrio Vicarii Apostolici positum quoque est, vel omnium suarum facultatum Sacerdotem participem facere, vel aliquas tantummodo communicare. Nam Vicarius Apostolicus, in hoc facultatum genere, specialis Sanctae Sedis Delegati Personam gerit, cui liberum est subdelegare, nedum ex communi iure, verum etiam ex singulari auctoritate illi demandata: cumque in delegantis potestate constitutum sit suspendere, vel omnino etiam auferre factam Delegato procurationem, ex his omnibus illud consequitur, in Anglia scilicet, quod iam dictum est, eas tantum facultates per Vicarium Apostolicum collatas a Missionariis exerceri posse. Ille siquidem cum Apostolicus Depositarius earumdem existat, communes eas facturus cum Sacerdotibus Saecularibus, aut Regularibus, ius retinet (quod repetere supervacaneum non erit) dignoscendi, an revera idonei sint; aliquas tantummodo, non omnes communicandi, ac denique eas suspendendi, penitusve auferendi. Attamen summopere commendatur humanitas in examine peragendo; insuper debita, et prudens cautio in suspendendis, vel adimendis facultatibus, quae semel concessae fuerunt. Nec opus est, ut facultates exprimantur, quas Vicarius sibi reservare, aut quas Sacerdotibus Saecularibus, vel Regularibus elargiri debet, quaeve uni potius, quam alteri sint impertiendae; id enim arbitrio relinquitur Vicarii Apostolici, qui, cum in loco consistat, et Personas dignoscat, quibus facultates conceduntur, animarum necessitates animadvertat, et casuum frequentiam, decernere facilius potest, quae magis opportuna, et salutaria videantur. Inter caeteras illa adnumeratur facultas, per quam copia fit Sacerdoti bis Sacrum peragendi uno eodemque die, licet id expresse prohibeatur capit. *Consuluisti, de celebratione Missarum;* cui tamen derogatur ob necessariam causam, videlicet ob Sacerdotum paucitatem, vel cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut, nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent; quod copiose declaratum est *Constitutione 3* in praesenti nostro Pontificatu emissa, et Oscensi Episcopo inscripta, Tom. 2 *Bullarii.*[1] Hinc facile apparet abusio intolerabilis, quae patraretur, si cuiquam Sacerdoti rem divinam faciendi bis in diem facultas tribueretur, eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret; quantoque magis Sacerdos peccaret, si Missae Sacrificum bis uno die conficeret sine opportuna Vicarii Apostolici concessione; vel sub Populi necessitatis praetextu eam peteret, atque obtineret, licet reipsa plurium eleemosynarum cupiditate ad id moveretur.

§ 12. Adprobationis necessitatem, quam diximus competere cuilibet Vicario Apostolico in sua Provincia, non solum quoad Saeculares, sed etiam quoad Regulares Sacerdotes, qui Saecularium Confessiones sint recepturi; necessitatem pariter ab ipsis accipiendi facultates *Formulae secundae,* quae praedictis Vicariis Apostolicis a Sancta Sede tribuuntur, una cum potestate eas communicandi Sacerdotibus Saecularibus, et Regularibus, ut illis solummodo Missionarii utantur, quemadmodum superius exposuimus, has, inquam, necessitates subsequitur actualis administratio curae Animarum, et Sacramentorum; ac proinde in iis, quae ad utrumlibet horum capitum spectant, nedum Missionarii Saeculares, sed etiam Regulares subiiciuntur iurisdictioni, et correctioni Vicariorum Apostolicorum. *Personae tam Regulares, quam Saeculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis, quae ad eamdem curam, et administrationem Sacramentorum pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi sitae sunt:* Haec ferme habet *Concilium Tridentinum,* sess. 25, *de Regularibus,* cap. 11.

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 9, p. 440, 441.
[2] Cf. Ius. Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. III, p. 233, 234.

[1] Cf. N. 365.

§ 13. Quamvis autem in hoc cap. 11 non derogetur privilegiis, quae hanc in rem producere possent Regulares, nihilo tamen minus, quia huiusmodi derogatio apertis verbis exprimitur cap. 22, *novissimo ipsius sessionis 25, de Regularibus;* ideo haec ipsa complectitur singula capita anteriora ipsius sessionis 25, *de Regularibus,* ac propterea recensitum etiam caput undecimum, quemadmodum enunciatum est Constitutione Innocentii XIII, quae incipit: *Apostolici Ministerii,* [1] confirmata a Benedicto XIII in altera, quae incipit: *In supremo,* data anno 1724, num. 23. [2] *Sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite* (id est 22) *continentur; sed etiam ad alia; quae in singulis superioribus* (adeoque etiam in cap. 11) *eiusdem sessionis constituta sunt.*

§ 14. Superioribus annis suscitata a nonnullis fuit infirma nimis controversia, nempe in dubium revocata fuit praedicta Concilii Tridentini dispositio, et contendebatur eos tantum Regulares affici, qui Parochi existant, alios vero Regulares Sacerdotes, qui licet Parochi non sint, tamen Sacramentum aliquod Saecularibus administrent, vel nullimode comprehendi, vel si comprehendantur, id referendum esse ad eos solummodo, qui rem *de facto* agerent, et sine praevia Ordinarii facultate; verum Gregorius XV edita Constitutione *Inscrutabili,* quae est 17 *Bullarii Romani,* tom. 3, [3] declaravit Regulares Sacerdotes, qui vel Parochi sunt, vel aliquod administrant Sacramentum, *sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex iis, ministrent,* sive id praestent *praevia Episcopi licentia, et approbatione,* aut agant *de facto absque ulla auctoritate,* subesse debere in iis omnibus, quae curam, vel administrationem Sacramentorum spectant, iurisdictioni, et correctioni Ordinarii, tanquam Sedis Apostolicae Delegati: *In his, quae huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi, et correctioni, Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subiiciuntur.* Idem prorsus renovatum est in Bulla *Cum sicut* 34, Innocentii X, § 4 in *Bullario Romano,* tom. 5, [4] tum in Constitutione *Firmandis* 109, § 3 *Bullarii,* tom. I in praesenti Pontificatu evulgata. [5]

§ 15. Ius huiusmodi in Regulares Sacerdotes delegatum in iis, quae animarum curam, Sacramentorumque administrationem concernunt, cessare certum est, cum eorum quiquam sui Regularis instituti observantiam aliquo modo violaret; id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi Superioris Regularis: *Cuius quidem agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis Instituti,* non est Episcopi inquirere, cum ad ipsum Superiorem *Regularem privative id pertineat.* Verba ipsa sunt recensitae Constitutionis *Firmandis,* § 8. Non ignoramus Sacrum Concilium Tridentinum, Sess. 6, cap. 3, *de Reformatione,* nulla admissa distinctione, decrevisse, quod Regularis *extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu, si deliquerit, ab Ordinario Loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, et corrigi valet;* atque hinc factum esse, ut dubium a nonnullis proponeretur, utrum commorantes Missionarii Regulares apud privatos, atque ut plurimum seorsim, ut in Anglia contingit, utrum, inquam, praedicti Regulares, veluti Religiosi extra Monasteria viventes censendi sint, ac propterea Ordinarii iurisdictioni tanquam Apostolici Delegati in omnibus subiecti, quod definitum est in allata Innocentii X Constitutione 34, *Cum sicut,* § 15. Quandoquidem tamen illud perpendi debet, Regulares scilicet Anglicanae Missioni destinatos, illuc proficisci in bonum Sanctae nostrae Religionis, eorumque mansionem in privatis domiciliis, non item in Monasteriis, ex publici regiminis Legibus dimanare, quibus Coenobia quaecumque prohibentur; aequum profecto est, ut recenseri non debeant ad instar illorum, qui extra proprium Monasterium vitam agunt, atque hinc subsunt omnimodae Ordinarii iurisdictioni, quemadmodum sancitum fuit a Summo Pontifice Clemente VIII in suis Litteris Apostolicis in forma Brevis editis anno 1601, quae incipiunt: *Religiosorum quorumcumque,* recensitis in Constitutione *Quamvis,* quae ordine est *prima* praesentis nostri Pontificatus tom. II *Bullarii.* [1] Quamobrem cum iis potius procedendum est veluti cum Regularibus in propriis Monasteriis degentibus, qui, si aliquod crimen foris patrarent, scandalum Populo afferens, insistente Ordinario, ut puniantur, plecti debent a suo Superiore Regulari, qui insuper tenetur inflictam castigationem ipsi Ordinario indicare: *Regularis intra Claustra Monasterii degens, si extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.* Haec habet Sacrum Concilium Tridentinum, sess. 25, *de Regularibus,* cap. 14. Quibus apprime insistens ipsemet Summus Pontifex Clemens VIII, alteram vulgavit Constitutionem, cui initium fecit *Suscepti muneris* 39, *Bullarii Rom.,* tom. 3, [2] ubi accurate animadvertit, atque enunciavit quidquid ad earum executionem conducere videretur.

§ 16. Harum ope regularum, quae non ac libitum effictae, nec recentes, sed iuris Canonici, et Sacri Tridentini Concilii auctoritate suffultae, nec non anteriorum Pontificum Constitutionibus firmatae sunt, dubitandum non est, quin perfecta interesse debeat consensio inter Episcopos, et Regulares Missionarios, eorumque Superiores, dummodo reipsa in eorum animis vigeat, quod iuvat sperare, verum pacis, et concordiae desiderium. Atque ea animorum coniunctio eo vel magis speranda, quod ipsarum iuri, atque auctoritati certi limites, et confinia praefinita sint. Siquidem non deest Superioribus Regularibus privativum ius in proprios Religiosos, qui sui Instituti observationem perfregerint. Quod si ab iisdem quodquam gravioris notae crimen perpetretur, atque in primis, si contra bonos mores deliquerint, non destituuntur Superiores eos castigandi facultate; nec conquerendi locus Vicario

[1] Cf. N. 280.
[2] Cf. N. 283.
[3] Cf. N. 199.
[4] Cf. N. 232.
[5] Cf. N. 349.

[1] Pag. 1-6.
[2] Cf. N. 181.

Apostolico relinquitur, si ab eodem Superiore post acceptam facti notionem debita punitio non omittatur: adeo ut Vicarius Apostolicus, quod supra indicatum est, se in eam rem ingerere nullatenus possit; nisi forte contingeret, ut Regularis Superior vel nihil praestaret, vel aequas poenas a reo minime desumeret. Habent itidem Vicarii Apostolici, utpote Sanctae Sedis Delegati, potestatem supra Regulares in iis omnibus, quae animarum curam, et Sacramentorum administrationem respiciunt. At vero huiusmodi ius non solum iis competit; verum etiam Regularibus Superioribus, quibus concessum est suos Religiosos animarum regimen, sive Sacramentorum administrationem male exercentes punire. Porro Ius privativum Ordinarii complectitur tantum actus, quos ipse ratione Ministerii sui tenetur peragere in bonum populi disciplinae Regularis Parochi demandati.

§ 17. Ne autem de iure cumulativo, quod habent tam Vicarii Apostolici, quam Regulares Superiores in Regulares, qui vel Parochi existunt, vel qui Sacramenta administrant, ulla oboriatur disceptatio, decretum iam est, ut dissidente Ordinario Superiore, vel Episcopus ille sit, sive Vicarius Apostolicus, a Regulari Superiore, prioris sententia alterius praestet opinioni; itidemque, ut cum velit Superior Regularis, ab animarum regimine, et Sacramentorum administratione Regularem sibi subditum removere, efficere id possit, quid prius Ordinarium de causa certiorem faciat; quod vicissim ab Ordinario fieri posse tenendum est, secluso debito causam patefaciendi Regulari Superiori. Adeatur superius recensita Constitutio *Firmandis* 109, § 10 et 11 *Bullarii* tom. I, praesentis nostri Pontificatus, ubi auctoritate veterum decretorum id fusius declaratum, et confirmatum est. Nec Regularis ab officio suspensus, vel amotus, ullimode valet appellationis beneficio Mandati executionem impedire, vel protrahere; sed post praestitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen, innocentiamve vindicandam, si eam laesam existimaret, reclamationibus unice locus erit, et excusationibus, suo Iudici competenti ferendis, uti praescribitur in superius allata Constitutione *Inscrutabili,* Gregorii XV, atque in alia posteriori, cui initium *Ad militantis,* in praesenti nostro Pontificatu vulgata, scilicet 18, § 19, *Bullarii,* tom. I.[1]

§ 18. Ne fecit Britanniae Missionum regimini quicquam deesse videatur, subsequentes adnectuntur regulae, quibus praetermissis, haud omnino obtineretur, quod vehementer exoptatur. Sedulo igitur incumbant Vicarii Apostolici, ut Missionarii Saeculares probe, honesteque in omnibus se gerant, quo aliis bono exemplo sint; et imprimis Sacris Officiis celebrandis, opportunisque Institutionibus Populo tradendis, atque infirmis opera sua sublevandis praesto sint, ut a publicis otiosorum coetibus, et cauponis omnimode caveant; addita etiam suspensionis poena cuilibet, si quis ad easdem divertere non vereretur. At potissimum ipsimet Vicarii, omni, qua possunt ratione, severe tamen, illos puniant, qui de publico Regimine cum honore sermonem non haberent. Quandoquidem illi in Anglia versantur, non ad rumores, et perturbationes excitandas, sed Sanctae Catholicae Religionis servandae causa, eosque excipiendi, qui Divino Spiritu afflati, et Sanctis Fidei Mysteriis apprime

[1] Cf. N. 326.

instructi, se promptos, paratosque ad eam amplectendam exhibent; cum interim a quibuslibet conversionibus debeant abstinere, quae utpote sine praeviis, debitisque conditionibus peractae, non modo nullam utilitatem, sed damna potius, et incommoda plurima solent afferre. In iis autem, quae Missionarios Regulares spectant, munus suum Vicarii Apostolici prae oculis semper ferant, quo tenentur in eorum actiones intendere semper in illis, quae animarum curam, Sacramentorumque administrationem respiciunt; necnon auctoritatem pariter sibi delegatam comminiscantur. Caeteras vero praedictorum Regularium corruptelas, si quae contigerint, si nimirum eorum quisquam cauponas, et coetus otiosos frequentaret, seu publico Regimini obloqueretur, sive denique alienis negotiis sese immisceret; has, inquam, corruptelas reparare studeant remediis superius expositis, atque a Concilio Tridentino desumptis, quibus Regulares afficiuntur in Monasteriis degentes et qui extra Septa ipsius Monasterii scandalum aliquod committunt.

§ 19. In primis curae sit Superioribus Regularibus, Missionarios indistincte nequaquam mittere, sed quod dictum iam est, eos deligere, qui et vitae probitate, atque sufficienti opportunae doctrinae copia tales existant, ut sibi traditum Ministerium probe complere valeant. Praeterea studeant praeficere in Anglia unum ex Religiosis, cui visitatio sibi subditorum singulos in annos obeunda committatur, qui diligenter eorum vivendi rationem ad examen revocet, et congestarum eleemosynarum usum perscrutetur. Sic enim fiet, ut quaelibet negotiationis suspicio de medio tollatur, incommodis quibuslibet, et malis provide consulatur. Porro Visitator ipse de his, quae gerenda sunt, conferat cum Vicariis Apostolicis, ut et ipsi auxiliarem manum praebeant, atque ita scandalis quibuslibet aditus occludatur.

§ 20. Quandoquidem, degentibus Missionariis Regularibus in Anglia extra Monasteria in privatis domiciliis, et saeculares vestes adhibentibus, et ea libertate utentibus, qua sane carerent, si in Monasteriis degerent, inauditum minime esset, si etiam religiosa corda mundano pulvere sordescerent, ideo edicitur cuilibet Missionario, ut post singula sexennia ad Catholicas Regiones sese restituat, propriae Familiae Regularis Claustra subeat, Religiosum induat habitum, ibique per tres integros menses commoretur; atque interim Spiritualibus Exercitiis per quindecim dies sedulo incumbat. Hinc est, quod Vicarii Apostolici, quorum arbitrio, atque prudentiae, uti expositum est, committitur potestas communicandi Missionariis Facultates *Formulae secundae,* ipsam *ultra sexennium* non debebunt prorogare, sed impertiri ad summum *ad sexennium; et interim ad libitum,* eamque, si consentaneum iudicaverint, simili modo restituere, cum Regulares absoluto iam praescripti secessus tempore ad Missionem revertentur.

§ 21. Etsi Regularis Superior, qui statuit aliquem ex suis Religiosis a Sacramentis administrandis, sive a Missionibus exercendis removere, ex superius allatis, non teneatur remotionis causam Vicario Apostolico significare, et eadem ratione liberum sit Vicario Apostolico, insciis, atque inconsultis iisdem Superioribus, contra Missionarios Regulares, quos delinquentes in Sacramentis administrandis, vel ineptos, atque rudes, negligentesve in suo munere adimplendo deprehenderit, animadvertere, prout ipsi expedire vide-

bitur, tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate, et consensu rem gerant, ne Missiones Operariis destituantur, et uni Missionario amoto alter continuo subrogetur, qui eius subeat vices; idemque exhibeatur officium a Superioribus Regularibus cum Apostolicis Vicariis, ubi velint suos in alium Locum transferre, vel eos revocare in Catholicas Regiones, atque uno eodemque tempore successores expediant, videlicet ne Missio necessariis Operariis careat.

§ 22. De Fundationibus nihil omnino innovetur; sed tam Saeculares, quam Regulares in eorum possessione perseverent, quas in praesentiarum obtinent; atque adeo Sacramenta, etiam Confessionis omnibus indiscriminatim per eos administrentur in Urbibus, et Oppidis muro circumdatis, ubi limites praefiniti non sunt; ea plane ratione, qua in nostris Civitatibus ad Confessionem adprobati ab Episcopo sine ulla Loci, vel peculiaris Ecclesiae limitatione, in qua Confessiones possint excipere, in qualibet Urbis Ecclesia Confessiones audiunt, debitis tamen officiis cum ipsius Rectore antea persolutis. Verum Missionariis, in Pagis, et apud Ruricolas commorantibus non liceat Sacramenta, nec etiam Poenitentiae extra praescriptos limites administrare; cum ad Confessiones extra confinia excipiendas necessaria omnino sit Vicarii Apostolici licentia, cui illa subiicitur Provincia. Etenim apud Nos etiam Confessarius ab Episcopo pro Saecularibus adprobatus in sua Dioecesi, extra Dioecesim eam facultatem exercere nequit sine alterius Episcopi adprobatione, in cuius ditione Poenitentiae Sacramentum administratur, etiamsi Poenitens subsit Episcopo, qui illum ad Confessiones excipiendas adprobavit. Idque constat ex Bulla *Superna,* Clementis X, quae est 6, tom. 6 *Bullarii Romani,* § 4,[1] solus enim Parochus a Moralis Theologiae Scriptoribus eximitur, qui si forte extra Dioecesim versetur, sui Parochiani ibi degentis Confessiones potest audire, quamvis ab Episcopo Loci, ubi sui Parochiani se praebet Confessarium, adprobationem ad Confessiones non obtinuerit. Necessaria igitur omnino est Vicariorum Apostolicorum licentia, ut Missionarii in Pagis, vel Agris commorantes, Poenitentiae Sacramentum ministrent intra limites cuilibet illorum respective subiectos. Attamen ipsosmet Vicarios Apostolicos hortari non praetermittimus, ut meminerint valde consentaneum esse (nisi aliqua legitima causa contrarium persuaserit) facultates illis elargiri saltem ad Confessiones excipiendas. Quandoquidem vero licentiae administrandi Sacramenta, quae conceduntur Missionariis Campestribus, ut plurimum certis limitibus arctari solent, extra quos nulla ipsis ministrandi facultas permittitur, quamvis Locus, ubi Sacramenta vellent conferre, intra limites Vicario Apostolico subiectos contineretur, qui permissionem ministrandi impertitus est, tamen Vicarium Apostolicum adhortamur, ut facilem se praebeat Missionario Campestri Sacramenta aliquando conferendi extra limites ipsi praefinitos, nisi forte legitimum aliquod impedimentum id fieri prohibeat.

§ 23. Haec omnia proficuam animarum curam, et pacem, concordiamque inter Missionarios, faustum denique Vicariorum Apostolicorum regimen respiciunt. At quoniam a Viris optimis, et fidei dignis indicatum fuit consentaneum fore, si definiatur, utrum Regularibus, qui vel in Regiis Sacellis, vel

[1] Cf. N. 246.

in Locis pro illis fundatis, sive apud Nobiles commorantur, liceat Indulgentias suis Ordinibus concessas evulgare, ideo, ut omnes molestae tricae evitentur, sequens regula proponitur, quae executioni demandari omnino debet. In bonum Anglicanae Missionis adprobantur quilibet pietatis actus, preces, ieiunia, atque opera meritoria, quae a Sancta Romana Ecclesia comprobantur. Ad Indulgentias quod spectat ipsis operibus adnexas ratione privilegiorum, quae uni, vel alteri Regularium Ordini a Summis Pontificibus concessa fuerunt, suspenduntur; atque, ut fideles spirituali Sanctarum Indulgentiarum emolumento tranquille, et copiose simul perfruantur, cuilibet Vicario Apostolico auctoritas in ditione sui Vicariatus conceditur, ut quater in annum in iis Solemnitatibus, quae ipsis magis opportunae videbuntur, Indulgentiam Plenariam impertiantur, quam lucrari possint quicumque Poenitentiae Sacramento expiati, et Sacra Eucharistia refecti Sacellum aliquod visitabunt, ubi Missae Sacrificium celebratur, pacem Ecclesiae suae a Deo rogabunt, paratique erunt pauperes aliqua eleemosyna pro suis viribus sublevare, vel Catechismo, et Sacris Concionibus frequenter interesse, quoties absque gravi incommodo id fieri liceat, sive infirmis, aut morti proximis operam suam christiana charitate praebere; et quoniam non deerunt, qui vel carcere, aut gravi morbo, sive alia legitima causa impediti, praescripta pietatis officia minime poterunt adimplere, singuli Vicarii Apostolici potestatem habeant ea commutandi, et alia, quae perfici valeant, decernendi. Porro ne morientes e vita decedant sine Benedictione *in articulo mortis,* et sine Indulgentia ipsi coniuncta, iisdem Vicariis Apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiant, atque etiam Sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servata tamen forma, quae indicitur in Constitutione huius nostri Pontificatus tempore in lucem evulgata,[1] quam hisce regulis ad maiorem commoditatem adiungimus.

§ 24. Ultimo tandem, cum Anglicanae Missionis perduratio Principum Catholicorum Ministris, Nobilibus Catholicis, Fundationibusque iam constitutis accepta referri debeat; eos magnopere adhortamur, ut illos tantum Sacerdotes Saeculares, vel Regulares suis Sacellis inservire permittant, qui se prius obtulerint Vicariis Apostolicis, et obtentas ab illis adprobationes exhibuerint: secus enim contingere posset, ut praeter eorum voluntatem admittatur celebrando Missae Sacrificio in Sacellis, et ministrandis Sacramentis, qui vel Sacerdos minime existat, vel si fuerit Sacerdos, suspensionis fortasse, vel irregularitatis vinculo obstringatur.

§ 25. Porro omnia et singula huiusmodi a Nobis, prout praemittitur, statuta et decreta, quo firmius subsistant, et serventur exactius, tenore praesentium Apostolica auctoritate, quatenus opus sit, confirmamus, et Apostolicae firmitatis robore communimus, et districte servanda praecipimus et mandamus, salva tamen in praemissis nostra, Successorumque nostrorum Romanorum Pontificum, et eiusdem Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei auctoritate. Decernentes easdem praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere et fore; suosque

[1] Cf. N. 380.

plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et a vobis et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et eiusdem S. R. E. Cardinales, eorumdemque Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis sive sub Plumbo, sive in simili forma Brevis expeditis quorumcumque Praedecessorum nostrorum Litteris, et praesertim felicis recordat. Urbani Papae VIII, quarum initium est: *Britannia non minus*, etc., necnon: *Plantata in Agro Dominico*, etc., aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, et Institutorum, etiam Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 26. Caeterum Vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, per Domini Nostri Iesu Christi charitatem, qui animas nostras pretioso Sanguine redemit, rogamus, et in Domino hortamur, ut non in contentione et aemulatione, sed induentes eumdem Dominum Nostrum Iesum Christum, perficiatis opus vestrum. Ad cuius prosperi successus auspicium Apostolicam Benedictionem studiosae nostrae voluntatis pignus Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 95-108].

426.

Benedictus XIV, const. *Sollicita ac provida*, 9 iul. 1753.

Sollicita ac provida Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum Librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel Catholicae Religionis Dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus Sancti Gelasii I Decretum,[1] quaeque iam pridem a Gregorio IX,[2] aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur,

[1] C. 3, D. XV.
[2] C. 2, X, *de summa Trinitate et fide catholica*, I, 1.

quae fuerint a Praedecessoribus Nostris Pio IV,[1] Sancto Pio V, et Clemente VIII[2] diligentissime praestita, ut saluberrimum opus a Sacrosanctae Tridentinae Synodi Patribus susceptum,[3] mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitae lectionis Librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet: ad id deputatis duabus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanae Universalis Inquisitionis a Paulo IV commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de Libris ad certa rerum genera pertinentibus iudicandum occurrit. Certum est autem, Sanctum Pium V primum fuisse Congregationis Indicis Institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII, Sixtus V[4] et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt. Eiusque proprium, ac fere unicum Officium est, in examen Libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione Universalis Inquisitionis de proscribendis vel dimittendis Libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum Nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus. Nam in minoribus constituti, de Libris nonnullis in ea censuram tulimus, et Consultoris eiusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus, postremo inter Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales cooptati, Inquisitoris Generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus evecti, non modo censorum animadversiones in Libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis Feriis quintis coram Nobis habentur, Cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem Libris quid decernatur, audire et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis Librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu Relatoris Officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem Supremum Pontificatum gerimus, nullius Libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui Libri materiem, Revisorum censuras, Cardinalium iudicia et suffragia, accurate Nobis exponeret.

§ 2. Sed quoniam compertum est Nobis, atque exploratum, multas Librorum proscriptiones, praesertim quorum Auctores Catholici sunt, publicis

[1] Const. *Dominici gregis*, 24 mart. 1564. - Bull. Rom., tom. 4, II, p. 174, 175.
[2] Const. *Gregem Dominicum*, 17 maii 1593; const. *Sacrosanctum*, 17 oct. 1595. Bull. Rom., tom. 5, I, p. 445, 446; tom. 5, II, p. 82, 83.
[3] Sess. IV, *de editione et usu sacrorum librorum;* sess. XVIII; sess. XXV (continuatio sessionis), *de indice librorum et catechismo, breviario et missali.*
[4] Const. *Immensa*, 22 ian. 1587. - Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 392-401.

aliquando iniustisque querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere ac perfunctorie in Tribunalibus Nostris ea res ageretur; operae pretium duximus, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, certas firmasque regulas proponere, iuxta quas deinceps Librorum examen iudiciumque peragatur; tametsi plane affirmari posset, idipsum iampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia aequipollenti, constanter actum fuisse.

§ 3. Porro Romanae Universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii Sacrae Theologiae, alii Canonici Iuris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanae Curiae exercitatione, prudentiae demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adiungitur unus ex Romanae Curiae Praesulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Praedicatorum Sacrae Theologiae Magister, quem Commissarium appellant; certus praeterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero Saeculari ac Regulari assumuntur; alii demum praestantes doctrina Viri, qui a Congregatione iussi, de libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de Causis Fidei, ac de Personis violatae Religionis reis. At cum Librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, iudicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhaerentes Decreto lato ab eadem Congregatione Feria quarta Kalendis Iulii Anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a Nobis confirmato Feria quinta insequente, hac ratione et methodo iudicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus aut Consultoribus a Congregatione designando, Liber tradatur, quem is attento animo legat ac diligenter expendat; tum Censuram suam scripto consignet, locis indicatis et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox Liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis Feriis secundis in Aedibus Sancti Officii, de Libro et Censura Sententiam dicant. Ipsa deinde Censura, cum Libro, et Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quae Feria quarta haberi solet in Fratrum Praedicatorum Coenobio Sanctae Mariae supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore Sancti Officii Acta omnia ad Pontificem referantur, cuius arbitrio iudicium omne absolvetur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici Liber non unius tantum Relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam praefati Decreti mensis Iunii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus Censor Librum proscribendum esse iudicet, quamvis Consultores in eandem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo Liber et Censura tradantur; suppresso primi Censoris nomine, quo alter iudicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de Libro decernant. At si secundus a primo dissentiat, ac Librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Huius autem Relatio, si a priore Consultorum Sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia Censura suffragium ferant; idque una cum omnibus praefatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in Libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, Libri iudicium coram se ipso in Congregatione Feriae quintae habendum decreverit; quod saepe a Nobis factum fuit, et quoties ita expedire iudicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus Libri censuras, et Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis Feriae quartae, eiusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque huius definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus praeditos, quibus S. Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus eiusdem Congregationis Praefectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii; Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem, ex Ordine Fratrum Praedicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque Clero Saeculari et Regulari eiusdem Congregationis Consultores, et Relatores selecti; et quidem, ubi aliquis Librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut eius auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§ 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea Nos subiit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro examine iudicioque Librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Quirini nuncupati, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarii, et dictae Congregationis Praefecti, qui pari prudentia et doctrina suum Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot eiusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Iosepho Augustino Orsi Ordinis Praedicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire iussimus, suamque sententiam aperire, quae pariter scripto concepta, Nobis iam tunc exhibita fuit. Cumque haec omnia diligenter apud Nos osservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem Nostram resumentes, quemadmodum ea, quae ad librorum examen, atque iudicium in primodicta Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate Nostra constabilivimus; ita etiam ea, quae ad Congregationem Indicis, et eiusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis Decretis constituere volentes, praelaudati Cardi-

nalis Praefecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhaerendo, haec deinceps servanda decernimus.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad Librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quae ob causarum et negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus et officium recipiendi Librorum denunciationes, ut fieri iam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a Libri Relatore perconctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet; tum Librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, praevia Summi Pontificis, aut Cardinalis Praefecti, vel eius, qui Praefecti vices supplet, approbatione eligendis. Quorum collato consilio, si Liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis Relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in Libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam eius Censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, Nos autem *Praeparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad Librum collatis, de earum pondere iudicium fiat. Huiusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra praedicti Coenobii Aedes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, et de Relatore constitutum est, a Secretario eligendis; praeter Secretarium ipsum, cuius partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris Censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa Librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem Sancti Officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties haec Librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, eiusdem Pontificis assensum, praevia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola Librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adiungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quae tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in huius quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiae se offerant, aeque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro Auctoris Catholici, qui sit integrae famae, et clari nominis, vel ob alios editos Libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; prae oculis habeatur usu iamdiu recepta consuetudo prohibendi Librum, adiecta clausola: *Donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adiecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo Auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, iniunctam correctionem Libri detrectet, congruo definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, eiusve Procurator, Congregationis iussa fecerit, hoc est novam instituerit Libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis Decretum, nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita Decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero iam emendatae permissa.

§ 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod Librorum iudicia et proscriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo quod nocua Librorum lectione facile incurritur. Si qua vero ignominiae labe Auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex Libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus huiusmodi Librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinae suae defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Censoribus, atque Iudicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, eiusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui *ex officio* Operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§ 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de Libro, cuius materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feria quinta coram Nobis habeatur; sic et Indicis Congregationi praesentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel Haeretici hominis Liber denunciatur, in quo Auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel Opus aliquod in examen adducitur, quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis, et corruptelis fomenta praebentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed haeretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis Decretum illico sanciendum erit, iuxta primam, secundam, et septi-

mam Indicis Regulas, Sacrosancti Tridentini Concilii iussu editas, atque vulgatas.[1]

§ 12. Cum in praelaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus eiusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; Nos hanc eamdem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus, et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam praecipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in Libros censurae subiectos, eorum Auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper Denunciatoris, Censorisque nominibus.

§ 13. Examinandis, corrigendisque Libris peropportuna sunt, quae decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinae Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicis recordationis Clementis Papa VIII eiusdem Regulis adiecta,[2] tit. *De impressione Librorum*, § V, Episcopis, et Inquisitoribus cura committitur, ut ad Librorum edendorum examen *spectatae pietatis et doctrinae Viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.* His porro virtutibus animique dotibus, si non maiori, at pari certe de causa, praestare oportet huius nostrae Congregationis Revisores, et Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc huiusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus, optandum sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitae integros, probatae doctrinae, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui aequitatem, libertatemque iudicandi, cum prudentia et veritatis zelo coniungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit; ab eiusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen iam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, Saeculari nempe, et Regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque iuris periti, alii sacra et profana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu, pro varietate Librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

§ 14. Ipsos autem Regulares, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, iudicioque Librorum, sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§ 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut Libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus

[1] Istae Regulae referuntur in fine huius Constitutionis.

[2] Instructio exhibetur infra, post Indicis Regulas Conc. Trident. iussu editas.

rectum iudicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§ 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, et consulendum in praedicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas Libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore aut Consultore electo, ex ipsa Libri lectione deprehendatur, noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi Libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet. Quo tantum abest, ut existimationis suae dispendium apud Pontificem et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

§ 17. III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque Libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque Nationis, Familiae, Scholae, Instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum Generalium Decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, et Orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni Scholae, Instituto, aut Nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo Fidei aut Religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris reiiciuntur atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§ 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius Liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea Auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem Libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse. Saepe enim accidit, ut quod ab Auctore in aliquo Operis loco perfunctorie, aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta, pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§ 19. V. Quod si ambigua quaedam exciderint Auctori, qui alioquin Catholicus sit, et integra Religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro, similesque regulas, quae apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant Censores et Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiae suae, Auctorum famae, Ecclesiae bono, et Fidelium utilitati consulere. Duo

autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quae hoc loco adiungenda omnino esse iudicamus.

§ 21. Prodeunt aliquando Libri, in quibus falsa et reprobata dogmata, aut systemata, Religioni vel moribus exitiosa, tanquam aliorum inventa et cogitata exponuntur et referuntur, absque eo quod Auctor, qui Opus suum pravis huiusmodi mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad coercenda crimina institutis ius dicunt; dubitari certe non potest, magnam eiusmodi Libris in Christianam Rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis Lectoribus venena propinent, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanae malitiae inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime Revisores advertant, ac censurae subiiciant; ut, vel huiusmodi Libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

§ 22. In ea, quam superius laudavimus, Praedecessoris Nostri Clementis Papae VIII instructione, tit. *De correctione Librorum*, § II, sapientissime cautum legitur, ut *quae famae proximorum, et praesertim Ecclesiasticorum, et Principum, detrahunt, bonisque moribus et Christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *Facetiae etiam, aut dicteria, in perniciem, aut praeiudicium famae, et existimationis aliorum iactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum lucemque hominum Libri eiusmodi in hac temporum licentia, et pravitate non efferrentur, ut quibus dissidentes Auctores mutuis se iurgiis, conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt; adversarios, eorumque Scholas, ac Coetus sugillant, et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se Catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum Librorum numerus continenter augeatur: *Faciendi enim plures Libros nullus est finis,* ut est apud *Ecclesiasten,* cap. 12; compertum praeterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse: modum tamen in defendendis opinionibus, et Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in *Enchirid.*, cap. 59 prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire, quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicae mansuetudinis, et Christianae Charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non aemulatur, non agit perperam (utque addit idem Augustinus, lib. *Contra litteras Petiliani,* cap. 29, num. 31): *Sine superbia de veritate praesumit, sine saevitia pro veritate certat.* Haec magnus ille non veritatis minus, quam charitatis Doctor, et scripto et opere praemonstravit. Nam in suis adversus Manichaeos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiae adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum iniuriis, aut conviciis laederet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi praecipue cordi esse, nec charitatem sectari ostendit.

§ 23. Ii quoque non satis idoneam iustamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur. Nam si carpere novos audeant, forte ab laedendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod praeclare animadversum est ab Auctore Operis imperfecti in Matthaeum, *Homilia 42, Cum audieris,* inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba qualis sit circa suos Doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter ac sapienter a Ven. Servo Dei Praedecessore Nostro Innocentio Papa XI praescriptum est in Decreto edito die quarta Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni: *Tandem,* inquit, *ut ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipit, ut tam in Libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, ac praedicationibus, caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitae sint, et super eis iudicium proferatur.*[1] Cohibeatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus, lib. 12 *Confessionum,* cap. 25, num. 34, *Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae Dogmata, a quopiam in Libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari, quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut seruntur, aut foventur, et Christianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur.

§ 24. Angelicus Scholarum Princeps, Ecclesiaeque Doctor, S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Caeteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem Religionis ac Fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam Catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu, stu-

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 8, p. 80-82.

dioque, gaudemus) ii sibi ad aemulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc caeteri quoque sese componere studeant, qui ab eius Schola doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt. Cumque Angelicus Doctor Sanctorum Albo adscriptum sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicae tranquillitatis, proximorum aedificationis, et Charitatis, ut e Catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas, a Christiana institutione ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in huiusmodi Scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant Revisores Librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subiiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

§ 25. Quae hactenus a Nobis proposita ac constituta sunt, Praedecessorum Nostrorum Decretis plane consona, Congregationum quoque Nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in Librorum examine ac iudicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: Mandantes universis et singulis, qui in praefatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam praestant, ut adversus praemissa sic a Nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare praesumant, absque Nostra, vel Successorum Nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 115-124].

De Libris Prohibitis Regulae Decem

Per Patres a Tridentina Synodo delectos concinnatae et a Pio Papa IV comprobatae.

Regula I. - Libri omnes, quos ante annum MDXV aut Summi Pontifices, aut Concilia Oecumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

Regula II. - Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum haereses invenérunt vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Swenchfeldius, et his similes, cuiuscumque nominis, tituli aut argumenti exsistant, omnino prohibentur. Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis iussu Episcoporum, et Inquisitorum examinati et approbati permittuntur. Libri etiam catholici conscripti, tam ab illis, qui postea in haeresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiae gremium rediere, approbati a facultate theologica alicuius universitatis catholicae vel ab Inquisitione generali permitti poterunt.

Regula III. - Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem Veteris Testamenti versiones viris tantum doctis et piis iudicio Episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus Vulgatae editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sano textu utantur. Versiones vero Novi Testamenti ab auctoribus primae classis huius Indicis factae nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero annotationes cum huiusmodi, quae permittuntur, versionibus, vel cum Vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis catholicae aut Inquisitione generali, permitti eiusdem poterunt, quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo biblia Vatabili dicitur, aut partes eius concedi viris piis et doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus et prolegomena praecidantur; eius vero textum nemo textum Vulgatae editionis esse existimet.

Regula IV. - Quum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum amittant, aliisque poenis pro delicti qualitate eiusdem Episcopi arbitrio subiaceant. Regulares vero nonnisi facultate a Praelatis suis habita ea legere aut emere possint.

Regula V. - Libri illi, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt lexica, concordantiae, apophthegmata, similitudines, indices et huiusmodi, si quae habeant admixta, quae expurgatione indigeant, illis Episcopi et Inquisitoris una cum theologorum catholicorum consilio sublatis aut emendatis, permittantur.

Regula VI. - Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et haereticos nostri temporis disserentes non passim permittantur; sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quod si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quae sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerunt, permitti ab Episcopo et Inquisitore poterunt

Regula VII. - Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, quum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint, severe ab Episcopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittantur; nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt.

Regula VIII. - Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quae ad haeresim seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgati concedi possint. Idem iudicium sit de prologis, summariis seu annotationibus, quae a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositae sunt. Sed posthac nonnisi emendati excudantur.

Regula IX. - Libri omnes et scripta geomantiae, hydromantiae, aëromantiae, pyromantiae, oneiromantiae, chiromantiae, necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus reiiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiae iudiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certi aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis iuvandae gratia conscripta sunt.

Regula X. - In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X, sess. x statutum est. [1] Quare, si in alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium Summi Pontificis et Sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas prius examinetur. In aliis vero locis ad Episcopum vel alium habentem scientiam libri vel scripturae imprimendae, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis eius civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbationi et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis et sine dilatione imponendam sub poenis et censuris in eodem decreto contentis approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat; eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, iisdem poenis subiici debere iudicarunt Patres deputati, quibus impressores; et qui eos habuerint et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat, probatioque et examen ac cetera gratis fiant. Praeterea in singulis civitatibus ac dioecesibus domum vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo sive eius Vicario, atque etiam ab Inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur. Omnes vero librarii et quicumque librorum venditores habeant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent,

[1] Cf. N. 68.

cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant sine licentia eorundem deputandorum, sub poena amissionis librorum, et aliis arbitrio Episcoporum vel Inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores vel impressores eorundem arbitrio puniantur. Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam civitatem introducant, teneantur eisdem personis deputandis renuntiare, vel, si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci praedictis personis significent libros esse adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum iam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab heredibus et exsecutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos sive eorum indicem illis personis deputandis offerant, et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione transferant. In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorundem Episcoporum vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciae vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus ut rursus excuderentur concesserunt, quicquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolae quam ceteri observent. Liberum tamen sit Episcopis aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel dioecesibus expedire iudicaverint. Ceterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem deputatorum secretarius notario Sacrae Universalis Inquisitionis Romanae descripta Sanctissimi Domini Nostri iussu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum, aut huius Indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros haereticorum vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum puniatur.

Instructio Clementis Papae VIII

Pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi.

Ad fidei catholicae conservationem non satis est, quinam ex iam editis libris damnatae lectionis sint, cognoscere (quod Indice, et Regulis confectis per Patres a generali Tridentina Synodo delectos, praecipue sancitum est), nisi illud etiam caveatur, ne vel iidem denuo pullulent libri, vel similes alii emergant, et propagentur, qui incautas Fidelium mentes occulto veneno inficientes, iusta, ac merita damnatione digni iudicentur.

Ut igitur quicumque posthac, seu veteres, seu novi libri edentur, quam maxime puri, et tam in iis, quae ad fidem, quam quae ad mores pertinent, incontaminati existant; quid circa malorum librorum interdictionem, ad eos penitus abolendos, tam ab Episcopis, et Inquisitoribus, quam a ceteris, quorum ad id in Ecclesia Dei studium valere, et auctoritas potest (praeter ea, quae Tridentinorum Patrum Regulis supradictis decreta sunt), publica utilitas exigat, capitibus infra positis, diligentius sancitur, iisdemque statuitur, quae omnino in posterum, tum ab iisdem Episcopis, et Inquisitoribus, aliisque, ut praefertur, in malorum librorum interdictione, et abolitione, tum a correctoribus in librorum, ac ceterorum quorumcumque scriptorum correctione, atque emendatione, tum a typographis in ipsorum librorum impressione (poena pro arbitrio Episcopi, et Inquisitoris adversus eosdem constituta) inviolate sunt observanda.

De Prohibitione Librorum.

§ I. Curent Episcopi, et Inquisitores, ut statim atque hic Index fuerit publicatus, eorum iurisdictioni subiecti ad ipsos descripta singillatim deferant nomina librorum omnium, et singulorum, quos apud se in eodem Indice prohibitos quisque reperiet.

Ad huiusmodi vero libros sic significandos, infra certum tempus ab Episcopo, vel Inquisitore praescribendum, omnes cuiuscumque gradus, et conditionis extiterint, sub gravi poena, eorum arbitratu infligenda, teneantur.

Romae vero haec omnia, certo a se, propositis edictis, praescribendo tempore, praestari curabit Sacri Palatii Magister.

§ II. Si qui erunt, qui librum unum, aut plures ex prohibitis, qui ad praescriptum Regularum permitti possunt, certa aliqua ex causa potestatem sibi retinendi, aut legendi fieri ante purgationem desiderent; concedendae facultatis, extra Urbem ius erit penes Episcopum, aut Inquisitorem; Romae penes Magistrum Sacri Palatii.

Qui quidem gratis eam, et scripto manu sua subsignato tribuent, de triennio in triennium renovandam; ea in primis adhibita consideratione, ut nonnisi viris dignis, ac pietate, et doctrina conspicuis, cum delectu, eiusmodi licentiam largiantur; iis autem in primis, quorum studia utilitati publicae, et sanctae Catholicae Ecclesiae usui esse, compertum habuerint.

Qui inter legendum, quaecumque repererint animadversione digna, notatis capitibus, et foliis, significare Episcopo, vel Inquisitori teneantur.

§ III. Illud etiam Catholicae Fidei conservandae necessitas extra Italiam, maxime cum ab Episcopis, et Inquisitoribus, tum a publicis Universitatibus, omni doctrinae laude florentibus postulat, ut eorum librorum Indicem confici, et publicari curent, qui per eorum regna, atque provincias, haeretica labe infecti, ac bonis moribus contrarii vagantur, sive illi propriae nationis, sive aliena lingua conscripti fuerint.

Utque ab eorum lectione, seu retentione, certis poenis, ab eisdem Episcopis, et Inquisitoribus propositis, eorundem regnorum, ac provinciarum homines arceant.

Ad quod exequendum Apostolicae Sedis Nuntii, et Legati extra Italiam, eosdem Episcopos, Inquisitores, et Universitates, sedulo excitare debebunt.

§ IV. Iidem Apostolici extra Italiam Nuntii, sive Legati, nec non in Italia Episcopi, et Inquisitores, eam curam suscipient, ut singulis annis catalogum diligenter collectum librorum in suis partibus impressorum, qui aut prohibiti sint, aut expurgatione indigeant, ad Sanctam Sedem Apostolicam, vel Congregationem Indicis ab illa deputatam, trasmittant.

§ V. Episcopi, et Inquisitores, seu ab iisdem subdelegati, et deputati, tam in Italia, quam extra, penes se habeant singularum nationum Indices; ut librorum, qui apud illas damnati, ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam a suae iurisdictionis terris eosdem recognitos arcere, vel retinere debeant.

§ VI. In universum autem de malis, et perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque, in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede, ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti, et damnati.

De Correctione Librorum.

§ I. Habeant Episcopi, et Inquisitores coniunctim facultatem quoscumque libros iuxta praescriptum huius Indicis expurgandi, etiam in locis exemptis et Nullius: ubi vero nulli sunt Inquisitores, Episcopi soli.

Librorum vero expurgatio nonnisi viris eruditione, et pietate insignibus committatur, iique sint tres; nisi forte, considerato genere libri, aut eruditioni eorum, qui ad id deligentur, plures, vel pauciores iudicentur expedire.

Ubi emendatio confecta erit, notatis capitibus, paragraphis, et foliis, manu illius, vel illorum, qui expurgaverint, subscripta, reddatur eisdem Episcopis, et Inquisitoribus, ut praefertur; qui si emendationem approbaverint, tunc liber permittatur.

§ II. Qui negotium susceperit corrigendi, atque expurgandi, circumspicere omnia, et attente notare debet, non solum, quae in cursu operis manifeste se offerunt, sed si quae in scholiis, in summariis, in marginibus, in indicibus librorum, in praefationibus, aut epistolis dedicatoriis, tamquam in insidiis, delitescunt.

Quae autem correctione, atque expurgatione indigent, fere haec sunt, quae sequuntur.

Propositiones haereticae, erroneae, haeresim sapientes, scandalosae, piarum aurium offensivae, temerariae, schismaticae, seditiosae et blasphemae.

Quae contra Sacramentorum ritus, et caeremonias, contraque receptum usum, et consuetudinem Sanctae Romanae Ecclesiae novitatem aliquam inducunt.

Profanae etiam novitates vocum ab haereticis excogitatae, et ad fallendum introductae.

Verba dubia, et ambigua, quae legentium animos a recto, catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt.

Verba Sacrae Scripturae non fideliter prolata, vel e pravis haereticorum versionibus deprompta; nisi forte afferrentur ad eosdem haereticos impugnandos, et propriis telis iugulandos, et convincendos.

Expungi etiam oportet verba Scripturae Sacrae, quaecumque ad profanum usum impie accommodantur: tum quae ad sensum detorquentur abhorrentem a Catholicorum Patrum, atque a doctorum unanimi sententia.

Itemque epitheta honorifica, et omnia in laudem haereticorum dicta deleantur.

Ad haec reiiciantur omnia, quae superstitiones, sortilegia, ac divinationes sapiunt.

Item quaecumque fato, aut fallacibus signis, aut ethnicae fortunae, humani arbitrii libertatem subiiciunt, obliterentur.

Ea quoque aboleantur, quae paganismum redolent.

Item, quae famae proximorum, et praesertim Ecclesiasticorum, et Principum detrahunt; bonisque moribus, et Christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.

Expungendae sunt etiam propositiones, quae sunt contra libertatem, immunitatem, et iurisdictionem Ecclesiasticam.

Item, quae ex gentilium placitis, moribus, exemplis tyrannicam politiam fovent, et quam falso vocant rationem status, ab Evangelica, et Christiana lege abhorrentem inducunt, deleantur.

Explodantur exempla, quae ecclesiasticos ritus, Religiosorum ordines, statum, dignitatem, ac personas laedunt, et violant.

Facetiae etiam, aut dicteria, in perniciem, aut praeiudicium famae, et existimationis aliorum iactata, repudientur.

Denique lasciva, quae bonos mores corrumpere possunt, deleantur.

Et si quae obscoenae imagines, praedictis libris expurgandis impressae, aut depictae extent, etiam in litteris grandiusculis, quas initio librorum, vel capitum imprimi moris est, huius generis omnia penitus obliterentur.

§ III. In libris autem Catholicorum recentiorum, qui post annum Christianae salutis MDXV conscripti sunt, si id, quod corrigendum occurrit, paucis demptis, aut additis, emendari posse videatur, id correctores faciendum curent; sin minus, omnino auferatur.

§ IV. In libris autem Catholicorum veterum nihil mutare fas sit, nisi ubi, aut fraude haereticorum, aut typographi incuria manifestus error irrepserit.

Si quid autem maioris momenti, et animadversione dignum occurrerit, liceat in novis editionibus, vel ad margines, vel in scholiis adnotare; ea in primis adhibita diligentia, an ex doctrina, locisque collatis, eiusdem auctoris sententia difficilior illustrari, ac mens eius planius explicari possit.

§ V. Postquam codex expurgatorius confectus erit, ac mandato Episcopi, et Inquisitoris impressus, qui libros expurgandos habebunt, poterunt de eorumdem licentia, iuxta formam in codice traditam, eos corrigere, ac purgare.

De Impressione Librorum.

§ I. Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, et patriam praeferat Auctoris.

Quod si de auctore non constet, aut iustam aliquam ob causam, tacito eius nomine, Episcopo, et Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit atque approbaverit.

In his vero generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi, et compilandi susceperit, pro auctore habeatur.

§ II. Regulares, praeter Episcopi, et Inquisitoris licentiam (de qua Regula decima dictum est), meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto [1] operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere.

Utramque autem concessionem, quae appareat, ad principium operis imprimi faciant.

§ III. Curent Episcopi, et Inquisitores, poenis etiam propositis, ne impressoriam artem exercentes, obscoenas imagines, turpesve, etiam in grandiusculis litteris imprimi consuetas, in librorum deinceps impressione apponant.

Ad libros vero, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expresse appareat alicuius rei profanae, nedum turpis, obscoenaeve species.

Qui etiam invigilabunt summopere, ut in singulorum impressione librorum nomen impressoris, locus impressionis, et annus, quo liber impressus est, in principio eius, atque in fine adnotetur.

§ IV. Qui operis alicuius editionem parat, integrum eius exemplar exhibeat Episcopo, vel Inquisitori: id ubi recognoverint, probaverintque, penes se retineant. Quod Romae quidem in Archivio Magistri Sacri Palatii, extra Urbem vero, in loco idoneo, quem Episcopus, aut Inquisitor elegerit, reservetur.

Postquam autem liber impressus erit, non liceat cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquomodo publicare, antequam is, ad quem haec cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique possit, concesserit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur, typographum fideliter se in suo munere gessisse, neque ab exemplari manuscripto vel minimum discessisse.

§ V. Curent Episcopi, et Inquisitores, quorum muneris erit facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis, et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide, et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.

Talium autem virorum approbatio, una cum licentia Episcopi, et Inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

[1] Sess. IV, *de editione et usu sacrorum librorum.*

§ VI. Typographi, et Bibliopolae coram Episcopo, aut Inquisitore, et Romae coram Magistro Sacri Palatii, iureiurando spondeant, se munus suum catholice, sincere, ac fideliter exequuturos, huiusque Indicis decretis, ac regulis, Episcoporumque, et Inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingunt, obtemperaturos; neque ad suae artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui haeretica labe sit inquinatus.

Quod si inter illos insignes ac eruditi nonnulli reperiantur, fidem etiam Catholicam, iuxta formam a Pio IV fel. rec. praescriptam,[1] eorumdem Superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

§ VII. Liber auctoris damnati, qui ad praescriptum Regularum expurgari permittitur, postquam accurate recognitus, et purgatus, legitimeque permissus fuerit, si denuo sit imprimendus, praeferat titulo inscriptum nomen auctoris, cum nota damnationis, ut quamvis quoad aliqua liber recipi, auctor tamen repudiari intelligatur.

In eiusdem quoque libri principio, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat; exempli gratia: *Bibliotheca a Conrado Gesnero Tigurino, damnato auctore, olim edita, ac prohibita, nunc iussu Superiorum expurgata, et permissa.*

427.

Benedictus XIV, const. *Fidelis Dominus*, 25 mart. 1754.

Fidelis Dominus in verbis suis, quum saepe in Scripturis sanctis declaraverit, exaltaturum se illos, qui voluntariae demissionis affectu humiliarent in terra animas suas, non solum in coelesti Regno pusillos Servos, quos Filii sui humilitati conformes reperit, gloria et honore mirabiliter coronat; sed etiam, ad mortalium fidem excitandam et roborandam, hoc pro sua sapientia disponit, ut qui viventes in Mundo, Mundi gloriam contempserunt, eique placere non curarunt, splendidioribus post mortem honoribus in ipso conspectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, et gloriosa clarescat. Quod quum in pluribus sanctis Viris ab ipso Mundi exordio, et maxime post constitutam Ecclesiam, saepissime demonstratum est; tum vero in B. Francisci Confessoris exaltatione, et in omnibus, quae ad illius Instituti amplificationem, et memoriae celebritatem pertinent, manifeste impletum conspicimus. Qui enim vivens, in oculis suis, et aliorum vilescere semper studuit, ac opprobriis et vituperationibus delectari consuevit; iampridem irrefragabili Catholicae Ecclesiae iudicio, clarissimoque praeconio, inter Amicos Dei cum ipso in Coelis regnantes, ubique terrarum honoratur et colitur. Illius autem Corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre non destitit, singularibus signis atque prodigiis de Coelo illustratum, atque certantibus omnium Ordinum studiis, ita Populorum et Principum devotione clarificatum fuit, ut eiusdem Sepulchrum gloriosum, super ambitiosa potentium saeculi monumenta, merito celebrari mereatur.

[1] Cf. N. 108.

§ 1. Et sane vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus et fundus, prope Assisiensis Civitatis moenia, illius Alumnis pro Apostolica Sede recipientibus oblatus fuisset: san. mem. Praedecessor Noster Gregorius Papa IX, dignum existimans et conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiae Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut Ecclesia, in qua eius Corpus recondendum erat, nemini, praeterquam Romano Pontifici, subesset, eumdem fundum in ius et proprietatem praedictae Sedis Apostolicae recepit; statuitque Ecclesiam inibi construendam omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicae Sedi subiectam fore, et ad huiusmodi libertatis ab Ecclesia Romana perceptae indicium, unius librae cerae censum annuatim sibi, et Successoribus suis ab eadem Ecclesia persolvendum decrevit. Super quibus Apostolicas Litteras, quarum initium est: *Recolentes*, edidit Reate, XI Kalendas Novembris Pontificatus sui anno II. Deinde vero, quum idem Gregorius Praedecessor, in ipsa Assisiensi Civitate gloriosissimum Patriarcham Sanctorum Confessorum Catalogo rite adscripsisset, ac designatam huiusmodi Ecclesiam in ipsius honorem Omnipotenti Deo dicandam, erigendamque statuisset, illius primario lapide suis ipse manibus posito, per alias suas Litteras datas Laterani, X Kalendas Maii, anno Incarnationis Dominicae MCCXXX, Pontificatus sui anno IV, incipientes: *Is qui Ecclesiam*, non modo concessum eidem Ecclesiae libertatis, et immediatae Romano Pontifici subiectionis privilegium, nova et solemniori concessione firmavit, sed etiam Ecclesiam ipsam Ordinis Fratrum Minorum Caput et Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuo serviendum fore constituit; aliaque ad asserendam illius immunitatem, ac dignitatem, et Fratrum in ea deservientium commoda promovenda, opportune decrevit, quae latius continentur in praefatis eiusdem Gregorii Litteris: quas alii deinde Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ex quo ipsius Sancti Francisci Corpus in eamdem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV, qui postea Ecclesiam ipsam ad supremum fastigium perductam, suaque iam constructione et mole conspicuam, anno MCCLIII, Dominica ante Festum Ascensionis Domini, ad honorem Dei, et eiusdem Beati Francisci, solemni ritu dedicavit, nec non Clemens Papa IV per similes suas Litteras confirmarunt et innovarunt. Nicolaus vero etiam IV, peculiaribus Litteris, datis Reate II Idus Maii, Pontificatus sui anno II, et incipientibus: *Praeclara*, statuit Ecclesiam ipsam, et totum locum ipsius, cum pertinentiis suis, Ecclesiastico Interdicto, absque speciali et expresso Apostolicae Sedis mandato, sub certa forma ibidem praescripta concepto, supponi non posse.

§ 2. Porro eidem Ecclesiae non parum honoris ex eo accessit, quod alii ex Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus non solum ad eam, Beati Patriarchae Tumulum veneraturi, saepe se contulerunt, sed in Pontificiis quoque Aedibus prope ipsam extructis ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare consueverunt. Insuper Apostolicae Sedis scrinia, aliaque Ecclesiasticae Potestatis, et Civilis Imperii Instrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea sepulturam sui corporis elegerunt; quapropter eiusdem Ecclesiae immediata Apostolicae

Sedi subiectio, quae ipsi cum aliis pluribus per orbem Ecclesiis ab inferiorum Praesulum iurisdictione exemptis communis videri poterat, peculiaris cuiusdam Pontificum dominii, et proprietatis induit speciem; eo vel maxime confirmatam, quod quum in unius structurae altitudine trium revera Ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, mira aedificatio consurgat, in superioris Ecclesiae Hemicyclo, Pontificia marmorea Cathedra contra Aram Maximam usque ab initio extructa, semper stetisse dignoscitur; in ea vero, quae media est, atque subiectum venerandi Corporis conditorium propius attingit, a latere Altaris, ubi Pontifices Sacris solemnibus operantes Thronum erexisse oportuit, aliquot abhinc annis Pontificius pariter Thronus, ex auctoritate primam san. mem. Decessoris Nostri Clementis Papae XII, atque iterum Nobis annuentibus, erectus, assidue retineri conspicitur. De omnibus autem, quae ad ipsam Ecclesiam, eiusque cultum, et sacras actiones in ea peragendas quoquomodo pertinent, nihil sive magnum, sive parvum, statui, aut immutari consuevit, nisi consultis prius Romanis Pontificibus pro tempore existentibus; quorum singularis cura, et sollicitudo, tam pro eiusdem Ecclesiae conservatione, ac decore, quam pro recta omnium in ipsa agendorum ordinatione semper enituit. Quare nil mirum si plerique Romani Pontifices Praedecessores Nostri, eamdem Ecclesiam, Basilicam etiam nuncupatam, compluribus Privilegiis, et Gratiis spiritualibus, et temporalibus cumularunt, et Nicolaus Papa V per suas Apostolicas Litteras incipientes: *Licet ex debito:* datas Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCDL, VIII Idus Februarii, omnia, et singula privilegia et indulta huiusmodi tanquam a se ipso concessa, perpetuam roboris firmitatem obtinere decrevit; et Sixtus Papa IV eadem, aliaque posterius impertita, similiter pro suis adoptans, novo confirmationis munimine roboravit, per suas pariter Litteras sub Plumbo editas Romae, apud Sanctum Petrum pridie Idus Novembris anno MCDLXXI, quarum initium est: *Ad Ordinem;* et Sixtus Papa V aliis similiter Litteris datis XIII Kalendas Decembris anno MDLXXXV piam Christifidelium utriusque sexus, Chordigerorum nuncupatorum, Archiconfraternitatem, in eadem Ecclesia, et ad illius Altare Maius, auctoritate Apostolica erexit, compluribus eidem indulgentiis et gratiis concessis, quarum participatione etiamnum, iuxta posteriores Apostolicae Sedis sanctiones, innumeri Christifideles, aliis huiusmodi Confraternitatibus per omnes Mundi partes ex eiusdem Sixti concessione erectis, aggregati, ditantur. Utque alia innumera Apostolicae liberalitatis erga eamdem Ecclesiam effusae, argumenta praetereamus, fel. rec. Praedecessor Noster Innocentius Papa XII per suas Litteras sub Annulo Piscatoris datas die XVIII Augusti anno MDCXCVIII, ac perpetuis temporibus valituras, omnibus Christifidelibus, qui illam vere poenitentes et confessi, ac Sac. Communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, ibique, ut in ipsis Litteris praescribitur, oraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem concessit. Deinde etiam per alias similes Litteras die XI Martii sequentis anni editas, tres in eadem pro tempore deputandos riteque constituendos Poenitentiarios, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium expresse professos, satis amplis facultatibus pro confluentium Christifidelium absolutione a peccatis atque censuris, et pro votorum commutationibus, Apostolica auctoritate instructos, perpetuo extare voluit atque concessit.

§ 3. Tot igitur Venerabilium Praedecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes, Nos etiam ad eiusdem Ecclesiae splendorem ac decus augendum cumulandumque libenter adducti sumus. Quod quidem non tam singularis obsequii Nostri affectus erga B. Franciscum Patriarcham multis iam rebus privatim, et publice declaratus, atque testatus; et peculiaris quaedam, ac veluti haereditaria in eumdem Familiae Nostrae devotio, Nobis suggessit: dum animo occurrit, ipso adhuc Beato Francisco in vivis agente, primum Bononiae locum illius Discipulis, ad eorum Ordinis Coenobium fundandum, a Maioribus Nostris oblatum fuisse; illius vero cum Christo regnantis Patrocinio, complura in Nostros beneficia profecta, ipsiusque Familiae Nostrae conservationem, pestifera quondam grassante lue, acceptam referri, grata mente recolimus: sed ea potissimum cogitatio Nobis suasit, quod merito sperandum duximus, Romanam Ecclesiam, eiusque Ditionem, in cuius sinu Beatus Pater et ortum habuit, et sepulchrum, eo magis illius apud Deum intercessionibus protegendam, atque servandam, quo magis illustria, ad illius memoriae honorem, Apostolicae Sedis iudicia extiterint et decreta.

§ 4. Itaque motu proprio ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, omnia et singula Privilegia, Praerogativas, Libertates, Exemptiones, et Immunitates, aliaque Indulta saepedictae Ecclesiae S. Francisci Assisiensis, tam per praefatos Gregorium IX, Innocentium IV, Clementem etiam IV, Nicolaum IV et V, Sixtum quoque IV et V, ac Innocentium XII, quam per alios quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quandocumque, et qualitercumque concessa, seu confirmata, et innovata, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, Nos etiam Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et innovamus, eamdemque Ecclesiam ab Ordinarii Loci, ac omnium, et quorumcumque Praesulum, seu Superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria, quam delegata iurisdictione, visitatione, et auctoritate penitus exemptam, liberam, et immunem, sub immediata Nostra, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, et Sedis Apostolicae potestate, dominio, et proprietate, confirmamus, et immutabiliter constituimus.

§ 5. Praeterea simili motu, ac scientia, praedictam Ecclesiam Nostram Sancti Francisci Assisiensis, praesentium Litterarum tenore, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, in Basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse et fore decernimus. Eamque Basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem aeque et pariformiter nuncupari et haberi volumus, ac aliae Basilicae Patriarchales intra almam Urbem, et extra illius muros, nec non Cappellae Papales in Pontificiis Aedibus, et prope eas constitutae appellantur, atque censentur; statuentes nihilominus eamdem Ordinis Fratrum Minorum eiusdem Sancti Francisci Caput et Matrem semper esse, et haberi; necnon, ut hactenus, per Fratres ipsius Ordinis Conventuales nuncupatos in ea perpetuo serviendum fore; ac decernentes antiquum censum unius librae cerae albae, qui hucusque ex parte

eiusdem Basilicae quotannis in pervigilio Natalis SS. Apostolorum Petri, et Pauli, in signum immediatae subiectionis Apostolicae Sedi, in Camera Apostolica persolvi solebat, perpetuis futuris temporibus in memoriam etiam huius honorificentissimi foederis, quo noviter Basilica Assisiensis cum Sede Apostolica coniuncta est, ut antea, praestari et recipi debere.

§ 6. Volumus idcirco Pontificium Thronum, seu Cathedram, tam eam videlicet, quae in superiori Ecclesia iam inde ab initio stabiliter locata conspicitur, quam quae in Ecclesia inferiori posterius, ut praefertur, erecta fuit, iisdem in locis, in quibus nunc sunt, pro solius Romani Pontificis, et nullius alterius usu perpetuo retineri. Utrumque autem Altare Maius Basilicae huiusmodi, ex ea tamen parte dumtaxat, qua Thronum Pontificium respicit, Altare Pontificium seu Papale, ex nunc in posterum esse et fore declaramus; ita ut nemini liceat, absque speciati Indulto, seu extra casus, ut infra, permissos, in uno aut altero eorum Missam, sive privatim, sive solemniter celebrare.

§ 7. De sacris autem Actionibus in eadem Basilica peragendis, et Caeremonialibus Ritibus ibidem servandis, quum Nos multiplices Leges et Regulas in unum colligi iusserimus, easdemque peculiari Instructione digestas, ac diligenter examinatas, atque probatas, aliis Nostris Apostolicis Litteris in forma Brevis cum Caeremonialis huiusmodi insertione hac ipsa die expeditis duxerimus confirmandas; nunc omnia et singula in Caeremoniali praedicto ordinata, et contenta, ac praesertim Indulta celebrandi in praefatis Papalibus Aris, tam Custodi Conventus eiusdem Sancti Francisci, quam aliis diversis Praesulibus, atque Personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, Saecularibus, seu Regularibus Praelatis, pro statis diebus, seu certis respective vicibus concessa; et alia quaecumque, etiam indulti, et privilegii naturam habentia, tam in ipsius Basilicae, quam in Personarum quarumvis favorem, ibidem praescripta atque statuta, praesentium quoque tenore approbamus, ac etiam perpetuo confirmamus: mandantes omnibus et singulis, ad quos pertinet, et quandocumque pertinebit in posterum, etiam specifica mentione et expressione dignis, ut omnia et singula ibidem, ut praefertur, ordinata et disposita observent, ac respective iisdem in omnibus et per omnia se conformare studeant, iisque obsequantur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 189-200].

428.

Benedictus XIV, ep. *Cum encyclicas*, 24 maii 1754.[1]

§ 1. Cum encyclicas litteras, sicut Nos tibi praecepimus, et Congregationis de Propaganda Fide sententia fuit, cuius te ipsum praestas emeritum Secretarium, ad Albaniae Antistites dederis, nempe ad Venerabiles Fratres Archiepiscopum Antibari, Episcopos Scodrae, Sappae, Lissi, et Pullariarum, ut ab iis innotesceret, an proposita ab Ecclesiis suarum Dioecesium vindicatione

[1] Venerabili Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodiensi, Congr. Propagandae Fidei Secretario.

suorum bonorum, exindeque perceptorum fructuum, in detentores, qui illa a Turcis occupata emerunt, vel ab Emptoribus iure haereditario, aliove titulo sunt consecuti, aut in eos, qui eadem bona, quasi res derelictas, ipso, ut inquiunt, facto invaserunt; pertimescendum sit, ne si id Turcis compertum fiat, graves exinde concitentur turbae; persecutioni, vel alicui gravissimae indictioni recludatur aditus; neve aliquis temporalium rerum cupiditate obcaecatus a Sancta Religione Catholica ad Mahumetismum deficiat, ut fundis, fructibusque, elusa vindicatione, fruatur.

§ 2. Cumque omnes recensiti Praesules, explorato prius suarum Dioecesium statu, unanimi consensu retulerint, ingens heu nimis subesse alterutrius, et nonnunquam utriusque infortunii periculum, suadentes, ut aliquem periclitantibus rebus adhiberemus modum, in quem Nos iam animo paratiores noverant, quotiescumque illo opus esse videretur: hinc Nos probantes, quod etiam Congregationi Propagandae Fidei, dum iustae affuissent causae, probabatur, quodque suaserunt locorum Ordinarii, hunc prae caeteris modum rebus adhibendum existimamus.

§ 3. Erit itaque uniuscuiusque ex praedictis Episcopis, sua in Dioecesi, vel per se, vel per Confessarios, et Sacerdotes prudentes, atque expertes, bonis ut inquiunt verbis, atque monitis efficiendi, ut detentores bonorum mente percipiant sibi incumbentem rerum, fructuumque restituendorum obligationem; illacrimabilem, in quem abrepti sunt, statum, quippe qui censuris irretiantur inflictis per Sacros Canones in invasores, detentoresque bonorum Ecclesiae. Ita vero si quem, divina affulgente gratia, facti poeniteat, negligere haud debet Episcopus, quive ab eo fuerit delegatus, quin illi suadeat, nisi universae, rei saltem alicuius restitutionem; vel etiam, ut fundis sibi habitis, obligationem suscipiat alicuius annuae praestationis Ecclesiae pensitandae; si autem fundorum restitutioni, moxque indicatae aequitati obsistatur, tunc restitutio omnium, vel partis fructuum attentetur. Verum quoties nec desit, qui ex imbecillitate virium, vel ex improba voluntate nil horum praestare velit, hunc tantummodo pernoscens sermonem, habendi nimirum etiam imposterum, quod hactenus habuit, producendique in futura quoque tempora, quam superioribus obtinuit, universorum fructuum perceptionem: hisce nostris litteris unicuique Episcopo quoad suam Dioecesim, impertimur auctoritatem, quam et ipse aliis, uti monuimus, delegare poterit, eximendi ab onere fundorum fructuumque restituendorum detentores bonorum Ecclesiae, eosdemque absolvendi a censuris, quibus innodantur; sive cum iis agatur, qui se paratos exhibent ad partem bonorum aliquam restituendam, vel ad transigendum de iis; sive cum aliis, qui universos, vel aliquorum saltem fructuum partem offerunt; sive demum cum caeteris, quibus propositum est, nihil plane vel rerum soli, vel fructuum restituere. Supervacaneum autem arbitramur monere, ne nostra haec facilitas evulgetur; haud enim difficile captu est, eadem perspecta, fieri perfacile posse, ut nisi omnes, plerique saltem nihil plane restituendi propositum amplectantur, de absolutione a restituendi onere, et censuris, plane certi.

§ 4. Nostra haec facilitas exinde est, quod Nos, qua Pontifex Summus, nisi domini, supremi certe quidem simus temporalium bonorum Ecclesiae

dispensatores: *Res Ecclesiae sunt Papae, ut principalis dispensatoris, non ut domini et possessoris*: inquit S. Thomas 2, 2, quaest. 100, art. 1, ad septimum, ex quo porro sequitur, ut non quidem vel ad ditandos consanguineos, vel ex arbitrariis causis, fas sit nobis Ecclesias suis nudare bonis; at illud quidem, ut quoties urgens subsit ratio, qualis indubie est, removere praesens publicae calamitatis discrimen, ostium, quantum in nobis est, Apostasiae intercludere, et fluctuantibus animis conciliare tranquillitatem, nobis liceat, quod nunc facimus, imperare, ut probata licet Ecclesiarum iura conticescant, utque illae ipsae, pro publica incolumitate ac religionis commodo, sacrificium quasi faciant suorum bonorum, quae non possident, et quae publici luctus tempore iisdem fuerunt adempta. Quapropter Card. Caietanus *in praeindicatum locum S. Thomae notabil. 3* haec habet: *Cum potestas Papae quoad res temporales Ecclesiae sit potestas, non domini, sed dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiae temporalia non exeat limites potestatis dispensativae, etc. Ac per hoc non potest Papa ad libitum donare Res Ecclesiae, sed potest, tanquam habens apicem dispensativae potestatis, multo plus de iisdem dispensare, quam quicunque proximus alicuius Ecclesiae Praelatus etc. Ex eodem quoque fundamento, quod Papa non est dominus, sed dispensator, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit bona Ecclesiae dare, cui voluerit, aut consanguineis etc. Sed tenetur prudenter dispensare, ut recta ratio suadet.* Est et illud etiam nobis perspectissimum, communem esse Canonistarum sententiam, Romanum Pontificem non distributorem, sed dominum esse rerum Ecclesiae. At nos huiusmodi disputationem intactam volumus, cum in rem praesentem vel id sufficiat, Pontificem supremum haberi dispensatorem; Theologi quippe cum Canonistis consentiunt, Papam quamvis etiam tantummodo in supremum distributorem agnoscatur, posse utique ad mox expressas facti circumstantias de Ecclesiarum rebus libere decernere: *Concurrente iusta causa, conveniunt omnes tam Canonistae, quam Theologi, Papam, uti supremum administratorem ac dispensatorem bonorum Ecclesiasticorum, posse res uni Ecclesiae auferre, et dare alteri:* sunt haec concepta verba, quibus utitur celebris Fagnanus in Cap. *Relatum,* num. 21 ad 41 et praecipue n. 36: *Ne Clerici vel Monachi etc.;* postquam iam expenderat quaestionem illam, an Pontifici sit suprema tantum administratio, vel potius dominium adiudicandum, et in Canonistarum sententiam inclinaverat.

§ 5. Quae porro a nobis mox supra proposita est methodus, ut nimirum bonis verbis pertentetur, an ex possessoribus, bonorum pars aliqua, vel saltem fructuum recuperari possit, antequam illorum condonatio, atque censurarum relaxatio indulgeatur, non solum ratione, sed et Praedecessorum Nostrorum exemplis comprobatur. In secretiori Vaticano Archivo preces reperimus a Carolo V Imperatore oblatas Paulo III Praedecessori Nostro, ut ipse Legatis, si quos in Germaniam ablegandos censuisset, amplissimam faceret auctoritatem transigendi cum iis, a quibus invasa Ecclesiarum bona detinebantur; propterea quod eorum restituendorum onus conversiones quam maxime, et reconciliationes cum Romana Ecclesia remoraretur. Eiusdem quoque consilii invenimus auctores extitisse Cardinales ad Tridentinum Concilium, dum Bononiae haberetur, Legati, in quo sese exhibuerunt propensiores in amplissimam quamque facultatem absolvendi a restitutione bonorum Ecclesiarum, ea spe ducti, fore ut Apostolici Ministri huiusmodi indulto sapienter ac moderate uterentur. Denique nec latuit Nos Pauli III Constitutio lata pridie Kal. Septembris 1548, in qua hic Pontifex ablegans in Germaniam Nuncios Fanensem, Veronensem, et Ferentinum Episcopos, iisdem limitatam indulsit facultatem transigendi et paciscendi super fructibus, fundis tamen prius restitutis. Verum cum processu temporis experientia edocuisset, magni Religionis interesse, ut quid amplius indulgeretur, dum ingens excreverat numerus eorum, qui haeresim eiurare detrectabant, quoties omnia, vel ratam detentorum bonorum partem restituere fuissent adacti, nihil morati sunt Romani Pontifices, quin sua auctoritate in Germania utentes, provida liberalitate omnia donarent iis, qui reduces in Sanctae Ecclesiae gremium confugiebant. Nec secus in Anglia transacta res est, cum Cardinalis Polus, Regina Maria imperante, ad instaurandam inibi Religionem adlaboraret. Namque Iulius III Pontifex primum quidem ipsi facultatem delegavit conveniendi ac transigendi cum intrusis in Ecclesiae bona, super fructibus male perceptis, mox vero auctoritatem transigendi de ipsis quoque fundis, eosdem integre etiam relinquendo possessoribus, quoties haeresim eiurassent, uti videre est ex superioribus nostris litteris, quas hac ipsa de re dedimus ad te die 19 Mensis Martii 1752, num. 26 atque num. 28, plura insuper in iisdem horum similia exempla colligentes.[1] Nec illud quoque ducimus praetereundum, quod post datas proximas litteras offendimus in manuscripto P. Petri Alagona e Societate Iesu Vaticanae Basilicae Poenitentiarii; testatur enim ipse, suborta, Clemente VIII Pontifice Maximo, quaestione, an liceret Catholicis *emere ab haereticis terras, et bona, quae fuerant Monasteriorum,* Sacram Poenitentiariam rescripsisse, *iustam esse causam dispensandi per Summum Pontificem.* Ex quo illa apprime congruit animadversio, nimirum, si iusta proposita causa potest Summus Pontifex id dare Catholico, ut Ecclesiastica bona emat ab Haeretico, aequo saltem iure poterit quoque, quoties iusta subsit ratio, facultatem facere Catholico sibi habendi res Ecclesiarum coemptas ab infidelibus.

§ 6. Fatemur mox allata Praedecessorum exempla ad eos referri, qui ab Ecclesiae gremio profugi, reditum ad nos moliebantur, nec aliud eos morabatur impedimentum, quam onus restituendi, quae diu obtinuerant Ecclesiarum bona. Fatemur similiter, rem nunc esse de iis, qui licet nobiscum sentiant, pertimescendum tamen est, ne a Religione deficiant, si res Ecclesiarum, fructusque rerum, quas possident, vel a Turcis emptas, vel saevientibus concitationum bellorumque aestibus a se ipsis occupatas restituere adigantur: denique posset et aliquis subtilioribus nixus argumentis inter alteram, et alteram facti speciem discrimen aliquod adinvenire, quod ipsi quoque innuimus in litteris ad te datis, § 19. Attamen cum nos omnia aequa lance libraverimus, censuimus, atque censemus, in rem praesentem faciendum plurimi timorem Apostasiae, in quam plures prolaberentur, si acrius bono-

[1] Cf. N. 419.

rum fructuumque restitutio urgeretur. In dies conspicimus veluti emolliri rigorem Sacrorum Canonum, fierique epicheiae locum, atque dispensationibus, quibusdam in rebus, ac praesertim in matrimonialibus, quoties qui relaxationem iuris expostulat, regionem incolat haereticis proximam, vel mediis haereticis obversetur, propter timorem, ne caeco animi impetu abreptus, a nobis deficiat, et quod inter Catholicos absque dispensatione inire prohibetur matrimonium, studeat contrahendum, sese recipiendo in eum locum ac communionem, ubi nihil de dispensatione sollicitus, genio suo valeat indulgere. Accedit, in nostra hac facti specie, non sola impelli Apostasiae formidine: torquet nos ea insuper sollicitudo, ne si Ecclesiarum petitio, quae sine turbis proponi haud facile potest, Turcis perspecta fiat, captent exinde ipsi opportunitatem alicuius excitandae insectationis, quae quousque protendi valeat, haud facile coniectura assequi possis, in maximum Christifidelium detrimentum, Sanctae Religionis, ac tot insontium pauperum, perniciem, qui licet nihil moliti, pro ipsorum libidine divexarentur.

§ 7. Huc autem re perducta, videtur nobis, debere quemlibet facile intelligere, quaecumque a nobis praestantur, ea optimo iure fieri, quamvis nunc non sit nobis negotium cum exteris, qui ad Ecclesiam reditum maturent, sed cum iis, qui licet a nobis stent, non levia tamen exhibent defectionis indicia, nisi assequantur, quidquid subest nostrae auctoritati distribuenduni. Congruit plane rei nostrae indultum a Pontifice Martino V in Synodo Constantiae concessum Teutonicae Nationi, quod affertur ab Harduino, tom. 8 *Collectionis Conciliorum,* pag. 891, cap. 6, cuius verba hic ideo non exscribimus, quod textus plurimum producitur. Universam Germaniam Simoniaca Lues iam plene obtinuerat, perplures quippe aderant Catholici Ecclesiastici, qui illicitis aperteque Simoniacis artibus, Sacros Ordines, et Ecclesiastica Beneficia fuerant consecuti. Contagiosus morbus pene omnes infecerat; obstringebantur turpiter conscientiae; indubius erat in censuras, ac in ipsam quoque irregularitatem lapsus; contendere autem, ut quicumque recensita methodo Beneficia obtinuerat, eadem dimitteret, dimissaque amplius adipisci non posset, ac insuper fructus omnes eousque perceptos restitueret, nil exinde aliud consecutum fuisset, quam ut eo ardentiori igne Germania conflagraret. Quapropter magnus ille Pontifex perpendens animo, ea iam incidisse tempora, quibus sua auctoritate uteretur, contrariis quibuscumque abrogatis, ampliorem Confessariis potestatem indulsit absolvendi reos a poenis, quibus erant obnoxii, idoneos eos efficiendo, qui et obtentis frui, et alia quoque Beneficia assequi deinceps valerent, ipsamque etiam adimendo obligationem restituendi fructus iniuste perceptos, quoties restitutio eosdem ad inopiam adigere, infamia notare, atque offensionis occasionem afferre debuisset; suam autem indulgentiam ad praeterita cohibuit, ut pro viribus futura praecaveret incommoda.

§ 8. Fausta nimis, Venerabilis Frater, extitere illa tempora, quibus, propterea quod res esset transigenda cum Christianis Principibus, subditisque Ecclesiam ex animo verentibus, Romani Pontifices, magna spe secundioris exitus sibi proposita, poterant elata voce canonicarum sanctionum executionem indicere. Obtigit id S. Nicolao I Pontifici Maximo, quo Petri Cathedram

obtinente, cum in Gallia et Germania suis Ecclesiae bonis fuissent denudatae, quorum nonnulla per Principes fuerant laicis distributa, reliqua vero ab ipsismet laicis occupata, non destitit, quin suam ipse Epistolam daret, num. 59, impressam tom. 5 praecit. *Collectionis Conciliorum* Harduini, pag. 296. *De his quidem rebus, quae semel Deo tributae, atque dicatae sunt, et postea sub occasione concessionis Principum a quibusdam invaduntur, sancimus, ut prius consulto Principe, ad resecandam tam praesumptivam factionem, cognoscendum, utrum illius sit concessio, aut invasionis praesumptio? Quod si Principis inordinata largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus; si autem invasoris declaretur praesumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus.*

§ 9. Fausta itidem et illa fuere tempora, quibus cum Principes vellent conscientiae suae plene consulere, quod ad occupationem bonorum Ecclesiae spectare videbatur, non satis ipsis fuit, nihil sibi habere, in pia opera velle omnia erogare; sed Summos Pontifices, quibus concredita est universalis administratio bonorum Ecclesiarum inferiorum, adiere, ut per eos sibi liceret eadem huic potius, quam alteri pio operi addicere; optime scientes, quantumvis pie erogassent quaecunque Ecclesiis abstulerant, non propterea satis sibi esse consultum, nisi factum illud, superaddita Pontificia auctoritate, fuisset veluti obsignatum: iuxta celebres litteras Alexandri III ad Henricum Angliae Regem, relatas apud Card. Baronium in *Annalibus,* tom. 12, ad annum 1164: *Si autem universa, quae in usus tuos per huiusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si Altari quolibet discooperto, aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum mortis periculo liberares.* Praeclara extant non adeo vetusta exempla unius, et alterius ex Ducibus Neoburgi, nimirum Wultfangi Willelmi, et Philippi Willelmi, qui nihil penitus ex occupatis Ecclesiarum bonis retinere voluerunt, sed Romanorum Pontificum explorata sententia, praeobtentaque approbatione, res, rerumque fructus in sacram dotem constituerunt piis quibusdam Institutis, ac Religionis operibus, de quibus cum ipsa Sancta Sede iam antea convenerant. Superioribus nostris litteris num. 27 de praeclaro hoc facto meminimus, tutissima autem ipsius monumenta suppeditarunt acta Congregationis Romanae Universalis Inquisitionis habitae sexto Idus Februarii 1657.

§ 10. Iniqua fert praesentis causae conditio, ut damna et incommoda, quae Mahumetani Regionem obtinentes, inferre possunt, serio expendere debeamus; atque praeterea cum agrestibus miserrimisque hominibus agendum esse consideremus: exinde enim nobis est dura illa necessitas efficiendi probandique, quod nunc praestamus, ne fiat lapsus in deteriora. Tu interim, qua praestas sedulitate, non praetermittas, ad Cardinales Congregationis deferre haec omnia, ipsisque annuentibus, iteratas dare Encyclicas litteras ad Albaniae Praesules, ad quos sicuti superioris Nostrae ad Te datae Epistolae die 19 Martii 1752 exemplum transmisisti, ita dabis et huiusce ad Te Nostrae, quam, Apostolicam Tibi Benedictionem impertientes, absolvimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 201-210].

429.

Benedictus XIV, litt. encycl. *Cum religiosi*, 26 iun. 1754.[1]

Cum religiosi aeque, ac divini cultus promovendi Studiosi Viri ad Nos detulerint, optimum fore, si Nostris S. Ioannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Maioris Patriarchalibus Basilicis, certi constituerentur Ministri, ad instruendos eos, qui a Dataria Apostolica in praefatas tres Basilicas ablegantur, ut ibi sese exerceant iis servilibus operibus, quae ipsis imponuntur obeunda perficiendaque, antequam iisdem concedatur matrimonialis impedimenti relaxatio, ad quam consequendam Romam advenere: eo autem huiusmodi institutionem dirigendam esse, ut rite utiliterque possent homines illi Sacramentali Poenitentia abstergi, et Altaris Sacramento digne fieri participes, quae duo, praeter Sacram ab septem Ecclesias peregrinationem, Sanctarumque Scalarum ascensum, ab ipsis exposcit Dataria: cumque ea de re opportuna ediderimus mandata, veluti perspicuum fit ex Nostris Litteris Encyclicis ad Cardinales praefatarum Basilicarum Archipresbyteros datis decimoquinto Kalendis Februarii labentis anni; nobisque exinde certo constiterit, quanto zelo nonnulli ex Canonicis, aliisque Ecclesiasticis viris praefatarum Basilicarum, momentoso operi manum admovere, alacri semper animo sollicitam mandatorum Nostrorum executionem urgentes; gaudio quodam plane singulari perfundi Nos sensimus; totoque animo debitas summo bonorum omnium Auctori Deo gratias persolvimus.

§ 1. Haud tamen expleri animus gaudio potuit, cum subinde relatum ad Nos fuerit, huiusmodi homines, dum sacris instructionibus ad Confessionem Sacramque Communionem parantur, detegi saepe saepius Mysteriorum Fidei, atque eorum etiam, quae *necessitate medii* noscenda sunt, ignaros, ideoque tales, qui Sacramentorum nequeant fieri participes. Cui quidem maximo malo quamvis memorati Ministri opportuna non negligant remedia adhibere assiduis institutionibus; exinde tamen non fit, quin praeter sollicitudinem et laborem, quem Evangelici illi Operarii agnoscunt sibi necessario subeundum, quemque lubenti animo perferunt, idipsum moerore quodam non afficiat dispensationem exposcentes, expectantesque, qui cum paupertate vexentur, suisque manibus sibi victum quaeritent, quamcitissime cupiunt Urbe excedere, in patrias reverti suas, optatoque sese iungere Matrimonio, cuius causa iter arripuerunt, publicaeque, nec levis poenitentiae incommoda non detrectarunt.

§ 2. Pontificatus Nostri initio, Encyclicas Litteras dedimus,[2] quibus Venerabilium Fratrum Nostrorum zelo stimulos veluti addidimus, ut quae Christianae Doctrinae sunt rudimenta, et praecepta, in sua quisque Dioecesi explananda curaret, et addiscenda. Dioecesanas eorum Synodus legimus vetustiores ac recentiores; novimus eas instructionibus et adhortationibus plane refertas,

[1] Ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Italiae.
[2] Cf. N. 304.

nihilque in iis desiderari, quod ad gravissimum Christianae Doctrinae tradendae opus perficiendum conducere videatur. Quapropter ex animo affirmamus, persuasum nobis esse, inter ipsos reperiri plane neminem, qui Apostolico sibi concredito muneri hac in re defuerit; et ignorantiam, in qua versari nonnullos ex suis Dioecesanis compertum est, haud quidem ipsis culpae vel negligentiae vertendum, sed repetendam plane vel ex eorundemmet subditorum pervicacia, qua, neglectis Superiorum mandatis, Christianae Doctrinae institutiones refugerunt, et ad exaudiendum Dei Verbum pro concione explanatum raro, vel fortasse nunquam convenerunt; vel saltem ex hebeti nonnullorum ingenio in iis addiscendis, quae docentur, vel denique ex quo Christianae Doctrinae rudimenta primis aetatis suae annis exceperint, ubi vero aetate illa excessere, nihil exinde fuerint solliciti ad ea loca accedere, ubi percommode ac fructuosius fortasse etiam potuissent obfirmata aetate percipere, quae ipsis puerulis fuerunt tradita, adeo ut hi paulatim redigantur ad conditionem ei omnino similem, in qua obversantur quicumque nec prima aetate edocti, nec Christianae Doctrinae institutionibus unquam interfuerunt. Incommoda haec quidem sunt, quae quamvis obvenerint, obveniantque fortasse, curis omnibus per Venerabiles Fratres Nostros adhibitis, non exinde tamen Nos levant onere Encyclicis hisce Litteris eorum zelum iterato excitandi; nec ipsi propterea eximuntur, quin studia sollicitudinesque eo semper maiores conferre debeant in id, unde concreditarum sibi animarum sempiterna salus pendere dignoscitur.

§ 3. Neminem fortasse reperire erit inter vos, Venerabiles Fratres, cui perspectum penitus non sit, quanta peregerit S. Carolus Borromaeus tum in ampla sua Dioecesi Mediolanensi, tum in universa Provincia, cui praeerat Metropolitanus, ut proficuam tradendae Christianae Doctrinae methodum constitueret; quantosque pertulerit labores, ut religiosum hoc institutum firmiter constabiliret: cumque animadvertisset, non eum cepisse ex tot laboribus fructum, quem exoptabat, haud despondit animum; sed veteribus novas superaddidit curas et sollicitudines, quemadmodum deprehenditur ex quinta Mediolanensi Synodo: *Nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes, et singuli Christifideles in Fidei Christianae rudimentorum institutione erudirentur; sed cum parum Nos hucusque profecisse tanta in re cognoverimus, negotii periculique magnitudine adducti, haec praeterea decernimus.* Satis namque fuit Sanctissimo Praesuli perspectam fieri vigentem indigentiam, ut iterum manum operi admoveret, curas curis accumulando, parvipensis omnibus, quae satis multa eousque peregerat; ad eum plane modum, quo Assyriorum Rex satis habuit, delatum ad se fuisse, ignorare gentes praescripta Dei: *Nunciatumque est Regi Assyriorum, et dictum: gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in Civitatibus Samariae, ignorant legitima Dei Terrae;* ut statim illo mitteret Sacerdotem, qui gentes illas Dei praecepta edoceret: *Praecepit autem Rex Assyriorum dicens: ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos abduxistis, et vadat, et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei Terrae:* quemadmodum legitur lib. 4, *Regum*, cap. 17.

§ 4. Nos itaque S. Caroli Borromaei exemplum prae oculis habentes, quamvis omne hactenus studium impenderitis atque sedulitatem, hortamur

adhuc rogantes vos per Iesu Christi viscera, ne in tanto opere tradendi Christianae Fidei rudimenta, animum despondeatis. Hoc agite, ut Parochorum quisque, quae Sacro Tridentino Concilio, quae vestris Synodalibus statutis iubentur, sedulo exequatur; ut statis diebus Scholarum Magistri, et Magistrae, Doctrinam tradant Christianam: ut Confessarii, quae muneris sui sunt impleant, quoties quisquam se in ipsorum Tribunali sistit, ignorans quae *necessitate medii* sunt ad salutem necessaria; idipsumque praestent et Parochi, antequam Sponsos Matrimonio coniungant. Patres-familias, atque domorum Heri, serio moneantur de imposita sibi obligatione erudiendi per se, erudiendosque curandi Christianae Doctrinae praeceptis filios, suosque familiares; quibusque in Dioecesibus receptus est, servetur, cureturque recipiendus, ubi hactenus non obtinuit, usus, iuxta quem ante, vel post Parochialem Missam, elata voce, per ipsummet Parochum recitantur Fidei, Spei, et Charitatis actus recte compositi, populo interim Parochi verba iterante. Nec etiam negligatur incumbens Parocho onus, quo festis diebus, nisi concionem ad populum habere, certe quidem ex Altari Evangelium ei explanare, ipsumque praecipua Sanctae Religionis Nostrae Mysteria, Dei praecepta, et Ecclesiae, ac quidquid demum opus est, ut Sacramentorum digne particeps fiat, edocere tenetur. Vestigia haec sectentur quoque Concionatores, quibus salutare illud iteretur monitum, ut adhortationibus institutiones adiungant, quandoquidem utrisque indigent Auditores. Denique quaenam sit optima methodus in rudibus hominibus Christiana Doctrina erudiendis, indigitatur a S. Augustino in libro de *Cathechizandis rudibus*, cap. 10, ubi inquit, proficuam prae caeteris eam esse, qua post explanationem, familiares instituantur interrogationes; ex familiari quippe interrogatione compertum fit, an quae quisque audivit, mente perceperit, vel an potius iterata explanatione opus sit, ut alieno captui res subiiciatur: *interrogatione quaerendum est, utrum is, qui catechizatur, intelligat; et agendum pro eius responsione, ut aut planius, et enodatius loquamur, aut quae illis nota sunt, non explicemus latius etc. Quod si nimis tardus est, misericorditer succurrendus est, breviterque ea, quae maxime necessaria sunt, ipsi potissimum inculcanda.* Illud nobis persuasum est, fore, ut longe plura ipsi persequamini, quam Encyclicis hisce Litteris Nostris vobis indigitamus. Interim vobis, Venerabiles Fratres, concreditoque sollicitudini vestrae Gregi, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 213-218].

430.

Benedictus XIV, const. *Pastoralis*, 15 iul. 1754.

Pastoralis regiminis sollicitudo ex alto Nobis immerentibus commissa exigit, ut non solum curemus novas leges, si quando rerum conditio, aut necessitas postulat, condere; sed etiam ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris provide ac salubriter constituta sunt, Apostolicae confirmationis robore communire.

§ 1. Alias siquidem a Congregatione rebus Consistorialibus praeposita emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet: Cum san. mem. Innocentius Pp. XII per Constitutionem editam die 22 Septembris 1695, quae incipit: *Ecclesiae Catholicae,*[1] innovatis etiam pluribus aliorum Praedecessorum Pontificum sanctionibus, districte interdixerit, ne, occurrente Ecclesiarum, sive Monasteriorum quorumvis vacatione, pactiones ullae, sive capitulationes, aut concordata, aut statuta, adversus sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum dispositionem, ab iis, ad quos personarum praeficiendarum electio pertinet, ante electionem, vel postulationem fiant; et, ubi nihilominus inita fuerint, ea prorsus irrita, et invalida, nec observanda esse, etiamsi iuramento munita fuissent, declaraverit, et decreverit; quae vero post electionem seu postulationem fieri contingeret, ea ad Romanum Pontificem deferri, eiusque iudicio subiici, suspensa interim eorum executione, donec a Sede Apostolica impetrata fuerit confirmatio, praeceperit, prout in memorata Constitutione uberius continetur; dubitatum vero fuerit, primo, an sub ea comprehendantur etiam Monasteria foeminarum, vel Capitula, seu Collegia, quae iuxta nonnullarum Provinciarum consuetudinem, sunt mixta ex maribus et foeminis, sub unius Abbatissae, seu Praepositae, sive Priorissae regimine; secundo, an praedicta Constitutio eas etiam afficiat pactiones, quae in Ecclesiarum, vel Monasteriorum ipsorum utilitatem cedunt, vel quae alioquin, si per se spectentur, non iudicantur illicitae.

§ 2. Hinc ad tollendas huiusmodi dubitationes, et animarum pericula totius submovenda, Congregatio particularis Consistorialis, a Sanctissimo Domino Nostro deputata, censuit, si Sanctitati Suae videbitur, declarandum, et decernendum, sub praemissa Constitutione Innocentii XIII, eiusque omnibus praescriptionibus, etiam quoad inflictas poenas, omnino comprehendi etiam Monasteria, vel Capitula, seu Collegia mixta ex utriusque sexus personis, regimini, vel iurisdictioni unius Abbatissae, seu Praepositae, sive Priorissae subiectis, ac de eiusmodi etiam Monasteriis, Capitulis, sive Collegiis, praefatam Constitutionem esse intelligendam, perinde ac si de iis quoque expressa, et specialis mentio habita fuisset: adeoque pactiones, capitulationes, concordata, seu statuta quaecumque huiusmodi, occasione electionis personae praedictis Monasteriis, sive Capitulis, et Collegiis praeponendae, tum facta, tum quae deinceps fieri contingeret, tametsi interposita iusiurandi religione roborata, omnino obnoxia esse, et fore prohibitioni, nullitati, poenae, caeterisque omnibus, et singulis ordinationibus, decretis, et declarationibus respective in ea, ut praefertur, Constitutione contentis, et, quatenus opus sit, ad huiusmodi etiam Monasteria, vel Capitula, sive Collegia mixta ex utriusque sexus personis, praefatam Constitutionem esse extendendam.

§ 3. Praeterea, cum valde Ecclesiasticae disciplinae intersit omnem ambitiosae cupiditati aditum praecludere, ac providere, ne ullo modo etiam indirecte, laesa remaneat libertas eligendi personas magis dignas, magisque idoneas, quae assentiri forsan recusarent iis pactionibus, quibus aliae minus idoneae, ad obtinendum electionis commodum, annuerent; similiter decla-

[1] Cf. N. 259.

randum, et decernendum censuit, memorata Constitutione affici eas etiam pactiones, ante electionem, vel postulationem initas, quae caeteroquin Ecclesiis ipsis, vel Monasteriis utiles sint, vel quae intrinsecus, et per se consideratae, nullam mali suspicionem redoleant, sed quae ideo malae sunt, quia iure humano, et per Sacros Canones, sive Apostolicas Constitutiones, ac praesertim illam Innocentii XII interdicuntur. Quo vero ad eas, quas post electionem vel postulationem fieri contingeret, servandam itidem esse memoratam Innocentii XII Constitutionem, ut scilicet illae statim ad Summum Pontificem deferantur, et Sedis Apostolicae iudicio subiiciantur, suspensa interim earum executione, donec ab eadem Sancta Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, confirmationis robur in totum, vel in partem obtinuerint. Facta autem per me infrascriptum praefatae Congregationis Secretarium de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro, eiusdem Congregationis sententiam Sanctitas Sua approbavit, atque ita ab omnibus, ad quos pertinet, perpetuo, et inviolabiliter servari, et iudicari mandavit, cum omnibus etiam derogationibus praefatae Constitutioni Innocentii XII insertis; nec non Litteras Apostolicas in forma Brevis super praesentis Decreti confirmatione, et approbatione expediri iussit.

Datum Romae, hac die 16 Augusti 1727.

L. ✠ S.

P. Cardinalis Corradinus.

Dominicus Rivera, *dictae Congreg. Secretarius.*

§ 4. Huiusmodi autem tam providum, ac salubre Decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius, tenore praesentium, Apostolica auctoritate approbamus, et confirmamus, ac de novo, quatenus opus sit, statuimus, et innovamus, atque illud ab omnibus cuiuscumque ordinis, gradus, status, ac dignitatis, in perpetuum servari, et custodiri praecipimus, et mandamus: decernentes, easdem praesentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 219, 220].

431.

Benedictus XIV, litt. encycl. *Quod provinciale*, 1 aug. 1754.[1]

Quod Provinciale Concilium Albanum Provinciae vestrae, Vener. Fratres, Dilecti Filii, Anno MDCCIII sub fel. rec. Clemente Papa XI Praedecessore nostro celebratum, inter caetera, Canone tertio sanctissime statuerat, nimirum ne

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, necnon dilectis Filiis Parochis, et Missionariis, Provinciae Albaniae.

Turcica, seu Mahumetana Nomina, sive parvulis, sive adultis in Baptismate imponerentur; neve Christifideles Turcicis, seu Mahumetanis Nominibus, quae nunquam sibi imposita fuerant, ob quamcumque vel tributorum exemptionem et immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitandarum poenarum causam, se nuncupari paterentur: id ipsum, inter caetera, Nos quoque commendantes, confirmavimus, ac servandum praecepimus in nostra Encyclica Epistola, cuius initium est; *Inter omnigenas*, pro Regno Serviae, et finitimis Regionibus, super pluribus Religionis ac disciplinae capitibus die II mensis Februarii Anno MDCCXLIV, Pontificatus Nostri Anno Quarto edita.[1] Providum igitur, ac salutare eiusmodi statutum ab Antecessoribus vestris tanta cum sapientia ac religione conditum, et tamquam luculentum Catholicae Fidei, sinceraeque vestrae christianae pietatis exemplum, aliis ad imitandum et omnino custodiendum a Nobis districte praeceptum, quemadmodum in Provinciae vestrae maiorem gloriam et existimationem, maioremque consequendae aeternae animarum salutis utilitatem, ita si negligi forte contingat, in maius eiusdem vestrae Provinciae dedecus, apertumque animarum discrimen redundare videtur.

§ 1. Nos autem, qui abusum illum in praedicta Epistola nostra tamquam turpem christianae professionis occultationem ad infidelitatem accedentem pronuntiavimus, maximo cum Pontificii animi nostri moerore accepimus, quod quamplurimi istius Provinciae, posthabita aeternae salutis ratione, eadem Turcica, sive Mahumetana Nomina usurpare pergant, non solum ut a tributis et oneribus illis, quae Christifidelibus imposita sunt, vel imponi saepe contingit, immunes et liberi sint et habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum Parentes, a Mahumetana secta apostatasse minime credantur, nec poenis hac in re inflictis mulctentur. Haec enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianae contraria; quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei iniuria, Proximique scandalo, includit. Unde opportuna etiam praebetur Turcis ipsis occasio, Christifideles omnes, tamquam hypocritas et deceptores existimandi, atque adeo iure ac merito persequendi.

§ 2. Accedit praeterea ad moerorem, doloremque nostrum magis magisque augendum, quod nonnulli ex Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, atque ex Vobis quoque, Dilecti Filii Parochi et Missionarii, ad tam pravam ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo conniventes, atque inanibus ad excusandas excusationes in peccatis rationum momentis adducti, eos Christifideles curae vestrae creditos, qui saepedicta Turcica, seu Mahumetana Nomina assumunt, iisque vocari student, ad sacramentorum participationem, sine ullo prorsus conscientiae angore, et publica cum bonorum Christifidelium offensione, admittere non vereantur.

§ 3. Hinc est, quod Nos, qui ex iniuncta Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine, ac suprema Sacrosancti Apostolatus procuratione, Christianos omnes in viam salutis reducere, eosdemque puros, sinceros, in spiritu et

[1] Cf. N. 339.

veritate ambulantes, et absque macula, Deo exhibere tenemur, postquam Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales contra Haereticam pravitatem Generales Inquisitores super hac re audivimus, de eorum consilio, primum quidem laudatum Concilii Albani vestrae Provinciae Canonem renovantes, Apostolica auctoritate nostra tenore praesentium confirmamus, et districte servandum mandamus; necnon memoratae Epistolae nostrae decreta ad vestram quoque Provinciam auctoritate et tenore paribus extendimus, et servanda itidem praecipimus. Deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christifidelibus, quocumque casu vel praetextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis, eadem Turcica, seu Mahumetana Nomina ut Mahumetani credantur, assumere audeat.

§ 4. Porro, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vos rogamus et in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum, et districtam Supremo Pastorum Principi Iesu Christo Aeterno Iudici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus a Vobis reddendam considerantes, et ipsi curetis per bona opera vestra certam electionem vestram facere, et minime omittatis, (quod sine gravissima incuriae, negligentiaeque vestrae culpa accidere non potest) eosdem Christifideles Provinciae vestrae arguere, obsecrare, et increpare in omni patientia et doctrina, ut conversationem suam inter Gentes habentes bonam, in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus qui turpis lucri causa aliud in ore, aliud in corde gerant. Quod si qui admonitionibus vestris et praeceptis nostris non acquiescant, ad Apostolicae disciplinae normam, virga compesci debent, et circa ipsos Albanensis Synodi vestrae, et dictae Epistolae nostrae, sanctiones et poenae omnino exequendae sunt, quibus in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarantur. Quas quidem poenas iterum, quatenus opus sit, innovamus et infligimus, et debitae executioni a Vobis mandandas volumus et iniungimus. Hoc autem nemini ex Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, durum esse debet; quoniam nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Schismaticorum et Haereticorum, quorum tamen nullus Mahumetanum Nomen assumere praesumit, non intrabitis in Regnum Coelorum.

§ 5. Illos denique, qui ex Mahumetanis Christiani sunt facti, vel qui istorum sunt filii, si de sua in Fide constantia diffidant, vereanturque, ne si Turcica deponant nomina, Dominantium poenas incurrant, easdemque subire formident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant, et ad Terras Christianorum accedant, atque confugiant, in quibus et Deus, qui dat escam omni Carni, et Fidelium Caritas minime ipsis deerit; maxime si Episcoporum commendatitiis Epistolis muniantur. Interim Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam a quolibet Venerabili Fratre Antistite in sua Dioecesi Christifidelibus Orthodoxis nostro nomine impendi volumus, peramanter elargimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 221-223].

432.

Benedictus XIV, const. *Ex pastorali*, 25 aug. 1754.

Ex pastorali munere, quo Romani Pontifices Catholicae praesunt Ecclesiae, eamque moderantur, consueverunt Praedecessores Nostri vigilem navare curam, ut in Sacris peragendis, suos unaquaeque Natio legitime invectos Ritus religiose custodiat, eiusque idiomatis uniformitatem retineat, quo illius respective Maiores in Missae Sacrificio, Divinisque Officiis usi dignoscuntur; prohibentes ne quid a prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formulis immutata, deflectatur, omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

§ 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in Ritum Slavo-Latinum, quem felicis recordationis Praedecessor Noster Ioannes Papa VIII fideli ac religiosae Nationi Illyricae, una cum idiomate, quod nunc Slavum litterale appellant, et characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, et successivis temporibus recolendae memoriae Praedecessores pariter Nostri Urbanus VIII, et Innocentius X, dum Missale, et Breviarium eodem idiomate, et characteribus, excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt; nonnullos irrepere abusus, Apostolicae Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent Missas, insertis Orationibus et precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere; initium quoque Evangelii secundum Ioannem, et Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latinisque characteribus impressa, nulla desuper a Nobis facultate, et approbatione praeobtenta, sibi aliisque Sacerdotibus legenda proponere: idcirco ne huiusmodi abusus, qui eumdem Ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur; postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium *Etsi pastoralis*,[1] et octogesima septima incipiente *Demandatam coelitus*,[2] quae extant in *Bullarii Nostri* tom. I, p. 167 et 290, Graecorum Rituum conservationi, et integritati, pro Italo-Graecorum, et Graeco-Melchitarum Nationibus, abunde providimus; eamdem nunc sollicitudinis Nostrae curam ad Illyricam Nationem convertentes, suprema, qua fungimur Apostolica auctoritate, volumus, praecipimus, atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes et Sacerdotes tam Saeculares, quam cuiuscumque Ordinis, aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, et in Horis Canonicis, aliisque divinis Officiis persolvendis ac obeundis, Missalia, Tabellas, et Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandae Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimentur, non sine praeviis opportunis revisionibus, et approbationibus, aliisque diligentiis hucusque adhibitis, et deinceps adhibendis a Viris doctis, et Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula

[1] Cf. N. 328.
[2] Cf. N. 338.

ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant, et teneantur: utque in posterum nemo ex praedicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis persolvendis, Orationes et Preces, quae nostra, et Apostolicae Sedis auctoritate examinatae non fuerint, et approbatae, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu praesumat.

§ 2. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, et Episcopis, in quorum Dioecesibus Ritus Slavo-Latinus viget, committimus, atque iniungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi Ovibus praeesse, et Sacrorum Ecclesiae Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque huiusce Nostrae voluntatis, ac districti praecepti executionem curent, atque urgeant, ac novitates omnes, irreptosque quoslibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in pervicaces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 223-225].

433.

Benedictus XIV, ep. *Beatus Andreas*, 22 febr. 1755.[1]

§ 1. Beatus Andreas de Pago, seu Vico Rinnensi, Brixinensis Dioecesis, nondum exacto tertio aetatis suae anno a Iudaeis in odium Christianae Fidei sub annum 1462 fuit crudelissime trucidatus. Non ita post multos a Martyrio annos publice coli coepit; quandoquidem sub annum 1475 eiusdem ossa, sublimi a terra loco recondita fuerunt in pariete Ecclesiae praememorati Vici, Deo in honorem S. Andreae Apostoli dicatae. Cum autem subinde una cum miraculorum fama, eo semper magis religiosum Populi obsequium excreverit, ac praeterea Infantis Reliquiae, scientibus, et probantibus Ordinariis, assiduis nec interruptis cultus publici actibus fuerint exceptae; impulere haec omnia superioribus annis Venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Brixinensem, Dilectumque Filium Abbatem Monasterii Viltinensis Ordinis Praemonstratensis, aliosque emeritos viros Ecclesiasticos, ut supplices a S. Sede exposcerent indultum peculiaris Missae, et Officii peculiares itidem Lectiones habentis, in Beati honorem, Martyrii die quarto Idus Iulii, recitandi a Clero Saeculari, et utriusque sexus Regulari, in Civitate universaque Brixinensi Dioecesi. Huic autem petitioni quinto Kalendas Octobris anni 1751 rescripsimus, ut primum omnium ab Ordinario conficeretur Processus de martyrii, ac Miraculorum fama, deque cultu immemoriali, de quibus iuridice nobis liquere optabamus, ante peculiaris Officii Missaeque concessionem.

§ 2. Haud ipsis arrisit rescriptum hoc nostrum. Quare cum expositum nobis fuisset, ad exequenda omnia, quae illo praecipiebantur, diuturno tempore, labore magno, nec exiguis sumptibus opus esse, quandoquidem Brixi-

[1] Dilecto Filio Benedicto Veterani Sacrae Consistorialis Aulae Advocato e Fidei Promotori.

none duo Processus Ordinaria auctoritate confici deberent; Nosque ipsos in Nostro Opere, *De Canonizatione Sanctorum*, lib. 4, part. 2, cap. 5, plura recensere exempla, quibus Officia et Missae propriae, in alicuius Beati honorem concessa quandoque fuisse constabat, ex iis tantummodo, quae de eo litteris consignarant Auctores graves, quaeque de publico eiusdem cultu erant pervulgata, quin ullus antecesserit Processus ab Ordinario confectus super virtutum, seu martyrii, aut miraculorum, vel cultus antiqui, ac hominum memoriam excedentis fama; propterea quod huiusmodi Processus tunc solummodo sit necessario praemittendus, quando praeter Officii Missaeque concessionem in causa progredi quis velit, et ad formalem usque Canonizationem procedere; haud vero, quum peculiaris Officii Missaeque indulto obtento, nihil de formali Canonizatione cogitatur, sed mens est frui dumtaxat impetratis: hinc igitur animum induximus viam relinquere a Nobis antea praescriptam, et alteram inire, quam ipsi patefecimus, plurimisque exemplis in praecitato cap. 5 confirmavimus.

§ 3. Incognitum nobis non erat huiusce B. Andreae nomen, neque martyrium, cum legerimus quidquid de ipso scripserunt celebres Bollandistae tom. 3 Mensis Iulii ad diem 12, Nosque ipsi de eo mensionem fecerimus in praecit. Nostro Opere, *De Canonizatione Sanctorum*, lib. 3, cap. 15, num. 6. Antequam vero oblatis precibus annueremus, opus fuit, ut percurreremus huiusce Martyris historiam manu scriptam, ab Hippolyto Guarinonio Germano idiomate compositam, latine vero redditam a P. Norberto Abbate Viltinensi; ut inspiceremus acta Martyrii, publicique cultus monumenta multo labore ac eruditione collecta, typisque tradita sub annum 1745 a Patre Hadriano Kembtero; nec non disceptationem Apologeticam de martyrio Beati Simonis Tridentini, Tridenti impressam anno 1747, ubi cap. 5, de Martyrio, Cultuque Beati Andreae late disseritur. Quam quidem Disceptationem quamvis eruditi Auctoris modestia nullo inscriptam nomine ediderit, perspectum tamen est, opus esse Patris Benedicti a Cavallesio, quemadmodum testis locupletissimus et celebris Flaminius Cornelius, Senator Venetus, in suo opere *De cultu S. Simonis Pueri Tridentini et Martyris*, pag. 4, ubi debitas praefato emerito Religioso Viro laudes non praetermittit.

§ 4. Insuper, cum delatum fuisset, antiquum quemdam extare Processum Ordinaria auctoritate confectum super cultu huiusce Beati Andreae, authenticum eius exemplum transmitti ad nos iussimus; utque extraiudiciales saltem suppeterent probationes continuationis eiusdem publici cultus, missae ea de re ad nos fuerunt testificationes. Postquam autem omnia accurate perpendimus, per organum Congregationis Rituum, instantibus Venerabili Fratre Brixinensi Episcopo, Dilectisque Filiis Procuratore Generali Ordinis Praemonstratensis, et Abbate Monasterii Viltinensis, decimo octavo Kalendas Ianuarii 1753 Missam propriam, Officiumque cum peculiaribus Lectionibus a Clero Saeculari, et utriusque sexus Regulari, sub ritu duplici in Civitate, ac per universam Brixinensem Dioecesim recitandum concessimus; nec tamen omisimus, Missam ipsam, atque proprias Lectiones examinandas curare, omniaque cum Dilecto Filio Ludovico Valenti tunc Fidei Promotore, nunc vero Assessore S. Officii communicare: ac insuper praememorati Bri-

xinensi Episcopi, reliquorumque, quos mox supra expressimus, precibus annuentes, decimo octavo Kalendas Februarii Plenariam Indulgentiam concessimus singulis, qui confessi Sacraque Communione refecti, quarto Idus Iulii cuiusque anni Rinnensem visitent Ecclesiam, in qua Beati Andreae Reliquiae conquiescunt.

§ 5. Haec omnia peregimus, proposito Nobis Sixti V Praedecessoris Nostri exemplo. Sub annum 1472 fuit ab Hebraeis in odium Fidei Christi saevissime occisus Beatus Simon Tridentinus Puer, qui nondum impleverat tertium aetatis suae annum. Ex inhumano hoc scelere tot tantaeque turbae derivarunt, totque ac tantis artibus usi sunt Iudaei, ad promeritas poenas declinandas, avertendumque a se iustum Christifidelium odium, ut Sixtus IV refugere haud potuerit, quin ea in re ipse intercederet, prohibendo, ne qui antea publicus cultus Beato Simoni praestabatur, eidem amplius exhiberetur, quousque perspicuum evasisset, eumdem in odium Christianae Fidei fuisse a Iudaeis trucidatum. Sixti IV Breve relatum a nobis fuit in Nostro Opere *De Canonizatione Sanctorum,* lib. 1, cap. 14, num. 4. Cum vero subinde palam omnia facta fuissent, allatisque probationibus, demonstrata, una cum nece, eiusdem inferendae causa, atque constitisset etiam interfectores Hebraeos fuisse, veluti evincitur ex Processu, qui vel nunc temporis in secretiori Archivo Castri S. Angeli asservatur, quemadmodum monuimus in Nostro Opere *De Canonizatione Sanctorum,* lib. 3, cap. 15, num. 6, a Sixto V Pontifice anno 1588 datum fuit Breve concessionis Missae celebrandae, ac Officii proprii in Civitate universaque Dioecesi Tridentina, in honorem Beati Simonis, definita die recitandi, superaddita Indulgentia Plenaria omnibus, qui Confessionis, ac Communionis Sacramentis muniti, die eidem sacra visitassent Ecclesiam, in qua eiusdem Reliquiae coluntur. Breve Sixti V insertum et praecitatae *Disceptationi Apologeticae* super Martyrio B. Simonis, Tridentinis praelis cusae anno 1747, pag. 207, ubi eruditus Auctor refutare non negligit quaecunque Wagenseilius, et Basnagius in Pueri innoxii martyrium obiecerant: idque ipsum, vi et eruditione haud impari, praestatur a Flaminio Cornelio, Senatore Veneto, in suo opere *De cultu S. Simonis Pueri Tridentini,* Venetiis recuso sub annum 1743. Inter ea vero, quae vel ipsi pro Beati Andreae Cultu indulsimus, vel Praedecessores Nostri pro Cultu B. Simonis decreverunt, hoc unum discrimen est, quod nimirum iussu Gregorii XIII Pontificis, Beati Simonis nomen in *Martyrologium Ramanum* fuit illatum, uti praenotavimus in Nostro lib. 1, *De Canonizatione,* cap. 14, num. 4. At id Nos praestare noluimus quoad Beatum Andream, ad sarta tecta servanda posteriora Decreta, ut in *Martyrologium Romanum* Canonizatorum nomina solummodo inferantur, omissis nominibus eorum, qui Beatorum numero adscripti sunt, vel solemni, vel aequipollenti Beatificatione: uti videre est Nostro lib. 4, *De Canonizatione,* part. 2, cap. 18, num. 9 et seq.

§ 6. Si religiosis Viris satis fuisset, quemadmodum affirmaverant, Officium Missamque propriam obtinuisse, et subinde ulterius progressi, Causam ipsam ad formalem Canonizationem instruere non attentassent, Nos quidem Epistolam hanc dictandi, te vero perlegendi ac expendendi labore levavissemus; at cum formalem Canonizationem nunc sibi animo proposuerint, obtinuerintque ut Potentissimi Catholicorum Principum in idipsum vehementer instarent; opus nobis esse conspeximus, ut omnia rite recteque se habeant, hac Epistola sententiam Nostram de nupera petitione aperire.

§ 7. Haud sane conquerimur eos, postquam expressa superius ratione, Missae propriae propriique Officii concessionem a nobis sunt assecuti, declarato eorum animo ulterius minime progrediendi, mutasse exinde sententiam; nova enim haec molimina libenter damus iteratis Religiosae devotionis impulsibus. Certi praeterea sumus, quoties ipsi ad formalem Canonizationem properare velint, te, pro ea, qua uti consuevisti diligentia, non neglecturum, Commissionem relaxare, quae dicitur, *in statu et terminis,* de qua verba fecimus in nostro Opere *de Canonizatione,* lib. 2, cap. 38, num. 13, legitimam quoque exposcere probationem, qua casum hunc Urbani VIII decretis non esse comprehensum demonstretur, quod caeteroquin facile admodum praestabunt Postulatores, authenticum nostrum Missae atque Officii indultum proferentes, veluti nos quoque innuimus praecitato Opere lib. 2, cap. 21, num. 3. Nec te pariter praetermissurum scimus, tum exigere, ut novo confecto Processu Apostolico, una cum martyrio, ipsa probetur causa martyrii Beati Andreae; cum ad solemnem Canonizationem haud satis habeantur, quaecumque et facta, et oculis subiecta fuerunt ad Officii Missaeque concessionem; veluti ipsi plene demonstravimus in Nostro lib. 1, *de Canonizatione,* cap. 32, a num. 6 ad 17 et cap. 42, num. 9. Tum ad severae critices regulas expendere, an Historici martyrium referentes necessariis polleant conditionibus, ad probationem constituendam in iudicio solemnis Canonizationis; quibus de conditionibus Nos late egimus Nostro lib. 3, *de Canonizatione,* cap. 8, et duobus sequentibus, cum maior etiam quoad Historicos adhibeatur facilitas, quoties res est de simplici concessione publici cultus, peculiaris alicuius Dioecesis finibus circumscripti, quam cum agitur de publico cultu praeceptiva lege decreto, atque in universam Ecclesiam ampliato, quemadmodum vel ipsi adnotavimus lib. 4, part. 2, cap. 10, num. 26. Ac denique expetere praeter Martyrium, eiusque causam, signorum praeterea ac miraculorum accessionem, quae post Indultum publici cultus contigerint, quod perinde est ac dicere, post datum a Nobis Breve concessionis Officii ac Missae. Neque hic sufficient duo signa, vel miracula, sed quatuor afferantur necesse est; causa namque Beati Andreae, quoad martyrium, et martyrii causam, fulciri non potest probationibus directis, Testibus nempe *de visu,* sed auxiliaribus veluti ac subsidiariis, Testibus nimirum *de auditu;* qua quidem in facti specie, duo signa vel miracula satis non sunt, sed quatuor desiderantur, iuxta Generale Decretum a Nobis editum nono Kalendas Maii 1741, impressumque in Nostro Opere *de Canonizatione,* lib. 3, cap. 3, num. 25, quod nunc temporis accuratissimam executionem in Congregatione Rituum consequitur.

§ 8. Certum Nobis est, te nihil eorum, quae hactenus recensuimus, pro perspecta Nobis cura, ac sedulitate tua reliqui facturum. Quod Nos habet sollicitos illud est, causam Beati Andreae Pueri, ab Hebraeis occisi in odium Fidei, primam esse, quae, post causas Canonizationis S. Sedi reservatas, instrui velit, haud quidem ad obtinendum, vel Indultum permissivum publici cultus una aliqua Dioecesi circumscripti, vel formalem, aut aequipollentem

Beatificationem, sed ad impetrandum publicum cultum, et quidem praeceptum, atque in universam Ecclesiam per expressam formalem Canonizationem ampliatum. Nos hac de re disseruimus in Nostro lib. 1, cap. 14, num. 5 et lib. 3, cap. 15, num. 6, monuimusque, quoties casus iste obvenisset, cauto opus esse; cum res nova agatur, nec unquam in praxim deducta a S. Sede, ex quo eadem sibi Canonizationis causas reservavit, quemadmodum praediximus. Estque hoc plane illud, quod Nos impulit, ut hasce ad Te daremus Litteras; congruere enim Nobis visum est, ut primum omnium in Rituum Congregatione disquiratur, an promoveri debeat Beati Andreae causa, quam Postulatores ad formalem usque Canonizationem perducere decreverunt; namque aequum non est, ut causa institui permittatur, efformari Processus super martyrio, et martyrii causa, ac super signis atque miraculis, et fortasse etiam probentur haec omnia, postremo autem respondeatur, formali Canonizationi non esse locum, ex quo nullum extet similis Canonizationis exemplum, Canonizationis nimirum Pueri in Fidei odium enecati. Audita autem Congregationis sententia, antequam reddamus quaesito Decretum, non cessabimus supplices Deum exorare, ut Divino Nos lumine dirigere non dedignetur.

§ 9. Interea vero, ut facilior evadat disquisitio, opportunum existimamus hisce Litteris summatim retexere, quidquid docuere Theologi de Pueris, in odium Christi occisis, et ex Sacris Ecclesiae monumentis colligere, quae de ipsis Pueris, delatoque iisdem cultu, memoriae prodita adinveniuntur. Videntur enim Nobis haec omnia plurimum posse conferre ad absolutissimam definitionem instantiae propositae a Postulatoribus Beati Pueri Andreae Rinnensis, qui, ab impetrato cultu peculiaris Missae et Officii, ad certum quemdam locum, et praenotavimus, circumscripti, id quod nihil aliud est quam aequipollens Beatificatio, ulterius progredi vellent, et formalem obtinere Canonizationem.

§ 10. Hanc itaque sectantes methodum, asseremus, ex quo Ecclesia tanquam Martyres colat Bethleemiticos Infantes, Theologis iustam fuisse causam propugnandi, Martyres quoque esse caeteros omnes Pueros, quibus in odium Christianae Fidei vita fuit adempta. Collectae a Nobis fuerunt auctoritates in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum,* lib. 1, cap. 14, num. 3 et seq. Neque enim ulla firma ratione defendi potest, quod affirmant nonnulli, Martyres nimirum fuisse Bethleemiticos Infantes, peculiari quodam privilegio divinitus ipsis dato, quo ipsorum aetatem rationis usus antevertit, ut mortem perpessi, martyrii palmam assequerentur: etenim tam quoad Bethleemiticos Infantes, quam quoad caeteros omnes, in odium Fidei Christi necatos, obtinet Theologica ratio, martyrium scilicet intelligi per mortem in Christianae Fidei odium perlatam, Infantesque, qui huiusmodi morte tolluntur, martyrii gloriam assequi ex Iesu Christi meritis, quamvis libero arbitrii actu illud non oppetierint. Auctoritatibus autem ibi per Nos allatis superaddemus sequentes. Sylvium nempe in 2, 2 *D. Thomae,* quaest. 124, art. 1: *Sunt qui dicant acceleratum fuisse in istis Innocentibus,* de Bethleemiticis loquitur, *usum rationis; sed hoc nulla vel Scripturae, vel Patrum auctoritate probatur etc. Non est ergo mirandum, quod Beatus Thomas nolit admittere accelerationem usus rationis in parvulis Innocentibus pro Christo occisis, quos tamen recte dicit habere palmam martyrii: quia, quod in aliis propria voluntas, Dei auxilio adiuta, meretur, isti propter Christum occisi, sunt per Dei gratiam consecuti etc. Si quis ergo quaerat, utrum pueri non baptizati, essent martyres, si modo interficerentur propter Christum, vel in odium Christianae Religionis, respondendum est affirmative.* Satis ponderis et momenti inest quoque verbis Suaresii in 3 part. *D. Thomae,* tom. 3, discept. 29, sect. 1, ubi postquam evicerat, Pueros Bethleem fuisse vere martyres, ita subdit: *Ex hoc autem singulari facto recte colligimus, nullum infantem, ratione infantiae, esse martyrii incapacem; sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint, vere esse martyres: nam eadem est ratio et causa in caeteris infantibus, quae fuit in illis Innocentibus; quia vel in illo facto intercessit speciale privilegium, factum illis pueris, vel non: si non intercessit, ergo non est, cur alii censeantur magis incapaces martyrii, quam illi, cum omnes aeque careant usu rationis: si vero intercessit privilegium, hoc certe non est factum personis, sed causae. Quid enim in illis Pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod huiusmodi privilegium illis concessum sit? Nihil sane. Tota ergo ratio illius privilegii fuit causa mortis, nimirum quod propter Christum occisi sunt etc. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quoslibet pueros, vel infantes, qui in lege Gratiae pro Christiana Religione mortui sunt, ut constat ex omnibus historiis Ecclesiasticis, et ex modo loquendi Sanctorum etc. Neque enim gratia Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore, communicatur, neque horum mors minus est propter Christum, quam illorum; immo quodammodo videtur expressius, ac formalius esse propter Christum; nam, licet omnes interfecti sint in odium Christi, tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt inter quaerendum Christum; hi vero interficiuntur propter Fidem Christi, et ad destruendam et evertendam Religionem eius. Est ergo par omnium ratio.* Eiusdemque sententiae sunt quoque Estius in 4 sent., dist. 4, § 21, vers. *Praeterea non leve;* Cardinalis Laurea in 3 lib. sent., part. 2, disput. 20, *de Martyrio,* art. 4, num. 34, nec non bon. mem. Card. Gotti, tom. 2, in 3 part. tract. *de Baptismo,* quaest. 2, dub. 2, § 2 et tom. 4, part. 1, *de Veritate Religionis,* cap. 14, § 3, num. 15.

§ 11. Proximum est, ut ea colligantur, quae sacris Ecclesiae monumentis consignata reperiuntur. Percurrentes Martyrologium Romanum, reperimus quinto Idus Ianuarii habitam mentionem, Antiochiae Celsi cuiusdam pueri, qui una cum Marcionilla Matre, aliisque Fratribus in odium Fidei Christi fuit occisus; pridie Idus Februarii, Alexandriae Modestii, et Ammonii Infantium; XVI Kalendas Iulii, Tharsi in Cilicia SS. Martyrum Iulittae matris, et Quirici filii tertium aetatis suae annum agentis; Idibus Iulii, Alexandriae decem Infantium; quinto Kalendas eiusdem mensis, Mediolani SS. Nazarii et Celsi puerili; decimo sexto Kalendas Septembris, Cartagine in Africa Maximi pueri; duodecimo Kalendas Septembris, in Sardinia Cisellii, et Camerini puerorum; decimo nono Kalendas Octobris, Romae Crescentii pueri; decimo quinto Kalendas eiusdem mensis, Augustoduni S. Flocelli infantis; Idibus Novembris Paulilli pueri; qui, in Vandalica Genserici persecutione per Africam, martyrium pertulit; decimo quinto Kalendas eodem mense, Antiochiae

Barulae infantis, octavo Idus Decembris, in Africa S. Maiorici adolescentuli. De hoc Maiorico loquitur quoque Victor Victensis lib. 5, *de Persecutione Vandalica,* tom. 8, *Bibliothecae Patrum,* ubi etiam pag. 681 meminit de aliis pueris, qui in praedicta Vandalica persecutione forti animo martyrium subierunt. *Ibi et Infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliae gaudentes, aliae tristes, aliae retrahentes: aliae gaudebant, se martyres peperisse; aliae moliendo, diluvio rebaptizationis nitebantur a confessione Fidei revocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram.*

§ 12. Pueros, quorum nomina, uti praenotavimus, in Martyrologium Romanum sunt relata, quique inter Martyres recensentur, sequuntur caeteri, quorum Reliquiae martyrii nota signatae, seu, quod perinde est, cum ampulla sanguinis, in veteribus Christianorum Coemeteriis fuerunt repertae, una cum proprio cuiusque nomine, ac indicatione annorum, quibus Sancti illi Pueruli pro Christo occisi sunt. Ad id ipsum evincendum, satis est, ut prae manibus habeatur opus accuratissimum bonae memoriae Canonici Marci Antonii Boldetti *de Coemeteriis Sanctorum Martyrum, et veterum Christianorum,* ubi pag. 344 affertur inscriptio sepulcralis lapidis S. Dorotei martyris sexto infantiae mense sublati; pag. 363 similis inscriptio S. Anastasii; pag. 366 alia S. Serenillae, quorum uterque fuit primo ineuntis aetatis anno interfectus: eadem itidem pag. 365, Epitaphium excribitur S. Bonifaciae trimae; pag. 432 alterum S. Aurelii quadrimi; nec non alia tria de tribus Infantibus quinquennibus, Decentio nimirum pag. 345, Tiberia pag. 363, Candida pag. 366. Demum similia monumenta profert de duobus, qui sextum non excesserant aetatis annum, alterum nimirum de S. Doroteo pag. 372, alterum de S. Diogenia pag. 381. Idemque Canonicus Boldetti, lib. 1, cap. 48, pag. 261, postquam scite praenotaverat, non solum Bethleemiticos Innocentes, sed et caeteros quoque, qui successivo tempore pro Christi Fide mortem perpessi sunt, ut Infantes, dignos esse, quibus Martyrum cultus exhibeatur, subdit, sevientibus persecutionibus, ubique terrarum, praesertim vero Romae, Idolorum Cultores, ipsos quoque pueros in odium Fidei Christi interemisse: *In pueris quoque virtus maior aetate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum Gregem et sexus, et aetas omnis ornaret:* sunt S. Cypriani verba in *Epistola* 77 *ad Nemesianum* Balutianae editionis. Loquens autem de Christifidelibus Romae degentibus, inquit Minutius Felix *in Octavio,* tom. 3 *Bibliothecae Patrum: Pueri, et Mulierculae nostrae cruces, tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas, inspirata patientia doloris illudunt.*

§ 13. His consoni sunt Ecclesiae Annales, aliaque Ecclesiastica monumenta. Sub Decio, aut Valeriano, celebre fuit martyrium S. Cyrilli primioris aetatis, *Pueri,* cuius acta referuntur a Bollandistis tom. 7, *Maii ad diem vigesimam nonam,* et a Ruinart *in Actis Martyrum editionis Amstelodami,* pag. 246. In Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 311, num. 16, fit mentio de duobus fratribus Puerulis, quorum corpora condita fuere ad Nicomediam in Ecclesia, quae subinde dicta fuit *Martyrium Infantium; et ad annum Christi* 522, pag. 57 et seq. exscripta sunt acta Martyrii cuiusdam Mulieris, eiusque Filii quintum aetatis annum non praetergressi. Apud Bolland. *ad diem 24 Martii,* praeter ea, quae de Beato Simone puero Tridentino superius commemoravimus, narratur in Dioecesi Coloniensi coli Ioannettum quemdam Puerum, in odium Fidei ab Hebraeis occisum. Baillet. *ad eamdem diem 24 Martii,* inquit, Parisiis coli tanquam Martyrem Riccardum quemdam puerum; alterumque itidem puerum Villelmum nomine, in odium Fidei ab Hebraeis interemptum in Anglia fuisse cultum. Tomo autem 18 Operum Patris Theophili Raynaudi, et nominatim in eo Opere, quod inscriptum est *de Martyrio per pestem,* part. 2, cap. 2, num. 7 legitur, Ferdinandi Hispaniarum Regis aetate, in odium Christi fuisse a Iudaeis interfectum in oppido prope Toletum, *Guardia* dicto, puerum quemdam trimum, eidemque cultum exhiberi, atque dici antonomastice, *Innocentem a Guardia:* idque ipsum testatur de geminis aliis pueris bimis, in Sardinia, Cesselio, et Camerino nuncupatis. Insuper in praecitata disceptatione Apologetica de martyrio S. Simonis Tridentini, pag. 242 Infantula quaedam commemoratur, nomine Ursula annorum trium, quae ad annum circiter 1442, Loncii, parva quidem, sed vetusta Civitate in finibus Comitatus Tirolensis ad Carinthiam positae in Valle Pusteria, truculentissime fuit in Christi odium ab Hebraeis interempta; vetustiorique lapidi in sacrario loci apposito subrogatus subinde fuit recentior an. 1609 ex vetustiori illo exsculptus, in quo descripta legitur horrendi sceleris historia: et pag. 246 et seq. mentio habetur de Laurentino puero, quem Hebraei quinquennem in odium itidem Fidei Christi anno 1485 interfecerunt, quique ab ipso martyrio in haec usque tempora, Marosticae, in agro Vicentino, proximisque pagis, martyr habetur ac colitur.

§ 14. Non id Nobis sumimus, ut propugnemus, omnes, quorum nomina hucusque innuimus, ea reipsa fuisse aetate, qua rectum a pravo, cum occisi fuerunt, non secernerent, quamvis ex ipsis nonnulli *Pueri,* reliqui *Infantes,* dicantur. Fatemur ingenue, ut aliqui nuncupentur Pueri, ex his tamen ipsis nonnullos duodecimum, alios nonum, et alios itidem septimum aetatis annum implevisse; quemadmodum ipsi adnotavimus ad martyrium S. Babilae, et Sociorum, in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum,* lib. 1, cap. 14, num. 5, et uti etiam monetur ab emeritis viris, et in latina lingua apprime versatis, quorum aliqui pueritiam a tertio quartove aetatis anno ad decimum usque, alii a septimo ad decimum quartum producunt; uti videre est apud Martinium, Verb. *Puer.* Alii pueritiam decimo vel etiam decimo quinto aetatis anno concludunt, quemadmodum legi potest penes celebrem Facciolatum, Verb. *Puer,* et inter iurisperitos apud Gonzalez, in cap. *Referente,* num. 7 et seq., *de delictis puerorum:* qua nimirum aetate oportet fuisse sanctum illum Cyrillum *Puerum,* quem supra commemoravimus, si eius agendi ratio, responsiones ad Tyrannum, adhibitaque ab ipso Tyranno verba expendantur: *Vidisti, o puer (inquit) ignem; vidisti, o iuvenis, gladium?* quae in eiusdem Actibus superius indicatis leguntur. Animadvertimus, plures dici infantes, eum autem esse infantem, qui adhuc concepta verba proferre nescit, id est non valet. *Infans ab infando dictus est:* inquit Nonius. Et S. Isidorus *de originib.* subdit: *Infans dicitur homo primae aetatis; dictus autem infans, quia adhuc fari nescit, id est loqui non potest.* Qua in re consentiunt viri latinae linguae peritia insigniores, Hofmannus nempe, et praememoratus Fac-

ciolati. Verum non ignoramus infantis nomine ab Ecclesiasticis Scriptoribus eos etiam fuisse designatos, qui eam agebant aetatem, qua eloqui poterant, ac noverant. In actis Proconsularibus S. Saturnini et Sociorum martyrum a Surio editis, relatisque a Cardinali Baronio ad annum Christi 303, habetur, a Coloniae magistratu captum Saturninum Presbyterum, una cum quatuor filiis, quos inter aderat Hilarianus infans, omnesque martyrium consecutos: ad verbum autem *Infans* haec expendit praedictus Cardinalis n. 36: *Cum audis infantem, ne existimes, puerum hunc esse nuper natum, qui fari nesciat; nam loquendi usus erat apud Afros, ut quosque pueros infantes dicerent, ut ex Victore Uticensi alibi diximus, qui pueros Ecclesiae cantores infantulos nominat etc.* Post haec idem Cardinalis quaestionem exhibet de aetate, quam ageret Hilarianus infans, cum martyrium passus est: *Porro quotennis esset puer hic, quem Auctor vocat infantem, sua ipsius confessio, coram Proconsule facta, inferius declarabit.* Et num. 57 verba exscribens ab infante coram Proconsule dicta, satis indicat, infantem et fari scivisse, et potuisse, eaque fuisse aetate, in qua probe animo menteque assequebatur, sibi mortem in odium Fidei Christi inferri: *Hilarianus adhuc supererat,* sunt ipsa Actorum verba, *unus de natis Presbyteri Martyris Saturnini, qui aetatem suam parvulam ingenti devotione vincebat etc. Subito brevi de corpore vox iuvenilis auditur, et angustum pueri pectus ad confessionem Domini tutum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo, et cum fratribus feci Collectam.*

§ 15. S. Bernardus in Sermone de Innocentibus, tom. 1, pag. 787, ait, nonnullos Martyres esse *voluntate et opere,* veluti Sanctus Stephanus: *Habemus in Beato Stephano martyrii simul et opus, et voluntatem;* alios esse Martyres sola voluntate, cuiusmodi fuit S. Ioannes Evangelista, qui post martyrium ebullientis olei superstes, in pace quievit: *Habemus solam voluntatem in Beato Ioanne;* et quosdam Martyres haberi solo opere, ex eo nimirum, quod pro Christi Fide mortem obierint: *solum in Beatis innocentibus opus.* In Classe Martyrum *operis et voluntatis* redigendi sunt quotquot puerilem licet aetatem agentes, noverunt tamen sibi pro Christi Fide moriendum, voluerunt que pro ea occumbere, Deo Optimo efficacibus gratiae suae auxiliis aetatem antevertente. Hunc gratiae triumphum innuit S. Ambrosius, cum in suo lib. 1, *de Virginibus,* cap. 2, loquitur de Martyrio S. Agnetis: *Haec duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quae nec minusculae pepercit aetati: immo magna vis Fidei, quae etiam ab illa testimonium invenit aetate;* et paulo infra: *Magisterium virtutis implevit, quae praeiudicium vehebat aetatis.* Paullo supra martyrium commemoravimus matris, eiusque filii, a Cardinale Baronio relatum *ad annum Christi 522,* n. 57 et seq., nunc autem opportune subditur, valuisse puerum, etsi haud quinquennio maiorem, blandimentis Tyranni obsistere, qui postquam matrem comburi iusserat, filium cupiebat poena eximere, modo a Christi Fide defecisset; verum cum effervescente concertatione, a suo se custode abripuisset puer, ex superno peculiari impulsu prosiliit in flammas, inter quas perierat mater, quemadmodum nosse licet ex universa facti serie descripta in Actis a Cardinali Baronio relatis, in quibus dum pueri describitur indoles, instructus dicitur prudentia, quae aetatem longe praestaret. De his martyribus non est Nobis sermo; de tertia loquimur classe Martyrium, qui *solo opere Martyres sunt,* ut verbis utamur S. Bernardi, damusque libenter ex iis multos reperiri inter eos, quos supra commemoravimus; occurrunt quippe nonnulli, de quibus, vel adnotatus annorum numerus, quo martyrium subierunt, vel integer historiae complexus omnem adimunt occasionem disceptandi, quonam sensu verbum *Puer,* alterumque *Infans,* sint accipienda. Cum in Sacro Textu apud Matthaeum, cap. 2, aetas puerorum, quos Herodes in Bethleem eiusque finibus iussit occidi, adnotetur: *a bimatu, et infra;* inde demonstratur perspicue, interfectos pueros Martyres fuisse *solo opere;* pugnat quippe cum verisimilitudine, et cum ipsa littera textus, sententia, quam Jansenius quoque *in Evangelio,* cap. 11 improbavit, asserentium, verba illa *a bimatu, et infra,* haud ita accipi oportere, quasi adhibita ad circumscribendam aetatem infantium interfectorum, sed ad innuendum, primum quidem occisos fuisse infantes biennes, vel biennio minores, quamvis subinde necati fuerint et illi, qui erant grandiores.

§ 16. Nihil deflectentes a statuta methodo, proximum est, ut de Cultu disseramus, qui iuxta Ecclesiae disciplinam exhibitus fuit, nuncque exhibetur Infantibus, quibus in odium Christi mors fuit illata, quique Martyres sunt *solo opere;* propterea quod mortem ipsam ea aetate sint perpessi, qua potis non erant, bonum a malo secernere, nec adhuc advenerat *tempus intelligentiae, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam,* uti loquitur S. Hieronymus in *epist. 121 ad Algasiam,* quaest. 8, victoriamque obtinuerint vel ante quam, quid vicisse sit, nosse potuerint; iuxta phrasim, qua utitur S. Ambrosius disserens de Infantibus Bethleemiticis, lib. 1, *de officiis Ministrorum,* cap. 41, num. 213. *Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriae acceperunt, quam sensum naturae?* Utque res clarior evadat, in nonnullas classes eosdem distribuemus.

§ 17. Prima classis iis constat, qui a remotioribus usque saeculis cultum obtinent in tota Ecclesia universalem; de his quippe licet asserere, Sanctorum albo eos asse adscriptos per eam Canonizationis speciem, quae tum adesse intelligebatur, cum cultus aliqua in Dioecesi institutus, ex ea in aliam Dioecesim, et ita subinde in universam Ecclesiam protendebatur; qua quidem in re, Ecclesiastica semper accedebat auctoritas, Episcoporum nimirum, et Romani Pontificis. Episcoporum quidem, dum cultus ex altera in alteram Dioecesim ipsis consentientibus derivabat: Romani autem Pontificis, vel quia a particularibus locorum Episcopis saepe transmittebantur Acta, ut eadem ipse expenderet, atque probaret; vel quia, cum perspectum haberet, nec improbaret cultum iam institutum, ac sensim longe lateque manantem, hoc ipso eum probare videbatur; veluti videre est in nostro lib. 1, *de Canonizatione Sanct.,* cap. 6 et nominatim num. 9.

§ 18. In hanc autem primam Classem Nos Bethleemiticos Innocentes referimus, quorum cultus iam inde a primis saeculis in universa Ecclesia obtinuit, quemadmodum demonstrat Cardinalis Baronius *in Notis ad Martyrologium Romanum,* et uti etiam fateri cogitur severus censor Baillet, qui in *Historia Cultus horum SS. Innocentium,* § 2, quamvis neget festum ipso-

rum diem ante saeculum nonum fuisse universim servatum, fatetur tamen, cultum erga eos in universa Ecclesia iam inde a primis saeculis inolevisse; quandoquidem et ipse S. Augustinus scripserat, lib. 3 *de libero arbitrio*, cap. 23, num 67: *Non frustra etiam Infantes illos, qui, cum Dominus noster Iesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Quod etiam colligitur ex lib. 10 *de Genesi ad litteram*, cap. 22, num. 39. Prior haec Classis multa sane esset ac frequens, si Graecorum firma esset assertio, qui in suis Menaeis volunt, infantes iussu Herodis in Bethleem necatos, numerum quatuordecim millium implevisse: *Commemoratio Sanctorum Infantium, qui ab Herode occisi fuerunt, quorum numerus quatuordecim millia;* qua in re consentiunt quoque Moschi *in suis sacris Ephemeridibus*, et Aetiopes *in sua Liturgia.* At Nos huiusmodi assertioni minime assentiri Nos posse ducimus; cum legerimus, quidquid contra scripsere Papebrochius, tom. 1 *Actuum Sanctorum Maii*, pag. 57, Tillemont, *in Monumentis Ecclesiasticis*, tom. 5, pag. 432, not. 13, Calmet *in Commentariis ad Evangelium S. Matthaei*, Serry *in suis exercitationibus*, et novissime eruditus Pater Castus Innocens Ansaldi in egregia sua Disceptatione, seu *Vindiciis Infanticidii Herodis*, Brixiae sub annum 1746 impressis, ubi eos refutans, qui ausi sunt facti veritatem in dubium revocare, ex ea levissima ratione, quod nihil de eo habeat Ioseph Hebraeus, non praetermisit omnia colligere, quaecumque a caeteris uspiam allata fuere adversus praefatam Graecorum assertionem. Satisque Nobis erit asseruisse, infantes in Bethleem eiusque finibus fuisse iubente Herode occisos, eosdemque non solum Martyres extitisse, sed cum insuper in universa Ecclesia cultum sint consecuti, quemadmodum supra adnotavimus, Canonizatos haberi debere, ideoque pertinere ad primam classem, de qua nunc Nobis est sermo; quam quidem in classem libenter recensebimus alium quemcumque infantem, cui demonstretur in universa Ecclesia a primis usque saeculis cultum veluti Martyri fuisse exhibitum, eo plane modo, quo fuit exhibitus, et nunc quoque temporis Bethleemiticis infantibus exhibetur.

§ 19. Altera Classis ex iis constituitur Infantibus in odium Christianae Fidei interfectis, qui a tempore hominum memoriam antevertente publicum sibi in aliqua Civitate, vel Dioecesi vindicant cultum, scientibus, et ferentibus, quin et quandoque nominatim etiam adprobantibus Ordinariis. Secundae huic Classi possunt accenseri perplures, quorum, uti praenotavimus, in Ecclesiae Annalibus, ac Monumentis fit mentio, et nonnulli etiam ex iis, quorum nomina sunt in Martyrologium Romanum relata. In eadem ipsa Classe locus statuendus erit Beato illi Infanti Ioanetto, duobusque Pueris Riccardo et Guillelmo, et praeter reliquos Beato etiam Laurentino, de cuius vetustissimi cultus antiquitate, extat Episcopalis Patavinae Curiae testimonium impressum in praecitata Disceptationae apologetica, de Martyrio Sancti Simonis Tridentini, pag. 253, his verbis compositum: *Il Culto religioso verso codesto Santo Fanciullo si è mantenuto sempre invariabile nel lungo corso d'anni dugento sessanta dal suo Martirio sino al presente, così in Marostica, come ne' luoghi vicini, informati del di lui sagrifizio alla rabbia Giudaica. Nelle urgenze sì private, e sì pubbliche di questi popoli, si ricorre a Dio Signore col mezzo del di lui credito, scoprendosi in tal'occasione l'Arca del suo sacro Deposito, per sempre più infervorare i supplicanti.* De his itaque disserendo, qui praefata immemorabili possessione publici cultus fruuntur, asseri iure non potest, eosdem Sanctae Sedis iudicio, et auctoritate Beatificatos fuisse, dum ponitur, ipsorum cultum, scientibus, et probantibus tantummodo Ordinariis, obtinuisse; cumque de ipso nullus fuerit efformatus processus, vel Romam ad Romanum Pontificem missus fuerit eius auctoritate approbandus. Multo minus dici merentur Canonizati, tum quia illorum cultus ad universam non protenditur Ecclesiam, tum quia desideratur supremum Romani Pontificis iudicium, ad Canonizationem omnino necessarium. Illud tamen de praefatis Pueris affirmare licet, quod quum Urbanus VIII Pontifex suis in Decretis edixerit, nolle se quicquam detrahere iis, qui centenariam ante sua Decreta possessionem publici cultus obtinuerant, nihil hinc praeterea desideretur, ut ipsis debeatur idem cultus, iisdem in locis, in quibus centum ante id temporis annos illum continenter sunt consecuti, scientibus, et probantibus Ordinariis; potiorique iure quoties Romani quoque Pontificis scientia superaccessisset.

§ 20. Tertia denique Classis eorum est puerorum, de quibus supra meminimus, quorum aetas una cum propriis eorundem nominibus, sepulcralibus lapidibus est notata; quorumque Ossa ac Reliquiae, in Sacris Urbis Catacumbis, cum notis martyrii inventa publico cultui proponuntur. Nemo ex severioribus criticis non consentit, indubiam esse martyrii notam vasculum sanguine plenum, vel tinctum saltem, quod in sepulchris in Urbis Catacumbis effossis saepe reperitur. Aringhius, Mabillonius, Senator Buonarroti, Raphaël Canonicus Fabrettus, Abbas Ludovicus Antonius Muratorius, Canonicus Boldetti, Canonicus Marangonius, Eques Victorius, Praefecti sacris hisce Corporibus extrahendis, huic sententiae omnimoda consensione subscribunt: veluti deprehendere est ex Nostro Opere *de Canonizatione*, lib. 4, part. 2, cap. 27, num. 21 ad fin. Ex pervetusta Ecclesiae disciplina est, ut sacra Ossa Romae ex Coemeteriis effossa, et cum signis sive notis martyrii adinventa, in Ecclesiis publice colenda exponantur; quemadmodum videre est ex vulgato Anastasio in vita S. Pauli I Pontificis octavo saeculo; ubi postquam enarravit, Pontificem hunc reperta in sacris Coemeteriis Corpora Romam transtulisse, sacraque Ossa in varias Ecclesias distribuisse, inde pergens, paulo infra subdit: *Infra Claustra ipsius Monasterii*, quod in propriis paternis aedibus construxerat, *Ecclesiam mirae pulchritudinis a fundamentis noviter construxit, etc. Illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quae de praefatis demolitis abstulit Coemeteriis, maximo venerationis condidit affectu.* Ad Sixtum usque V Pontificem, in Basilica S. Pauli Urbis colebantur exigua quaedam Ossa, quae pia opinione, sanctorum aliquot Bethleemiticorum Innocentium Ossa censebantur; quemadmodum testatur Panvinius in suo Opere *de septem Urbis Ecclesiis*, pag. 96. Severanus autem *eodem in Tractatu* translationem a Sixto V sub annum 1586 ad Liberianam Basilicam factam describit. Et Abbas Paulus de Angelis in *sua huius ipsius Basilicae descriptione*, lib. 10, cap. 11, prolixum quemdam locum exscribit, ex Bulla eiusdem Pontificis, in qua, verba faciens de Cappella S. Luciae, una cum alia plane conformi

extructa ad limina Sacelli Praesepis Christi Domini, haec habet: *sub Altari,* nimirum Sanctae Luciae, *in Arca marmorea duo Sancta Beatorum Innocentium Corpuscula, a Basilica Sancti Pauli extra Portam Ostiensem nostro iussu translata, rite recondi curavimus, ut ad Christi Infantis Cunabula iidem S. Innocentes (flores, ac primitiae Martyrum, Deoque gratissimae victimae) quodammodo excubare videantur.* Ad instar autem et exemplum Reliquiarum SS. Bethleemiticorum Innocentium, passim ad Altaria exponuntur colendae Reliquiae Puerorum, qui in odium Christianae Fidei martyrium subierunt, quorum Ossa certis martyrii notis distincta, ex Urbis Coemeteriis effodiuntur. In Coemeterio Gordiani, uti praediximus, reperta fuerunt Ossa puerili Dorotei, ipso adscripto nomine, adpositoque sanguinis vasculo: et infantis Cineres ac Ossa, una cum inscriptione, Anagniam fuerunt transmissa, ut in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani collocarentur, quemadmodum testatur Boldetti *praecitato suo Opere,* pag. 344, ubi pag. 345 refert, in eodem Gordiani Coemeterio inventum fuisse Corpus Decentii pueri quinquennis, una cum proprio nomine inscripto, ampullaque sanguinis, fuisseque illud in Cappella Rosarii, intus Ecclesiam Sanctae Sabinae, in Aventino collocatum. Nisi perspicua res esset, et quotidiano usu comprobata, nullo negotio posset contexi catalogus compluribus exemplis, quibus horum infantium Reliquiae in Ecclesiis locatae noscuntur; verum cum nemini incognita sit disciplina isthaec, libenti animo a similium exemplorum collectione cessabimus, concludemusque de tertia hac classe sermonem, animadvertentes, recensitos in ea pueros publicum obtinere cultum in Ecclesiis, in quibus eorum Reliquiae conquiescunt, in id maxime consentiente, et probante Sancta Sede, quae firmum statuit suae concessionis fundamentum in certis martyrii insignibus, in eorum sepulchris repertis; nec propterea tamen asseri posse, eosdem esse formalem Canonizationem consecutos, si Canonizatio, prout par est, nil aliud esse ponatur, quam sententia Romani Pontificis in universali Ecclesia per modum praecepti cultum tribuentis. De cultu praefatis Reliquiis exhiberi solito, quamvis plerumque is sit absque Officio et Missa, disseruimus ipsi in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctor.,* lib. 4, part. 2, cap. 28, ubi invectae praxis fundamenta recensuimus; et lib. 1, cap. 38, num. 3 et seq. praetermissa haud fuere, quaecumque spectant ad recitandum Officium, Missamque celebrandam in universa Ecclesia, quoties res sit de pueris formali vel aequipollenti Canonizatione inter Sanctos relatis.

§ 21. Postremam classem illi pueri constituunt, quibus in odium Iesu Christi adempta est vita, quorumque cultus expetitur per formalem vel aequipollentem Beatificationem; quam denique, quoties nil aliud obstet, potest, ac etiam solet consequi formalis Canonizatio. Superius dictum est, Romanos Pontifices suam auctoritatem in Canonizationibus semper interposuisse, etiam tum cum de ea Canonizatione agebatur, quae fiebat ex introducto in unam Dioecesim cultu, qui deinde in aliam, et postremo in universum Orbem propagabatur. Nunc vero addimus ab Alexandro III invectam fuisse, firmiterque statutam disciplinam, iuxta quam solius Romani Pontificis est, in peculiari unoquoque loco, et in singulis totius Orbis Dioecesibus cultum indulgere, vel approbare. Huiusce Constitutionis fundamenta, rationesque

deprehendere est ex praecitato Nostro lib. 1, cap. 10, num. 3 et seq., et ex iis, quae ibi latiori calamo adducuntur, inferre licet, non solum Romani Pontificis praecipuum esse, quemadmodum semper fuit, cultum in universa Ecclesia vel Martyribus, vel Confessoribus praecipiendo asserere, in quo, uti saepe dictum, sita est Canonizatio, verum etiam permittendo, indulgere, ut aliqua in Civitate, vel Dioecesi, caeterisve definitis locis, religioso cultu honoretur aliquis Dei Servus Confessione, vel Martyrio conspicuus, qua in re constituitur Beatificatio. Ex hac autem postrema classe sunt duo Beati infantes in odium Fidei interempti, Simon Tridentinus martyrium consecutus anno 1472, et Andreas Rinnensis, seu Vico Rinnensi martyrio sublatus sub annum 1462, de quo nunc agimus. Utrumque enim ab hac Sancta Sede, nisi formalem, aequipollentem saltem Beatificationem obtinuisse, affirmari potest, dum, allatis, discussisque iam omnibus, quae erant de martyrio, causa martyrii, et fama signorum ac miraculorum necessario perpendenda, ad Officii Missaeque concessionem in certis quibusdam locis, deventum est. Et quamvis, uti superius diximus, iussu Gregorii XIII Pontificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuerit illatum, haud tamen contendi potest, eumdem propterea fuisse canonizatum; est namque tutissimum aeque ac receptissimum principium, *annuntiari in Martyrologio nomina, et clariores res gestas eorum, qui in eo descripti sunt, ut excitentur fideles ad imitationem, et etiam ad cultum, sed intacta semper permanente Ecclesiastica disciplina: ita ut, si res sit de iam Canonizatis, cultus, ad quem excitantur fideles, sit praeceptivus, universalis, et publicus; si vero agitur de Beatificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis, et locis Indulto Beatificationis comprehensis; sit autem permissus, sed privatus, quoad alios, qui Indulto comprehensi non sunt:* veluti ipsi hisce conceptis verbis, re mature perpensa, investigataque praxi per S. Sedem servari solita, conclusimus in nostro Opere *de Canonizatione,* lib. 4, part. 2, cap. 19, num. 16.

§ 22. B. Simonis Canonizationem, quamvis Beatorum honores, longe ante B. Andream consecuti, nemo est qui promoveat. Instantia pro Canonizatione, quae nunc urgetur, B. Andream respicit multo post Beatificatum: tota autem disquisitio in eo versatur, num instantiae aditus dari debeat; neque enim inaudita res est, iustis et gravibus de causis, sisti alicuius Causae cursum, occludique viam ad Canonizationem, etiamsi Beatificatio praecesserit, quemadmodum perspicuum faciunt tam multae Causae, in quibus postquam per formalem, vel aequipollentem Beatificationem Officium et Missa concessa fuit, nemo extitit umquam, neque deinceps erit, qui solemnem petendam cogitet Canonizationem.

§ 23. Paucis igitur gradum facimus ad rationes, quae non ad unam coarctantur Beati Andreae causam, sed omnes aeque afficiunt causas Puerorum, quos in aetate boni malive nescia, odium in Christi fidem sustulit, quique cum Martyres sint, non tamen sunt *voluntate et opere,* sed solo *opere,* ut ipsis utamur verbis S. Bernardi. Videri enim cuiquam fortasse poterit, recte factum, si omnibus confluentibus conditionibus, proprius Beatorum cultus iis decernatur; at dubitabit, num congruat ulterius progredi, per modum praeceptivae legis cultum ampliando ad universam Ecclesiam, quod praeci-

puum Canonizationis est, quamvis etiam nihil desideraretur eorum, quae requiruntur, ut transitus fiat a Beatificatione ad Canonizationem.

§ 24. Fundamenta, quibus potest isthaec inniti dubitatio, singula subnectimus. Primum in eo situm est, nullum fortasse in veteri Canonizationum praxi, aliud offendi exemplum verae, ac propriae Infantium Canonizationis, praeter illud unum Bethleemiticorum Infantium, quandoquidem caetera exempla possunt commode ad Beatificationem referri; atque praeterea certum esse, extare plane nullum exemplum formalis Canonizationis vel unius horum Puerorum post methodum Sanctae Sedis auctoritate invectam, confirmatam, servatamque in Causis publici Cultus, qui semper quoad hosce Pueros sola fuit Beatificatione conclusus. Quod autem per plura saecula nullum offendatur exemplum, quamvis eius inducendi non defuerit occasio, res est magni momenti, quaeque negotium iure facessat cuilibet novarum rerum minime studioso.

§ 25. Alterum ex ea est animadversione, rem totam hanc in eo verti, quod hi Pueri Martyres sint, quia pro Christo mortem subierunt. Id autem, si generatim loquimur, inficiatur nemo; ideoque libenter datur, ut quoties necessaria quaeque concurrant, iisdem Beatificationis cultus decernatur. At si recepta probataque est regula, non esse latam Canonizationibus sternendam viam, ne vilescant, quemadmodum et Nos adnotavimus *in nostro* lib. 1, cap. 13, num. 16, videtur pertimescendum, ne plane huiusmodi incommodo reseretur aditus, quotiescumque ad Canonizationem admittantur Pueri pro Christi Fide mortem perpessi, ex eo tantummodo, quod martyres sint. Docent quippe Theologi, Martyres esse et eos Pueros, qui in bello sacro, dum oppugnantur urbes, vel ex insidiis invadantur arces, caesi fuerint, ut aperte docet Sotus in 4 Sent., dist. 3, quaest. unic., art. 11, § *Secunda propositio*, et eos quoque Pueros censeri Martyres tradunt, quos Christi hostes interfecerint, quamvis nondum ex materno ventre eruperint, sive superstes maneat Genitrix, sive cum iis pereat, uti videre est apud Theophilum Raynaudum, cit. tom. 18 in *Opere inscripto de Martyrio per pestem*, part. 2, cap. 2, num. 8 et late apud Hurtadum *in resolutionibus de vero Martyrio*, tract. 2, resolut. 20, per tot. Quidquid autem pronunciatur de Pueris ante usum rationis in Christi odium sublatis, protendi ad homines adultae aetatis contenditur, qui rationis semper expertes fuerint, si et his in odium Fidei ab inimicis Christi vita adimatur, hos quippe statuunt Pueris omnino similes. Videatur Cardinalis Capisucchius in suis controversiis Theologicis, et nominatim in illa de Martyrio, quaest. 2, § 4 in fin.: *Licet in Pueris ante usum rationis pro Christo morientibus non adsit propria ac personalis intentio, adest tamen intentio Ecclesiae, quae in illis mortem pro Christo acceptat, eosque per Martyrium Deo consecrat, etc. Quae autem de Infantibus ante usum rationis pro Christo occisis dicta sunt, intelligenda sunt etiam de amentibus, qui nunquam rationis usum habuerunt, si contingat, eos in odium Christi occidi.* Sententiae et opiniones hae quidem sunt, quae si in praxim deducerentur, Canonizationum splendori plurimum possent detrahere.

§ 26. Tertium denique fundamentum statuitur in doctrina, quam cum S. Thoma tradunt caeteri quoque Theologi, nimirum, in Paradiso martyribus

esse gloriam essentialem, quae dicitur *aurea* esse; et praeterea eidem adiunctam, sive accidentalem, gloriam, quae *aureola* appellatur, sitam in quodam gaudio, quo perfunduntur, dum animo conspiciunt partam sibi ex Mundo victoriam, cum pro Christo pugnantes, ultro mortem pro ipso oppetierunt; cuius quidem aureolae non aeque participes sunt pueri, qui cum Martyres fuerint, *solo* tamen *opere* fuerunt, non *voluntate: Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem; in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse; ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate.* Sunt haec S. Thomae verba in 4 sent., dist. 49, quaest. 5, art. 3, quaest. 2 ad duodecimum. Ad haec autem Sancti Doctoris verba sic pergit Cardinalis Capisucchius praecit. loco § 26. *Cum aureola sit praemium a Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quae ipsi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde sit praemium respondens operibus; evidens est, Sanctos Innocentes, et alios Parvulos pro Christo ante usum rationis occisos, aureola non gaudere martyrii.* Cum vero Infantes, licet martyres, ob mox expensam rationem, aureola non gaudeant martyrii, assumi id a quopiam fortasse poterit, ut tueatur, si iis in militanti Ecclesia Beatificationis cultus potest competere, haud tamen congruere, ut alter Canonizationis cultus iisdem tribuatur; quandoquidem inter Canonizationis decernendae causas et illa recensetur, ut Canonizati gesta omnibus per Orbem Catholicis in exemplum proponantur: huiusmodi autem res gestae in pueris pro Christo necatis desiderantur.

§ 27. Et quamvis respondere quisquam valeat, nimiam inesse vim argumento, cum inde concludatur, ne Bethleemiticos quidem infantes honorem Canonizationis promeritos, cum nec ipsi martyrii aureolam sint consecuti; videtur tamen responsio omni plane robore destituta, si animus advertatur ad eam facti speciem, in qua Bethleemiticis infantibus vita adempta fuit, atque ad vetustissimam constantemque observantiam Ecclesiae, quae eosdem tanquam Martyres semper est venerata. Et profecto, absque eo quod necesse sit amplecti opinionem Armacani, martyrium Bethleemiticorum infantium ad solos circumcisos cohibentis; quod a caeteris communiter exploditur, uti videre est apud Valentiam in suo celebri Tractatu *de rebus Fidei*, cap. 4, *de Baptismo Parvulorum*, § *Atque hoc;* reiectaque etiam superius allata, improbataque sententia aliorum, qui opinati sunt acceleratum fuisse Bethleemiticis infantibus rationis usum; quod aperte improbatur a D. Thoma 2, 2, quaest. 124, art. 1 ad primum; replicari posse videtur, martyres esse Bethleemiticos infantes, et horum instar Martyres esse caeteros etiam, qui antequam iis affulgeat ratio, pro Christo intereunt; at cum illis faveat consensus atque doctrina Patrum, et perpetua Ecclesiae traditio, his vero sola, licet ceteroquin spectabilis, Theologorum opinio, haud mirum videri debere, si primis aliquid amplius supra secundos tribuatur. Videatur Vasquez in 3 part. D. Thomae, tom. 2, disput. 153, quaest. 68, cap. 7, ubi, postquam firmaverat, Bethleemiticos esse vere Martyres, et Martyres quoque esse caeteros pueros pro Christo occisos, ita subdit: *Porro, quamvis non tam certum sit, quod diximus de aliis*

infantibus pro Christo occisis, quam de illis, qui hac de causa ab Herode interfecti sunt, quia pro interfectis ab Herode, Ecclesiae traditionem, et Doctrinam Patrum pleniorem habemus; nihilominus indubitatum apud nos esse debet (id tamen ita certum habendum, ut nisi definitioni Ecclesiae, communi certe quidem Theologorum opinioni innitatur) *eamdem rationem esse de omnibus, qui post adventum Christi propter ipsum occisi sunt.*

§ 28. Eoque magis, quia quae nunc proponitur quaestio, non ea est, si res recte expendatur, an pueri post Christum natum ab eius hostibus interempti canonizari possint; verum an id fieri expediat: his autem terminis conclusa quaestione, non magnopere adlaborandum, ut intelligatur quantum intercedat discriminis inter Bethleemiticos infantes, et caeteros omnes, qui post ipsos pro Christo intereunt.

§ 29. Quaecumque hactenus persecuti sumus, videri quoque possunt in Nostro lib. 1, *de Canonizatione*, cap. 14 et lib. 3, cap. 15, num. 2 et seq. Superest modo, ut expendantur omnia, ac cognoscatur, an deceat, ut causae Beati Andreae permittendus sit ad ulteriora progressus, an vero conducibilius sit, ut eum servet statum, quem nunc habet, quique idem plane est cum eo, in quo Causa Beati Simonis conquiescit. Et quia impossibile haud est alias huic similes excitari instantias, sollicitudinis tuae partes erunt, prudentisque consilii caeterorum, quos ipsi ad id designabimus, indicare, quae ineunda ratio, cum se huiusmodi obtulerit casus, qui plerumque proponi consuevit, de puero aliquo maiori hebdomada ab Hebraeis in contumeliam Christi necato: tales namque sunt Beati Simonis et Andreae, nec non bene multorum ex iis, quos Auctores commemorant, puerorum neces. Videri enim cuiquam fortasse poterit, quoties placeret causis interemptorum huiusmodi infantium patere aditum, oportere, hasce neces fuisse clamosas, populo cognitas, ab omnibus damnatas, atque a magistratibus vindicatas; praetereaque etiam optimum esse, quandoquidem res est de martyribus *non voluntate et opere, sed solo opere,* signorum et miraculorum numerum definire, ac requirere maiorem constituto ad formalem Canonizationem obtinendam. Litteras hasce Nostras, Apostolicam tibi, Dilecte Fili, Benedictionem impertientes, absolvimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 235-265].

434.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Allatae sunt*, 26 iul. 1755.[1]

§ 1. Allatae sunt ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Litterae Sacerdotis cuiusdam, Sacris Missionibus exercendis deputati in Civitate Balserae, quam vulgo *Bassoram* vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat, et Mercatorum negotiationibus est celeberrima; quibus Litteris exponendum censuit, plures in illa Urbe commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe, aut Syriacos, qui peculiari Templo carentes, ad Latinorum Missionariorum Ecclesiam se conferunt, ubi eorum Sacerdotes Missarum Sacrificia iuxta peculiares ipsorum ritus offerunt, aliasque Sacras Coeremonias perficiunt; Laici autem huiusmodi Sacris intersunt, et Sacramenta ab iisdem Sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi, utrum praedicti Armeni, et Syriaci, Catholicum suum Ritum observare debeant, an vero, ad tollendam varietatem in ipsa Ecclesia, in quam Latini etiam, ut diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni, et Syriaci, relicto veteri Kalendario, novum amplectantur, in iis, quae pertinent ad statuenda tempora Paschalis Solemnitatis, et annuae Communionis, sicuti etiam Quadragesimae, dierumque Festorum tam mobilium, quam immobilium: atque ulterius progrediendo, quaesivit, quatenus praedictis Balserae Armenis et Syriacis novum Kalendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent Templum, sed adeo angustum, ut Sacris Functionibus decenter obeundis impar deprehendatur, ideoque ad Ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

[1] Ad Missionarios per Orientem deputatos.

§ 2. Insuper idem Missionarius praedictae Congregationi subdidit, quod quum Catholicis Orientalibus Armenis, et Syriacis praeceptum sit, diebus ieiunio dicatis, a piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturae fragilitate pertracti, partim ex eo, quo Latinis Catholicis aliam esse consuetudinem intuentur: ideo non alienum videri, si facultas Missionariis tribuatur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his, aut illis, ut piscibus utantur ieiunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, et aliud pietatis opus, loco abstinentiae a piscibus, subrogare iubeantur.

§ 3. Haec, uti diximus, a praedicto Missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi Generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram Nobis die 13 Martii huius anni 1755, et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu, responsum fuit: *nihil esse innovandum.* Id quod Nos etiam auctoritate nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide diei 31 Ianuarii anni 1702 edito quod deinde confirmatum, et renovatum non semel fuit, et est huiusmodi: *Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario, Sacra Congregatio mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus, et singulis Missionum Apostolicarum Praefectis, et Missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione, aut praetextu, audeat dispensare cum Catholicis quarumcumque Nationum Orientalium, super ieiuniis orationibus, caeremoniis, et similibus, a proprio earumdem Nationum Ritu praescriptis, et a Sancta Sede Apostolica approbatis. Praeterea eadem Sacra Congregatio censuit, non licuisse, nec licere praefatis Catholicis ullatenus a proprii Ritus, a Sancta Romana Ecclesia ut supra, approbati, consuetudine et observantia recedere. Huiusmodi autem decretum sic confirmatum, ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis Praefectis, et Missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere, mandarunt.* Quod quidem decretum respicit Catholicos

Orientalis Ecclesiae, eorumque ritus ab Apostolica Sede approbatos. Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor Ritibus constare, Graeco videlicet, Armeno, Syriaco, et Cophtico, qui sane Ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae, aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae Latinae Romanae nomine, Ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus, et varii peculiares Ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

§ 4. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo Commentario indigeat. Quare nostra haec Encyclica Epistola eo tendit, ut huiusmodi Lex omnibus cognita fiat, atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quaestiones a Missionario Balserae propositas, ex ignoratione decretorum, quae iampridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex aliis multis atque frequentibus indiciis coniicimus, Missionarios Latinos in id curam, et cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a Schismate et errore ad Unitatem, Sanctamque Catholicam Religionem, Orientalem Rituum de medio tollant, aut saltem labefactent, Catholicosque Orientales ad Latinum Ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio Religionis amplificandae, et opus bonum, Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac nostra Encyclica Epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia complecti, quae, iuxta huius Apostolicae Sedis sententiam, pro norma haberi debent, quoties Orientales ad Catholicam Religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in Locis, ubi aut nulli degunt Latini, aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

§ 5. Sane historiam Ecclesiasticam ne quidem primis, ut aiunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent, post funestum schisma Photii, qui tempore Summi Pontificis Sancti Nicolai I, Constantinopolitanam Sedem, depulso per vim Sancto Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. Sanctus Leo IX, Praedecessor noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut huiusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II Graecos ad Barense Concilium invitavit; sed exiguum fructum consecutus est, tametsi Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae Romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod Beatus Gregorius X coegerat, Michael Palaeologus Imperator, et Graeci Episcopi, unitatem Romanae Ecclesiae amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV Summo Pontifice, ad quod Ioannes Palaeologus, et Ioseph Patriarcha Constantinopolis, cum caeteris Orientalibus Episcopis, convenerant, Unio statuta fuit, et uniuscuiusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio, Armenorum, et Iacobitarum Ecclesiae, ad obedientiam Sedis Apostolicae redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, Legatos etiam Regis Aethiopum excepit, ac Syros, Chaldaeos, et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio Sancti Matthaei, Cap. 13,

semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suspiciunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem: facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur:* ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus, tamquam novus Photius, Unionem convellere adnixus est, et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

§ 6. Praeterea Ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret, ita cum Orientalibus Unionem peractam, firmatamque fuisse, ut Dogma processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio reciperent, atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque,* symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, Sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur; ut dogma Purgatorii, visionis beatificae, ac Primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo omnem curam collatam fuisse, ut errores Catholicae Fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili Orientali Ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cui satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad Unitatem Graecis semper cogitarunt, eamdem viam, quam paulo ante indicavimus, semper institisse, at adhuc insistere; sicut ex ipsorum cum dictis, tum factis manifeste colligitur.

§ 20. Peracta in Florentino Concilio Unione, quam superius memoravimus, quidam ex Latinis Catholicis, in Graecia commorantes, arbitrati sunt, fas sibi esse a Latino Ritu ad Graecum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant Graecis praeservatam, retinendi post Ordinem Sacrum uxores, quas duxerant, antequam eumdem Sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V Pontifex Maximus opportunum huic corruptelae remedium afferre non praetermisit, ut colligitur ex eius Constitut.,[1] tom. 3, part. 3 *Bullarii* recenter Romae editi pag. 64. *Pervenit ad aures nostras, quod in Locis, quae Catholicis in Graecia subiecta sunt, multi Catholici, Unionis praetextu, ad Graecos impudenter transeunt Ritus. Mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine, ac Ritibus, in quibus nati, enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere, neque id unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit.* Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quae Mater est et Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus praeferri debet. Ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Graecum transire; nec illis, qui semel a Ritu Graeco, vel Orientali, ad Latinum transierunt, integrum esse ad pristinum Graecum Ritum reverti, quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57, § 2, num. 13, *Bullarii nostri,* tom. I,[2] nisi forte peculiares quaedam intercederent circumstantiae, quae impertiendam hac super re dispensationem suaderent; sicuti superioribus temporibus aliquando, et nunc etiam

[1] *Pervenit,* 6 sept. 1448. – Bull. Rom., tom. 3, III, p. 64.
[2] Cf. N. 328.

accidit in Collegio Maronitarum huius nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis Societatis Iesu Sacerdos, qui Societatem ingrediens, dispensationem obtinuit transeundi ad Latinum Ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in Ecclesia memorati Collegii Missam celebret Ritu Syriaco, et Chaldaico, Divinumque Officium iuxta eumdem Ritum persolvat, nempe, ut Alumnos in eodem Collegio degentes Ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus Decretis Congregationis Sancti Officii, uno videlicet dato die 30 Decembris anno 1716, altero die 14 Decembris anno 1740, nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19 Augusti anno 1752 iussimus expediri.

§ 21. Haec transitum de Latino ad Graecum Ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab Orientali, et Graeco ad Latinum Ritum, libere affirmari potest, transitum huiusmodi, non aeque, ac primum, interdici; sed tamen nequaquam licere Missionario, Graecum et Orientalem, ad Catholicae Eeclesiae unitatem reverti exoptantem, inducere, ut proprium Ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo, gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae Catholici libenter olim a Graeco Ritu ad Latinum transibant; sed vetitum id ipsis fuit, monitique Missionarii, ne illis suaderent huiusmodi transitum; cuius permissio est privativo Apostolicae Sedis iudicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione: *Demandatam* 85, § 15, *Bullarii* tom. I.[1] *Praeterea omnibus, et singulis Melchitis Catholicis, Graecum Ritum servantibus, ad Latinum Ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis, aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant.* Consentanea sunt Decreta Urbani VIII Praedecessoris nostri quoad Ritum Graeco-Ruthenum, edita in Congregatione Propagandae Fidei coram ipso habita die 7 Februarii, ac die 17 Iulii anno 1624. Quamvis autem aequum videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Graeco Ritu ad Latinum, cum ipsi inter nos versentur, et Latino Episcopo subiiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus agatur: si vero Laici, et Saeculares transitum huiusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob iustas, ac legitimas causas, certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, nunquam vero integrae Universitati. In hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57, § 2, num. 14, *Bullarii nostri* tom. I.

§ 22. Quod si defendi vellet, Orientales, et Graecos haeresim abiurantes, et ad Unitatem redeuntes, allici iure posse, ac urgeri ad Ritus suos deserendos, Ritumque Latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit, atque nunc etiam probetur, Orientales, et Graecos Latinum aliquem Ritum sectari; opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et Graeci duas veluti Classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam

[1] Cf. N. 338.

contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad Unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, iactantes, quaecumque a se fiunt, ea iure optimo fieri, Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit Azymum: Graeci, et Orientales, ut Catholici sint, fateri debent, tam azymum, quam fermentatum panem, materiam esse aptam Sacramenti Eucharistiae, et quemlibet Ecclesiae suae Ritum sectari oportere; adeo ut quicumque improbat Ecclesiae Latinae Ritum, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat, et in errorem prolabatur. Hilarion Monachus in Dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius a Graeco sermone Latinam reddidit, tom. 1, *Graeciae Orthodoxae*, edito Typis Congregationis de Propaganda Fide 1652, pag. 762 haec advertit: *Et haec scripsi vobis, Graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aeque ac nostra azyma revereor, incusans, sed exponens, neque probe, neque ut Christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque laeditis, iniuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur.* Exemplum est itidem ex libertate Orientali et Graecae Ecclesiae relicta, ut qui in ea Sacris Ordinibus, atque etiam Sacerdotio sunt insigniti, uxores, quas ante Sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, ut patet ex Can. *Aliter*, dist. 31, et Cap. *Cum olim, de Clericis coniugatis.* Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari Divino, aut naturali iuri, sed tantum Ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Graecos, et Orientales vigentem ferre, ne, auctoritate Apostolica ad eam evellendam interposita, illis occasio ab unitate recedendi praeberetur; quod recte expendit Arcadius *in sua Concordia*, lib. 7, cap. 33. Attamen, quis crederet? Non defuerunt, neque desunt ex Graecis, et Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam iniuria arguunt, tamquam Matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta, in suis Subdiaconis, Diaconis, ac Presbyteris coelibatum servaverit, ac servet. Legi potest Hincmarus Rhemensis tom. 2, *suorum Operum*, epist. 51. Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Cophtis, quorum Ritus praescribit, ut post Baptismi Sacramentum illico adiungatur Confirmatio; qui mos non obtinet in Occidentali Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut quid bonum, quidve malum sit, possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) extant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma, Confirmationis etiam Sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129 quae incipit: *Eo quamvis tempore, Bullarii nostri* tom. 1,[1] merito a nobis arguuntur, atque damnatur: *Sicuti lenitati, et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in suo iamdiu recepto, et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino, et seorsim a Confirmatione collatum, acerbo, alienoque animo perhorrescant.*

§ 23. Alteram Classem constituunt Orientales illi, et Graeci, qui retinentes maiori ex parte Ritus suos, et insimul Occidentalium, ac Latinorum

[1] Cf. N. 357.

Ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta, et approbata, atque insuper ab Apostolica Sede expresse, vel tacite confirmata. In hanc Classem conferri possunt Armeni, ac Maronitae, qui fermentatum deseruerunt, et Eucharistiam, sicuti Latini, in azymo conficiunt, uti testatur Abrahamus Echellensis *in suo Eutychio vindicato*, pag. 447; quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt Sancto Gregorio Illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti, sub Tiridate Rege, Martyrii coronam est consecutus; alii vero Sancto Silvestro Pontifici, aut Sancto Gregorio Magno eamdem referunt acceptam, in Conventionibus cum Armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX in suis Epistolis ad Regem Armeniae, relatis a Raynaldo *ad annum Christi 1139*, num. 82. Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam, testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius, in Epistola ad Haytonem patrem Leonis Regis Armeniae Coenobitam, *apud Clementem Galanum, in Conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana*, tom. I, pag. 449 sic scribens: *Quocirca nos a S. Romana Ecclesia, aquae commixtionem* (cum vino in Calice) *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus Azymum, Mitram Episcopalem, et modum signandi Crucem.* Vetustissima pariter, et immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, uti constat ex Morini *Praefatione ad Maronitarum Ordinationes; et ex Bibliotheca Orientali Assemani senioris*, tom. 1, pag. 410; atque ex Synodo Nationali in Monte Libano congregata anno 1736, et a Nobis in nostra Constitutione *Singularis* 31, Bullarii nostri Tom. I confirmata,[1] in cuius cap. 12, *De Sacramento Eucharistiae*, cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos, et in Ecclesia nostra, et apud Armenos quoque in Oriente, ab immemorabili tempore obtinuit, et authentica etiam huius rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum, et Maronitarum exemplo, Bessarion Cardinalis, cui primum Abbatia Cryptae Ferratae sita in Dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut Graeci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33, *Inter multa*, § *Ut autem, Bullarii nostri* Tom. II.[2] Idem semper servatum fuit, hodieque servatur in Ecclesia Collegiata S. Mariae *de Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi Dioecesi, licet ipsius Clerus Ritum Graecum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81, quae incipit: *Romana Ecclesia*, § 1, *Bullarii nostri* Tom. I,[3] quamvis, generatim loquendo, Presbyteri Italo Graeci servent in Italia, Insulisque adiacentibus suam disciplinam, ac Ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam; moneanturque impensius Sacerdotes Latini, vel Graeci Ritus, ne Eucharistiam consecrare, ac distribuere iuxta proprium cuiusque Ritum praetermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quae incipit; *Etsi Pastoralis* 57, § 1, num. 2 ac § 6, num. 10 et seq. *Bullarii nostri* tom. I.

§ 24. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post Baptismi Sacramentum Eucharistia pueris traderetur, haud quidem ex ea persuasione,

[1] Die 1 sept. 1741. - Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 74-78.
[2] Cf. N. 379.
[3] Die 18 mart. 1743. - Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 266-268.

quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria, sed ex mero ritu, et consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii Patres, Sess. 21, cap. 4. Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII damnatos, quinquagesimus octavus apud Raynaldum, ad annum Christi 1341, § 66 recensetur ille, quo asserebant, ad aeternam puerorum salutem, et Baptismi iis collati validitatem, praeter Confirmationis sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia, quadringentis, et amplius abhinc annis, Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in Libris Ritualibus Orientalium, commemorari Ritum Communionis post Baptismum pueris administrandae. Assemanus iunior lib. 2 *Codicis Liturgici*, pag. 149 refert ordinem ministrandi Baptismi apud Melchitas; pag. quoque 309 ordinem exscribit Baptismi Syrorum, editum a Philoxeno Mabugensi Episcopo Monophysita; pag. 306 alium affert desumptum a veteri Rituali Severi Patriarchae Antiocheni Monophysitarum antesignani; et lib. 3 eiusdem Codicis, pag. 95, et pag. 130 binos alios ordines commemorat, servatos inter Armenos, et Cophtos in ministrando Baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post Baptismum Eucharistia ministretur. Huiusmodi consuetudinem apud nonnullos Graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait Sanctus Thomas 3 part., quaest. 80, art. 9, ad tertium. Arcudius vero lib. 3 *de Sacramento Eucharistiae*, cap. 11 hanc esse Graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda, quae in prebenda pueris post Baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum, habitae in Monte Libano die 18 Septembris anno 1596, cui praefuit Pater Hieronymus Dandinus Societatis Iesu, Nuncius Summi Pontificis Clementis VIII, haec verba leguntur can. 7: *Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilisque Sacramenti iniuria, vix potest Sacra Christi Communio dari, caveant in posterum Sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720, § 3, *de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in Actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno 1736, cap. 12, *de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*, num. 13, cuius haec sunt verba: *In antiquis quidem nostris Ritualibus, sicut et in Ordine vetere Romano, et in Euchologiis Graecis, Baptismatis Ministro diserte praecipitur, ut Infantes mox a Baptismate, Chrismate delibutos, pascat Eucharistiae Sacramento; nihilominus tum ob debitam huic Augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem necessarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie Sanguinis, porrigatur.* Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro Italo-Graecis, incipiente: *Etsi Pastoralis* 57, § 2, num. 7, *Bull. nostri* tom. 1.

§ 25. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam Laicis, quoad Orientalem, et Graecam disciplinam, fuse disserunt Arcudius *in Concordia Occidentali, et Orientali in Sacramentorum administratione*, lib. 3, cop. 4, et Leo Allatius *in prima adnotatione de Ecclesiae Occidentalis, atque Orientalis consensione*, p. 1614 et seq. In Graecorum Collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII, ea indicta lege, ut Graecus

in eo Ritus servetur, quemadmodum praefatus Leo Allatius testatur in suo *Tractatu de aetate, et Interstitiis*, pag. 21, iuxta ipsius Collegii Constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII confirmatas, debent Alumni quolibet octiduo animi sordes Poenitentiae Sacramento eluere, et Sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus, et singulis Adventus, et Quadragesimae Dominicis Latino Ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, iubentur, Eucharistiam sub utraque specie Ritu Graeco suscipere, hoc est in fermentato, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in eos suscipientis Eucharistiam. Idemque Ritus servatur cum reliquis Graecis omnibus, qui praedictis diebus ad solemne Missae Sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in Ecclesia Graeci Collegii sibi Eucharistiam Ritu Graeco administrari deposcunt. Verum Italo-Graecis in memorata Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57, § 6, num. 15, Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus Ritus huiusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem Ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina, seu ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto, nonnulli Graeci, et Orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in Epistola ad Bertoldum Nimisium, quae typis impressa affertur in Opusculis Graecis, ac Latinis Leonis Allatii pag. 436, refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica Presbytero Abyssino, qui cum aliis communicaturus, ad sacram Mensam accesserat; cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde, atque etiam ab aliis Aethiopicae Ecclesiae hominibus, scisciatum fuisse, an, iuxta Patriae suae Ritum, Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni Liturgia, quam in quotidiana Eucharistiae participatione, nec non cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur; testaturque, fuisse sibi ab ipsis responsum, Sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari, hancque esse veterem disciplinam in Aethiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII proposita a Patriarcha Maronitarum, sequens recensetur: *Nos Missam celebramus in solo azymo; Laici vero nostri sub utraque specie communicant;* cui Pontifex his verbis respondit: *Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi: Laici vero a Communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt: totus enim Christus sub una specie continetur, et in usu Calicis magnum est periculum effusionis:* uti legere est in laudato Opere Thomae a Iesu, *de Conversione omnium gentium*, pag. 486 et seq. Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno 1736, part. 2, cap. 12, num. 21, huiusmodi consilio inhaerentes, ita statuerunt: *Deinde eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae institutis inhaerentes, praecipimus, et stricte mandamus, ne cui Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto, Communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum:* soli Diaconis permittentes, ut in solemni Missa Eucharistiam sub utraque specie a Sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu: *At vero*

Diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in solemni praesertim Missa, accipere possint et valeant, concedimus, et permittimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus.

§ 26. Postremo, ab Eucharistiae Sacramento minime recedentes, hic verba faciemus de alio Orientali, et Graeco Ritu, quo nimirum Sacerdos post consecrationem, et ante consummationem, paululum aquae tepidae in calicem fundit. Matthaeus Blastares in *Syntagmate Alphabetico*, cap. 8, tom. 2, *Synodicon Graecorum*, pag. 153, huiusmodi Ritum commemorat, eiusque significationem affert. Eutymius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus anno 1716 Summo Pontifici Clementi XI nonnulla quaesita proposuit, quorum alterum erat, utrum Melchitis Syriae, ac Palaestinae interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini post Consecrationem affundere; cui redditum fuit responsum, adiecta accurata, et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata, eiusque iussu transmissa ad Superiores Missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri, ac Sidonis; iniunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri Ritu ageretur, Sedi Apostolicae perspecto, et Graecis Sacerdotibus etiam Romae permisso; per quem innuitur Fidei ardor, qui maximus erga tantum Mysterium debet conflagrare. Simile responsum die 31 Martii anno 1729 iussu Benedicti Papae XIII datum fuit Cyrillo Graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem Ritus Italo-Graecis permittitur in citata Constitutione 57 *Etsi Pastoralis*, § 6, num. 2 *Bullarii nostri* tom. I. Cumque subinde in Congregationibus, quae pro correctione Librorum Ecclesiasticorum Ecclesiae Orientalis habitae fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset, utrum interdicendus esset Ritus infundendi in calicem aquam tepidam post Consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eumdem Ritum declamasset, responsum fuit die 1 Maii anno 1746, *nihil esse innovandum*, quod rescriptum a Nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit. Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamosciae anno 1720, graves ob causas, inhibuerunt Ruthenis Sacerdotibus, ne aquam tepidam post Consecrationem in calicem funderent, uti legi potest § 4 de celebratione Missarum: *Inhibet, gravem ob causam, et abrogat toleratam in Orientali Ecclesia consuetudinem, ad consecratas calicis species aquam tepidam affundendi, post Consecrationem, ante Communionem.*

§ 27. His sane, et aliis huiusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a Ritu Orientali et Graeco, ad Occidentalem et Latinum sunt propensiores, vel certe quidem putant se iure optimo agere, dum Schismaticum Orientalem ad Ecclesiae unitatem convertentes, satagunt eumdem abducere ab aliquo Ritu, quem servare consueveverat, priusquam nobis consentiret, quique a reliquis omnibus Orientalibus et Graecis, ex veteri disciplina, firmiter retinetur et observatur. Verum, neque superius allata exempla, nec caetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur; tum quia in transitu a Ritu Orientali et Graeco, ad Occidentalem et Latinum, tollitur omnino quidquid ab ipso Graeco Ritu praescribitur, et nostro Ritui non conformatur, quod non contin-

git in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe, si aliqua peculiaris solemnitas Graeci Ritus tollitur, Ritus tamen ipse, ac reliqua omnia eodem Ritu praescripta intacta servantur; tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo Ritu, salvis reliquis eiusdem Ritus partibus, non est privati viri, sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet Supremi Capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque Apostolica ea est, quae praecipuo quodam iure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab Orientali Ecclesia Ritum aliquem desumpsit, et in Occidentalem traduxit; aut permisit, Ritum aliquem Graecum in aliqua Latina Ecclesia usurpari. Eademque Apostolica Sedes, quoties deprehendit, periculosum vel indecorum aliquem Ritum in Orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit, eiusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique Apostolica Sedes, postquam vidit Orientalem, vel Graecam aliquam gentem in aliquo Latino Ritu usurpando, ac defendendo, vehementer obfirmatam, ac potissimum, quando Ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus, atque expresse, vel tacite ab Episcopis probatus, Ritum ipsum tolerando, et sic approbando, firmavit.

§ 28. In Latina, et Graeca Liturgia recitatur Symbolum, eiusque recitatio in Missae Sacrificio in Ecclesia Orientali primum instituta, deinde in Occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Toletano Concilio habito anno 589, can. 2, tom. 5 Collectionis Labbeanae pag. 1009, cuius haec sunt verba: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut, priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur.* Quare, cum Patres Toletani Concilii, disciplinam statuentes recitandi Symbolum in Sacrificio Missae, se ad Ritum Orientalium Ecclesiarum retulerint; id satis est ad agnoscendum, huiusmodi disciplinam in Oriente primo institutam, inde in Occidentem promanasse; sicut advertunt Cardinalis Bona *Rerum Lyturgic.*, lib. 2, cap. 8, num. 2, et Georgius *de lyturgia Romani Pontificis*, tom. 2, cap. 20, num. 2, pag. 176. Sed rem propositam persequendo, Amalarius in lib. *de Divinis Officiis*, cap. 14, postquam innixus auctoritate Sancti Paulini in Epistola *ad Severum*, retulit, sola Feria sexta maioris Hebdomadae in Ecclesia Hierosolymitana exponi consuevisse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus pependit, huic Graecae consuetudini tribuit Ritum adorationis Sanctae Crucis, quae Officio praedictae Feriae sextae in unaquaque Latina Ecclesia ad hanc usque diem peragitur. Trisagium *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis*, pia est, et frequentissima Oratio in Graecorum Liturgia, uti recte advertit Goarius in notis ad Euchologium in Missam Sancti Ioannis Chrysostomi, pag. 109. Eius Orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in Regia Urbe Constantinopolitana; cum enim Theodosius imperator, Patriarcha Proclus, et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in Coelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus, retulit se audivisse Angelos praedictum Trisagium canentes; quare, cum iussu Procli Patriarchae, universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat Nicephorus, lib. 14, cap. 46, recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur tom. 4 Labbeanae Collectionis. Idem vero Trisagium in Ecclesia Occidentali Feria Sexta maioris Hebdomadae Graece, et Latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis Bona *Rerum Liturgicar.*, lib. 2, cap. 10, num. 5. Aquae benedictio in pervigilio Epiphaniae ex Ritu est Graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit Goarius in Euchologio, sive Rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum Ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius Constitutione nostra 57, § 5, num. 13 mentio habetur, simulque permittitur, ut Fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu Ritus huiusmodi ab Orientali in aliquas Occidentales Ecclesias videri possunt, quae congessit eruditus Martene, tom. 4, *de antiqua Ecclesiae disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, cap. 4, num. 2, et quae afferuntur in Dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719, cui titulus est: *De ritu Ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania*, ubi propterea part. 3, pag. 177 et seq. opportune monet Episcopos, in quorum Dioeceses longo abhinc tempore nonnulli Ritus ab Ecclesia Graeca manantes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur, et ne videantur improbare rationem agendi Sedis Apostolicae, quae Ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari et frequentari permisit; affertque etiam pag. 203 epistolam Cardinalis Sanctorii, Sanctae Severinae nuncupati, scriptam anno 1580 ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento, et de aqnae Benedictione in Epiphania, quae in illa Dioecesi peragitur. Graecus pariter est Ritus spoliandi, ac lavandi Altare Feria quinta in Coena Domini. Huiusce Ritus monumentum aliquod reperire est saeculo quinto, de eo namque meminit in suo Typico, sive Ordine recitandi Officium Ecclesiasticum per totum annum, S. Sabas, qui, teste Leone Allatio, *de Libris Ecclesiae Graecae*, dissert. 1, pag. 9, obiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum, Sancti Gelasii Pontificis iussu compositum fuisse, Ritus lavandi Altaria Feria quinta in Coena Domini, praedictae Graecorum consuetudini fuisset quasi coaevus in Latina Ecclesia, cum Sanctus Gelasius Pontifex obierit anno 496. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus, tantae antiquitatis merito praestet, et cum, eo seposito, Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc Ritu verba fecerit; idemque S. Isidorus anno 636 sit vita functus: satis id est, ut ab Oriente in Occidentem fluxisse asseratur Ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis Latinis Ecclesiis retinetur, probantibus Romanis Pontificibus; ac potissimum in Vaticana Basilica, magna cum Solemnitate, Feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis, et Vicarius eiusdem Basilicae, et Ioannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui in minoribus inter Beneficiatos eiusdem Basilicae recensebatur, duas elucubratissimas Dissertationes ediderunt, quibus praedictum Ritum illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis, et factis aperte evincitur id,

quod paulo ante diximus, Sedem videlicet Apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam Ritus, qui ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur.

§ 29. Iam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus, deque admirabili modo, quo cantus eiusdem in Sacras Liturgias Ecclesiae Graecae inductus fuit. Cum tamen Petrus Fullo, cognomento Gnaphaeus, fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset Trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis:* sicuti fuse commemorat Theodorus Lector lib. 1 *Collectanear.;* et cum nonnullae Orientis Ecclesiae, ac potissimum Syrorum, et Armenorum, opera cuiusdam Iacobi Syri, teste Nicephoro lib. 18, cap. 52, additamentum huiusmodi recepissent; haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura et sollicitudine, inolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem interdicere; reiicientes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres Divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi iactabatur; tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico; tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimae Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit in notis ad Can. 81, *Trullanum,* ubi, postquam retulerat, a Felice III, et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli divinae Trinitati a Sanctis semper Angelis adcantatum, Ecclesiae ab ipso Deo ac eisdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum Regiae Urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, constanter asseverant* (loquitur de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus) *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gregorius VII eodem Religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola prima lib. 8, scripta ad archiepiscopum, sive Patriarcham Armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14 Februarii anno 1577. In Congregatione autem Propagandae Fidei, habita die 30 Ianuarii anno 1635, cum examini subiecta fuisset Armenorum Liturgia, atque inter caetera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum additio inducta Trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quod illam ad solam Filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit, id non esse permittendum, additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae, cap. 26, pravam consuetudinem iam invectam improbavit, iuxta quam, mulieres Sacerdoti Missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad Graecos transiisset, Innocentius IV in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit,[1] eumdem severissime proscripsit: *Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.* Iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata Constitutione *Etsi Pastoralis,* § 6, num. 21, tom. 1, *Bullarii nostri.* Feria quinta Maioris Hebdomadae, ad recolendam Dominicae Coenae memoriam, sacra peragitur functio, in qua consecratur panis, qui per integrum annum asservatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui Sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt, et aliquando etiam eidem pani consecrato exigua pars vini consecrati affunditur. Ritus huiusmodi a Leone Allatio describitur in suo Tractatu *de Communione Orientalium sub specie unica,* num. 7. Summus Pontifex Innocentius IV in laudata Epistola ad Episcopum Tusculanum, Ritum illum Graecis interdixit, hisce verbis: *Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent:* addiditque, ut paratam semper Eucharistiam haberent pro infirmis, sed illam qualibet decima quinta die renovarent. Arcudius *in Tractat. de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis,* lib. 5, cap. 55 et 56 absurditates, quae ex eo Ritu promanabant, indicare haud praetermisit, deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clemens VIII in sua Instructione,[1] idemque et Nos praestitimus in nostra Constitutione *Etsi Pastoralis* 57, § 6, num. 3 et seq. In Concilio Zamosciae, a duabus Congregationibus, Concilii videlicet, ac Propagandae Fidei examinato, § 3 *de Eucharistia* legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret Ritus consecrandi Eucharistiam Feria quinta in Coena Domini, eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis, servandique pro infirmis in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur; sed Parochi Eucharistiam pro infirmis servent, ipsam qualibet octava, aut decimaquinta die renovantes. Eamdem viam institerunt Patres Concilii Libanensis a Nobis confirmati, sicuti patet ex cap. 12, *de Sacramento Eucharistiae,* num. 24. Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes Apostolica nunquam omiserit Graecis interdicere Ritus aliquos, licet apud eos iampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse, aut evadere posse deprehendit.

§ 33. Porro, si in Urbe Balserae degunt Catholici Ritus Orientalis, Armeni, aut Syriaci, ipsique peculiari Ecclesia carentes, ad Missionariorum Latinorum Ecclesiam conveniunt, ubi Sacerdotes Orientalis Ritus Rem Divinam, reliquasque peragunt suis Ritibus caeremonias, Laici autem Missae Sacrificio intersunt, et Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis Sacerdotibus, et Laicis, ut in Latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam iure Canonico illud quidem statutum habetur, Ritum Orientalem, et Graecum cum Latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Caelestini III, apud Gonzales, cap. *Cum secundum, de temporibus Ordinationum;* atque in Decretali Innocentii III, cap. *Quanto, de consuetudine;* cap. *Quoniam, de Officio Iudic. Ordinar.,* et in Decretali Honorii III, cap. *Litteras, de celebrat. Missar.;* at nullo iure affir-

[1] Cf. N. 34.

[1] Cf. N. 179.

mari potest, Ritus commixtionem Apostolica aliqua Constitutione vetitam, induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita aut Graecus iuxta Ritum suum in Latina Ecclesia, vel Missae Sacrificium, vel alias caeremonias cum populo sui Ritus exerceat, aut versa vice Latinus in Orientalium Ecclesia idem praestet; dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum Orientales illi in Civitate Balserae peculiari careant Ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum Ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae Sacrificium offerre possent, et cum Populo sui Ritus ea exercere, quae peragenda sunt, ad illos in sancta unione retinendos, ac confovendos.

§ 34. Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret, et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo Rem Divinam facerent, et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque Latini, quibus Italo-Graeci subiiciuntur, *ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent;* uti praecipitur in Constitutione nostra *Etsi pastoralis* 57, § 6, num. 14, *Bullarii nostri* tom. I. Vetita quoque Ritus permixtio esset, si Latinus Sacerdos, modo iuxta Latinum, modo iuxta Graecum Ritum, aut Sacerdos Graecus modo Graeco, modo Latino Ritu Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione S. Pii V, quae incipit: *Providentia,* quaeque est 21, tom. 4, part. 2, Bull. novi Romae Impressi, [1] ubi facultates omnes, quae praecedentibus temporibus nonnullis Presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni S. Pii V congruit quoque praeindicata nostra § 7, num. 10. Quod si Presbyteris Societatis Iesu, qui Collegiis Nationum Orientalium Romae erectis praesunt, et qui praedictae Societatis institutum amplectentes a Graeco Ritu ad Latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae Sacrificium Graeco, et Orientali Ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti praemonuimus, ut Alumni, qui Graecorum, et Maronitarum Ritum profiteri debent, Missam praedicto Ritu celebrare addiscant, et iuxta eumdem, Divina officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiares huiusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI Praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum Catholicae Religioni, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria Graeco Ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad Latinum Ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, iuxta Canonicas Sanctiones, in suo Ritu permanere, neque licere Sacerdoti, modo Latino, modo Graeco Ritu celebrare, facultatem, quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit; uti patet ex eius Epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9 Maii anno 1705, et quae continetur tom. 1, *Epistolar. et Brev. selectior. eiusdem Pontificis typis editorum,* pag. 205.

[1] Cf. N. 113.

§ 35. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad Ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam. Verum, uti iam diximus, interdicta, Ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam Sacerdos Orientalis Ritus ab Apostolica Sede probati, in Latinorum Ecclesiam admittatur, ut ibi Missam, caeterasque functiones celebret, et Sacramenta populo Nationis suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi Sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis, et Graecis patent ad Missam celebrandam Templa nostra, ut illorum pietati satisfiat; quamvis suas peculiares Ecclesias habeant, ubi Rem Divinam facere possent; dummodo tamen sacra Indumenta, et caetera, quae ad Missae celebrationem iuxta ipsorum Ritum necessaria sunt, secum afferant, eosque comitetur Nationis suae Minister, qui eisdem celebrantibus inserviat, et a Custodibus, et Sacrario Praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur; quemadmodum in Edicto, quod pro Ecclesiasticis et Laicis Orientalibus Romae degentibus die 13 Februarii anno 1743, per Venerab. Fratrem nostrum Ioannem Antonium tunc Tituli SS. Silvestri, et Martini in Montibus Presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe, eiusque districtu Vicarium Generalem, iussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II Constantinopolim vi oppugnatam cepit, nonnullique ex Graecis, qui Schismaticorum errores aversati, communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt, ibique mansere. Quam in Urbem cum Isidorus Cardinalis natione Graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut huiuscemodi Graeci Ritus hominibus Templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata Senatus pietas profugae genti Ecclesiam S. Basilii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo eiusdem Ecclesiae Sacello Divina Officia Ritu Graeco, in reliquis vero Sacellis, Latini Ritu Latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornelius Scriptor clari nominis testatur in Decad. 14. *Venetarum Ecclesiarum,* pag. 359: *Gemini itaque Ritus Officia per aliquot annos in una Ecclesia, licet in diversis Sacellis peracta fuerunt:* quod eo usque obtinuit, donec aucto Graecorum numero, praedictae Ecclesiae S. Blasii Latinis Graecisque communi, aliud subrogatum fuit Templum, quod Graecorum proprium esset, ac privativum.

§ 36. Haec ad Graecos pertinent, qui celebraturi in Latinas Ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi Ritus permixtionem ab Ecclesiae Legibus proscriptam, non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad Sacrificium Missae offerendum, et Divina Officia persolvenda in Graecorum Ecclesiis, ex iusta aliqua causa admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit, sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter Catholicos, licet diversi Ritus, animorum coniunctio ac benevolentia. In Russia Alba Rutheni Catholici, quos Unitos vocant, plures habent Ecclesias, paucas vero Latini, et quod magis est, longe dissitas a pagis Latinorum qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius Sacrificio Latinae Missae carebant,

eo quod suis negotiis detenti, nequibant tam longum iter aggredi, ut ad Latinas Ecclesias se conferrent. Neque Latini Presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum Ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod Ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo seiungerentur. Itaque, ne Latini Missa Latino Ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut Latini Sacerdotes, in Latinorum commodum, Latinas Missas in Ruthenis Ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re, ea occurrebat difficultas, quod Altaria Graecorum sacro Lapide careant, cum ipsi celebrent super Antimensiis, quae sunt Lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis Sanctorum Reliquiae inclu-duntur; quamobrem Latini Sacerdotes Sacrum Lapidem secum deferre coge-bantur, haud levi intercedente incommodo, ac discrimine, ne in itinere fran-geretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium, opitulante Deo, inventum, adhibitumque fuit. Siquidem, consentientibus etiam ipsis Ruthenis, indultum fuit Latinis Presbyteris, ut Missam Latino Ritu celebra-rent in Ruthenis Ecclesiis, et super illorum Antimensiis: idque eo vel expe-ditius visum est, quod Rutheni Sacerdotes, accedentes quandoque ad Latinas Ecclesias Missam inibi celebraturi, super nostris sacris Lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra: *Imposito Nobis*, quae quadragesima tertia est, *Bullarii nostri*, tom. III.[1]

§ 38. Denique, communis olim fuit Occidentali aeque, ac Orientali Eccle-siae Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missae Sacrificium offerrent: huius rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo *in Appendice ad Synodum Chalcedonensem*, tom. 1, *ad Concilia Generalia, et Provincialia, primae editionis*, pag. 994, dum haec verba Bassiani interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat*, et a Georgio tom. 2 *Lyturgiae Pon-tificiae*, pag. 1 et seq., ac tom. 3, pag. 1 et seq. Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione Sacer-dotum, quam peragit Episcopus, et in Consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orien-tali Ecclesia viguit, vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presby-terorum cum Episcopo, aut cum alio Sacerdote, qui primi Celebrantis per-sonam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones, quae Apostolicae nuncupantur, lib. 8 et ad Canonem octavum, ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicunque ea consuetudo inter Graecos, et Orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata, *Demandatam*, § 9.[2]

§ 42. Primae huic altera succedit quaestio, eosdem attingens Armenos, et Syros, qua disquiritur, an iidem, ad statuendum tempus Paschatis, alio-rumque ei respondentium Festorum, possint veteri Kalendario uti, vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in Latinis Ecclesiis Sacra confi ciunt; et quatenus iisdem licitus dicatur veteris Kalendarii usus, an huiusmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui suam quidem habent Ecclesiam,

[1] Cf. N. 410.
[2] Cf. N. 338.

sed adeo angustam, atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non possint, eorum plerique Latinas Ecclesias adire compellantur.

§ 43. Neminem latent, quae a Sanctis Romanis Pontificibus Pio,[1] et Victore,[2] atque etiam a Nicaena Synodo,[3] de recta Paschatis celebratione san-cita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino[4] reservatam fuisse provincia correctionis Kalendarii, ac demum Gregorio XIII Pontifice, fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem Bucherius *in Commentario de doctrina temporum*, in Praefatione ad Lectorem, ita scripsit: *Computi Paschalis in futurum certitudini, iubente Gregorio XIII Pontifice, noster abunde providit Clavius.* Is fuit e Societate Iesu Sacerdos Ma-theseos peritissimus, qui in Kalendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cuiusdam Aloysii Lilii, qui plures annos in illis componendis insumpserat. Perpensis denique libratisque omnibus in pluribus Congregationibus, adstantibus, adhibitisque in consilium peritissimis quibusque Viris, prodiit anno 1582 Constitutio praescribens Kalendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas,*[5] *in ordine* 74, *in veteri Bullario*, tom. 2.

§ 44. Veteri igitur Kalendario hac Pontificia Constitutione abrogato, Patriar-chis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque Praelatis impera-tum fuit, ut novo, emendatoque Kalendario uterentur, quemadmodum in eadem Constitutione legere est, fusiusque eruitur ex eiusdem Pontificis Annalibus Romae impressis anno 1742, tom. 2, pag. 271. Verum, cum in Constitutione nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio, num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a Doctoribus modo instituitur, ut videre est apud Azorium, *Institut. Moral.*, tom. 1, lib. 5, cap. 11, quaest. 7, apud Baldellum, *in sua Theologia Morali*, tom. 1, lib. 5, disput. 41; sed etiam proposita discussaque fuit in praestantium Virorum conventu habito die 4 Iulii anno 1631, in aedibus Cardinalis Pamphilii, qui ad Summum Pontificatum evectus, Innocentii X nomen assumpsit. Haec autem tunc pro-diit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia Dogma-tum Fidei; secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium.* Refertur haec resolutio tum a Verricello, *de Apostolicis Missionibus*, lib. 3, quaest. 83, num. 4, tum a Nobis in nostro Opere, *de Canonizatione Sanctorum*, lib. 2, cap. 38, num 15.

§ 48. Haec sunt, quae duximus exponenda in hac Encyclica nostra Epi-stola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur respon-

[1] C. 21, D. III, *de cons.*
[2] C. 22-26, D. III, *de cons.*
[3] Cf. Mansi, tom. 2, col. 922-927.
[4] Sess. XXV (continuatio sessionis), *de indice librorum et catechismo, breviario et missali.*
[5] Die 24 febr. 1582. - Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 10-12.

siones redditae Missionario, qui quaestiones sub initium excriptas proposuit; sed etiam, ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum Ritus, qui neque Catholicae Religioni, neque honestati adversantur; nec a Schismaticis ad Catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut Ritus suos deserant, sed ut Haereses solum eiurent, atque execrentur: exoptans vehementer, ut diversae eorum Nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) Catholici sint, non ut omnes Latini fiant. Finem denique huic nostrae Epistolae imponimus, Apostolicam Benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 281-316].

435.

Benedictus XIV, ep. *Cum, ut recte nosti,* 27 iul. 1755.[1]

§ 1. Cum, ut recte nosti, proximo superiore mense Aprilis invasisset ignis suppellectiles, ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domibus sitis in Foro Montium dicto, Parochialis districtus S. Nicolai in Carcere, cumque continuo, quod satis superque fieri assolet, in magnum excrevisset incendium, memoratae Parochialis, insimulque Collegiatae Ecclesiae Canonici suum esse existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut pro sua misericordia maximum impendens detrimentum avertere dignaretur, cuius vehemens suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

§ 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens Minister tintinnabulum pulsaret ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet, ut sanctissimum Sacramentum ad aegrum aliquem deferendum comitetur. Cumque ita contigisset, ut Ecclesia populo compleretur, ante Aram Beatissimae Virgini dicatam, multa quidem religione recitatum fuit elata voce Rosarium, atque etiam in eiusdem Sanctissimae Virginis honorem cantatae fuerunt Litaniae. Ad haec Sacerdos pio aeque ac ferventi sermone interessentes excitavit ad Dei placandam indignationem, implorata sibi ex animo de patratis criminibus venia, et quantum quidem relatum est, insonuit Templum clamoribus illorum, qui sibi a divina misericordia multis gemitibus et lacrimis patratorum criminum veniam precabantur.

§ 3. Si nihil fuisset praeterea gestum, nil quoque fuisset, quod obiiceretur, et nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso casu servatam non laudasset. At cum ex religioso, sanctoque studio adaugendae devotionis populi, enixisque eiusdem votis satisfaciendi, opportunum quin et congruum visum fuerit praecipere, ut, reserato Tabernaculo, in quo Sacra Pyxis custoditur, eadem super populo, et ad incendium benediceretur:

[1] Venerabili Fratri Nostro, Fr. Ioanni Antonio Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, nostro in Urbe, eiusque districtu Vicario Generali.

§ 4. Cumque is, qui Parochi vice fungitur, data sibi iussa perficiens, sacris indutus vestibus, accepta Sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacramentum, ab Ecclesia processerit, satis congruo facum, ministrorumque numero stipatus, mediaque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Pyxide humerali velo obtecta non solum coactae immensae multitudini, sed et ad regionem voraci igne vastatam benedixerit; hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt; quibusdam factum ipsum commendantibus; censentibus aliis, in ea facti specie secus rem transigi non potuisse, ne populi frigesceret devotio, neve offenderentur pusilli, sibi, cohibendoque igni benedictionem vehementissime exoptantes; aliis denique contra assertum novum incongruumque ritum inclamantibus.

§ 5. Et quamvis Fraternitas Tua inter has disputationes non aliam, prout assoles, iniveris rationem, quam quae Christianae prudentiae omnino congruerit; hancque ipsam probaverimus Ipsi, et nunc quoque, ut mox constabit, probemus; nobis tamen videmur facere non posse, quin ea, quae Ipsi de re expendimus ac notavimus, perspecta tibi reddamus hisce nostris litteris; quas mandamus, in futurorum temporum normam, apud Acta tabularii tui asservari.

§ 6. Quicumque ea, quae gesta sunt probanda sibi, ac defendenda suscipiens assereret, nihil plane in eo praestitum, quod cultui Sanctissimae Eucharistiae debito non congruerit, et perdifficile esse per integram rei gestae seriem, quidquam offendere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod pietatem et devotionem sapiat, aliaque afferat spiritualia commoda; multa is quidem diceret, suamque assertionem firmare posset iis, quae adnotat Theophilus Raynaudus, tom. 15 *suorum Operum,* pag. 83, col. 1, ubi loquens de Sacramenti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem expendit: *Est modus aptissimus permovendi populum, ac excitandi ad pietatem necessitati congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis, aut incursus hostium, aut aerearum tempestatum malignitas: nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem Fidelium excitandam, et sensu pietatis Deum placaturo afficiendam, quam sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibiti et obiectum eius in quo est salus, vita, et resurrectio nostra.* Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est quaestio, multa habet adnexa inferius a nobis expendenda, ex quibus, seposita pietate actus, iure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim illa hac in re intrinsecam tantummodo eiusdem bonitatem spectat, sed et alia, quae vel neglecta, vel non praevisa, facile possunt confusiones inducere ac perturbationes.

§ 7. Si quis autem, ut sibi tuta unoque veluti ictu salva res esset, Ecclesiasticas proferret historias, exempla ipsi praesto essent opinioni suae valde accommoda. In Chronica Albigensium Episcoporum, atque Abbatum Castrae, apud Thiers in Tractatu *de Expositione Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti,* 2 part., impressionis Parisiensis anni 1677, lib. 5, cap. 12 legitur, sub Abbate Geraldo, qui vixit ad annum 1090, incendium a fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum:

Iamque Monasterium furibunda incendia volvit,
Cum, Christi oblato Corpore, flamma cadit.

Celebre est S. Bernardi factum relatum in eius vita, quam scribere instituit Abbas Guilelmus a S. Theodorico, absolvitque Abbas Hernaldus a Bonavalle, veteri amicitia cum Sancto coniunctus. Adstabat ad Ecclesiae Ianuam Willelmus Aquitaniae Dux, intus ob excommunicationem non ingrediens. Vir Sanctus interea Sacrum faciebat: cumque consecrasset, ante consummationem, imposito Patenae Divino Sacramento, et ad Ducem accedens ipsum eo ferventis animi affectu est allocutus, ut eundem ad insignem poenitentiam adduxerit, et ad novum vitae institutum, unde porro in Beatorum album, qui cultum in Ecclesia obtinent, recenseri promeruit, ut videre est in Martyrologio Romano quarto idus Februarii. Gesta res descripta legitur in praeindicata antiqua vita S. Bernardi, et perbelle retexitur a duobus recentioribus eiusdem Vitae Scriptoribus, a Magagnotio nempe lib. 2, cap. 6, num. 38 et a Petrina in *Historia Chronologica*, lib. 4, tom. 1, num. 376 et seq. Celebre quoque sese prodit factum S. Clarae, quae, ut Monasterium suum, universamque Assisiensem Urbem servaret a direptione, ac stragibus Saracenorum, iam iam impia consilia exequentium, ad Monasterii ianuam afferri curavit Tabernaculum Sacramentum intercludens: Christique vix obiecto corpore, Saracenorum nonnulli obcoecati, reliqui praecipites effugere. Rem narrat S. Antoninus in suis *Historiis*, tit. 24, cap. 6, § 3. Resumitur eadem a Bollandistis, tom. 2, mensis Augusti pridie idus, pag. 759, num. 21, et a Pagio *in Vita Alexandri IV*, num. 15. Eiusdem fere temporis cum Sanctae Clarae facto est et aliud relatum a Roderico Granatensi, part. 2 *explanationis Symboli*, cap. 27, § 7 secutum anno 1230 in Regno Valentiae, dum bellum gereretur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem retulere victoriam, cum pius Sacerdos manibus gestans pannum lineum consecratis Particulis plenum, prodiit in omnium conspectum, Deum exorans, ut nostris praesto esset, eoque pacto est eosdem hortatus ad instaurandum certamen, quod porro insignis victoria est consecuta. Meminimus et ipsi eorum, quae in minoribus, agentesque Promotorem Fidei, legimus in Actis collectis super Virtutibus Beati Petri Fourerii, ad quem cum delatum fuisset, publica in Caupona quosdam sacrilegis verbis Divinum Nomen violare, ad Sacrum Tabernaculum advolavit, arreptamque Sacram Pyxidem, secum detulit ad Cauponam, cumque Sacratum pignus manu ostentans, immane facinus scelestis patefecisset atque exprobrasset, eosdem ad poenitentiam adduxit. Ast haec, hisque similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse, demonstratum est non solum ex secundo eventu, sed et ex peculiaribus haec agentium virtutibus. Ea itaque sunt haec exempla, quae miremur, haud autem imitemur, nec quidquam exinde inferri potest pro iis, qui debent se ad legum normam componere: quemadmodum a Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum*, lib. 3, cap. 41, et praecipue, num. 20.

§ 8. In hanc Classem referri et illud potest, quod legitur in *Natali 10*, quod S. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum obiecto tantum ad flammas Sanctae Crucis frustulo.

Vicerat ignis aquam, nos ligno vincimus ignem,
Quamque aqua non potuit, vicit brevis hastula flammam.

Et quoties ex classe horum, similiumque exemplorum, quae peculiari Divino afflatui non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, allatam Divini impulsus exceptionem haud ita facile recipientes, veluti ad id, quod sub annum 1647 contigisse fertur Halae Tyrolis, ubi cum Sacerdos Venerabili Eucharistia adhibita ingenti incendio benedixisset, restitit ignis, vel ad illud, quod anno 1734, sive alio veriori tempore, hic Romae gestum est, tunc, quando publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incendii locum, eoque impertita benedictio; qui his uteretur exemplis, haud valde proficeret, tum quia primum ex recensitis factis affertur a Gobato in sua *Theologia experimentali*, tract. 4, cas. 21, sect. 1, num. 375, qui tamen illud non probat, sed tantum nuncupat felix ab exitu: *Factum felix ab eventu;* tum quia unum, vel plura adhuc facta huiusmodi aut incognita, aut a Superioribus dissimulata, haud tanti sunt, quibus iure recens aliqua disciplina, novusque ritus innitatur.

§ 9. Sicuti praenotatum est, superius allata argumenta, ad ritum, de quo sermo est, vindicandum infirma sunt, leviorisque momenti, sed eiusdem furfuris sunt alia quaedam, quae in Ritum ipsum obiectantur, atque extolluntur. Aiunt nonnulli Eucharistiae Sacramentum a Christo fuisse institutum, ut eo vesceremur; quod quidem indubium est; at satis deprehendi non potest, quomodo ex hoc antecedenti inferre liceat, haud decere illud in Supplicationibus deferre, Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut a gravibus nos quandoque obsidentibus periculis praestet incolumes. *Neque enim ideo minus est adorandum,* (sunt concepta verba Concilii Tridentini, de hoc Divino Sacramento loquentis, sess. 13, cap. 5) *quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Exindeque Tridentini Patres commendare perguut pias Supplicationes in Festo Corporis Christi haberi solitas, religiosasque actiones comitantium Adorandum Sacramentum, dum ad aegrotos affertur, uti videre est cap. 5 et cap. 6 et can. 6 cit. sess. 13. Christus Dominus qua homo, vel nunc in gloriae statu, Deum Patrem pro nobis rogat: *Christus Iesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, legitur *in Epistola ad Romanos*, 8. *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum*, subditur in Epistola prima S. Ioannis, cap. 2. Sive porro hoc praestet, petens expresse a Deo, ut nobis proficua concedat, sive implicite suam exhibens Humanitatem, veluti Hostiam iam ipsi in Cruce oblatam, ut Deus in eam respiciens, quae utilia nobis possunt evadere, elargiatur; veluti disserunt nostri Theologi, qui licet in explicatione tradenda discrepent inter se, dum alii primae subscribunt, alii secundae sententiae: consentiunt tamen omnes quoad dogma, insimul adnotantes, neque Ecclesiam, neque Fideles solere absolute ad Christum confugere, ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur cum Arii, et Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra, esse creatam, et divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus, quoties id promerentur, cumque idem Christus vere Deus et Homo, vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus Eucharistici panis contineatur, omnino

nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum, quod sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum; sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur e Tabernaculo, afferatur ad ignem, atque ad incendium benedicatur, ob qualitatem Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.

§ 10. Alii ulterius progrediuntur, asserentesque non posse rem creatam irrationalem Dei nomine adiurari, autumant, hoc unum posse valide obsistere ritui benedicendi incendii cum Eucharistiae Sacramento: sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creata res expers rationis, si ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quae adiurari possit; capax tamen evadit, quae exorcismis Ecclesiae subiiciatur, si veluti ab alio acta inspiciatur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiamsi a Daemone in nostrum damnum detrimentumque ageretur. Est haec S. Thomae doctrina 2, 2, quaest. 90, art. 3. Verum eadem nil profecto opus est in hac facti specie, in qua dum adhibita Pyxide benedicitur incendio, nulli unquam intermixti sunt, vel intermiscentur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium Religioni oppositum, ideoque peccatum sapiens, et grave quidem peccatum, quamvis superstitione inferius, uti fuse docet, demonstratque Sanctus Thomas 2, 2, quaest. 97, art. 2, et duob. seqq. At si expressa Dei tentatio, iuxta eiusdem Sancti Doctoris sententiam, tunc inducitur, cum quis quidquam agit ea mente, atque consilio, ut Dei scientiam, potentiam, voluntatemve scrutetur; interpretativa autem et implicita, quando non agit is quidem eadem concepta expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur vel agit, cui non alius potest esse scopus, quam ut Divinae alicuius virtutis periculum fiat; quod tunc plane contingit, cum quis paratas habens usitatas, vulgaresque agendi rationes, has quidem sponte omittit, seque ultro in discrimen adducit. *Sicuti tentare, est experimentum sumere seu explorare; ita Deum tentare, est velle sumere experimentum de aliqua ipsius perfectione; veluti an sciat, an possit, an velit quidpiam; quod tum verbis, tum factis fieri potest, idque dupliciter: uno modo expresse, puta cum aliquis ea intentione dicit, aut facit quidpiam, ut exploret Dei scientiam, potentiam, patientiam, aut voluntatem: altero modo implicite, seu interpretative, quando non est quidem homini formalis et expressa intentio simile aliquid explorandi, hoc tamen dicit, aut facit, quod non potest alio ordinari, quam ad experimentum sumendum de aliqua Dei perfectione, veluti quando aliquis humanis et naturalibus mediis non destitutus, ea sine rationabili causa omittit, aut se periculo exponit*: verba sunt Sylvii egregii S. Thomae Interpretis ad art. 1 praecit. quaest. 97. Quomodo unquam poterit iure defendi, eum, qui Venerabili Sacramento ad Incendium benedicit, qui Deum rogat, ut miseros afflictosque ab irruente infortunio velit praestare exemptos, qui non ea mente est, ut Divinae potentiae sumat periculum, qui humana non spernit subsidia, sed iis undique collectis, omnia enititur, assiduas tamen Divinae Maiestati preces offerens, ut quod imminet, grave malum, dignetur avertere, hunc, inquam, gravissimi criminis expressae vel tacitae Dei tentationis posse reum pronunciari?

§ 11. Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam assertam piam consuetudinem afferendi Sacramentum Sacra Pyxide contentum, eoque benedicendi incendiis, ne forte id fiat cum ignis divitum aedes incessit, non autem pauperum domunculas: neque inanis hic quidem est, vel sola mente conceptus timor. Thiers quippe praecit. cap. 12 invehitur in satis illacrymabilem hanc personarum acceptionem, veluti aliquibus in locis usu receptam. Idem Auctor praeterea plures cumulat Synodales sanctiones, quibus severe interdicitur, sacra Lintea ad incendium afferre, eaque proiicere in flammas, ut extinguantur, atque multo etiam magis, si ipsa sacra Hostia proiiciatur in ignem, ea quidem spe, ita illum restingui posse. Quidquid asserit praecitatus Auctor, perfacile admitti debet; imo quoties, ad ea firmanda, quae in ritum iaciendi in ignem Sacram Hostiam profert, et in irreverentiam eo actu contentam, alio opus esset exemplo per ipsum non inducto, illud minime desideraretur. Etenim, quamvis in Italia, et praesertim Florentiae, vigeret usus comprobandi abditam veritatem innocuo alicuius transitu per ignem, quod plane praestitit B. Petrus Igneus dictus, qui ut evinceret Petrum Pavesium Florentiae Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque deponendum esse, uti reipsa factum est, illaesus per ardentem ignem pertransiit, quemadmodum opportunis allatis monumentis demonstravimus nostro lib. *de Canoniz. Sanct.*, cap. 33; tamen cum nonnullis exinde saeculis in eadem Civitate idem sumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque conciliandam Doctrinae Hieronymi Savonarolae, cumque aliqui sese protulerint paratos per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistiae Sacramentum, Eucharistiae delationem non probarunt iudices, constanti iudicio eam denegantes, ac irreligiosam definientes, pravique exempli, spectatis iis facti circumstantiis, in quibus usurpari cupiebatur; uti videre est in vita praefati Hieronymi Savonarolae scripta a Francisco Pico, tom. 2 *impressionis Parisiorum 1674*, pag. 70, tom. 2 *additionum ad eandem vitam*, pag. 306 et in Appendice ad *Vitam Alexandri VI* Pontificis exaratam ab Alexandro Gordonio, tom. 2, pag. 405. Verum his omnibus nihil commune est cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc agimus, tuetur, facile respondere potest, si asserat, licere omnino ipso adhibito Sacramento excitatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere divitis et pauperis discrimen, neque Eucharistiam post Benedictionem in ignem proiiciendam esse, sed imo in tabernaculum, unde fuit educta, omni cum honore restituendam.

§ 12. Sepositis itaque superius allatis animadversionibus, rationibusque, vel ritui faventibus vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, unica, cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia praescriptis de cultu Sanctissimae Eucharistiae; neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex verae etiam devotionis, zelique affectu, novum ritum inducere. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus, in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiasticum Pastorem mutari posse, anathema sit*: verba sunt Sacrae Tridentinae Synodi, can. 13, sess. 7, *de Sacramentis in genere*. Et quoties aliquem Ritum eiusmodi induci contigit, etsi

nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica Sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus praevisis, vel neglectis ab eo, qui ritum invexit. Ut plura praetermittamus exempla, ad rem praesentem sat est unum illud innuere de Sanctissimo Sacramento, olim afferri solito ad aegrotos, qui cum exoptarent illud sumere in Viaticum, nec tamen posset deglutire, nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorare ac deosculari; vetitum quippe id fuit a S. Pontifice Pio V, cui interdicto consonum quoque est alterum adscriptum in Rituali Romano a Paulo V Summo Pontifice evulgato, in ea parte, quae est *de Communione Infirmorum*, ubi, sermone instituto de Divino Sacramento, haec leguntur: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuiusvis rei praetextu, ad ostendendum non deferatur*;[1] idque non ea sane de causa, quod simplex adoratio, (quidquid sit de Sacrae Hostiae osculo) quicquam haberet contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime consentanea, sed ratione quarumdam circumstantiarum, quas sapientes legislatores recte adnotarunt, quasque innuit Card. de Lugo *in suis Responsis Moralibus*, lib. 1, dub. 11, num. 3. *Merito id prohibuit*, loquitur de S. Pio V, *quia si ad privatam aegroti consolationem, et sine spe refectionis Sacramentalis, tanta Salvatoris Maiestas loco movenda, et per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea infirmorum pietas introduceret, ut, sicut Sanctorum Reliquiae ad eos deferuntur, et applicantur curationis gratia, ita et ad eosdem non communicaturos, nec periculose decumbentes, deferretur Eucharistia, et applicaretur partibus laesis et dolentibus, spe impetrandae curationis; quae, et alia similia, cultum et reverentiam debitam tantae Maiestati paulatim imminuerent.*

§ 13. Annuam Ecclesia constituit solemnitatem Corporis Christi, quae a Tridentino Concilio dicitur Religionis nostrae adversus Haereses Triumphus, sicuti videre est sess. 13, cap. 5. Supplicationem quoque instituit ea occasione habendam, iam inde ab Urbano IV,[2] quemadmodum fuse a nobis demonstratum fuit in nostro Opere *de Festis Domini*, cum de Festo Corporis Christi disseruimus. Cavit Ecclesia, ut Sacramentum ad infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum suscepturi sunt in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus Synodalibus sanctionibus, decretisque editis tum a Summis Pontificibus, tum et ab Episcopis quoad Dioeceses suas. Amplexa est Ecclesia pium usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicuum, utpote duobus Crystallis inclusum Ostensorio, quod dicitur *Monstrantia*, in statutis Concilii Coloniensis habiti sub Card. de Cusa Nicolai V per Germaniam Legato Apost., sicuti nosse licet ex tom. 9 Collectionis Conciliorum Harduini, col. 1368, lit. *C*, dummodo de licentia Ordinarii, publicamque ob causam aliquam fiat. Adiecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum, non autem publica causa subsit, Sacramentum exponatur; ita tamen, ut reserato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide sit inclusum, aut Velo obtectum, ita ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus decretis editis a Congregationibus

[1] Tit. IV, c. 4, n. 5.
[2] Litt. *Transiturus*, a. 1264. - Bull. Rom., tom. 3, I, p. 414-416.

Urbis, et per Summos Pontifices probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus, in una ex nostris Institutionibus *Italicae editionis*, tom. 2, quae in latinam quoque versionem est illata.[1] Cogitavit Ecclesia de Benedictionibus, Venerabili Sacramento adhibito, impertiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quoties post solemnem Expositionem Sacramentum est in Tabernaculum restituendum, ac denique cum sumpto per Aegrotum Viatico, reliqua in Sacra Pyxide est Particula, quam Sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex Rituali Romano tit. *de Communione Infirmorum*.[2] Casum denique prospexit Ecclesia instantis alicuius nimbi, procellae, alteriusve ingentis periculi, cavitque, ut si populus excitari velit ad Deum Optimum Maximum deprecandum, quo ab ingruenti malo praestetur immunis adaperiatur Tabernaculum, minime educto Sacramento, sed ante ipsum Sacra Pyxide inclusum preces religioso affectu recitentur. Haec est methodus praescripta a magno S. Carolo Borromaeo in sua tertia Synodo Dioecesana habita anno 1572. *Cum grandines, nimbi, turbines, et aliae temporum procellae imminent, ad eas tempestates sedandas, vel, ut vocant, signandas, ne Sacerdos vasculum, in quo Sanctissimum Christi Domini Corpus asservatur, adhibeat, sed Tabernaculum accensis luminibus patefaciat, ut ea nimborum vi imminente, rogationes et preces a Clero populoque coram Domino religiose fiant.* Quod confirmatum noscitur in tertia Synodo Provinciali coacta subsequenti anno 1573. *Cum nimbi, procellae, turbines, aut grandines impendent, ne Sacerdos, ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, sed Tabernaculum, ubi illud in Altare reconditur, patefaciat, licet; tumque in eius conspectu Litanias, aliasque religiosas preces eius rei causa institutas pie sancteque pronunciet.* Consonat his Rituale Ebroicense anno 1606 a magno Cardinali de Perron compositum. Perspicuum itaque est systema a S. Carolo Borromaeo, veluti lex quaedam, in universa Dioecesi, Provinciaque sua stabilitum, quodque merito pro caeteris locis haberi potest tanquam regula *in vi directiva*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum, fulminumque inopinato casu, supplices ad Deum libet confugere. Aperiendum namque est, uti praenotavimus, Tabernaculum, Sacramentum intra Pyxidem relinquendum, piae fundendae preces, ut Divina nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet a Tabernaculo educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiae ianuam, nec cum eodem Benedictionem impertiendam.

§ 14. Loquuntur quidem mox supra allatae auctoritates de turbinum, procellarumque casu, quin suspicari possimus, audere quemquam excipere, eas minime congruere incendiis; par omnium quippe ratio est: et quoties, ut aliorum subtilibus levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent, ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendii casu, sat erit manum protendere ad Synodum Archiepiscopi Parisiensis habitam anno 1674, art. 7, cap. 2, in qua disertis verbis cavetur, ne Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quacunque de causa unquam ad incendia afferatur, indicta in Sacer-

[1] Cf. Latinae editionis Instit. XXX.
[2] Tit. IV, c. 4, n. 20, 23.

dotem, qui deliquisset, suspensionis poena; et ad Rituale Argentoratensis Ecclesiae evulgatum a bonae memoriae Cardinali de Rohan, impressumque anno 1742, ubi pag. 83 sequentia adnotantur verba: *Prohibitum est insuper,* sermo est de Sacramento Altaris, *ne ad extinguenda incendia deferatur, et quidem sub poena suspensionis, a Ministris deferentibus ipso facto incurrenda. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Qui dixit mari - usque huc venies... et hic confringes tumentes fluctus tuos - potest et impetum ignis refraenare. Quandoque autem, sicut potens, sic et iustus, mala quaedam permittit; et quia, num facile sit placabilis, ignoramus, vitandum illud omne, quod et quorumdam Christianorum fidem infirmare posset, et nostrorum honorem Mysteriorum malignis infidelium, aut haereticorum irrisionibus exponere.* Qui temporalia a Deo exposcit, pavidus debet eadem rogare, divinaeque voluntati se omnino committere: *Quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non aegrotus:* inquit Sanctus Augustinus in serm. 354 alias 53, *de verbis Domini,* cap. 7. Cum saeviunt infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant: liberari se petunt, nihilque praeterea curant: cumque caeteroquin pietate ac devotione erga Sacramentum Altaris exardescant, videntes educi illud e Tabernaculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiae ianuam, eodemque adhibito per Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erumpunt turbines et procellae, vel ad eam, in qua fuerit incendium; implentur fiducia quadam, certaque spe, ad exitum iam pertigisse calamitates suas, et, si id haud fiat, sicuti ex iusto Deo iudicio pluries reipsa non contingit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Altaris Sacramentum; misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis. Atque hae profecto animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis statueretur, ne Pyxis e Tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia, neve cum ea in Ecclesia, vel extram Ecclesiam, ad tempestates, aut incendia benedicatur.

§ 15. Haud absimilis est obsessorum exorcizandorum species; in Rituali siquidem permittuntur Sanctorum Reliquiae, opportunis adhibitis cautelis, eorum capitibus pectoribusque imponi, *Reliquiae quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatae et coopertae, ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur.* Non tamen licet ad caput eorum, vel pectus, sacram admovere Eucharistiam, ob irreverentiae periculum: *Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter eius corpori non admoveatur, ob irreverentiae periculum.*[1] Etsi in vita Sancti Bernardi, in Chronicis Belgicis Molineti, et in Catalogo Belgico Bernardi a Lucemburgo, *litt. G.* haud desiderentur exempla Sanctorum Virorum, qui tale quidpiam praestitere, atque ita ab Obsessis Daemones eiecerunt: facta enim haec, sicut praediximus, iis accensenda sunt exemplis, quae admiratione quidem, non vero imitatione prosequi debeas.

[1] Tit. X, c. 1, *de exorcizandis obsessis a daemonio,* n. 13.

§ 16. Caeteris quibusque Auctoribus Ioannes Baptista Thiers eruditius, doctiusque de hac quaestione disseruit, illamque diremit iuxta ea, quae hactenus dicta sunt, in suo Tractatu *de Sanctissimo Sacramento,* 2 part., cap. 12, et quidquid ibi latius attulit, legitur ab ipso summatim resumptum in suo Tractatu *de superstitionibus,* tom. 2, cap. 13. Opus Thiers *de Expositione Sacramenti,* valde commendatum, probatumque fuit pio, ac docto Cardinali Bona, uti nosse licet ex eius Epistola 321, in tomo hoc ipso anno 1755 cuso, pag. 246. Laudatus Cardinalis in ea epistola inquit, praeclarum se de illo opere fecisse iudicium, cum sermonem de eo habuisset cum Patre Luca Dacherio, indeque subdit: *Librum optimum esse, et pium, et ab omnibus viris doctis ac eruditis approbatum. Omnes autem mirantur, quod argumentum per se sterile, et hactenus intentatum, tanta ubertate tractaveris, ut nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audivi rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatam fuisse, sed protinus sedatum, cum nihil in eo censurae obnoxium sit.* Tanti Cardinalis sententiae ipsi subscribimus, sed quoad praesentem quaestionem erudite adeo discussam a Thiers, putamus, deesse nonnulla, quae nisi congrua aliqua interpretatione solvantur, concidit Thiers assumptio, atque etiam nonnihil concuti possunt, quae hactenus constituta sunt.

§ 17. Hoc maxime Thiers expendit, cum in tot Synodis actum sit ac constitutum, quidquid agi oportet, dum aliquod tempestatis, incendiique accidit infortunium, ne unam reperiri quidem suadentem, vel permittentem Benedictionem, Sacramento adhibito. Praeterea, ex tot Ritualibus in Sacrarum Functionum normam impressis, nullum penitus adinveniri consentiens, ut tempestatibus, incendiisque, Sacramento adhibito, benedicatur; etsi caeteroquin similia non desint Ritualia, et monumenta Benedictionum, quae, adhibitis Sanctorum Reliquiis, vel Crucis imaginibus, impertiantur: et ex tanto omnium silentio validum elicit argumentum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatibus, incendiisve. At si forte nonnulla extarent Ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur aedificium, omniaque disrupta corruerent.

§ 18. In Sacerdotali Romano, pag. 227 a tergo, sub tit. *de Benedictione adversus tempestates,* sequentia verba adnotata reperiuntur: *Si expediens visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter Corpus Domini in vase debito, et Ecclesia exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.* Et in Rituali Cardinalis Sanctorii, pag. 709 sub tit. *de Exorcismis contra ingruentes aereas tempestates* haec adscripta leguntur verba: *Postea, si expedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter et cum luminaribus Corpus Domini in calice, aut alio vase debito, et Ecclesia exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.* Auctor Sacerdotalis Romani fuit Pater Albertus Castellani, Ordinis Praedicatorum, qui multo labore illud elucubravit, dicavitque Leoni X Pontifici Maximo. Et antequam typis traderetur, examinatum emendatumque fuit iussu Pii IV Pontificis, veluti cognoscere est tom. 2 *Scriptorum Ordinis Praedicatorum P. Iacobi Echard,* pag. 48. Alterum Rituale auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, S. Severinae nuncupatum, teste Ciacconio *in eius Vita,* tom. 3, pag. 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica

fit mentio in Brevi Summi Pontificis Pauli V incipiente *Apostolicae Sedis*, dato quarto Idus Iulii 1614,[1] impressoque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice evulgati; in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos, vetera expendisse Ritualia, praesertim vero illud, *quod vir singulari pietate, zelo, et doctrina, bonae memoriae Iulius Antonius S. R. E. Cardinalis Sanctae Severinae nuncupatus, longo studio, multaque industria et labore plenissimum composuerat.*

§ 19. His tamen nihil facessentibus, stat Thiertis assertio: praeindicata quippe duo Opera publicae auctoritatis pondere destituuntur. Nos nihil detractum volumus egregio Operi Patris Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati Auctoris Opus, nullumque extare argumentum, quo illud a Pio IV Pontifice approbatum demonstretur. Neque id temere aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo Opere de Baptismi forma sub conditione, ac recensentur peculiares factorum circumstantiae, quando in huiusmodi Sacramento administrando, forma sub conditione uti licet; a Sacramento autem Poenitentiae universim haec forma sub conditione reiicitur: *Secus in Sacramento Poenitentiae, quod non licet.* Theologi illi, qui in Sacramento Poenitentiae ministrando locum esse negant formae sub conditione, auctoritate utuntur Sacerdotalis Romani a Praefato Religioso compositi, venditantes illud Pontificia auctoritate roboratum. At caeteri, quibus forma sub conditione in Poenitentiae Sacramento probatur, fidenter respondent, neque anteacto tempore fuisse unquam demonstratum, nec demonstrari nunc posse, enunciatum Opus fuisse ab aliquo ex Summis Pontificibus approbatum, quod et ipsi expressimus in Nostro Opere *de Synodo Dioecesana*, lib. 7, cap. 15, tom. 2 et seq. novissimae editionis Romanae, iam iam absolutae, et quamprimum evulgandae. Praetermittenda nec est consideratio illa, si nimirum Opus Patris Castellani approbatum fuisset a Pio IV Pontifice, Sanctum Carolum Borromaeum Pontificis Nepotem, totoque eius Pontificatu in Ecclesiasticis negotiis maxime versatum, haud fuisse permissurum, ut in sua Dioecesana Synodo, suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis, statueretur, quod noscitur reipsa statutum, quodque omnimode adversatur iis, quae in praefato Opere Patris Castellani tradita leguntur.

§ 20. Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus. Celebris Praesul Fontanini qui paucos librorum peritia sibi pares habuit, in appendice ad Catalogum librorum bonae memoriae Cardinalis Imperiali, *littera S*, haec adnotata reliquit: *Opus rarissimum, sine principio, et fine, impressum sub Paulo V*, et iure quidem: egregii quippe huiusce operis impressa folia delitescebant in angulo Vaticanae Bibliothecae, quorum notitia ad Viros Sacrorum Rituum studiosos delata, impetrarunt hi, ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi sumere liceret. Tunc vero factum, ut multi eiusdem sibi exemplum comparaverint, quod in suis Bibliothecis condiderunt, cum ante id temporis pauca essent, atque rariora exempla: neque enim alia eousque comperta erant exempla, quam quae extabant, et nunc etiam extant, unum in Bibliotheca Monasterii S. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca

[1] Cf. N. 198.

Collegii Romani, quorum alterum fuit Venerabilis Cardinalis Bellarmini, alterum Praesulis Coccini Rotae Auditoris. Uti praenotatum est, asserit Praesul Fontanini, Rituale Cardinalis Sanctorii, principio destitui, et fine; idque omnino verum, quemadmodum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur, illud sub Paulo V impressum, at non meminit, quod illum latuerit fortasse, suppressum fuisse iussu eiusdem Pontificis, dum adhuc sub praelo esset, quemadmodum ab eodem Praesule Coccino sua manu adnotatum legitur in praefato Rituali, in Collegio Romano, uti praedictum est, asservato: *Hoc Opus, dum adhuc sub praelo esset, suppressum fuit Romae tempore Pauli V, ideoque caret principio, medio, et fine.* Et licet in eiusdem Ritualis exemplis novissime evulgatis, ac distributis, initium reperiatur ac finis, facile tamen deprehenditur, et initium, et finem ipsis fuisse, quamvis fortasse parum considerate, superadditum, ne per manus abiret mutilum exemplum, nec caput habens nec pedes.

§ 21. Id vero comprobatur ex titulo, sive inscriptione praefatis recentibus exemplaribus praeposita; constat quippe his verbis: *Rituale Sacramentorum Romanum, Gregorii XIII Pontificis Maximi iussu editum,* Romae 1584, in quo facti veritas primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii cogitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V, uti mox supra dictum est, nec cusum illud fuerit superstite Auctore, qui e vivis excessit sub annum 1601, Clemente VIII Pontifice, sed ab eiusdem haeredibus sub Pontificatu Pauli V, quemadmodum mox infra constabit.

§ 22. In praedictis exemplaribus et finis quoque conspicitur; pagina quippe 712 haec leguntur verba: *Ritualis Romani Finis.* Qui autem id sibi sumpsit, ut extrema suppleret, mediam partem satis non inspexit, ubi non minus in ipsis, quam in caeteris quibuscumque exemplis desiderantur paginae, quae a pag. 252 ad pag. 257 subsequuntur. Verum, quanticumque sit haec animadversio, sermonem omnem colligentes ad finem, facili negotio detegitur recens superadditio nonnullorum foliorum, quae non solum ex charta et atramento evincitur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam pertingunt 712, cum caeteroquin duo vetera exempla, alterum nempe Cardinalis Bellarmini, et alterum in Bibliothecae S. Crucis in Hierusalem asservatum, paginam 604 non praetergrediantur, atque etiam alterum Praesulis Coccini pag. 708 compleatur. Ritus itaque Benedictionis cum Sanctissimo Sacramento nonnisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag. 709, et caeteroquin vetera inter exemplaria nullum paginam 708 praetergrediatur.

§ 23. Ad absolutissimam notitiam eorum omnium, quae Rituale respiciunt Cardinalis Sanctorii, nil superest aliud, quam inquirere causam, cur fuerit, Paulo V Pontifice, sudante praelo suppressum. Huic autem investigationi videntur posse cumulate satis facere ea ipsa, quae charactere Venerabilis Cardinalis Bellarmini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellarminus utebatur, quodque, uti saepius monuimus, extat in Bibliotheca Collegii Romani. *Hic Liber confectus est a Cardinali Sanctae Severinae longo tempore, et magno labore, et si quidem sub nomine praedicti Cardinalis fuisset impressus, dempto illo verbo Romani* (quod ver-

bum etsi non extaret in libri fronte, tunc non impressa; aderat illa tamen in prima Operis pagina: *Ritualis Romani Liber primus) potuisset libere communicari cum omnibus: sed non placuit iis, ad quos pertinebat, ut cum nomine Romani publicaretur; et non placuit haeredi Cardinalis, ut sine nomine Romani exiret. Ea causa est, cur hic Liber lucem non aspiciat, et imperfectus ac mutilus extet in privatis Bibliothecis.*

§ 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni commendatione dignum, optimoque iure sibi vindicat laudes, quae de eo, tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini, tum et in praememorato Brevi Pauli V leguntur. Nosque ipsi Auctoris laborem, et eruditionem saepius admirati, non praetermisimus eo uti, debitamque laudem in nostris evulgatis Operibus ipsi tribuere. At, ex superius allatis notitiis, fieri nullo modo potest, ut ipsi vis legis concedatur existimeturque veluti opus a Summis Pontificibus approbatum, et tanquam Rituale Romanum; titulus enim hic solummodo convenit Rituali Pauli V Pontificis, ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos per ipsum directo, *ut in posterum tanquam Ecclesiae Romanae Filii, eiusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent;* uti legitur in illius Brevi anni 1614, quo Rituale Romanum confirmat, et in quo licet adnotatae legantur preces recitandae *ad repellendam tempestatem,*[1] fiatque mentio sonitus aeris campani, signi Crucis, atque aspersionis aquae benedictae; nullum tamen omnino fit verbum de Benedictione adhibito Sacramento, impertienda.

§ 25. Denique in una librae lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii, quod, quanticunque tandem sint reliquae exceptiones omnes, nunquam dici poterit Pontificia auctoritate roboratum, illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum Opus Patris Castellani, nunquam et ipsum approbationem illam Pontificiam consequutum; in altera vero lance ponantur Synodi Sancti Caroli Borromaei, quamvis illae, si vim legis consideres, in Dioecesi, totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant; haecque omnia si quispiam ponderet, conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem, quumque, aliquo huiusmodi casu sese offerente, deliberandum erit, obstrictum se noscet, vi quidem directiva, amplecti quidquid fuit a S. Carolo praefatis in Synodis constitutum. Non indigent profecto praefatae Synodi, ut quidquam illis adiiciatur, at si quae fieri vellet accessio, in promptu illa quidem esset, et facillime comparanda ex aliis Synodis, et Ritualibus aliarum Dioecesium, in quibus ex norma in S. Caroli Synodis tradita, statutum cernitur, ut cum incendii periculum subest, aperiatur Tabernaculum, Sacramentum relinquatur obtectum, religiosa fiat precum recitatio, nec extrahatur Sacramentum, ac proinde ne cum eodem ad incendia, tempestatesque benedicatur.

§ 26. Supra allatae sunt Synodorum, Auctorumque transalpinorum auctoritates, nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas. Iniuriam sibi faceret is, cui incomperta essent tum eximia virtus Praesulis Gratiani olim

[1] Tit. IX, c. 8.

Ameriae Episcopi, tum eiusdem celebris Synodus habita anno 1595, in cuius capite 109 ita legitur. *Ad arcendas pluvias, aut tempestates, procellasque, quae forte impendere videbuntur, nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento efferat, sed tantum Tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat, et in conspectu Sacramenti, genibus ad terram datis, Litanias, aliasque precationes eius rei causa institutas, pie sancteque cum populo, qui aderit, aut cum Clericis, aut etiam solus, peragat, Divinamque benignitatem, ut mala, quae peccata nostra merentur, misericordia sua avertat, religiose precetur.* Perspecta quoque est praestantia in rebus ad Ritum spectantibus Patris Bartholomaei Gavanti, qui composuit *Enchiridion,* seu *Manuale Episcoporum* ad sacras functiones rite dirigendas; in hoc autem verbo *Eucharistia,* num. 14 haec scripta reliquit: *Non adhibeatur contra grandinem, puta in valvis Ecclesiae, benedicendo aërem.* Nec missum faciemus Clericatum, utcumque caeteris recentiorem, non exiguam tamen laudem consecutum; in eius quippe decis. 60 de Eucharistia, num. 11 haec leguntur: *At ad benedicendum aërem contra grandinem, prohibitum est Sacram Eucharistiam exponere in valvis Ecclesiae.*

§ 27. His Litteris finem imponimus, tum quia aliis obruimur curis, tum et quia aestivis caloribus afficimur. Prudens nobis probatur Fraternitatis tuae agendi ratio, dum nihil graviter egisti in pium illum Sacerdotem, qui extra Ianuam Ecclesiae S. Nicolai in Carcere Benedictionem super populo, et ad incendium est impertitus; valde enim huic casui congruere nobis videntur verba S. Bernardi, Serm. 40 super Cantica, ubi haec scripta reliquit: *Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.* Verum cum haud iustum aequumve sit, ut, quae sunt minus recte gesta, conniventia invalescant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineant, non solum tibi curae erit, hanc Nostram Epistolam in Cancellaria tua custodiri, verum etiam Edictum, interposita auctoritate nostra, propones, in certam normam eorum, quae, excitato incendio aliquo, praestanda sunt, ut Deo supplicetur iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae; Edictumque ipsum, veluti adamussim, exiges ad ea, quae a Sancto Carolo noscuntur constituta, quaeque fuerunt a Nobis in his Nostris Litteris fusius exposita. Teque, Ven. Frater noster, ex animo amplectentes, Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 317-342].

436.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Quam ex sublimi,* 8 aug. 1755.[1]

Quam ex sublimi hac Sacrosancti Apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidimus, pro iniecta Nobis gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine, impositaque

[1] Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque Apostolicis Vicariis.

omnium animarum Iesu Christi Sanguine redemptarum procuratione, alias, nempe die 26 mensis Ianuarii anno MDCCLIII, inivimus Apostolicae providentiae rationem pro Indiis Orientalibus;[1] eamdem quoque, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, in iis partibus, in quibus vos constituti ac deputati, Apostolicum ministerium vestrum, non sine magnis assiduisque laboribus et incommodis, laudabiliter obire pergitis, haud patimur desiderari, quemadmodum immensa Supremi Pastorum Principis Iesu Christi caritas maximopere urget, ut eo alacrius omnem operam studiumque nostrum ad hoc conferamus, quo longius a Nobis regiones illas abesse non ignoramus.

§ 1. Quoniam autem non sine gravissima Pontificii animi nostri molestia tunc acceperamus, aliquem scilicet ex Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis Episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine Coadiutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in Coelis coronam Apostolicis laboribus partam evolasse, ac neminem, qui Ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum aut deputatum fuisse: eapropter omnibus et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniunximus et mandavimus, ut qui neque Episcopum Coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari Generalem haberent, statim atque ad unumquemque eorum aliarum nostrarum in simili forma Brevis desuper expeditarum Litterarum certa notitia pervenisset, deputarent Vicarium ex Clero sive saeculari, sive regulari, habilem tamen, atque idoneum, qui, eveniente cuiusvis Apostolici Vicarii sine Coadiutore cum futura successione obitu, tamquam Apostolicae huius Sanctae Sedis Delegatus, teneretur assumere et obire regimen, et gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam eiusdem Apostolici Vicariatus huiusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituisset, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem. Porro Vicario Generali huiusmodi per Apostolicum quemcumque Vicarium sibi, ut praemittebatur, deputando, Nos laudatarum nostrarum Litterarum tenore, Apostolica auctoritate, concessimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cuiusvis Cathedralis Ecclesiae, Sede vacante, inesse et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario Generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concessimus et impertiti fuimus usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis, quae requirunt Ordinem, et characterem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeret, saepedicto Vicario Generali potestatem etiam indulsimus et dedimus, consecrandi Calices, Patenas, et Altaria portatilia, cum Sacri Oleis omnino ab Episcopo benedictis.

§ 2. Porro, cum, sicut pariter accepimus, easdem omnino occasiones, eosdemque prorsus casus, in istis, in quibus munus vobis demandatum adimplere contenditis, regionibus accidere, atque insimul reperiri aliquibus in locis nonnullos Apostolicos Vicarios haud Episcopali titulo, et charactere

[1] Cf. N. 423.

insignitos, sed per Apostolicas dumtaxat Litteras sive sub Plumbo, sive in, simili forma Brevis expeditas, pro Vicarii Apostolici huiusmodi officio defungendo destinatos, propter quorum obitum eadem quoque momenta urgere possunt: eapropter easdem provisiones, et facultates, ut supra expressas, et pro Indiis Orientalibus initas, et concessas, sub iisdem modo, et forma, et non aliter, extendimus ad omnes istarum regionum Apostolicos Vicarios sive titulo, et charactere Episcopali insignitos, sive Sacerdotali dumtaxat dignitate praeditos; atque hisce quidem Sacerdotibus, ita ut praemittitur, Apostolicis Vicariis, pariter iniungimus et mandamus, ut unusquisque, memor resolutionis suae, teneatur deputare Pro-Vicarium, habilem tamen, atque idoneum, qui post cuiusque obitum assumere debeat regimen Vicariatus Apostolici, atque in eiusdem Vicariatus munere permanere et cum usu earum tantummodo facultatum, quibus utebatur, fruebatur, et gaudebat defunctus Vicarius, adlaborare debeat, donec et quousque novus Apostolicus Vicarius ab Apostolica hac Sancta Sede designatus, ipsius Vicariatus possessionem et regimen adierit.

§ 3. Praeterea cum compertum, exploratumque nuper fuerit, in Hibernia, Albania, Macedonia, Servia, Bulgaria, Insulis Maris Egaei, Perside, Mesopotamia (quemadmodum alibi fortasse reperiatur) reperiri aliquos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos locorum Ordinarios, et Residentiales, quorum aliquot quidem Capitulum Canonicorum habent, aliquot vero eiusmodi Canonicorum Capitulo destituuntur; idcirco, tenore et auctoritate paribus, statuimus, praescribimus, et mandamus, ut eveniente cuiuslibet Antistitis huiusmodi obitu, statim procedatur ad electionem Vicarii Capitularis, iuxta morem, usum, et consuetudinem hactenus servatam: nimirum ubi Canonicorum Capitulum fuerit, vel a Canonicis dumtaxat, si ita in more iam positum, servatumque fuit, vel a Canonicis una cum aliis Ecclesiasticis Viris, quos in casibus huiusmodi semper intervenisse, et suffragium suum in ea electione tulisse constat. Quando autem Capitulum Canonicorum non habeatur, ii Parochi sive soli, sive cum aliis Ecclesiasticis Viris, iuxta modum itidem, usum, et consuetudinem de praeterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem habendam accedant. Sed in hisce electionibus Vicariorum Capitularium quorumcumque volumus, praecipimus, et mandamus, ut omnino serventur Constitutiones Concilii Tridentini, praesertim in Sessione vigesima quarta capite decimosexto.

§ 4. Insuper volumus et mandamus, ut in iis locis, in quibus Venerabiles Fratres Antistites ordinarii eorumdem locorum Residentiales, neque Capitulum Canonicorum, neque Parochos in suis Civitatibus, et Dioecesibus habent, sed dumtaxat Sacerdotes aliquot, et Missionarii reperiuntur, per terras, et oppida dispersi, ita ut, cum quemlibet Antistitem eiusmodi mori contingat, insimul convenire minime valeant, tunc Vicarius Generalis iam a defuncto Antistite constitutus, ipso facto intelligatur, sit, et habeatur Vicarius Capitularis, cum supra expressis facultatibus ad Vicarios Capitulares de iure spectantibus, exerceatque munus Vicarii Capitularis huiusmodi, donec et quousque novus Antistes ab eadem Apostolica ac Sancta Sede designatus illuc advenerit, ac regimen susceperit. Verum probe intelligentes, haud facile in

iisdem locis reperiri Ecclesiasticos Viros, qui sive Doctores, sive Licentiati in Iure Canonico in aliqua Studiorum Universitate fuerint, quemadmodum pro Vicariatus cuiuslibet sive Capitularis, sive Generalis munere obeundo requiritur; Nos earumdem partium calamitates commiserantes, tenore et auctoritate paribus, quemcumque in Vicarium Capitularem, ut praemittitur, in casibus antedictis eligendum, dummodo ad gubernium, et regimen habilis, et idoneus fuerit, nunc pro tunc talem esse, et haberi volumus, et declaramus, perinde ac si Doctor, sive Licentiatus in Iure Canonico fuerit.

§ 5. Decernentes easdem praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere debere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, iudicari, et definiri debere: ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quibuscumque aliis Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, iisdem quoque, quibus Indiarum Orientalium Apostolicos Vicarios prosequuti fuimus, Apostolicis verbis, et adhortationibus prosequimur. Itaque ex Apostolicae providentiae, auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a Nobis suscepta, atque unicuique vestrum praecepta animadvertite, quanta sit Apostolici muneris unicuique vestrum iniuncta cura, atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem, sollicitudinemque contendatis, ne quispiam Christi fidelium vobis commissorum, et de quibus ratio supremo Pastorum Principi aeterno Iudici reddenda est, pereat; sed potius ut omnes aeternam salutem consequantur, et vobis merces vestris meritis debita a iusto remuneratore Deo tribuatur. Nos interim coelestis praesidii auspicem Apostolicam Benedictionem in populos etiam vestrarum Dioecesum, vel Provinciarum redundaturam Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

§ 7. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 343-346].

437.

Benedictus XIV, ep. *In superiori*, 29 dec. 1755.[1]

§ 1. In superiori ante proximum ad Nos habito accessu, retulisti, Te in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Ligurno in Portu commorantes Sacro Natali Domini die tres unumquemque Missas in Nationis suae templo celebrare, non praetermisisse opportunas ad Pisanum Archiepiscopum dare litteras, ut certior fieres, num res, prout ferebatur, se haberet, et si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia; tibique fuisse a memorato Praesule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Ligurnensi suae gentis Ecclesia tres Missas Natalitio Christi die, idque in usu primum ea in Ecclesia fuisse positum a duobus Missionariis Parochis sub annum 1725, exindeque semper rem eodem modo transactam; ac insuper eius gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos, eiusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus, nostra ipse expetebas iussa, de relinquenda, vel interdicenda trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalitio Christi die, Ligurni in gentis suae Ecclesia, fieri solita.

§ 2. Pervetustus est, atque universim in Latinam Ecclesiam receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi; verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat praefati Ritus vestigium; ne verbum quippe de eo in Liturgiis Graeco-Arabicis Melchitarum, nec in Syriacis, Chaldeisque, neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Graecorum, atque Ruthenorum, qui Graecos sibi ritus adscivere. Patres Basiliani Cryptae Ferratae, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sint, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio, nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736 in Monte Libano, cui praefuit Ioseph Simonius Assemanus Praesul, qui iussu Clementis XII Praedecessoris nostri eo profectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit, haec leguntur cap. 13, *de sacrosancto Missae Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini tres Missas celebrandi, ad Nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus, et statuimus: non quod morem illum Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris, ac magistrae condemnemus; absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

§ 3. Haec Synodus, praevio opportuno examine, fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata.[2] Cumque ex memorata Synodo, aeque ac ex praeindicatis Liturgiis Orientalibus innotescat, offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natali Christi die

[1] Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodien., Congregationis Propagandae Fidei Secretario.

[2] Const. *Singularis*, 1 sept. 1741. - Bened. XIV Bull., tom. 1, pag. 74-78.

Sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesia, iam locus fit regulae latius per Nos firmatae in Nostris Encyclicis Litteris datis octavo Kalendas Augusti anni 1755 ad Missionarios per Orientem,[1] praeloque Congregationis Propagandae Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum itidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est Sacris Canonibus sancitum, Constitutionibus Apostolicis cautum, ac Sanctae Sedis perpetuo systemate, praefatis litteris late demonstrato, firmatum.

§ 4. Et si unquam excipi contingeret, iisdem in Litteris in exemplum per Nos adduci Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus, et vicissim Graecos quosdam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque eiusmodi, id factum, vel consectarium fuisse immemorialis consuetudinis secumferentis famam concessi Apostolici privilegii, vel inductum ex privilegio Apostolico vero, conceptoque; quarum quidem rerum, quod ad praesentem quaestionem attinet, nec species ulla, quin potius perspicua ex adverso perstat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus, Armeni Ritus, Romae degens facultatem sibi expetiisset, celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas eiusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romae commorantes protenderetur; propositis huiusmodi precibus in Congregatione Sacrae Inquisitionis coram Consultoribus decimo tertio Kalendas Martii 1710, relatisque iterum in Congregatione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii, negativum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demandata fuit Provincia scribendi ea de re, scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese praestiterit procliviorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quae ex aedibus Sacrae Inquisitionis afferri ad Nos voluimus; et hoc fuit quidem dubium tunc propositum: *An dicto Archiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis Domini more Latinorum, hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ritus in Urbe commorantes;* hoc vero rescriptum: *Quoad petitum Indultum celebrandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum, respondendum esse negative.*

§ 5. Praetereundae nec sunt, quae in praefatis litteris Nostris § 45 a Nobis afferuntur. Cautum fuerat iam inde ab anno 1674, ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis, caeterisque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt praefati Armeni, ut habita sub annum 1699 iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Kalendarii Armenis Liburnensibus relinqueretur, quousque ad novum recipiendum sese accommodassent, et quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armenis sua pro ratione voluntas, respuunt Latinum Ritum, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud iustitiae consonum: cumque porro Latinum Ritum ter offerendi Sacrificium Natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile caput est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

[1] Cf. N. 434.

§ 6. Reliquum illud est, quod asseritur in Litteris Pisani Archiepiscopi, Armenae nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres Missas a multis per Orientem Armenis Sacerdotibus Catholicis, eiusdemque Ritus Missionariis celebrari; idque Nobis verisimile videtur, at nihil inde in rem praesentem. Beatus Bartholomaeus Bononiensis ex Fratrum Praedicatorum familia, fuit a Ioanne XXII Pontifice in Armeniam ablegatus sub ann. 1318, et ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus, exindeque translatus ad Naxivanum Archiepiscopatum. Quo ipso tempore praefatus Beatus Bartholomaeus celebri illa Missione fungebatur, aderat in Armenia Isaias quidam Schismaticus trecentis septuaginta discipulis praepositus. Mens ipsi inerat recta, et motus fama sanctitatis B. Bartholomaei, edoctusque ab ipso Catholicae Fidei veritatem, se ei socium adiunxit, suis omnibus discipulis secum adductis: tuncque contigit, ut institueretur Congregatio Fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti, emissaque Professione vitae Regularis sub Regula Sancti Augustini, et Fratrum Praedicatorum Constitutionibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani, *de consensione Armenae Ecclesiae cum Romana,* part. 1, pag. 508 et seq., atque elucubratius tom. 2, *historiae virorum illustrium Dominicani Ordinis,* Auctore Patre Touron, lib. 1, pag. 108 et seq. Isthaec Congregatio subiecta fuit Magistro Generali Dominicanae Familiae ab Innocentio VI sub annum 1356, uti colligere est ex eius Litteris in *Dominicanum Bullarium* relatis pag. 148, et in generalibus totius Ordinis Comitiis habitis anno 1583 nova haec Congregatio ad Regularis Provinciae gradus iura, et honores attolli coepit. Cum autem Isaiae discipuli unam noscerent Armenam Linguam, praeterea nullam, et plenam caeteroquin cum Dominicanae Familiae Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praecitati Historici, ut Regulae, Statuta, Breviarium, et Missale Ordinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis instetisse Patres Armenae Provinciae Ordinis Praedicatorum, quo sibi liceret typis mandare sua Breviaria, ac Missalia, e Latino in Armenum idioma translata; annuitque precibus Congregatio Romanae universalis Inquisitionis habita Octavo Idus Septembris 1713, deputatis emendatoribus, sive praeli typici praesidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in huiusmodi casibus alias contigisse constiterat; probavitque omnia Summus Pontifex in Congregatione, proximo die, septimo videlicet Idus Septembris eiusdemmet anni habita.

§ 7. Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam Linguam versum fuerit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatae Missae Natalitio Christi die celebrari solitae, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam Armenos, et Missionarios, videntes tres Missas a Patribus Dominicanis celebrari Natalitio Christi die, coepisse et ipsos tria Sacrificia offerre, Dominicano Missali utentes in Armenam Linguam reddito: quoties autem ita se res habeat, quod verosimilius est, quisque sanae mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solita, constitutum, nec eo

iuvari ullatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes; eo quod tres Missae in Missali Dominicano adnotatae, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam Linguam versae; nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Simillimum Nobis suppetit exemplum ex Missa Latina Patrum Dominicanae Familiae in Graecam Linguam versa iuxta indultum a Bonifacio IX datum Maximo Constantinopolitano Dominicanae Familiae viro, relatumque tom. 2 *Bullarii Dominicani* pag. 370. Ea quippe Dominicani Fratres quidem, nullatenus autem Graeci, in Sacrificio offerendo uti possunt.

§ 8. Haec itaque sunt, quae Nobis, quamvis male a podagra habitis, licuit colligere. Curae tibi erit, Venerabilis Frater, deferre omnia ad Congregationem de Propaganda Fide; et si mandatum ab ea tibi fuerit, quod facillimum, ut ad Pisanum Archiepiscopum rescribas, opportunum fortasse erit, huius ad te Nostrae Epistolae exemplum eidem reddendum curare. Interea Apostolicam tibi Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 358-364].

438.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Ex quo*, 1 mart. 1756.[1]

§ 1. Ex quo primum tempore Apostolicam Beati Petri Sedem conscendimus, usque in praesentem diem, assidua Nobis videmur edidisse argumenta paternae prorsus charitatis, qua dilectos Nobis in Christo Ecclesiasticos, Laicosque Orientales Nobis consentientes, sive, uti vocant, *Unitos*, et a schismatis labe immunes, complectimur; nihilque intactum reliquisse, quo ii, qui in schismate sunt, eiuratis erroribus, Catholicae unitati consocientur. Nolumus hic quaecumque in hunc finem egimus, commemorare: quum et referta sint Regesta Congregationis de Propaganda Fide Decretis nostris hac de re conditis; et Apostolicas Litteras, atque Constitutiones pro Orientalium rebus a Nobis editas, in Bullarii nostri Voluminibus unusquisque percurrere valeat. Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Venerabiles Fratres, Dilectosque Filios, certiores faciamus, absolutum iam esse opus Correctionis Graeci Euchologii, idque iam Typis eiusdem Congregationis de Propaganda Fide impressum fuisse, post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum; ideoque vos hortemur, ut hoc potissimum in sacris actionibus adhibeatis, sepositis aliis, quae variis erroribus satis superque infecta deprehenduntur. Quod quidem haud mirum videri debet; id enim incommodi facillime accidit, quoties in pluribus ac saepe iteratis unius Operis editionibus, ab iis, qui praesunt, aliquid omittitur exactissimae illius diligentiae, quae necessaria est, ne aliqua, aut per fraudem, aut per inscitiam, identidem inserantur, aut adiiciantur, quae in primaevis purisque editionibus non erant; quaeque deinde resecanda quum sint, aut aliquo modo temperanda, tractu

[1] Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ritus Graeci Ecclesiasticos, Saeculares et Regulares, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes.

temporis causam praebent instituendis correctionibus, novisque repurgatis editionibus; quemadmodum in ipsa quoque Occidentali Ecclesia, quantumvis prae Orientali minoribus periculis exposita sit, evenisse dignoscitur: quocirca Romani saepe Pontifices coacti sunt opportune consulere, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, et Martyrologia emendarentur, et castigata noviter ederentur. Verum quod attinet ad correctionem vestri Euchologii, quod, ut optime nostis, nihil aliud est, quam collectio Ecclesiasticarum precum, atque benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, Ecclesiae vestrae Rituale, seu Manuale, aut Sacerdotale, et Pontificale commode appellari posset; duo potissimum his nostris Litteris agenda suscepimus: historiam nimirum exponere correctionis, novaeque editionis, quae nuper perfecta fuit; et Monita quedam latius explicare, quae in ipsius Euchologii vestibulo opportune praeposita sunt; dilato in aliud tempus consilio aperiendi vobis, si Deus vitam et vires Nobis largietur, res alias complures ad Euchologium ipsum pertinentes, quae nec satis recte praesentibus Litteris nimis in longum protrahendis insererentur, et immodicum Nobis afferrent laborem, aetati Nostrae prorsus alienum, nec apte conciliandum cum reliquis magni momenti curis, quae nunc praesertim Nos in Apostolici Ministerii nostri procuratione circumstant, et a quibus Nos modo expedire non possumus.

§ 9. Primum itaque Monitum his verbis conceptum legitur: *Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, et Catholicae Ecclesiae Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes Officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, et Patriarchae, dummodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sint schismatici, sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.* Quod sane consentaneum omnino est iis, quae decreta fuerunt in Congregatione habita die prima Maii anni 1746, quaeque approbatione nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: *Num in precibus, quae a Sacerdote, et Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit Nomen Summi Pontificis, tum etiam in caeteris precibus: videlicet, Pro Summo Pontifice N.* Redditum autem fuit Dubio responsum huiusmodi: *In Instructione initio Euchologii adscribenda, admoneantur Sacerdotes Graeci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis, et eorum Episcopi, seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia Catholica Romana unitus, et insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiae, quae eos remittat ad Instructionem.* Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso *Euchologii* textu desiderantur.

§ 29. Sequitur nunc secundum Monitum ex his, quae novae editioni Graeci *Euchologii* praefixa fuerunt, in haec verba conceptum: *Ad haec, in eadem Divina et Sacra Liturgia Sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona, eaque decenter ac religiose supra caput tollens, ad Altare defert, circumducens et procedens per Templum, dum interim populus summa cum reverentia et devotione inclinat caput, et procidit; supplicans, memoriam sui fieri in ea donorum circumductione. Sed, quia nonnulli Fidelium procidentium, circumlata dono tamquam Corpus et Sanguinem Christi adorant, atque existi-*

mant, ab introitu fortasse Praesanctificatorum decepti, quando scilicet praesanctificatus Panis defertur, ignorantes differentiam, quae inter hanc et illam delationem intercedit; idcirco oportet in hoc operam suam studiumque impendere, ut cunctos Fideles accurate doceat, admoneatque de illa, quae inter utramque donorum delationem intercedit, differentia; cum alia quidem dona nondum sint immolata et perfecta, alia vero Dei verbo confecta et sanctificata; et haec religiosissime debeant coli et adorari, cum sub specie ac symbolis panis et vini Corpus et Sanguinem Christi contineant; secus vero, antequam consecrentur, et perficiantur.

§ 30. Iam illud recte nostis, Venerabiles Fratres, Dilecte Filii, duos in vestra Liturgia esse Ingressus, Minorem alterum, alterum Maiorem nuncupatum. Minor est ille, quo sacri Evangelii Codex infertur; Maior autem ille est, quo sacra Dona, nimirum Panis et Vinum, non adhuc consecrata, a parvo Altari, seu Mensa, quae *Prothesis* dicitur, super quam praeparata fuerant Supplicationis ordine instructo, ad sacrum Altare deferuntur. Itaque in secundo Capite huius Moniti, non quidem agitur de Minori Ingressu, sed de Maiori; in quo nimirum Ritus huiusmodi observatur, ut Panis in Patena obtectus velo supra caput deferatur vel a Diacono, vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne Missae Officium celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi; tunc enim hic sinistra manu Patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem Patenam cum pane supra caput suum sinistra manu sustinet, dextera autem sacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur Maiorem Ingressum contingit, ut populus inclinetur, seu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur: *Populus passim, in Graecia quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac veluti praesentem in ea oblatione Coelorum Regem alloquitur, et adorat.* Verba sunt Petri Arcudii, *De Concordia Eccles. Occid. et Orient.*, lib. 3, cap. 19.

§ 31. Christianus Lupus part. 3 *suorum Operum super Conciliis, Edit. Bruxel.*, pag. 760 ritum describit Maioris Ingressus, quando Patriarcha, aut Metropolitanus Missam celebrant. Magri *in Vocabulario Ecclesiastico*, verbo, *Prothesis*, singillatim describit quaecumque fiebant ab Imperatore, Sacrae Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius *in notis ad Liturgiam Sancti Ioannis Chrysostomi*, num. 110, totam actionem Ingressus Maioris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona, *Rer. Liturgic.*, lib. 2, cap. 9, num. 4. Quaecumque vero ea occasione a Graecis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Aethiopibus, ac Syris Iacobitis, ut videri potest apud le Brun *in Explanatione Missae*, tom. 3, apud Chardon *in Historia Sacramentorum*, tom. 2, cap. 2, et Renaudot, tom. 1, in notis *ad Liturgiam Cophtorum*. Quin etiam in hac Romana Urbe, in Festo S. Athanasii, videre est Graecos in sua Ecclesia ea omnia facientes, quae supra recensuimus:

Et ita etiamnum hodie faciunt Graeci, in Festo, ac in Romana Basilica S. Athanasii, ait Lupus loco citato.

§ 32. Perspectum quoque vobis est, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, iuxta Ritum vestrum, diebus Ieiunii Quadragesimalis, solam tantummodo Praesanctificatorum Missam apud vos celebrari, exceptis Sabbatis, et Dominicis diebus, necnon Festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis, si in Quadragesimam inciderit, ad normam Canonis Trullani LII his verbis concepti: *In omnibus sanctae Quadragesimae ieiunii diebus, praeterquam Sabbato, et Dominica, et Sancto Annunciationis die, fiat sacrum praesanctificatorum Ministerium.* Nostis etiam, Sacerdotem, qui Missam celebrat in Quadragesima, diebus, quibus hoc fieri conceditur, Sabbato scilicet, et Dominico die, unam quidem hostiam consecrare, et consummare, alteram vero consecratam seponere; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus celebranda est Praesanctificatorum Missa, in qua nimirum et seipsum, et alios, si qui sint communicantes, Eucharistico Pane superioribus diebus consecrato communicat; quemadmodum recte omnia persequitur Leo Allatius in Prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum *de Missa Praesanctificatorum*, pag. 1531, num. 1. *Quilibet Sacerdos venturae hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat; inde tot particulas Panis in oblatione abscindit, quot Missas dicturus est; eas, cum particula eo die absumenda, consecrat, et consecratas, Sanguineque Dominico intinctas, uti moris est, conservat in Pyxide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, et in disco reponit, et ad Altare maius advectam consumit.*

§ 33. Hac item occasione per Ecclesiam solemni Ritu proceditur, Diacono sacram Pyxidem, in qua Sacramentum sub specie Panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante Calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto. Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebret, ipse sinistra manu defert Pyxidem capiti impositam, dextera autem Calicem sustinet: atque ita a parvo Altari ad Aram maiorem progreditur; uti testatur Arcudius in citato Opere, lib. 3, cap. 58: *Solent Graeci in Praesanctificatis Liturgiis, antequam incipiant Sacrum, reponere Sacramentum contentum in Patena super parvum Altare propositionis, et infundere vinum in Calicem sine ullis precibus. Deinde circa medium sacrum, Sacerdos, si solus celebrat, Patena imposita capiti, et Calice manu dextera apprehenso, transfert ad maius Altare, etc. Si vero Sacerdos huiusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet Patenam cum Sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti defert. Ipse autem, accepto Calice, exit, et Diaconum sequitur.* Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere, aliisque idoneis actibus Consecratum Panem a Sacerdote, vel a Diacono, ut supra diximus, delatum, ut par est, adorare. Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia praestentur a populo, dum in functione maioris Ingressus, Panis et Vinum non adhuc consecrata, sed postmodum consecranda, supplicationis ritu per Ecclesiam deferuntur; hoc illud est, quod negotium facessit, quodque locum praebuit difficultatibus adversus Ingressum maiorem excitatis. Nicolaus

Cabasilas *in Expositione Liturgiae*, cap. 24 ita scripsit: *Si qui autem sunt, qui, Sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt, et tamquam Corpus et Sanguinem Christi, dona, quae deferuntur, adorant et alloquuntur; ab ingressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam huius, et illius Sacrificii; hoc enim in ipso Ingressu non sanctificata habet dona, et nondum perfecta; illud autem perfecta, et sanctificata, et Corpus et Sanguinem Christi.* Et post eum, Arcudius ita prosequitur in eodem citato Opere, lib. 3, cap. 19: *Itaque Populus ignorans discrimen huius, et illius Liturgiae, similiter se gerit in ordinariis, atque in praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus Sacerdos in Patena defert, meritoque Populus humi procumbit, atque adorat: in aliis vero Sacrificiis, dum haec oblatio fit ante consecrationem, longius se gerat, oportet.* Idem Arcudius in subsequentibus eiusdem libri capitibus, refellit Gabrielem Archiepiscopum Philadelphiae, qui plura scripserat ad vindicandum huiusmodi Ritum. Quin etiam Goarius, *praeallegato loco*, necessarium duxit, ad eumdem Ritum tuendum, opportunas quasdam rationes afferre. In recentiori editione Operis inscripti *Perpetuitas Fidei Catholicae de Sacramento Eucharistiae, adversus Claudium vindicata*, pag. 68, hoc scriptum legitur: tantum abesse, ut Graeci Sacramentum Eucharistiae non adorent, ut potius sese purgare teneantur, ostendentes, quomodo recti limites non excedant, nec iisdem adorationis actibus prosequantur panem et vinum nondum consecrata, quibus ea post consecrationem venerantur. Pater le Brun non dubitavit asserere, talem esse Ritum, ut aliquo modo reformari mereatur. Tournefort, Tom. 2, pag. 411 et seq., quum se propriis oculis vidisse referat Armenos functionem hanc peragentes, cum aliqua indignatione de ea loquitur. Chardon *loco superius notato*, ea affert, quae scripserunt Tournefortius, et Pater le Brun; deinde quaestionis punctum indecisum relinquit. Itaque Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720, *Decreto de celebratione Missarum*, § 4, non dubitarunt interdicere, ne qua fiat genuflexio, aut capitis inclinatio dum Panis, Vinumque nondum consecrata a Parvo Altari ad Maiorem Aram transferuntur: *Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a Minori ad maius Altare, pro Consecratione, tempore Offertorii; praecipitque Parochis, ut Populum hac de re moneant, ne periculo idololatriae exponatur.* Illud enim Patres fortasse prae oculis habuerunt, quod in sacro Textu refertur lib. 4 *Regum*, cap. 18 de Ezechia Rege Iuda, qui serpentem aeneum a Moyse conflatum fregit, propterea quod Filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

§ 34. Haec sunt, quae nobis licuit colligere ex libris Auctorum, qui de hoc Ritu tractarunt. Nunc autem ea subiiciemus, quae circa eumdem Ritum animadversa et constituta fuerunt, tum in Congregationibus sub Urbano VIII coactis, tum in iis, quae nostris temporibus habitae sunt, et quarum Decreta Nos ipsi subinde approbavimus.

§ 35. Primum itaque illud prudenter animadversum fuit, functionem hanc maioris Ingressus omnino tollere, atque interdicere, (quod caeteroquin, ut dici solet, falcem ad radicem misisset) rem fore Ecclesiae Graecae permolestam, nec consentaneam institutis Ecclesiae Latinae, quae Graecos Ritus in

Ecclesia Graeca, quantum potuit, servare semper studuit: idque eo vel maxime, quod antiqua est huiusmodi caeremonia; quaeque ea servatur solemnitas, ita explicari consuevit, ut triumphalem referat ingressum Christi, quum ex Bethania Ierusalem venit; quemadmodum scripsit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, hac ipsa de re agens: *Tunc enim plurima turba, et Hebraeorum pueri, tanquam Regi, et mortis victori, sensibiliter hymnum referebant, spiritualiter autem Angeli cum Cherubim ter sanctum persolvebant hymnum;* deinde subiungens, per minorem Ingressum significari humilem adventum Filii Dei in hunc mundum.

§ 36. Secundo loco animadversum fuit discrimen, quod intercedit inter ea, quae canuntur in translatione Praesanctificatorum, atque ea, quae Clerus concinit in Processione maioris Ingressus. Hic enim dicitur: *Ut Regem universorum excepturi;* quae verba non Regem praesentem indicant, sed postea venturum. In illa autem, omisso hymno Cherubico, sequentia verba ingeminantur: *Ecce sacrificium mysticum et consummatum.* Adeo ut unusquisque, modica etiam intelligentia praeditus, inter unam, et alteram functionem discernere valeat, dum in translatione Praesanctificatorum, Iesus Christus sub Panis speciebus praesens exhibetur, in caeremonia vero maioris Ingressus, idem Dominus indicatur, non veluti praesens sub speciebus Panis et Vini, sed ut proxime adfuturus, postquam nimirum consecrationis verba a Sacerdote prolata erunt.

§ 37. Tertio perpensum fuit, quod si Graeci in rebus sacris edocti, perspectum habent, sub Panis et Vini speciebus, dum maior Ingressus ducitur, nondum existere Corpus et Sanguinem Domini; iidemque norunt, quod ignorare non possunt, Latriae cultum soli Deo deberi; nemo iure suspicari poterit, hanc illis esse mentem, ut per exteriores venerationis actus, quos ad ingressum Oblatorum exercent, Latriae cultum erga species non adhuc consecratas exhibeant: quum eaedem exterioris obsequii significationes aliquando erga Creatorem, aliquando vero erga res creatas exhiberi soleant; (quemadmodum in Scripturis Sanctis legitur, Abrahamum Angelos adorasse, et Iacob non semel coram fratre Esau procubuisse, et Nathan Prophetam idem in conspectu David praestitisse); quumque adoratio Latreutica non unice in actibus externis consistat, sed praesertim in interna affectione animi, qua huiusmodi actus eliciuntur. Praeterea si Graeci in Missa Praesanctificatorum, iisdem exterioris adorationis actibus prosequuntur Panem, qui consecratus est, simulque Vinum in Calice contentum, quod consecratum non esse constat; nec ideo iis obiicitur, quod in praedicta Missa Praesanctificatorum, pari Latriae cultu adorent Panem consecratum, et Vinum mere benedictum; quia scilicet extrinsecae actiones ab interno animi sensu diriguntur, ita ut pro varia mentis intentione, unus idemque actus, nunc quidem Latriae adorationem, nunc autem minoris obsequii significationem importet; ex hoc ipso satis evincitur, quod quamvis etiam Graeci, dum maior procedit Ingressus, in conspectu Panis, et Vini, quae nondum consecrata circumferuntur, eosdem ederent externos adorationis actus, qui erga Eucharisticum Panem, et consecratum Calicem exhiberi solent; non ideo iure affirmari posset, communem panem, vinumque non consecratum, Latriae cultu ab iis adorari: quum omnia metiri oporteat

ex interiori animi sensu, cuius ea vis est, ut eosdem externos actus post Consecrationem quidem dirigere possit ad eliciendam adorationem Latreuticam erga Eucharisticum Panem et Vinum; eosdemque, ante Consecrationem, ad solemnem Oblatorum Ingressum exercendo, Latriae cultum ab illis excludere valeat. Ita ad rem nostram apposite dissert Leo Allatius *in suo Tractatu de Missa Praesanctificatorum*, num. 8: *Cultus hic non dicitur Latria, quae soli Deo debetur, sed qualem veneratio creaturarum exposcit: gestus enim exterioris reverentiae, capitis scilicet detectio, manuum oscula, in modum supplicantium complicatio, extensio, elevatio, et similia, nec non in genua procumbere, et prosternere se in terram, non sulum adorationi Dei, sed creaturarum etiam attribuitur; nec in eo error committitur, dummodo Deum Creatorem a creatura, et creaturam excellentiorem a minus excellente, mente distinguamus. Per externos ergo corporis gestus, cultus Deo exhibitus in adoratione, non ob naturam eiusmodi actuum, sed ob intentionem, qua usurpantur, cum alias ex sola natura sint indifferentes, latria infertur. Interior enim voluntas atque intentio conciliandi per hos externos actus existimationem divinam, fatit, ut sint materia cultus divini, atque adeo ut per illas adoratio Dei exterior exerceatur, Divinum cultum tribuens.* Sanctus Thomas 2, 2, quaest. 84, art. 82, *in Respons. ad secundum*, ita docet: *Adoratio principaliter quidem in interiore Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis; sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos, quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis.* Cuius doctrinam explicans Sylvius ad citat. art. 2, haec subdit: *Docet, adorationem principaliter in interiore Dei reverentia consistere, secundario vero in quibusdam signis corporalibus. Quod adeo verum est, ut inter signa corporalia nullum fere sit obsequium, seu officium, quo non tantum Deo, sed etiam creaturae cultus exhiberi queat; ac proinde ex intentione colentis desumi debeat cultus externi distinctio. Nam si ei sit animus, de eo, quem per externum obsequium honorat, excitare opinionem Deo soli convenientem, atque illum honorare, ut summum, tunc huiusmodi officium pertinebit ad cultum Divinum: si autem sit intentio eum venerari ut creaturam excellentem, Deoque amicam, pertinebit ad cultum Duliae, vel Hyperduliae. Dixi, fere; nam de Sacrificio etiam externo, quod soli Deo possit offerri, non est dubium.* Itaque Sylvius unicum exterius signum, quod necessario Latriae cultum importet, externum Sacrificium esse asserit, quod soli Deo offerri certissimum est, sicut etiam fuse demonstrat idem D. Thomas 2, 2, quaest. 85, artic. 2. Quapropter in Actibus Apostolorum legimus, Laodicenos, quum Paulum, et Barnabam Deos esse autumassent, statim de offerendo iis Sacrificio cogitasse. Eamdem omnino doctrinam tradit Suarez in 3 part. *Divi Thomae*, tom. 1, quaest. 25, art. 2, disput. 61, sect. 4, ut ex sequentibus illius verbis deprehenditur: *Actus exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam Creaturam exerceri possit, etc. Quo fit, ut distinctio Latriae soli Deo debitae, ab adoratione Creaturae, in his externis actibus, potissimum ex interiori intentione pendeat.* Et quamvis idem paulo inferius subiiciat, exteriorem actum, non solum ob internam agentis voluntatem, adorationis Divinae naturam induere, sed talem quoque evadere, ac dici posse, si huiusmodi signi-

ficatio exteriori illi actui tributa sit ab eo, qui tali potestate et auctoritate polleat: *Attendenda est, praeter intentionem internam, publica impositio; nam si haec signa, sufficienti auctoritate, et potestate, ad significandum Deum, et cultum, sunt imposita, solum ad Divinum cultum usurpari possunt, et, si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa aestimatione fiat.* Haec tamen doctrina ad id, de quo nunc agimus, aptari non potest; quum nullibi reperiatur, auctoritate publica statutum fuisse, ut exteriores illi actus, qui supra descripti sunt, quique a Graecis fiunt, dum maior Ingressus per Ecclesiam procedit, pro actibus, et signis cultus Latriae haberi debeant.

§ 38. Quarto demum, quum in Congregatione super correctione Euchologii habita die 5 Septembris 1745 proposita fuerit quaestio, an abolendus, seu emendandus foret Ritus Ingressus maioris, de quo hucusque sermonem habuimus, omnibus mature discussis atque perpensis, constitutum denique fuit, nihil esse innovandum; idque subinde approbatione nostra firmatum extitit. Nec alia profecto fuit sententia Congregationum, quae sub Urbano VIII hanc ipsam quaestionem examinarunt. Placuit tamen consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi, aliique animarum curam gerentes, et quorum ea est inspectio, ut rudem populum docere non praetermittant, quod dum sacra Dona a Prothesi ad Aram maiorem solemni ritu transferuntur, quum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit Corpus, et Sanguis Domini nostri Iesu Christi, prout futurum erit post peractam Consecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata Dona nondum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus Latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cuius obiectum est, futura transubstantiatio eorumdem Donorum in Corpus et Sanguinem Domini. Non absimili methodo usi sunt Tridentini Concilii Patres, quum actum fuit de veneratione cultuque Sacrarum Imaginum; decernentes nimirum, ut nihil immutata hac in re antiqua Ecclesiae disciplina, onus esset Episcoporum, aliorumque, quibus docendi munus est demandatum, Christianam plebem erudire de omnibus, quae circa huiusmodi cultum tenenda, et servanda sunt, uti videre est in praedicti Concilii sess. 25, *Decreto de invocatione, et veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et Sacris Imaginibus.* Quodque ad rem nostram proprius spectat, Goarius *loco superius citato* consilium similiter dedit, ut minime abrogaretur Ritus Maioris Ingressus, sed ut populus opportunis documentis instrueretur: *erudienda est certe rusticae plebis illius fides; devotio nunquam extinguenda, aut cultus ille externus omnino comprimendus.* Similiter Pater Philippus de Carboneano *in Appendice ad Tract. P. Antoine, de Eucharistia*, § 3, ita concludit: *Nihil ergo in hoc est reprehendendum; sed Gens illa rudis instruenda, ne Dona illa, ut Christi Corpus, et Sanguinem venerentur.* Quod quidem si a vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, praestabitur, quemadmodum facturos vos esse confidimus, eam a vobis procul amovebitis accusationem, qua Arcudius *de Concordia*, lib. 3, cap. 19, Episcopos Graecos sui temporis reprehendit, dicens, Populum quidem tunc in summa ignorantia versatum fuisse; sed Episcopos facile potuisse idoneis instructionibus illius caecitati

remedium afferre, nisi ob humanos respectus, ab huiusmodi onere implendo abstinuissent: *Possent autem, ac deberent Graecorum Antistites diligenter monere populum, et utique concordes multum proficerent; sed quoniam vel et ipsi laborant eodem morbo, et ex ignorantia in eodem errore versantur, vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam, et humanos favores, verentur, ne, instar Haereticorum, nomen ipsorum a vulgo conculcetur; propterea ipsimet, saltem externa specie, caeterorum errorem egregie imitantur, altoque silentio omnia praetereunt, ac dissimulant; ita caeci caecos ducunt, et omnes in foveam cadunt.*

§ 39. Porro Sacerdos celebrans, sacris indutus vestibus, antequam sacra Dona a minore Mensa, seu Prothesi, ad maius Altare transferantur, ad illam accedit, et Panem consecrandum dividit in plures partes. Pars maior offertur, ut Deo Optimo Maximo debitus praestetur cultus, in memoriam Salvatoris Nostri Iesu Christi. Reliquae minores partes, quae *Merides* appellantur, Omnipotenti Deo similiter offeruntur; sed earum una in honorem gloriosae Virginis Dei Genitricis Mariae, altera in honorem Sancti Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum nomina a Sacerdote enunciantur; alia vero pro salute vivorum, quorum etiam nomina ab eo recensentur; alia pro Defunctis, qui pariter nominatim commemorantur; alia in honorem illius Sancti, cuius Festus dies celebratur; relicta caeteroquin Sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illo, aut illis, quos ipse maluerit. Ritus huiusmodi divisionis Panis in plures, prout a Nobis descriptus est, iam dudum viguisse probatur ex Typico Irenes Augustae, edito a Patre Montfaucon, tom. 1, *Analect. Graecor.*, cap. 34. Si vero Episcopus, aut Presbyter primi Celebrantis personam sustinens, cum aliis Sacerdotibus concelebret, et Diaconi quoque in Officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos, sed unusquisque etiam ex Diaconis, Hostiam unam maiorem offert, simulque minores particulas, seu *Merides;* ex quibus, si quae demum supersunt a Celebrante, seu Celebrantibus non consummatae, eae distribuuntur adstantibus, qui Eucharisticae Communionis participes fieri petunt. Haec omnia exacte describunt, et narrant Card. Bona *Rer. Liturgicar.*, lib. 2, cap. 1, num. 7, Arcudius, lib. 3, *de Concordia*, cap. 9, et Goarius *ad Rituale Graecorum, in notis ad Liturgiam Sancti Ioannis Chrys.*, pag. 98 et seq.

§ 40. Nulla inter Catholicos extitit controversia circa Ritum maioris Hostiae, aliarumque minorum, quae *Merides*, appellantur. Quum enim de eo instituta fuisset quaestio in Oecumenica Florentina Synodo, adnotatum est in Actis, Archiepiscopum Mitylenensem propositis interrogationibus cumulate satisfecisse. Et quamvis ibi relatus non sit illius responsionum tenor, non aliter tamen interrogationibus satisfecisse censendus est, quam ostendendo antiquitatem huiusmodi Ritus per plura saecula in Orientali Ecclesia observati, cuius ea est significatio, ut diversos innuat fines, ob quos Sacrificium offertur. *Puto dixerit, hanc esse antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines Sacrificii:* sunt ipsa Arcudii verba *praefato* lib. 3, cap. 9. Porro nullam diximus super hoc Ritu viguisse controversiam inter Catholicos; e Schismaticis enim constat, Simeonem Archiepiscopum Thessalonicensem, in suo Tractatu *de Sacramentis,*

addubitare se ostendisse de consecratione Particularum. Sed quam irrationabile fuerit illius dubium, unusquisque facile deprehendere potest. Quum enim Sacerdos ad sacrum Altare Consecrationis formam non minus proferat super maiore portione, quam super minoribus particulis; quumque et illius intentio ad omnium consecrationem aeque dirigatur, et earum omnium materia ad sacramentalem transmutationem idonea sit; si portio maior consecrationem recipit, profecto consecrari quoque oportet minores illas particulas, quae, ut iam diximus, *Merides* appellantur.

§ 41. Controversia quidem fuit inter Catholicos circa Oblationem, quam a Diaconis fieri superius innuimus. Arcudius lib. 3, cap. 17 demonstrandum sumit, id illis per sacros Canones licitum omnino non esse. Goarius *ad Euchologium*, pag. 72 testatur, Oblationem Diaconalem in magna Constantinopolitana Ecclesia usu receptam non fuisse. Nec defuerunt, qui contenderent, expungenda esse ab Euchologio verba, quae pertinent ad Oblationem Diaconalem, utpote a Schismaticis adiecta. Contra vero Cardinalis Bona *Rer. Liturgic.*, lib. 2, cap. 1, num. 7, nullum esse Canonem tuetur, qui huiuscemodi Ritui obsistat, quum sacri Canones eam quidem Oblationem excludant, quam Diaconus ad sacrum Altare facere praesumeret, non autem eam, quam ad Prothesim peragit, quippe quae nihil aliud est, quam praeparatio ad aliam a Sacerdote perficiendam in sacro Altari. Ad haec idem Cardinalis ostendit, antiquum esse Ritum Oblationis Diaconalis, et a pluribus saeculis in Ecclesia Graeca observatum; cumque de eo disputatum fuerit etiam in Florentino Concilio, satisfactum fuisse Patribus ibi adunatis, per responsiones ab Archiepiscopo Mitylenensi datas. Similiter Berlendis *Tractatu de Oblationibus, impress. Venetiis* anno 1743, § 5, pag. 143, inter functiones Diaconorum, admittit Ritum Oblationis ad Prothesim, interdicto eisdem iure offerendi ad Altare, quod solis Sacerdotibus competit: *Illud offerendi Diacono munus attributum, intelligi de prima Particularum oblatione, dum super mensam, Prothesim vocatam, adhuc adsunt; non vero de aliis duabus oblationibus, quae a Sacerdote inter Liturgiam fiunt.*

§ 42. Sanctus Ambrosius virtutem Sancti Laurentii praedicans, qui Diaconus quum esset, una cum Sancto Sixto Pontifice ad martyrium duci exoptabat, sic eum loquentem inducit: *Experire utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Scimus quidem nonnullos Codices, pro verbo *dispensationem*, hoc aliud habere: *consecrationem*, at consecratio hoc loco nihil aliud significat, quam ministerium, sive assistentiam Sacerdoti consecranti praestitam: *Nobis Diaconis consecratio illius salutaris Hostiae committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus:* ait Petrus Blessensis *in sua Epist. 123.* Nec absimilis est explicatio Petri Cantoris apud Menardum *in notis et observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii*, pag. 287. Subdiaconis enim vetitum semper fuit Eucharistiam populo ministrare, sive sub specie Panis, sive sub specie Vini; iuxta Canonem Laodicenum XXV, et in eum notas Balsamonis, Zonarae, et Aristeni, uti videre est apud Beveregium, tom 1, pag. 464. Non sic autem Diaconis, quibus olim specialiter demandata erat sola Dominici Sanguinis distributio, quae deinde, ob enatos quosdam abusus, ipsis etiam adempta fuit: uti demon-

strat Cotelerius ad cap. 13, lib. 8, *Constitutionum, quae Apostolicae dicuntur*, tom. 1.

§ 43. Iam vero in Congregationibus habitis tam sub Urbano VIII, quam nostris hisce temporibus, minime praetermissum fuit examen propositae quaestionis; utrum tollenda esset Oblatio, quae a Diaconis fiebat ad Prothesim. In ea autem, quae habita est die 3 Ianuarii anni 1745, rescriptum fuit, Nobis deinde approbantibus, *nihil esse innovandum*. Validiores enim atque firmiores visae sunt rationes huic Ritui faventes, per Cardinalem Bonam allatae, quam illae, quas ad oppugnandum eumdem Ritum congessit Arcudius. Itaque in nova Euchologii editione intactus relictus est Oblationis Diaconalis Ritus. De qua licet nulla mentio fiat in eo capite secundi Moniti, de quo hucusque egimus; Nos tamen hic aliquid circa eam innuendum duximus; tum quia una est e sacris actionibus, quae ad Prothesim fiunt, quaeque praecedentis sermonis obiectum fuerunt; tum quia nullam elabi sinimus occasionem, qua Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, magis magisque testatum fiat, nequaquam infensam esse vestris Ritibus Romanam Ecclesiam, quin potius eam pro viribus id agere, ut inviolati serventur ii, qui errorem nullum, nihilque indecorum contineant.

§ 44. Tertium modo sese offert Monitum, duabus partibus constans, et sequentibus verbis conceptum. *Praeterea meminisse debent Sacerdotes, Sacramentum Sancti Olei, quod Euchelaeon dicitur, a Christo esse institutum tamquam caelestem medicinam, non pro animae tantum, sed etiam pro corporis salute; solis proinde infirmis administrandum, non autem bene valentibus; et in eo quidem tempore, in quo sibi constant, et suis compotes sunt; ut ita maiorem Sacramenti gratiam recipiant, si cum Fide ac devota voluntate accedentes, Oleo Sancto ungantur. Item sciendum est, quod, quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo Sacro Chrismate pluribus de more aromatibus utantur, necessaria tamen Sacramenti materia sunt oleum, et balsamum, quibus, secundum antiquum Ecclesiae Orientalis morem, aliae aromatum species recte admiscentur, si iuxta praescriptum adsint. Verum si earum quaedam desint (dummodo oleum et balsamum adsint), tamquam non necessariae ad Chrismatis materiam, rite omnino Sanctum Chrisma conficitur.*

§ 45. Sacramentum hoc, quod a Latinis *Extrema Unctio* dicitur, eodem plane nomine a Graecis appellatum legitur in Concilio Generali Lugdunensi secundo, ex Orientis, et Occidentis Praesulibus coacto, anno Domini 1274, cuius Acta leguntur in Collectione Harduini, tom. 7, pag. 695, quum scilicet Latini simul et Graeci formulae Fidei communibus sententiis probatae subscripserunt. Dicitur etiam a Graecis Sacramentum hoc, Oleum consecratum, et sanctificatum precibus Sacerdotum, atque perfectio, seu consummatio Sacramenti Poenitentiae. In Euchologio Goarii, pag. 346, num. 42 et pag. 349, num. 1 nominatur *Euchelaeon;* idemque nomen a Scriptoribus sequioris aevi usurpatum legitur, uti videre est apud Georgium Pachymerem, lib. 6 *Histor. Palaeol.*, cap. 32, ubi Possinus idem quoque notavit, lib. 1, *Glos.*, pag. 386, apud Gabrielem Philadelphium, *De Sacramento Euchelaei, et Tom. I Actorum Ecclesiae Orientalis*, pag. 348. Praeterea nonnunquam, licet raro, idem Sacramentum a Graecis nuncupatum invenitur *Heptapapadum*, quemadmodum

legitur in Synodo Constantinopolitana, sub Patriarcha Ioanne Vecco habita anno Domini MCCLXXVII *in dicta Collectione Harduini*, tom. 7, pag. 758 B., ubi idem Patriarcha, amplectens confessionem Fidei in Lugdunensi Concilio statutam, ita ad Romanum Pontificem Ioannem XX, dictum XXI, scribit: *Extremam Unctionem etiam ipsam recipimus similiter cum aliis Sacramentis, quae et a nobis celebrata, Heptapapadum nominatur*, id est officium septem Sacerdotum; hoc quippe modo a Graecis Sacramentum istud ministratur.

§ 46. Nos hic nihil dicemus de huius Sacramenti institutione a Christo facta, aut de illius effectu; nihil de legibus circa illius ministrationem servandis, ut scilicet solis Fidelibus graviter aegrotantibus, non autem bene se habentibus, ministretur, neque tamen expectetur tempus illud, quo aeger iam suae mentis compos non est; nihil praeterea de quibusdam Ritibus Ecclesiae Graecae, in qua videlicet Oleum Infirmorum, non solum ab Episcopo, ut apud Latinos, sed etiam a simplice Presbytero benedicitur, et Sacramentum Extremae Unctionis, non ab uno tantum, sed a pluribus simul Sacerdotibus ministratur; quum de his omnibus plura tradiderimus in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana*, noviss. edit., lib. 8, a cap. 1 ad tot. cap. 8. Sed ad illustrandam tantummodo priorem partem huiusce tertii Moniti, hoc adiiciemus, quod quum et olim sub Urbano VIII, et superioribus Pontificatus nostri annis, disceptatum diu fuerit, an a Graeco Euchologio delenda essent quaedam verba, quae innuere videntur, licitum esse, hoc Sacramentum etiam bene valentibus ministrare; in Consessu habito die 3 Septembris anni 1747 definitum fuit, deindeque a Nobis probatum, ut nihil in Textu immutaretur; sed quae necessario servanda erant, adnotarentur in Monito, quod initio Euchologii praeponeretur; id quod est factum per verba superius exscripta, monendo Graecos Sacerdotes, ne Sacramentum Extremae Unctionis ministrent bene valentibus, sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum est Euchologii Textum hic mutare; propterea quod, illius verbis undequaque perpensis, apparuit, rectum illis sensum, sanamque interpretationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur, ut Sacramentum ministretur iis, qui bene valent, sed ut ii quoque inungantur, qui ad Ecclesiam se conferunt; id quod percommode intelligi potest de iis etiam, qui, licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad Ecclesiam vel pedibus suis accedere, vel aliorum ope deferri; ibique, ut propriae devotioni magis satisfaciant, Extremae Unctionis Sacramentum sibi ministrari postulant; cuiusmodi exempla in ipsa quoque Occidentali Ecclesia non desunt, uti videre licet apud Martene, *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, lib. 2, cap. 7, art. 2, num. 7 et 8. Et penes Mabillonium *in Praefatione ad Saeculum primum, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini*, § 9, num. 101.

§ 47. Cohaerentia sunt cum hac prima parte tertii Moniti, duo haec, quae advertenda subiicimus. Primum, quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit, Extremae Unctionis Sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis, et quidem gravi morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus Oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant Energumenos, aliosve, qui vel devotionis gratia, vel ut aliquo incommodo liberentur, huiusmodi Unctionem petunt; quum Oleum in

ea lampade asservatum, nequaquam ab Episcopo, aut Sacerdote consecratum sit, ad effectum utendi eo in Extremae Unctionis administratione. Haud ignoramus, postulatum alias fuisse, ut Graecis permitteretur, Extremae Unctionis Oleo extra gravis infirmitatis casum sese inungere, absque eo quod Sacramentalis forma a Sacerdote pronunciaretur; ea scilicet ratione allata, quod per solam applicationem Materiae, Sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea Formae prolatio. Verum nec id receptum fuit, nec recipi ullo modo potest: quum minime liceat Sacramentum a Christo institutum in arbitrariam quamdam, licet piam, caeremoniam convertere; ut etiam recte observat Pater de Carboneano *in Appendice ad Tractatum P. Antoine de Extrema Unctione,* § 4, pag. 661, et quamvis, pro eo quod pertinet ad Latinam Ecclesiam, Quintaduenas in Tract. 5 *de Extrema Unctione, singular. 11,* asseruerit, licere Parochis mittere ad aegrotos, aliosque petentes, Oleum Sanctum Infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a Tribunali Ecclesiastico plecteretur, vel tamquam abutens Sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae Fidei circa Sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus *de Sacramento Extremae Unctionis,* decis. 70, num. 32.

§ 48. Alterum est, quod, stante prohibitione administrandi Sacramentum Extremae Unctionis extra gravis morbi necessitatem, quum iam definitum sit, satisfactionem, seu poenitentiam, quae a Sacerdote Confessario sacramentaliter confessis imponitur, constare potissimum debere precibus, ieiuniis et eleemosynis (quemadmodum habetur in Decreto a fel. record. Eugenio PP. IV pro Instructione Armenorum edito);[1] minime licet, Poenitenti confesso pro satisfactione seu poenitentia imponere, ut Extremae Unctionis Oleo inungatur. Invecta sane olim fuit inter Orientales huiusmodi Unctio, veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex Canone LXXIV, ex iis, qui in versione Arabica Nicaeno Concilio tribuuntur, *in Collectione Harduini,* tom. 1, pag. 492, ubi statutum legitur, ut si quis Fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam poenitentiam, Ecclesiae reconcilietur *per Aquam Benedictam, et Oleum Infirmorum.* Exinde vero, si fides habenda est Ioanni Nathanaëli in responsione *de Moribus Graecorum,* et Francisco Richardo *de Expeditione sacra,* cap. 12, abusus alter inductus fuit, ut poenitentibus divitibus, pro Sacramentali Poenitentia, huiusmodi sacra Unctio passim imponeretur, ex cuius satisfactionis usu, non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non praetermisit fel. rec. Innocentius IV Pontifex Maximus, dum in Epistola sua ad Tusculanum Episcopum ita scripsit, § 6. *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione Poenitentiae, Unctio aliqua solummodo iniungatur.*[2] Hoc idem statutum legitur in Synodo apud Nicosiam celebrata, *in dict. Collect. Harduini,* tom. 7, pag. 1714. Nosque etiam huiusmodi praeceptum instauravimus in Constitutione Nostra: *Etsi Pastoralis,* § 5, *Bullarii nostri,* tom. 1, num. 57.[3]

[1] Cf. N. 52.
[2] Cf. N. 34.
[3] Cf. N. 328.

Videatur etiam Thiers, *de Superstit.,* l. 8, cap. 6. Porro Arcudius loquens de Graecis Presbyteris, qui Poenitenti apud se confesso, sacram Unctionem poenitentiae loco imponebant, asserit eos, in ipsa unctione peragenda, Sacramentali forma uti consuevisse, idque gravibus sane verbis reprehendit, ut legitur in eius Opere *de Concordia,* lib. 5, cap. 4, § *Ego praesentem.* Verum Goarius *in notis ad Euchologium,* pag. 350, negat hanc Graecis mentem fuisse, ut in eiusmodi Unctione peragenda Sacramentum conferrent: *Non ita tamen, ut unctio precibus adiuncta ex opere operato animae deleat infirmitates, sed, si quid possit, ex poenitentis tantum devotione, aut ex Sacerdotis deprecantis charitate, id est ex opere operantis, illud valet producere.* Nihilominus praefatam qualemcumque consuetudinem ipsemet improbare non omittit; dum omnino curandum dicit, ut Graeci hac in re ita se gerant, quemadmodum docet Sancta Romana Ecclesia omnium Christifidelium Mater, et Magistra; quum praesertim ex prae atae unctionis usu plura, et gravia sequantur absurda, dum vel Sacramentum Extremae Unctionis confertur bene valenti, adeoque ei, qui subiectum capax huiusmodi Sacramenti non est; vel Sacramenti materia et forma adhibetur, ut superius indicatum fuit, absque intentione ipsius Sacramenti conficiendi et ministrandi.

§ 49. Secunda pars tertii Moniti pertinet ad Sanctum Chrisma; quod quidem a Graecis conficitur non Oleo dumtaxat et Balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem Moniti parte, unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse huiusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri, in Oleo et Balsamo consistere materiam Sacramenti, adeoque, si aliquod deficiat ex aliis aromatibus admisceri solitis, nihil deesse, quod necessarium sit ad Sacrum Chrisma conficiendum.

§ 50. Apud Graecos nihil praescriptum legitur de impositione manuum in administrando Chrismatis Sacramento. Morinus in suo Tractatu, *de Confirmatione,* cap. 4, ita scribit: *Ut Latini constantissime impositionem manuum unctioni coniunxerunt, sic Graeci non minus constanter alteram ab altero separarunt, soloque Chrismate in administratione istius Sacramenti usi sunt; manuum enim impositionis non meminerunt nec recentia Euchologia nec antiqua.* Hoc idem constanter asserit Goarius *in Euchologio,* pag. 299, num. 28. Renaudotius *in Opere de Perpetuitate,* tom. 5, lib. 2, cap. 12, testatur, a pluribus retro saeculis, nullum in Ecclesia Graeca reperiri vestigium impositionis manuum in conferendo Sacramento Confirmationis; suaeque assertionis auctores laudat recentiores Graecos sacra eruditione praestantes, Simeonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphium, Sirinum, aliosque. Modernus Scriptor Chardon *in Historia Sacramentorum,* lib. 1, cap. 1, *de Confirmatione,* contendit quidem, prioribus saeculis in Ecclesia Graeca adhibitam fuisse manuum impositionem in conferendo Chrismatis Sacramento, sed tamen ultro concedit, multis abhinc saeculis, nullum illius superesse vestigium. Denique Dilectus Filius Ioseph Augustinus Orsi Ord. Praed., nunc temporis Palatii nostri Apostolici Magister, in Dissertatione Historico-Theologica, quam olim dedit *de Chrismate Confirmatorio,* compluribus monumentis erudite congestis, demonstrat, materiam Sacramenti Confirmationis apud Graecos non esse manuum impositionem, sed sacrum Unguentum. Nec ideo dici potest, id quod a nonnullis temere

affirmatum fuit, non adesse in Ecclesia Graeca Sacramentum Confirmationis, propterea quod in ea impositio manuum deficiat. Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi persuaserit, tot saeculorum decursu, in tam ampla Christiani Orbis parte, atque in Ecclesia non minus doctrina, quam sanctitate illustri, defecisse Confirmationis Sacramentum; ut optime ad rem nostram pergit Goarius *loc. cit.*: *At vero tam amplam et spatiosam, tam eruditam, et Apostolicarum, Ecclesiasticarumque sanctionum tenacem Christiani Orbis portionem, adeo exquisitum Sacramentum respuisse, neglexisse, vel ignorasse, pauci, me quidem iudice, dicere attentabunt.*

§ 51. Caput hoc iniustae atque inopportunae dissensionis inter Latinam et Graecam Ecclesiam, originem traxit a controversiis, quae inter nostrates Theologos agitari solent. Disputant hi, utrum Apostoli Sacramentum Confirmationis ministraverint per manuum impositionem, an etiam Sacro Chrismate adhibito; et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos, an sola manuum impositio sit materia huius Sacramenti; nonnullis tuentibus, in ea dumtaxat consistere Sacramenti materiam; dum alii malunt in Sacro Chrismate statuere materiam remotam Sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo Crucis ad Confirmandi frontem; iuxta id, quod legitur in Decreto pro Armenorum instructione ab Eugenio IV Pontifice edito:[1] *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma, confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto.* Ubi etiam Pontifex loquens de manuum impositione, quae ab Apostolis hoc Sacramentum ministrantibus fiebat, ita subdit: *loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Alii denique impositionem manuum, et Chrisma simul iungunt; dicentes, tam illam, quam istud, materiam esse Sacramenti Confirmationis: sed illam aeque, ac istud, materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim considerentur; si autem simul iungantur, tunc, aiunt, in iisdem ita coniunctis materiam totalem Sacramenti consistere. Caeterum ipsam manuum impositionem, alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit Episcopus versus Confirmandos, sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces; alii eamdem agnoscunt in ipso ungendi actu, quo Episcopus signat frontem illius, quem confirmat, cum nequeat aliquus frons unguento liniri, nisi manus eidem imponatur. Hae sunt controversiae, de quibus Theologi nostri disputant; et circa quas unicuique licet eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit. At nemini fas est asserere, in Ecclesia Graeca non adesse Sacramentum Confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus Orientalis Disciplina, quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec unquam damnavit, aut improbavit, iuxta quam in Graecorum Ritualibus libris nulla fit mentio de manuum impositione, tamquam materia adaequata, aut inadaequata Sacramenti Confirmationis. Quare ad evadendum huius difficultatis labyrinthum, alio filo utendum est, quod quidem diligenter inquirenti non deerit; absque eo quod super propositione incerta, et nullibi definita, stabiliatur reprobatio alienae opinionis et sententiae, quae defensoribus orthodoxis non caret.

[1] Cf. N. 52.

§ 52. Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito Sacro Chrismate, seu Oleo Olivarum, Balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister Formae verba pronunciat. Et quidem pro iis Regionibus, in quibus vera Balsami species non reperitur, haud recusarunt Romani Pontifices indulgere, ut ad conficiendum Chrisma liceret uti certo quodam fragranti succo, seu liquore, qui communiter pro vero Balsamo accipitur, ut videre est Constitutione 180 Sancti Pii V in *Bullario novo*, Romae edito, tom. 4, part. 3, per quam videlicet Constitutionem, Indiarum Episcopis eiusmodi Indultum conceditur,[1] et in Constitutione 47 Sixti V eodem *Bullario*, eodemque tom. 4, part. 3, ubi exposita veri Balsami penuria, ex eo potissimum proveniente, quod arbusta illa, ex quibus maior illius copia educebatur, quaeque olim in Palaestina, et maxime in Valle Iericho frequentia erant, a Turcis excisa, et radicitus extirpata fuerant, conceditur Archiepiscopis et Episcopis Lusitaniae, ut in conficiendo Sacro Chrismate, adhibere possint Balsamum, ex Brasilia, aliisque novi Orbis, Indiarumve Regionibus allatum; eaque in re Pontifex suorum Praedecessorum Pii IV, et Gregorii XIII exempla sequi se profitetur.[2] Quorum sane Pontificum providentiam collaudat Morinus in suo opere posthumo *De Sacramento Confirmationis*, pag. 35. In Ecclesia Graeca similiter Confirmationis Sacramentum confertur, adhibito Sacro Unguento, quod compositum et ex Oleo Olivarum, et Balsamo, ac insuper ex aliis fragrantium herbarum speciebus, quae sunt numero vigintitres, adiecta quoque aliqua vini portione. Praedictas omnes herbas odoriferas accurate enumerat Habert in *Librum Pontificalem Ecclesiae Graecae*, observat. 5, ad *Ritum Chrismatis*, et Pater Berti, tom. 7 suae *Theologiae*, lib. 32, cap. 5, qui tamen subdit, difficile admodum sibi videri, omnes illas herbas ab Haberto indicatas in sacro Unguento a Graecis infundi, quum nonnullae ex illis incognitae sint, ita ut vix aliqua earum mentio extet in lexicis, et in libris Auctorum, qui de plantis herbisque tractarunt. Sed quidquid sit de his, quum antiquus sit usus commiscendi has herbas Oleo, et Balsamo, intactus relictus est ritus in Monito, de quo nunc agimus, admonitis tantummodo Graecis, ne aliud quidpiam ad materiam Sacramenti necessarium putent, praeter Oleum et Balsamum; utque proinde validam agnoscant huius Sacramenti ministrationem, quae fiat cum Oleo et Balsamo ab Episcopo rite benedictis, etiamsi aliquae forte defuerint ex illis herbis, quae, iuxta eorum ritum, in sacri Unguenti compositione admisceri solent. Sapienter etiam, et magna cum ratione, in Synodo Zamosciae habita anno 1720 animadversum fuit a Patribus § 2, *De Confirmatione*, quidquid herbarum Balsamo adiiciatur, cavendum esse, *ut maxima pars Chrismatis semper sit Oleum Balsamo mixtum.*

[1] Const. *Digna reddimur*, 2 aug. 1571. - Bull. Rom., tom., 4, III, p. 174, 175.
[2] Const. *Cum Balsamum*, 30 apr. 1590. - Bull. Rom., tom. 5, I, p. 228, 229.

§ 53. Expensa iam secunda parte tertii Moniti, nonnulla hic, appendicis loco, subnectemus, quae nec inopportuna, nec a proposito aliena iure censeri poterunt, quum et eiusdem Sacramenti Confirmationis doctrinam respiciant, et ad *Euchologii* correctionem pertineant.

§ 54. Forma Sacramenti Confirmationis in Graeca Ecclesia, iuxta communem receptamque sententiam, sequentibus verbis continetur: *Signaculum Doni Sancti Spiritus;* quae verba pronunciantur ab eo, qui Sacramentum ministrat, dum suscipientis fronti cum sacro Unguento Crucis signum imprimit; uti colligitur ex Canone 7 Concilii Constantinopolitani I, in *Collectione Harduini,* tom. 1, pag. 811, utque ex illius Canonis verbis recte perpensis infert Bessarion Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis in suo Opusculo *De Eucharistia,* quod impressum habetur in Bibliotheca Patrum, edit. Lugdunen., tom. 26, pag. 795. *Secunda Oecumenica Synodus, verba, quae sacrum Chrisma, perficiunt, tradens in septimo Canone, ita inquit: Obsignantes hoc et sacratissimo Chrismate eos chrismantes, dicimus: Signum Doni Spiritus Sancti: et haec verba, secundum eos, Chrismatis Sacramentum perficiunt.* Quamvis autem haec Cardinalis assertio oppugnata fuerit a Lupo in notis ad Canonem 95 Concilii Trullani, vix tamen erit, ut Lupi sententia plures inveniat suffragatores, prae sententia Cardinalis Bessarionis, ut optime advertit Arcudius, lib. 2, cap. 7, ubi post relatum Bessarionis effatum, haec subdit: *Hactenus Bessarion; quo certe, quae fiunt in Ecclesia Orientali circa Sacramentorum administrationem, praestantius callere poterat nemo.* Arcudio consentit Goarius in notis ad *Euchologium,* pag. 301, num. 31. Item Habert in suis notis ad *Pontificale Graecorum,* observat. 4, num. 2. Et, omissis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quae habentur in Synodo Zamosciae, ubi agitur de Sacramento Confirmationis: *Forma, quam probata, et schismate ipso antiquiora laudant Euchologia, haec est: Signaculum Doni Spiritus Sancti, amen: eaque semel dumtaxat, simul cum ipsa Unctione proferri debet.*

§ 55. Celebre est in Ecclesia Graeca Decretum Sancti Methodii Patriarchae Constantinopolitani, qui medio circiter nono saeculo floruit, ac semper in id maxime incubuit, ut aberrantes ad sanctae unitatis gremium revocaret. In quo Decreto quum illud statutum reperiatur, ut, qui ab Ecclesia desciverunt, deindeque ad illius sinum revertuntur, sequenti ratione recipiantur: *Oratione completa, sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illum inungit, Crucis signo expresso in fronte, et oculis, et naribus, et ore, et duabus auribus, et manibus, et pectore, et scapulis, dicens: Signaculum Doni Spiritus Sancti.* Hinc oritur magni sane momenti difficultas, dum alterutrum dicendum videtur; aut scilicet ea verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti,* non esse in Ecclesia Graeca formam Sacramenti Confirmationis; aut in eadem Ecclesia Graeca Sacramentum hoc iterato conferri iis, qui iam semel ipsum, et quidem valide, susceperunt, si deinde, post apostasiae crimen, ad Ecclesiam reverti velint; quod sane contrarium est receptae sententiae, quae pro inviolabili regula habetur, ut Sacramenta, quae characterem imprimunt, iterari nequeant iis, qui semel valide ea susceperunt; iuxta definitionem Tridentinae Synodi, sess. 7, *De Sacramentis in genere,*

Can. 9. Nec quicquam prodest confugere ad supra citatum Canonem 7 Concilii Constantinopolitani I, quo statuitur, ut sacro Chrismate reconcilientur Ariani, Macedoniani, Novatiani, et Apollinaristae, quum ab haeresi conversi ad Ecclesiam sese recipiunt. Huius namque Canonis sanctio praenominatos tantummodo Haereticos respicit, qui Sacramentum Confirmationis, aut nullo modo, aut invalide conferebant. At Sancti Methodii decretum generale est, eosque omnes complectitur, qui post defectionem ad Ecclesiae sinum redire cupiunt. Quum autem in quibusdam *Euchologiis,* ubi de poenitentium reconciliatione agitur, eadem legantur praescripta, quae habentur in Decreto Sancti Methodii; sequitur, ut eadem difficultas, quae circa Decretum huiusmodi offenditur, in praeindicatis etiam *Euchologiis* occurrat.

§ 56. Incredibile est, quantopere se torqueant Scriptorum ingenia, ut propositae difficultati satisfaciant. Sunt qui asserunt, Decretum illud nequaquam conditum fuisse a S. Methodio Patriarcha Constantinopolitano, qui, ut superius innuimus, floruit anno Christi DCCCXLII, sed ab alio quodam Methodio Patriarcha schismatico, qui Urbis Regiae Sedem occupabat a. MCCXL. Sed quum Goarius in notis ad ipsum Decretum, quas addidit ad calcem *Euchologii* a se illustrati, pag. 698, testetur se complura vidisse monumenta temporibus huiusce Methodii antiquiora, quae illud ipsum Decretum Sancto Methodio Patriarchae tribuunt; hoc satis est ad demonstrandam responsionis huiusce levitatem. Sunt alii, qui et admittunt verba illa: *Signaculum Doni Spiritus Sancti,* esse formam Sacramenti Confirmationis; et agnoscunt, iuxta Decretum S. Methodii, quoties Apostatae conversi in unitatem Ecclesiae recipiebantur, eadem verba proferri debuisse, dum poenitentes sacro unguento ungebantur; sed tamen putant non ideo affirmari posse, Sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis, qui iam semel illud susceperant; quum ad collationem Sacramentorum necessaria sit intentio Ministri; in ea autem actione satis appareat non fuisse Ministri intentionem, ut Sacramentum conferret, sed ut Apostatam conversum Ecclesiae reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel, *Theologiae,* tom. VI, edit. Paris., ann. 1695, pag. 383, eamque innuunt quoque Goarius in notis ad *Eucholog.,* pag. 698, § *Verum potuisset,* Tournely in *Tractatu de Confirmatione,* circa finem, ubi ad obiecta respondet, pag. 612 et seq., iuxta editionem Parisiensem, et Assemanus Iunior, *Codicis Liturgici,* lib. 3, *De Confirmatione,* pag. 63. Verum aliis pluribus responsio haec non probatur, et praesertim Iuvenino, *De Sacramentis,* dissert. 3, *De Confirmatione,* quaest. 7, cap. 1, art. 1, § 1, qui observat primo, nullum adduci Graecum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui Apostatam reconciliat, dum sacro Unguento illum ungit, et profert verba, quibus continetur forma Sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione Sacramenti alienum; deinde, nequaquam recte agere, qui immo peccare Ministrum, qui Sacramenti materiam, et formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est; etiamsi Sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum saeculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesia, reconciliatos aliquando fuisse Apostatas per manuum impositionem, fatentur quidem nunc temporis vetitum esse Confirmationis Sacramentum iterato conferre iis, quibus semel valide collatum fuerit; at

olim non ita se rem habuisse aiunt; proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in Decreto Sancti Methodii, quod pertinet ad Orientalem Ecclesiam, praescribitur, ut Apostatae reduces iterum Sacramento Chrismatis confirmentur, quantumvis alias id ipsum valide susceperint. At minime tutum est hoc etiam systema. Quum enim nonnulla ex indicatis monumentis diserte testentur, Apostatas receptos fuisse *sola manuum impositione*, si quis hanc ipsam putat fuisse collationem Sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, sola manuum impositione, nullaque unctione adhibita, Sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset), una cum impositione manuum, sacram quoque Unctionem in huiusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua, et quaenam verborum formula proferri soleret ab eo, qui et manus imponebat, et Chrismate ungebat. Marcus Rhemensis in *Tractatu de variis Capitibus Ecclesiae*, cap. 18, plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate praestitit auctor Glossae in Can. *Manus impositio*, 1, quaest. 1. Duo celebres viri, Sirmondus in suo *Antirhetico secundo*, cap. 5, et Morinus, *De Sacramento Confirmationis*, cap. 12, pag. 56, et iterum in *Tractatu de Poenitentia*, lib. 9, cap. 9 et 10, existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit, eamdem in reconciliandis haereticis adhibitam, meram fuisse caeremoniam, non vero alicuius Sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur Lupus in Can. 7, *Constantinopolitanum*, tom. II, pag. 46 et seq., Arcudius, lib. 12, cap. 18, Suarez, in 3 part. *Divi Thomae*, tom. III, quaest. 72, disput. 34, sect. 1, § *Unde est tertia responsio*, et disput. 36, art. 11, sect. 3, § *Ad rationem dubitandi*. Quapropter Witasse in suo *Tractatu de Sacramento Confirmationis*, post relata monumenta omnia, quae alterutri opinioni favere possunt, denique pag. 63 utramque in sua probabilitate relinquit; eademque prudentia se gerit Auctor additionum ad Estium in lib. 4, *Sentent.*, dist. 5, § 16, litt. B, pag. 87.

§ 57. Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat praedictae difficultati, quae oritur ex Decreto S. Methodii, et ex his, quae in aliquibus *Euchologiis*, cohaerenter ad idem Decretum, adnotata reperiuntur. Et primum quidem, quod ad Decretum attinet, relatum idem legitur in *Annalibus* Ven. Cardinalis Baronii, ad annum Christi 842, sed diverso plane modo, ac ab aliis refertur, quamque a Nobis superius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime praescriptum legitur, ut in Apostatae reconciliatione proferantur verba: *Signaculum Doni Sancti Spiritus*, licet praescribatur Unctio cum sacro Unguento peragenda. Et quamvis adhuc legatur: *Chrismate ungantur, ut solent inungi, qui baptizantur;* nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis verisimiliter defendunt, haec verba addititia esse, iisdemque admissis, tamquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione Apostatae ungantur eaedem corporis partes, quae inungi solent, quum post Baptisma Confirmatio ministratur. Cumque nihil adiiciatur de prolatione verborum: *Signaculum Doni Spiritus Sancti;* evanescit vis omnis propositae difficultatis. Accedit insuper, quod quum

Legati a S. Nicolao Papa I in Bulgariam missi, Confirmationis Sacramentum iis contulissent, quibus iam idem a Graecis Presbyteris ministratum fuerat, ob eam praecipue rationem, quod huiusmodi Presbyteri facultatem a Sede Apostolica non obtinuissent pro talis Sacramenti administratione, acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis encyclicis litteris, hoc illis vitio vertens, quod Sacramentum Chrismatis contulissent iis, qui iam semel confirmati fuerant. *Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audere non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa denique mysteria in nugas et derisum convertentes?* Ex hoc autem aperte evincitur, S. Methodium in suo Decreto minime statuisse, aut voluisse, ut Sacramentum Chrismatis iterato ministraretur iis, qui iam antea confirmati fuerant, si forte post apostasiae crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem S. Methodii floruit, quique pravi sane animi, sed doctus et cautus homo semper habitus fuit, non id Apostolicis Legatis adeo acriter obiecisset, quod Sacramentum Chrismatis iterassent, si Sanctus Methodius antea decrevisset, aut ea mente fuisset, ut Apostatae ad Ecclesiam redeuntes idem Sacramentum iterato susciperent; facile enim prospexisset hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrave egisse, quam quod Ecclesia Orientalis, ex Decreto S. Methodii, servare consueverat, dum aberrantes in unitatem recipiebat.

§ 58. Quod autem pertinet ad *Euchologia*, si in eorum aliquo praescriptum legitur, ut in poenitentium reconciliatione adhibeatur sacra Unctio cum prolatione verborum: *Signaculum Doni Sancti Spiritus;* id utique tribuendum est interpolationi Schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Graecos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset; uti testatur Gregorius Protosyncellus in *Apologia adversus Marcum Ephesium*, in *Collectione Concil. Harduini*, tom. IX, pag. 640. At enunciatae formulae prolatio minime praescripta reperitur in quamplurimis manuscriptis *Euchologiis*, quae inspexit et recognovit vir summa fide dignus Ioannes Matthaeus Cariophylus Cydonius; quemadmodum refert Arcudius, lib. II, *De reformat.*, cap. 18; quodque magni aestimandum est, nihil eiusmodi legitur in celebri *Euchologio* Cryptae Ferratae. Quare in Congregationibus super correctione *Euchologii* habitis tam sub Urbano VIII, quam nostris hisce temporibus, Nobis annuentibus, decretum fuit, ut in *Euchologio*, quod correctum typis edendum erat, Ritus reconciliationis poenitentium ad eam plane formam exigeretur, qua descriptum legitur in *Euchologio* Cryptae Ferratae: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habita die 7 Ianuarii 1748 propositum fuisset dubium, an corrigendus esset ritus reconciliandi Apostatas in unitatem Ecclesiae redeuntes, ad formam in Decreto Methodii traditam, animadversum fuit, unctionem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem faciendam praescribi eo modo, quo unguntur ii, qui baptizantur; sed ut in huiusmodi unctione peragenda proferri debeant verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti;* id in paucis solummodo, iisque recentibus, *Euchologiis* adscriptum reperiri. Itaque in alia Congregatione habita die 18 sequentis mensis Februarii decretum fuit: *Corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis*

Cardinalis Bessarionis, nunc Cryptae Ferratae. Factaque Nobis relatione atque omnibus per Nos inspectis, libratisque, Decretum idem approbatione nostra roboratum fuit.

§ 75. Haec vobis exponenda censuimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, per has nostras Encyclicas Litteras, ut et causas intelligatis, ob quas Apostolica Sedes laboriosam hanc provinciam iamdudum suscipiendam existimavit, ut *Euchologii* vestri correctioni manus apponeret; et Vobis compertum sit, qua diligentia, quo studio, et quam aequa prudentique ratione susceptum opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia, quaecumque reperta sunt in iis *Euchologiis,* quae et antiquitate, et auctoritate caeteris praestant; nihil ademptum, aut emendatum est nisi, quod in recentiores quasdam editiones, nonnullorum oscitantia, aut malitia, irrepsisse apparuit: omnia retenta fuerunt, quaecumque demum retineri posse visa sunt, et benigna quaevis interpretatio adhibita est, ne Ritus vester aliqua in re labefactari videretur. Ex quibus omnibus quum sinceram nostram, et Apostolicae Sedis in vos charitatem testatam vobis esse non dubitamus, tum etiam illud vos intellecturos confidimus, incredibili Nos studio, et sollicitudine urgeri, ut et vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, in sancta Unione constantes perseveretis, et alii aberrantes, et ad eamdem societatem, et ad salutis viam aliquando per Dei gratiam revocentur. Vestrum erit in posterum correcta hac *Euchologii* editione uti, ac diligenter curare, ut, si nova aliqua eiusdem editio fiat, ea ad normam huius, quae prodiit anno 1754 e typis Congregationis de Propaganda Fide, omnibus numeris exigatur; quo interclusus sit aditus erroribus omnibus, et absurdis, quae superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepserunt, easque foedarunt. Hoc denique a vobis petimus, ut Nos in ardua Ecclesiae universae procuratione laborantes, orationum vestrarum subsidio iuvetis; vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 365-403].

439.

Benedictus XIV, ep. *Quadam,* 24 mart. 1756.[1]

§ 1. Quadam, de more, tibi impertita audientia, detulisti ad Nos pium aeque ac religiosum votum Carissimi in Christo Filii nostri Iacobi III, Magnae Britanniae Regis, liceret ut sibi Eucharisticum sumere Sacramentum, etsi de media nocte antevertente diem, quo sacris Mysteriis participem se fieri cupit, quandoque, ex aegra valetudine, cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficiat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui Confessarii consilium et approbatio accesserit.

§ 2. Facilioris doctrinae Theologus responderet, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo, necessitate cogente, non ex animi

[1] Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori.

levitate sumpto, atque non minus in naturali ieiunio, quam in Ecclesiastico, materiae, ut inquiunt, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthaec, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est; veluti pluribus demonstrant Suarez in 3 part., tom, 3, quaest. 80, art. 8, disput. 68, sect. 4, § *Dico secundo;* Salmanticenses, tom. 1 *Cursus Theologici Moralis,* tract. 4, cap. 7, quaest. 4, num. 66. Eamdemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate, in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae,* sect. 2, cap. 4, § 2, *Patavinae editionis.* Alia itaque via insistendum; his, quae sequuntur, praepositis.

§ 3. Primum, etsi peramabilis Redemptor noster sacra sui Corporis Communione participes fecerit Apostolos non ieiunos; cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id praestiterit, haud tamen ademit ipse Ecclesiae suae auctoritatem constituendi, prout reipsa constituit, ne cui, Viatici, aliisque paucis exceptis casibus, videndis apud Theologos Morales, non ieiuno, et quidem a media superiori nocte Communionem praecedente, Eucharisticum Sacramentum ministretur. Rem hanc tractat S. Augustinus Epist. 54, alias 118, *ad Ianuarium,* cap. 6, ubi postquam retulit, Christum Discipulis non ieiunis Corpus suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos;* ita subdit: *Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi.* Quod, post S. Augustinum, traditur quoque a Magistro Sententiarum in 4 Sent., dist. 8, et a S. Thoma 3 part., quaest. 80, art. 8. Suntque in hoc ipsum gravia, et momentosa verba Pontificis S. Nicolai I *ad consulta Bulgarorum,* cap. 65.[1]

§ 4. Alterum, cum generali lege caveatur, ut nonnisi ieiuno universim sacra ministretur Communio, quam ipsam legem innuit quoque Synodus Constantiensis, sess. 13, ubi haec leguntur:[2] *Huiusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a Fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Et alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non ieiuno, sacra participare mysteria, necesse erit, eumdem expressa dispensatione iuvari, quae porro dispensatio a nemine, praeter Romanum Pontificem, potest indulgeri. Id solide tuetur Henaus, *de Eucharistia,* disp. 14, sect. 3, num. 44. Et Suarez citato loco, sect. 5, § *Nihilominus,* quaestionem versans, num possit Sacerdos etsi non ieiunus Missam celebrare, ut aegro in vitae discrimine constituto Sacram Eucharistiam ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: *Non potest Episcopus dispensare, quia est praeceptum universale totius Ecclesiae, et nulla auctoritate, vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in lege Superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit Cardinalis de Lugo, *de Eucharistia,* disp. 16, sect. 2, num. 55 et haec sunt eius verba: *In hoc praecepto ieiunii naturalis dispensare*

[1] Cf. Mansi, tom. 15, col. 401-434.
[2] Cf. Mansi, tom. 27, col. 727, 728.

potest solus Papa. De facto autem neque ipse Papa dispensare solet. Dignumque animadversione est praepositum verbum *solet*, innuens, rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *in methodo expeditae Communionis*, cap. 2, § 8.

§ 5. Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oportet, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regis Britannici, Eucharistico Pane se frequenter reficientis, expendendum propterea est, an satis idonea haec causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla; Nos enim difficiliores quidquam aggredimur novi, quod nulli Praedecessores Nostri praestiterint.

§ 6. Ut facilior imploratae dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarumdam Ecclesiarum Africae, in quibus Christifideles feria quinta maioris Hebdomadae coenati Sacram sumebant Communionem, idque ex religioso cultu erga institutionem Sanctissimi Sacramenti, ut praedictum est, a Christo Iesu Apostolis, postquam comederant, distributi: *Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Coenam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, et accipi liceat Corpus et Sanguinem Domini.* Verba sunt S. Augustini in cit. *Epistola ad Ianuarium*, cap. 7 ad diu toleratam in Occidentalibus et Orientalibus Ecclesiis praxim, cum scilicet post Baptisma Communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices, etiam ante sumptam Sacram Eucharistiam, eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; *ad Epistolam 125* Sancti Ioannis Chrysostomi *ad Cyriacum Episcopum*, ubi Vir sanctus incusatus, quod communionem pasto cuidam ministrasset, his respondet: *Quod si mihi obstinata mente id obiicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu deiiciant, qui coenatus universum domum baptizavit; Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post coenam Communionem dedit;* ac denique ad celebre factum S. Udalrici Augustae Episcopi, de quo in Chronica incerti Auctoris ad annum 978 haec leguntur: *Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo, et eodem die, facto prandio, celebravit Missam cum Clero, et populo. De hoc accusatus respondit: ego non comedi, sed charitas.*

§ 7. In nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana novissimae editionis*, lib. 6, cap. 8, num. 4, egimus de Communione in nonnullis Ecclesiis feria quinta in Coena Domini ministrari solita etiam non ieiunis, deque Eucharistia infantibus porrecta illico post Baptismum: verum monumenta ista viam nihilo faciliorem ad id, quod proposuimus, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post comestionem feria quinta maioris Hebdomadae proscripserunt subinde Patres Synodi tertiae Carthaginensis, quorum decreto congruit omnino Canon 29 Concilii Trullani habiti anno 692, uti etiam videre est in eruditis adnotationibus P. Lupi *ad dictum Canonem Trullanum*, et apud Juenin, *de Sacramentis*, dissert. 4, quaest. 8, art. 2, § 1, concl. 2. Quod autem spectat ad Communionem pueris, statim post Baptismum ministratam, iam a quadringentis et amplius annis is ritus in Occidentali Ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orientali Ecclesia; at et ipsa quoque pedetentim et antea, et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere,

quemadmodum latius ostendimus in nostris encyclicis Litteris ad Missionarios per Orientem, § 24 typis editis superiore anno 1755.[1]

§ 8. Mox supra indicata Epistola S. Ioannis Chrysostomi genuinum eiusdem opus agnoscitur a Lupo, Tillemontio, et Montfoconio; verum tamquam supposititia reiicitur multis haud levibus coniecturis ab erudito Patre Stiltingio, Bullandiani operis prosequutore, in Acta S. Ioannis Chrysostomi illustrata, editaque anno 1753, nobisque dicata, uti videre est § 69, num. 1072 et seq., ac praecipue num. 1081. At, utut Epistola genuinum opus S. Ioannis Chrysostomi haberi vellet, Vir Sanctus haud probat, Communionem ministrari cuiquam non ieiuno, inficiatur se unquam eandem porrexisse pasto; profitetur, siquid eiusmodi attentasset, dignum se, qui de Episcoporum Catalogo, atque Fidelium Electorumque libro expungatur; subinde vero ex quodam orationis impetu superaddit ea, quae superius allata sunt de communione non ieiunis a Christo exhibita; ita ille inquit: *Multa adversum me struxerunt, aiuntque, me post epulas quibusdam Communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in Orthodoxae Fidei volumine scribatur, quoniam ecce, si quidquam huiusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abiiciat:* hisque verbis cum addat Chrysostomus caetera superius expressa, facile intelligitur, haec quemdam animi impetum importare, et argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui post factum solide inficiatum, ultra progressi, non verentur ex falsa hypothesi illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quae adversarius inferre contendit. De S. Udalrico Episcopo nihil plane addemus; cum pura putaque fabella sit illud, quod quidam de eo comminiscuntur, ut innuit Christianus Lupus *in notis ad Can. 29 Trullanum*, et latius prosequitur recens eruditus Catalanus *in suis Commentariis ad eumdem Canonem.*

§ 9. Itaque cum ea, quae hucusque demonstrata est, via minus tuta reperiatur: aliam inire opus est, eritque haec haud ita vetustis monumentis suffulta, propterea quod nititur proximiorum temporum concessionibus a Praedecessoribus Nostris emanatis. In secreto Vaticano Tabulario inter Brevia Praedecessoris nostri Pii IV, tom. 18, num. 63, extat Breve ab eodem Pontifice ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis dominio subiectas commorantibus, qui vel ob contractam aegritudinem, vel coeli inclementiam, post noctem mediam, aliquem sumunt cibum, fit facultas successivo die Sacrum peragendi. Innocentius XIII Pontifex per suas Apostolicas litteras in forma Brevis Romanorum Reginae Elisabethae Christinae concessit facultatem sumendi Eucharistiam, etiam post aliquod degustatum cibum, quo die in Bohemiae Reginam ungi solemniter, coronarique debebat; ita exposcente imbecilli eiusdem valetudine, quae tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuisset. *Tecum, ut dictae tuae unctionis et coronationis die, necessarium ientaculum, antequam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipias, sumere libere et licite possis et valeas, harum serie dispensamus.* Simileque Indultum ab eodem Pontifice datum reperitur regnanti Regi Christianissimo, qui cum solemni

[1] Cf. N. 434.

Consecrationis suae die Sacram Communionem sumere deberet, eaque tunc esset aetate, in qua nondum obfirmata valetudine uteretur, iustum ingesserat timorem, ne ullo praegustato cibo, tam diuturnae functioni non posset interesse. Perspectum denique est quid quotannis fiat Romae in Pontificio Sacello nocte Nativitatis Domini: in eodem quippe celebratur Missa ante mediam noctem, nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo abstinuerit. Scripsere nonnulli, singulis annis concedi a Pontifice dispensationis litteras in forma Brevis; at id a veritate aberrat. Verum cum Pontifici perspectum sit, qua hora celebretur Missa; innotescat quoque haud semper esse ieiunum, qui Sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur, nec quidquam statuat, remque ita transigi sinat, locus fit tacitae cuidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam eius, qui ea nocte Missam celebrat non ieiunus; uti a Nobis fuit pluribus demonstratum in Nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana nuperae editionis*, lib. 6, cap. 8, num. 13 et seq.

§ 10. Exempla isthaec profecto propius ad casum nostrum accedunt, quam caetera superius relata; verum nec plane rem praesentem attingunt: cum nunc disseratur de Sacrae Communionis participatione, ex singulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla versentur circa Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, quodammodo necessarias et quae praetermissae admirationem induxissent, vel etiam offensionem. Facultatem fecit Pius IV, uti praenotatum est, Indiarum Sacerdotibus celebrandi Missam adhuc etiam post sumptum, evoluta iam media nocte, cibi aliqui vel potus. Verum cum per eas regiones haud ita frequens esset Presbyterorum numerus, Sacerdos quilibet Sacrum singulis diebus offerre tenebatur. *Quodque nonnulli Presbyteri, qui aut propriae infirmitatis, aut aeris intemperiei occasione, quibusdam remediis comestibilibus, aut potabilibus nocte uti consueverunt, dubitant, si ipsos contingat post mediam noctem eisdem remediis uti, licere sibi Missam, ad cuius celebrationem ob penuriam aliorum Presbyterorum in illis partibus quotidie tenentur, die sequenti celebrare.* Sunt hae circumstantiae casus ad Pontificem delati; quas idem in ipsa concessione repetens, ita subdit: *Si eos dictis remediis post mediam noctem uti contigerit, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas, ac paululum inde dormierint, nihilominus die sequenti celebrare, libere et licite valeant, auctoritate Apostolica, etc., licentiam et facultatem concedimus, et impertimur.* Facile quisquam animadvertet, quod, cum debeant Reges, summique Principes, quo consecrantur die, Sacra Eucharistia refici, tum ut statutis regulis et Ritualium legibus satisfaciant, tum ut populis suo exemplo praeluceant, si cum iis dispensatur, ut Sacramentum eo die sumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen dispensationem minime pertinere ad privatam Communionem, ex privato devotionis affectu susceptam, sed ad publicam Eucharistiae sumptionem, cuius neglectus admirationem secum tulisset ac scandalum; eodemque ferme modo obtinere dici potest, quod relatum est de eo, qui Nocte Natalis Domini in Pontificio Sacello sacrum facit; cum nimis urgeat, ne praeindicata Nocte Sacra functio in Pontificia Capella omittatur, simulque haud ita facile sit adesse semper Cardinalem, qui, non obstante aetate, quam plerumque agunt praedicta dignitate decorati, potens sit protrahere naturale ieiunium a media nocte superiore, ad alteram, in qua

solemne intra memoratum Sacellum offert Sacrificium. Accedit insuper, in praxim omnino induci non posse, ut, media nocte transacta, constituatur initium Missae, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiepiscopi, et Episcopi, qui sequente die, horaque congrua, ad reliquas Pontificii Sacelli functiones redire debent, quod porro non praestant, nisi lecto iam privatis in Sacellis suis, oblatoque trino Sacrificio; quemadmodum a Nobis latius enarratum fuit in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana, designato loco.*

§ 11. Unicum itaque exemplum privatae Communionis ex devoto Religionis affectu sumptae, in vim obtentae a Summo Pontifice facultatis eamdem sumendi, adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate, indigentiaque corporeae habitudinis, in Carolo V Imperatore suppetit. Is secum ipse cogitavit, constituitque de Germanicis Provinciis cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri, subinde etiam Imperatori; deque transferendis reliquis ditionibus, id quod etiam perfecit, in Philippum filium suum, Hispaniarum Regem eius nominis II; tum se recepit in Monasterium S. Iusti Monachorum S. Hieronymi situm in Extremadura, vitamque iniit eremiticam, adstans simul cum Monachis divinae Psalmodiae, Patrum volumina perlegens, res Divinas saepe commemorans, saepe Sacramentali confessione abstergens peccata, sacramque Communionem pio affectu frequentans, uti latius prosequitur Famianus Strada *de Bello Belgico, decade prima, libro primo, sub titulo Carolus V.* Cumque pius imperator Eucharistiam ieiunus sumere nequiret, eidem suasere Medici, ut nonnihil antea cibi degustaret. Ita aliquandiu se gessit: at cum rescivisset, Apostolica opus esse dispensatione, ut liceret praefato modo ad Communionem accedere, recursum habuit ad Iulium III Pontificem, qui eidem, quod in praeteritum gesserat, relaxavit, indulsitque, ut in posterum, etiam post sumptum exiguum aliquod ientaculum, posset Sacram participare Communionem.

§ 12. Non censuimus in re tanta fidendum esse Auctorum assertioni, qui cursim innuunt datum Imperatori Carolo V a Iulio III Praedecessore Nostro Indultum. Ex secretiori Vaticano Archivo afferri iussimus Pontificium Breve repertum tom. 70, n. 152, in quo Imperatoris preces sequentibus verbis referuntur: *Exponi nobis tua Maiestas fecit, se nonnunquam, ratione suae valetudinis ita suadente, et cogente, diebus, quibus Sacratissimam Eucharistiam sumere instituit, de medicorum consilio, modicum ientaculum ad necessariam substentationem ventriculi sumere ante consuevisse, et nobis, ut tam de praeterito veniam illi dare, quam in futurum secum super eo dispensare auctoritate Apostolica vellemus, supplicavit.* Subsequitur in ipso Brevi Pontificia concessio, cuius en concepta verba: *Quare nos huiusmodi necessitatem tuam attendentes, et tuae Maiestatis pium sincerumque in Catholica Religione, et Sanctorum Patrum Constitutionibus tuendis, ac venerandis animum omnibus in rebus agnoscentes, te omni conscientiae scrupulo, quod propter istiusmodi usum hactenus forsan contrahere potuisti, prorsus in Domino liberamus et absolvimus, atque ut in posterum eodem modo, post sumptum necessarium ientaculum, praefatum Sacratissimum Eucharistiae Sacramentum sumere possis, tecum, ab eodem Domino tradita nobis auctoritate, indulgenter dispensamus.*

§ 13. Quod Iulius III Praedecessor Noster praestitit erga Carolum V Imperatorem, idipsum et Nos agere intendimus, quin et peragimus cum Iacobo III, Magnae Britanniae Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Imperatoris Caroli V a medicis contestata; scimus equidem, ipsum natum anno 1500, cumque datum fuerit Pontificium Breve sub annum 1554 eumdem, dum Breve obtinuit, non excessisse 54 aetatis suae annum. Quae patitur Britannicus Rex Noster incommoda, sunt Nobis satis superque nota, scimusque etiam, eum agere 68 aetatis suae annum. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate, ac religione Caroli V. At Historicis minime indigemus, ut perspecta Nobis fiat singularis Charissimi in Christo Filii Nostri Iacobi Regis integritas vitae, pietas, et religio, quibus dum totam vivendi rationem moderatur, universae fit Urbi exemplo; cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui ad Nos Regium desiderium attulisti, nuncius Nostro nomine eidem eris, Apostolica Nos, qua fungimur, auctoritate, ipsi facultatem indulgere, sacram sumendi Eucharistiam, consulto conscientiae suae Moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam, valetudine ita exposcente, exiguum aliquod ientaculum deglutiverit. Brevia Praedecessorum Nostrorum Iulii III et Gregorii XIII superius relata, et ad rem nostram spectantia, concludit Paterna monitio ad Principes, quibus concessa fuerunt, pro eorum valetudine tuenda, veluti Christianae Reipublicae apprime necessaria. Nos quoque, dum Epistolae huic Nostrae finem facimus, idem praefato Iacobo Regi in memoriam revocantes, quod a Praedecessoribus Nostris commemoratum legimus iis Principibus, quos huiusmodi facultate donabant, Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 404-415].

440.

Benedictus XIV, ep. *Iam inde*, 12 maii 1756.[1]

Iam inde a primis annis, cum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopali munere suscepimus administrandam, rescientes, dedicatum non fuisse Altare extructum intra Cappellam Gentis Boncompagniae, quam a fundamentis restituerat proximus Decessor Noster bonae mem. Iacobus Card. Boncompagnius, atque pretiosis marmoribus, lectissimisque picturis elegantissime ornarat, nostri muneris esse censuimus, uti maxime decuit, memorati Altaris dedicationem peragere. Haud multos post annos, ex illius exemplo, quantulum quidem in Nobis fuit, extructo per Nos intus Metropolitanam Divi Petri Ecclesiam amplo Sacello, in quo Eucharisticum Sacramentum perpetuo asservatur, eoque marmoribus, aere, ac insignibus picturis ornato, eiusdem quoque Sacelli Altare sacravimus, ea plane adhibita Ecclesiastica pompa, quae, ut mox supra innuimus, ad inaugurandum Altare Cappellae Boncompagniae

[1] Dilecto Filio Nostro Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiensi.

fuerat adhibita. Ea autem occasione Nostram evulgavimus Institutionem inter caeteras latinae editionis 67 meminimusque in ea Nos asseruisse, rectum videri, congruumque, ut Metropolitana S. Petri Ecclesia, in qua praefatum utrumque Sacellum situm est, solemni ritu inauguraretur, Nosque Sacrae peragendae functioni obtulimus, quoties quaedam superaccessissent conditiones, in praeindicata Institutione nostra expressae. Estque hoc illud, quo nunc impellimur has ad te dare litteras, ut tibi perspicua sit, caeterisque omnibus causa, quae Nos adducit ad Ecclesiae Consecrationem praecipiendam, mandantes tibi egregio Praesuli, Divini honoris, Ecclesiasticique decoris studiosissimo, ut Nostro nomine functionem absolvas, quemadmodum inferius subiungetur.

§ 1. Ex his autem, propius, ut aiunt, ad rem accedendo, cumque Canonici iuris Interpretes vulgo edoceant, eam oportere dicari Ecclesiam, de qua iusta subsit dubitatio, an fuerit unquam solemni ritu dicata, illud primo inquirendum, an huiusmodi axioma, vel potius sententia, satis valido sit fundamento innixa; exindeque dispiciendum, num in huiusce casus hypothesi, possit merito addubitari, fuisse unquam nostram Divi Petri Metropolitanam Ecclesiam solemniter consecratam.

§ 2. Glossa Canonica, cuius non levis debet esse auctoritas, aperte docet, quoties de praeexistenti consecratione ambigatur, Ecclesiam consecrari oportere. Id ita habet in Can. *Ecclesiae, de Consecrat.*, dist. 1, cuius en verba: *Docetur quibus casibus Ecclesiae sunt reconsecrandae; unus, quando dubitatur de Consecratione.* Quae repetit quoque in Cap. *Proposuisti, de Consecrat. Eccles.*, cuius haec sunt concepta verba: *Nota, quando Ecclesia debet consecrari: primo, si dubitatur, an sit consecrata.* Perfacile esset plurimos cumulare Doctores, qui nulla praemissa disquisitione Glossam sectantur, quique Ecclesiae consecrationem comparantes cum Baptismate ministrando venientibus ad Sanctae Romanae Ecclesiae gremium, tradunt, quemadmodum ubi iure ambigitur an quisquam fuerit Baptismalibus aquis ablutus, sacro ipso lavacro *sub conditione* abstergitur; ita, dum iusta subest de Sacrarum aedium consecratione dubitatio, eamdem esse *sub conditione* peragendam. Verum si ex his sciscitari contingeret, cuinam textui Canonico, vel publicae auctoritatis monumento fidentiores istae ipsorum assertiones innitantur, perfacile esset, haud exiguis eosdem difficultatibus implicari.

§ 3. Perspectus est Nobis textus in Can. *Solemnitates, de Consecrat.*, dist. 1, ubi haec leguntur: *De Ecclesiarum Consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus Consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas: nec talis trepidatio facit iterationem; quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum;* nec etiam alterum ignoramus textum in Can. *Ecclesiae, de Consecrat.*, eadem dist. 1, *Ecclesiae, vel Altaria, quae ambigua sunt de Consecratione, consecrentur:* novimusque hos plane esse Canonicos textus a praefatis Auctoribus in medium productos. At si Canon *Solemnitates* nihil plane est aliud, quam indubie apocrypha Epistola Felicis Pontificis, sique Canon *Ecclesiae* Meldensi Synodo tribuitur, in Meldensi autem Synodo idem ille desideratur; nullo negotio intelligitur, relatam Doctorum opinionem, nulla scripta Canonica lege,

iuvari. Praeallata vero comparatio desumpta ex Baptismate ministrando, cum dubitatur, an illud fuerit antea collatum, satis validam patitur obiectionem: collatum enim ab haereticis Baptismum propria adhibita materia et forma, ratum est, nec pure aut sub conditione iteratur; at inauguratae ab haereticis Ecclesiae iterata consecratione dicantur, uti videre est Can. 20, *Ecclesiis*, Can. 21, *Ecclesias Arianorum*, Can. 23, *Agapitus, de Consecrat.*, dist. 1, in quibus exempla referuntur Ioannis Papae, et Agapiti, qui Templa vasaque Ecclesiarum ab haereticis antea consecrata, *sacrilegis infecta fabulis haereticorum*, uti habet textus, iterato sacrarunt. Praeclarum quoque extat exemplum S. Gregorii Magni, qui Ecclesiam S. Agathae in Urbe ad Suburram tot antea annos ab Arianis haereticis consecratam, dicavit, veluti ipse enarrat lib. 3, *Dialogorum*, cap. 30, testaturque Cardinalis Baronius *ad annum Christi* 591, num. 51, atque fusius prosequitur Floravantes Martinellius in suo Opusculo *de Diaconia S. Agathae*, pag. 69. Idemque ipse S. Gregorius *Epistola* 19, lib. 3, tom. 2, iuxta editionem PP. S. Mauri, refert, paratum se ad consecrandam Ecclesiam *iuxta domum Merulanam* sub titulo S. Severini erectam, eo quod sciret fuisse eam ab haereticis dicatam.

§ 4. Quaecumque hactenus attulimus, non eo consilio prosecuti sumus, ut a sententia recederemus edocente, dedicari templa, de quorum consecratione iusta subsit dubitandi ratio, sed ad investiganda solidiora praefatae sententiae fundamenta. Felix Messanensis Episcopus litteras dedit ad S. Gregorium relatas num. XVI, lib. 14, *Epistolarum* eiusdem S. Pontificis haecque in iis leguntur: *Sunt quaedam Ecclesiae in nostra Provincia, super quarum Consecrationibus dubitatur, et tam propter antiquitatem, quam et propter earum custodum incuriam, nescitur, utrum dedicatae ab Episcopis fuerint, necne: super quibus omnibus nos a vestra Sanctitate, ac vestrae S. Sedis auctoritate instrui precamur.* Hisque Episcopi litteris ita rescripsit Pontifex *in sua Epistola* 17, col. 1279. *De Dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione, super qua inter caetera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab Antecessoribus nostris traditum accepimus; id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum Consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.*

§ 5. Ex Criticis celebriores duo Oudinus et Du-Plinius utramque Epistolam supposititiam esse contendunt; et in severiorum huiusmodi criticorum partes concessit Ioannes de Ioanne, vir in Ecclesiastica eruditione versatus, nostrique, dum viveret, valde studiosus, in appendice ad suum Codicem Diplomaticum Siculum, *Diplom.* 20 et 21, pag. 388 et 391. Verum quidquid sit de litteris Felicis Messanensis, quod spectat ad Gregorii Epistolam, si eiusdem portionem quamdam exscribit Ioannes Diaconus lib. 2, cap. 37, si eam saepe laudat Hincmarus, et tertiam saltem eiusdem partem affert, si de ea meminit Abbas Regino, qui floruit saeculo nono, si extat pluribus in manuscriptis Codicibus, si deprehensae in illa repetitiones quaedam, quamobrem suspecta

aliquibus visa est, Magno Pontifici S. Gregorio noscuntur usitatae, nulla superest ratio oppugnandi, Epistolam genuinum esse Magni Pontificis opus; veluti fateri obstringitur Natalis ab Alexandro *in Historia Ecclesiastica saec. VI*, cap. 4, art. 16, et uti mirabili diligentia prosequuntur Patres S. Mauri in Notis ad litt. 17, lib. 14, eiusdem Pontificis, tom. 2, col. 1275 et seq., utque etiam perspicue demonstrat adhuc celebris Auctor Ceillier in *Historia Sacrorum atque Ecclesiasticorum Auctorum*, tom. 17, cap. 9, art. 3, § 14, num. 6. In tuto autem posita, vindicataque sententia, de qua nunc sermo, ex Divi Gregorii auctoritate, omni plane vi destituitur proposita instantia, de iterata consecratione adhiberi solita Ecclesiis per Haereticos antea consecratis, licet caeteroquin non iteretur Baptisma ei, qui fuit ab haereticis ablutus salutaribus aquis. Etenim sicuti baptizatur, qui Baptismate ab haeretico donatus fuit, quotiescumque haereticus in eo conferendo praescripta non sit usus forma atque materia, ita dicatur Ecclesia iam ab haeretico inaugurata, quando eadem non fuerat ab illo iuxta praescriptum ritus Ecclesiastici consecrata; veluti apposite admodum docet Glossa ad citatos Canones 20 et 21, *de Consecrat.*, dist. 1. *Intelliguntur in eo casu, quando Ariani non consecrant Ecclesias in forma Ecclesiae; nam quidam eorum faciebant Sacramenta in forma Ecclesiae, et quidam non:* et uti rectius ad rem nostram advertit quoque in praxi versatus Pax Iordanus, tom. 1, *oper. Canonic. de re sacra*, lib. 5, tit. 9, num. 66. In huiusce articuli disquisitione longiores fuimus, memores nos in minoribus, veluti unum ex designatis Doctoribus in Decretis, interfuisse Concilio Romano habito sub annum 1725, ubi cap. 3, tit. 25, ita fuit constitutum: *Ecclesiae, vel Altaria si adsint, de quorum Dedicatione dubitetur, nec scripturae, aut testes existant, qui de Consecratione testentur huiusmodi, absolute ea ulla absque dubitatione consecrari posse, declaramus.*

§ 6. Hoc itaque extra controversiam posito, licere nimirum Ecclesiam consecrare, cum ambigitur, an fuerit illa unquam consecrata; disquirendum modo, iustane subsit, de consecratione Metropolitanae S. Petri Ecclesiae dubitatio; exinde enim tota est determinatio, an possit eadem, quantum quidem ad caput hoc pertinet, nunc temporis nova dedicatione sacrari. Nullae in Templo signatae conspiciuntur Cruces, vivitque nemo, qui huiusmodi consecrationis argumentum se vidisse meminerit; quotannis tamen recitatur dedicationis Officium; testanturque Historici nostri, consecratam eamdem fuisse a Lucio III Pontifice octavo Idus Iulii anno 1184. Videantur Ghirardaccius, lib. 4, fol. 98, Sigonius, *De Episcopis Bononiensibus*, editionis Mediolanensis, lib. 2, col. 419, Vizanius, lib. 2, fol. 77 et 78, Celsus Falleonius in *Monumentis Historicis Ecclesiae Bononiensis*, fol. 186 et 187, Masinius in sua *Bononia perlustrata*, part. I, fol. 107 et 108. Verum, integra ipsorum existimatione relicta, cum scripserint illi plura post saecula a Lucio III Pontifice, nullumque attulerint enarrato facto coaevum monumentum, haud ita facile accuratiores homines plenam ipsis fidem adhibendam esse consentient. Haud absimilis nobis suborta est dubitatio nonnullos antea annos quoad Basilicam Liberianam, Sanctae Mariae Maioris nuncupatam, in qua, dum Ara Maior a nobis extructa consecraretur, suborta est disputatio, num congrueret, ut Ecclesiam quoque solemni ritu dicaremus, quandoquidem Cruces in ea nullae

conspiciebantur; quamvis caeteroquin in singulos annos fieret ab eiusdem Clero consecrationis, Officium; nec deesset, de signis miraculisque, dum eadem, consecraretur peractis, ad nos usque protensa traditio. Evanuit autem omne dubium, dum opportuno studio ac cura perlustrato celebri Tabulario Capituli memoratae Basilicae, adinventa est Bulla Gregorii IX Pontificis, in qua commemorantur Indulgentiae a S. Sixto III Pontifice concessae, dum dedicavit Templum; quod reaedificavit, redegitque ad retentam hactenus formam, centum necdum evolutis annis, ex quo Liberius Pontifex illud a fundamentis primum excitaverat.[1] Quod Liberianae Basilicae contigit, idipsum de nostra quoque S. Petri Ecclesiae evenire, possumus incunctanter asserere. Etenim adactus Lucius III Pontifex, excitatis tunc in Urbe vehementissimis dissidiis, inde abscedere, et sese in Cisalpinas Gallias recipere, dum Bononiam transgrederetur, Templum Divi Petri, et ulterius progressus, dum Mutinam praetergrederetur, Ecclesiam S. Geminiani, sollemni ritu dicavit, uti legitur in vetustis *Mutinensibus Annalibus* Auctoris anonymi impressis, tom. 11, *Rerum Italicarum Scriptorum*, col. 54, et in *Annalibus Italiae*, a Muratorio editis, ad annum 1184, tom. 7, pag. 46. Utriusque inaugurationis monumentum exhibetur in Epistola eiusdem Pontificis data ad Gerardum Ravennatensem Archiepiscopum, cui, qua Metropolitano, suberant tunc temporis Bononiensis ac Mutinensis Dioeceses. Pontificiae litterae in celebri Ravennatensis Ecclesiae Tabulario asservantur, editaeque sunt a claro De Rubeis in *Historia Ravennae*, pag. 356, cumque in iisdem litteris haec adscripta legantur: *Dignum est, et consonum rationi, ut, cum ad tuae Fraternitatis instantiam, Bononiensi, et Mutinensi Ecclesiis impenderimus Dedicationis munus, nunquam ex hoc adversus Ecclesiam tuam, cui tamquam Metropoli sunt subiectae, et aliquantam vindicare valeant libertatem. Nos itaque providere volentes, ne de facto nostro, contra te, vel successores tuos, iniuriae, aut scandali materia oriatur, auctoritate Apostolica constituimus, ut nullum ex hoc tibi, vel successoribus tuis, praeiudicium in posterum generetur, sed semper iam dictae Ecclesiae, sicut ante Dedicationem, quam eis impendimus, erant, in tua, et successorum tuorum obedientia, et subiectione, sine contradictione consistant:* licebit hic obiter adnotare, iuxta vigentem iis temporibus disciplinam, si quam Ecclesiam a quopiam loci non Ordinario sacrari contigisset, evasisse eamdem obnoxiam auctoritati, et iurisdictioni Episcopi consecrantis, nisi is suo iuri cessisset. Quod quidem et ipsum comprobatur ex solemni actu secuto sub annum 1140, quo, cum Falconius, Abbas insignis Monasterii SS. Trinitatis ad Cavam, Reginnensem rogasset Episcopum, ut Ecclesiam dicaret S. Ioannis intra fines suae Abbatiae extructam, dedicatio per Episcopum, adiecta tamen sequenti declaratione, facta perhibetur: *Ita tamen, ut neque nostri, neque posteri, nos, nec ipsa Sancta nostra Reginnensis Ecclesia, nec aliquis pro parte nostra, ibi aliquod dominium, aut aliquod ius aliquo tempore habeamus, aut quolibet modo habere quaeramus, sed semper ipsa praedicta Ecclesia S. Ioannis, cum domibus, aut coemeteriis suis, et cum suis omnibus pertinentibus, sit iuris et ditionis ipsius Domini Abbatis, et*

[1] Cf. N. 408.

successorum eius, et praedicti Coenobii SS. Trinitatis, habendi, et ordinandi, et faciendi exinde quae voluerint, absque nostra, successorumque nostrorum, et praedictae Sanctae Reginnensis Ecclesiae contrarietate: quemadmodum nosse licet ex ipso actu relato, tom. 7, Ughellii, Venetae impressionis a. 1721. col. 299.

§ 7. Reiecto titulo ex dubia consecratione desumpto, alter subsequitur expendendus titulus, si nimirum Ecclesia combusta quandoque fuerit. Atque superius etiam servatae methodo insistentes, disquiramus oportet, an si qua Ecclesia fuerit incendio exusta, satis id sit, ut iterata possit ipsi adhiberi consecratio, exindeque an huiusmodi titulus in propositam nobis speciem de Bononiensi Divi Petri Ecclesia cadere possit. Canonicus indubie est iniectae combustionis titulus; veluti deprehenditur ex Can. *Ecclesiis*, 20, *De consecrat.*, dist. 1, cuius haec sunt verba: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum Consecratio adhiberi, nisi ab igne exustae fuerint:* quod porro accipiendum ita est, quoties universa, vel maxima Ecclesiae pars fuerit igne absumpta, quemadmodum pergit *Glossa* in cap. *Proposuisti*, verbo *Reconciliari, De consecratione Ecclesiae vel Altaris;* cuius concepta verba sunt haec: *Si Ecclesia est exusta tota, vel maior pars, debet iterum consecrari:* vel quando, licet consistant parietes, detractae tamen iis crustae, seiunctique lapides sunt; quod quidem ipsum notatur a *Glossa* in praeallegatum Can. *Ecclesiis*, verbo *Exustae, De Cons.*, dist. 1: *Cum Ecclesia ita comburitur, quod destruatur, vel decrustatur interius, et exterius, tunc exsecratur. Consecratio enim Ecclesiae maxime consistit in unctione exteriori, et coniunctione, et dispositione lapidum.* Consentiunt Repetentes Canonici iuris, ad praecitatum cap. *Proposuisti*, Innocentius nimirum num. 1, Zabarella, num. 2, Ostiensis, num. 3, et ad rem praesentem perbelle advertit Ivo Carnotensis, scriptor saeculi IX, in suo *Sermone IV, de Sacramentis dedicationis*, consecrationis substantiam parietibus adhaerere, qui inunguntur, et Crucibus signantur; quod etiam expenditur a S. Petro Damiano in suo *Sermone I in dedicatione Ecclesiae.*

§ 8. Titulo subsecutae, mox supra expresso modo, combustionis favet Liber Diurnus Romanorum Pontificum, vetustissimo e Codice exscriptus, Romanisque typis publici iuris factus a celebri Luca Holstenio sub an. 1658, ubi pag. 130, num. 41, legitur sic cautum: *Basilicam, quam in Castro Illo dilectio tua post incendium asserit reparatam, et in honorem Beati Illius, habitatores loci Illius desiderant consecrari, Dedicationis tibi in eo per praeceptionis nostrae seriem facultatem tribuimus, ut fidelium devotio competens sortiatur effectum.* Neque ad hunc magis firmandum titulum ex igne vastante erutum, desiderantur in Ecclesiasticis Historiis opportuna monumenta. Nono iam elabente, vel decimo ineunte saeculo in Italiam irruerunt Pannonii, igne ferroque immaniter miscentes omnia; et inter caetera Sacra loca igne consumpta, Nonantulanam quoque Ecclesiam una cum Coenobio concremarunt: *Siquidem barbarorum gladio vastante, tuumque Monasterium ab iisdem igne crematum, malorum hominum infestatione, te ipsum cum tuis turbatum audimus.* Ita Sergius Pontifex Nonantulano Abbati Leopoldo scripsit. Haud neglexit providi consilii Abbas Monasterium et Ecclesiam a fundamentis restituere:

ut post tot flagella tui laboris certamine Ecclesiam ipsius tui Monasterii usque ad culmen levares, etc., pergit idem Pontifex. Cumque ab eo quaesiisset Abbas, ut Episcopum Ecclesiam consecraturum designaret, tres nominavit Pontifex, tributa ipsi facultate seligendi ex tribus iam designatis, quem maluisset ad dedicandam Ecclesiam invitare: *De caetero, si ad consecrandum tui Monasterii Ecclesiam Episcopum quaeris,* etc., *de his tribus, qualem volueris, induc ad consecrandam tuam Ecclesiam.* Monumentum hoc impressum est penes Ughellium, tom. 2, praecitatae editionis, col. 205. Ineunte XIV saeculo cum Lateranensem Basilicam adverso casu incessisset ignis, eadem una cum adiuncto Pontificio Palatio exusta mansit atque consumpta, uti referunt S. Antoninus, 3 part. *Chronic.*, tit. 21, cap. 1, § 4, et Villanius, lib. 5, cap. 98. Cumque Clemens V Pontifex non praetermisisset eamdem reaedificandam curare, non multo post exactum praefati XIV saeculi dimidium, novo adverso fato, ingenti suborto incendio, iterum fuit absumpta, quemadmodum testantur Rainaldus in *Continuatione Annalium* ad annum 1361, num. 3, et Soresinus in *Annalibus Lateranensibus* manu scriptis, asservatisque in Tabulario Capituli, fol. 147. Et quamvis ex sollicita Romanorum Pontificum cura, omnia Basilicae suppeditata fuerint, quibus in pristinum statum restituta fuit, cum tamen non fuisset iterata consecratione dicata, quamvis superioribus temporibus, et cum primum constructa extitit, eam S. Silvester dedicavisset, hinc placuit Benedicto XIII Pontifici eamdem sacrare, quod quidem praestitit nobis spectantibus, vehementerque mirantibus universam laboriosam functionem a pio illo Pontifice summa cum religione animique constantia peractam, quamvis idem ipse viribus esset destitutus, ideoque ad novissima vitae properaret.

§ 9. Tradunt Historici nostri, providos Concives nostros iniisse consilium, de Bononiensi Cathedrali Ecclesia extra Civitatem olim constructa, Barbarorumque eversa populationibus, reaedificanda, sed intra Civitatis muros, eodemque ipso in loco, ubi vel nunc sita conspicitur: id quod praestitum est X ineunte saeculo. Iidem Historici referunt, sub Henrico I Episcopo, medio circiter saeculo XII sacram illam aedem igne penitus fuisse consumptam; subduntque, non ita multo post fuisse eandem a Ioanne Episcopo antea Lateranensi Canonico, egregio opere restitutam. Videre possunt ea de re Sigonius in *Vitis Episcoporum Bononiensium,* Ghirardaccius in suis *Historiis,* Pompeus Vizanius, fusiusque Celsus Faleonius, et Masinius; quibus porro Auctoribus, etsi gestae rei haud coaetaneis, integra fides adhiberi valet, cum agatur de factis publicis, omnibusque perspectis, quorum in plura saecula protenditur recordatio, quorumque nulla servantur monumenta, ideoque resciri aliter nequeunt, quam si Historici regionis, in qua gesta res dicitur, consulantur. Indubium itaque est secutum incendium; certa itidem satis superque incendii conditio; at non propterea pronunciari potest exinde titulum profluere, ad Ecclesiae consecrationem iure iterandam. Subsecutum enim post consecrationem incendium iteratae dedicationi locum facit; non autem combustio, quae consecrationem antecesserit, veluti plane contigit in ea, quam versamus, facti specie, iuxta quam, cum Ecclesiam Sancti Petri consumpsisset ignis, eamque Ioannes Episcopus iterum a fundamentis excitasset

ac reaedificasset, eamdem ipsam sic restitutam Lucius III Pontifex consecravit. Aliud itaque indigitandum esset, evincendumque incendium, Pontificiam consecrationem subsecutum; at de hoc nullum nobis proditum monumentum.

§ 10. Iam reliquum est, ut ad examen revocetur tertius titulus casui huic nostro aptus, per quem nova potest Ecclesiae adhiberi consecratio, quique in veteris Ecclesiae, ac praesertim parietum nova constructione continetur; si enim corruisset tectum, illudque iterum fuisset superinductum, veteres autem constitissent parietes, iam a Pontifice Innocentio III in cap. *Ligneis, De Consecratione Ecclesiae, vel Altaris,* definitum fuit, consecratam Ecclesiam non debere iterata inauguratione dicari: *Inquisitioni tuae taliter duximus respondendum, quod, cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula Altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob causam praedictam nec Ecclesia, nec Altare debet denuo consecrari.* Scribensque in praedictum textum Abbas subdit num. 1: *Quia Consecratio Ecclesiae consistit, non in tecto,* etc., *sed in parietibus; ideo, corruente tecto, non fiet reconsecratio:* et cum Abbate veteres Repetentes, quin et recentiores Auctores, passim consentiunt.

§ 11. At non propterea omnes submotae quaestiones a scriptoribus excitari solitae. Casum inducunt ipsi de Ecclesia, eiusdemque parietibus, paulatim, et per partes refectis; et inquirunt, an refectis hoc pacto omnibus integrisque parietibus, liceat Ecclesiae universim, uti praedictum est, refectae consecrationem iterare: negant aliqui, quod eadem semper sit Ecclesia, ad eum plane modum, quo eadem dicitur navis, quae paulatim, pro opportunitate, novis restituitur tabulis, lignisque; quamvis demum nullae tabulae, nulla supersint ligna ex veteribus, quibus fuit navis primum compacta; idemque ipse dicitur populus, etsi superstites non sint amplius illi, ex quibus olim coalescebat, fuerintque isti, natis subinde hominibus suppleti.

§ 12. In oppositam sententiam concedunt alii, tum quia quoad spiritualia, veritatem sequimur, non fictionem; tum quia sublatis antiquis parietibus, nec vetus manet amplius consecratio. Est haec Innocentii sententia, quam sequitur Abbas in cit. Cap. *Proposuisti,* num. 8, ubi postquam primam retulit opinionem, ita subdit: *Sed Innocentius super rubricam refert, contrarium teneri a quibusdam, ut indigeat reconsecratione. Et hanc partem puto veriorem; nam in istis spiritualibus consideramus veritatem, et non fictionem: sed in veritate non est illa Ecclesia, ex quo in toto de novo, licet successive, est refecta; nam negari non potest, quin Consecratio, quae consistebat in antiquis parietibus, sit sublata; et iura contraria loquuntur de finctione Iuris.*

§ 13. Alii denique sentiunt, si quae iteratis vicibus fit parietum superinductio, ita peragitur, ut pars maior consecrati parietis consistat, iteratae consecrationi non esse locum: quod maior consecrati parietis pars minori superadditae suam impartiat consecrationem. Ita disserit Suarez, tom. 3, in 3 part., disput. 81, sect. 4, § *Sextus casus: Quando parietes Ecclesiae ita destruuntur, ut eam integre reaedificare oporteat, tunc iterum consecranda est, etc. Oportet autem, ut parietes simul ruant; nam, si paulatim, et successive destruantur, ac reparentur, non perditur Consecratio, quia semper censetur manere idem*

numero Templum. Quod intelligendum est, dummodo pars non consecrata, quae additur, non sit maior: quia tunc id, quod est maius, censetur ad se trahere, quod est minus. Huicque sententiae adhaerent alii, quos collegit, sequutusque est Schmalzgrueber *ad tit. Decretalium de Consecr. Eccles.*, § 1, num. 27 et 28. Verum, ut ut sit de recensitis sententiis, illud tuto pronunciari posse videtur, quoties destructum est vetus templum, vel quia corruit, vel quia illud subverterunt homines, vel quia Christifidelium religio, a primo posito lapide ad usque novissimum, novum excitare templum instituit, adeo ut asserere nemo possit veterem consistere eadem, sed potius veteri illi in honorem certi alicuius Sancti Deo dicatae novam superinductam aedem, Deo itidem in honorem eiusdem Sancti nuncupatam; perspicuum esse, posse novam dicari Ecclesiam, licet vetus illa iam destructa, fuisset et ipsa solemni ritu inaugurata.

§ 14. In Historia Lotharingiae novissime publici iuris facta a P. Calmet, part. 2, tom. 1, col. 567 publicus exscriptus legitur actus Requini Tullensis Episcopi, editus sub annum 1128, quo narratur, constructam ad Spinalium Ecclesiam quamdam, fuisse a S. Gerardo Tullensi Episcopo consecratam, ipsique exinde subversae novam fuisse superinductam, hancque iterum a S. Leone Pp. IV inauguratam. *Hoc etiam a notitia posterorum recedere nolumus, quod, destructo etiam Monasterio, quod B. Gerardus dedicaverat, quia nimis parvum erat, et altero aedificato, quod Beatus Leo dignitate Sedis Apostolicae sublimatus dedicavit, etc.*

§ 15. Templum S. Mariae situm in Urbis Regione Monticulorum nuncupata, dicatum iam fuerat a Paschali II Pontifice, teste Pandulpho Pisano apud Papebrochium *in Propilaeo*, pag. 319, num. 27, Venetae impressionis. Plura post annorum centena, cum Sacra Aedes fuisset in deteriorem statum perducta, Clemens XI Pontifex fuit adeo pro ea sollicitus, ut ab ipso eadem reaedificata merito dici queat, veluti perbelle adnotavit Gagnius Caeremoniarum Magister in publicis Actis a se confectis super dedicatione eiusdem Ecclesiae: *Quam Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XI reaedificari fecit.* Haecque ipsa Ecclesia S. Mariae in Monticulis anno 1716 consecrata fuit, nil morante prima eiusdem inauguratione a Paschali II Pontifice peracta, veluti praemonitum fuit; atque insuper dignosci omnia possunt ex Historia praefatae Ecclesiae scripta ab Horatio Ciuccioli, pag. 89 et pag. 94. Ecclesiam a S. Benedicto extructam in Monte Cassino subverterunt Longobardi. Ipsam restituit Abbas Petronaces; sed a Saracenis deinde combustam Ioannes Abbas reaedificavit, Abbas vero Desiderius ampliavit, atque demum Zacharias Pontifex consecravit, sub annum 748, qua de consecratione fusiori calamo scripsere Sigonius, *de Regno Italiae*, lib. 3, ad annum 748, Card. Baronius *ad eumdem* annum 748, num. 16, atque Gattola, parte prima *Historiae Abbatiae Cassinensis ad saeculum III*, pag. 20. De alia quoque Consecratione, eidem Ecclesiae ab Alexandro II sub annum 1071 adhibita, occurrit mentio. Ipsa insuper Ecclesia, ingenti terrae motu, anno 1349 diruta, Urbani V Pontificis iussu fuit excitata. At cum eadem iterato corruisset, fuissetque anno 1649 a fundamentis restituta, et in eum, quem nunc tenet magnificentiae statum, adducta, Benedictus XIII anno 1727 eam tertio consecravit, quemadmodum quisque nostrum

meminisse potest, atque etiam legitur in eiusdem Pontificis Vita edita a Praesule Borgia Archiepiscopo Firmano, sub num. 57, ac veluti etiam adnotatum conspicitur in Lapideo monumento in praedicta Basilica ad perennem rei gestae recordationem apposito: *Terraemotu anni 1349 prorsus dirutam, et Urbani V iussu erectam, ac rursus ruina obrutam, atque a fundamentis anno 1649 excitatam, et recens magnificentius exornatam, Benedictus XIII Pontifex Maximus Ordinis Praedicatorum anno 1727 die 19 Maii solemni ritu tertio consecravit.* Vetus denique Templum insignis Abbatiae Campidonensis fuit ab Hadriano I Pontifice solemni ritu inauguratum; verum cum illud idem, saeculo XVII, Svedensi bello, prostratum mansisset, et per Abbatem a fundamentis restitutum fuisset, Nos ex Pontificia Nostra auctoritate, Abbati, etsi episcopali charactere non insignito, facultatem fecimus consecrandi Ecclesiam, adhibito tamen Oleo per Episcopum benedicto, idque ut religioni ipsius Abbatis, et piis indulgeremus populorum votis, qui Abbatem, cuius tanta in opere perficiendo laus fuerat, sacram functionem peragentem cernere exoptabant; et sane fuit ab eodem, in vim dati a Nobis Apostolici Brevis, solemniter inaugurata Ecclesia, veluti nosse licet ex Nostro Opere *de Synodo Dioecesana*, lib. 13, cap. 15, num. 4, novae Romanae editionis.[1]

§ 16. Verum, ad nostram iterum Metropolitanam Bononiensem Ecclesiam S. Petri redeundo, etsi post peractam a Lucio III sub annum 1184, uti praenotatum est, eiusdem Consecrationem, Ghirardaccius, lib. 5, fol. 146, Vizanius, lib. 3, fol. 101, Masinius, part. 1, fol. 107, 108, Celsus Faleonius *in Historicis Monumentis Ecclesiae Bononiensis*, fol. 230, meminerint ingentis sequuti terraemotus, Henrico Fratta Episcopo, anno 1222, quo grave detrimentum Ecclesiae S. Petri fuit illatum; cum tamen iidem ipsi referant, corruisse tectum, ac testudinem Ecclesiae, providumque Episcopum haud praetermisisse illata reparare damna, ad rem praesentem satis haudquaquam est acerbus hic casus; superius namque animadversum est, consistentibus integris parietibus, quibus potissimum adhaeret consecratio, non licere iterato Ecclesiam consecrare, etsi eiusdem tecta concidant.

§ 17. Nova itaque adhibenda Consecratio alio debet fundamento inniti; paratumque illud est, nec a nobis excogitatum. Cum Raynutius Cardinalis Farnesius anno 1565 Bononiensem Ecclesiam Episcopus administraret, exiguum miratus aedificium maioris Cappellae eiusdem Cathedralis Ecclesiae, iam tum de alia a fundamentis excitanda secum ipse constituit; at cum nunquam manum operi admovisset, id curae reliquit Cardinali Gabrieli Palaeotto sibi Successori, primoque in Patria nostra Archiepiscopo. Magnus itaque is Cardinalis augustam construxit Cappellam maiorem, ad quam ex Ecclesia per aliquot conscenditur gradus, ipsumque etiam subterraneum aedificium instauravit, solemnique pompa in eamdem translatas, locatasque insignes nostrorum SS. Martyrum Vitalis, et Agricolae Reliquias, decenti admodum, elegantique urna inclusit. Conspicuum Sacelli aedificium Cardinalis a primo lapide instituit, perfecit, ditavit, instruxitque congruentibus ornamentis, atque picturis celeberrimis. Enarrantur omnia a Ledesma in Vita praefati Cardinalis, lib. 3,

[1] Cf. N. 393.

cap. 9, ab Alberto Bruni ipsi a Secretis, in Vita itidem eiusdem per ipsum contexta, impressaque, tom. 6, *veterum Scriptorum, et Monumentorum,* quae collecta fuerunt a Martene, et Durando, publicique iuris facta Parisiis anno 1729, col. 1406, § 31, a Sigonio, *de Episcopis Bononiensibus,* cum loquitur de eodem Cardinali: quibus accedunt, quae insuper testatur Vizanius in Historiis, lib. 12, fol. 107 et 108, Ughellius, *Italia sacra,* tom. 2, *citatae editionis,* col. 41, Masinius, part. 1, fol. 107 et 108, et latius Celsus Faleonius *Monumentis Historicis Bononiensis Ecclesiae,* lib. 6, fol. 610 et seq., ubi subdit, non praetermisisse Gregorium XIII Pontificem Concivem Nostrum, quum collati sumptus in aedificium, ornatumque ingentis Cappellae, vicissent Cardinalis vires, iteratis vicibus ampla ipsi munificaque suppeditare subsidia.

§ 18. Novo licet absoluto maioris Sacelli aedificio, consistebant tamen adhuc reliqua vetustioris Templi; verum sive quod illud in deterius inclinasset, sive quod novae Cappellae amplitudini non responderet, Praesul Alphonsus Palaeottus, Gabrieli eiusdem familiae Cardinali in Bononiensi Archiepiscopatu Successor, novam adorsus est construendam Ecclesiam, Cappellae recens constitutae congruentem, acceptoque typo a celebri Architecto Patre Ioanne Ambrosio Magente, Clerico Regulari Congregationis Sancti Pauli, primum posuit novae aedis lapidem sub annum 1605 die Annunciationi Virginis Deiparae sacra, cum e vivis sublato Clemente VIII Apostolica Sedes vacaret, atque in fundamento lapideum hoc monumentum poni iussit: *Alphonsus Palaeotus Bononiensis Archiepiscopus, et Princeps, Metropolitanam Aedem angustam, ac prope dirutam, in ampliorem a fundamentis restituturus, primum hunc lapidem solemniter posuit anno salutis 1605 die Annunciationis B. Mariae Virginis, per mortem Clementis VIII vacante Sede Romana:* eaque occasione complura excudi quoque curavit numismata, novum innuentia Metropoliticae Aedis incoeptum aedificium; quorum unum, simul cum aliis collectis numismatibus, transmissum a Nobis fuit ad celebre Nostrum Bononiense Institutum.

§ 19. Nostros inter Concives, qui amplioribus eleemosynis novum opus iuvarunt, quidam commemoratur Ludovicus Rusticellius, a quo aere proprio ingens posita pila ad laevum maioris Sacelli. Certa ad Nos usque producta memoria scimus, aedificium sub Paulo V Pontifice fuisse continuatum, cum in lapide novae Ecclesiae ad meridiem apposito, haec inscripta legantur verba: *Paulo V Pontifice Maximo, Alphonso Palaeoto Archiepiscopo, anno Christi 1610, et Alexandro Ludovisio successore 1614,* alioque in Lapide ad septentrionem, haec alia: *Pauli V Pontificis munificentia, Scipionis Burghesii Cardinalis Archiepiscopi III auspiciis, Alexander Ludovis. IV Archiepiscop. provid. anno 1614.* Quaecumque hactenus recensita sunt, afferuntur quoque ab Ughellio, *Italia sacra,* tom. 2, col. 46, a Rabbi *in Continuatione Historiae Episcoporum Bononiensium* a Sigonio scriptae, col. 606, a Masinio, *Bononia perlustrata,* part. I, fol. 107 et 108 et a Faleonio, fol. 648 et seq. et fol. 662.

§ 20. Quantum quidem Nobis suppetit memoria eorum, quae in monumentis in Archiepiscopali Tabulario asservatis vidimus adnotata, Archiepiscopus Ludovisius, qui Cardinalis renunciatus, haud ita multo post, assumpto sibi nomine Gregorii XV, Summus Pontifex fuit inauguratus, fabricam Metropoliticae Ecclesiae suae non est oblitus; at eo vita functo, cum plures controversiae de ingentibus subsidiis in praedictam causam ab ipso constitutis, fuissent excitatae, perfici non potuit aedificium, deficientibus adhuc postremis duobus magnis Sacellis, ipsaque nova fabrica producta tantum ad porticum, quae veteri Ecclesiae protendebatur, quaeque sub Pontificatu Innocentii VIII anno 1487 extructa fuerat a Iuliano Cardinali de Ruvere Bononiae Episcopo, qui Pontifex factus nomen sibi indidit Iulii II, teste Sigonio *de Episcopis Bononiensibus,* in novissima editione illius operum Mediolani curata col. 518, qui hoc quoque Lapideum monumentum in dicta Porticu appositum exscribit: *Sedente Innocentio VIII Pontifice Maximo, Pontificatus sui anno tertio, Iulianus Episcopus Ostiensis Cardinalis S. Petri ad Vincula, Sanctae Romanae Ecclesiae Maior Poenitentiarius, et Episcopus Bononiensis, condi iussit anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, procurante Philippo Lucensi Episcopo Urbinate, Locumtenente, et Vicario Generali.*

§ 21. Ab Anconitana Ecclesia, Benedicti XIII munificentia Nobis collata, ad Metropoliticam Bononiensem Ecclesiam sub annum 1731 a Clemente XII nobis itidem benefico translati fuimus; cumque Porticum a Iulio II positam invenissemus undique fatiscentem, atque etiam ruinam minitantem, haud praetermisimus praestare quaecunque tum ad eiusdem firmitatem, tum ad congruam venustatem necessaria videbantur; sed cognoscentes fieri nullo modo posse, ut Ecclesiae aedificio producendo animum utiliter adiiceremus, curavimus tamen omnia, quae nostris viribus complecti potuimus; constructam Ecclesiae partem ornavimus; ac praeter Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, uti praedictum est, duo insuper Altaria ereximus in augustis Sacellis, proximis maiori Sacello, a Cardinali Palaeotto erecto, quae eousque manserant Altaribus destituta. At subinde nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti, curam omnem de Ecclesia perficienda suscepimus, adhuc deficientes geminas Cappellas addidimus, in iis posuimus Altaria, constructam a Iulio II reparatamque a nobis Porticum solo aequavimus, id exposcente novae Metropolis Archetypo, nec etiam magnifica fronte carere permisimus Augustum Templum; eidem insuper opportunis non ad necessitatem modo, sed et ad magnificentiam tributis supellectilibus. Gravior enim nobis contigisset (iusta ne an iniusta, ignoramus) Francisci Petrarchae ad Urbanum V Pontificem exprobratio, oblitum eum scilicet fuisse Ecclesiae Sancti Ioannis in Laterano: *Quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani* (quod Pontifex tunc Avenioni detineretur, de Nobis autem Romae residentibus *ad ripam Tiberis* dici potuisset) *sub auratis tectorum laquearibus somnum capis, et Lateranum humi iacet, et Ecclesiarum Mater omnium, tecto carens, et ventis patet, et pluviis?* uti videre est in eius Opere *de rebus senilibus,* lib. 7, in Epistola ad dictum Urbanum incipiente: *Aliquandiu, Pater Beatissime.* De nobis autem dictitari potuisset: dum Bononiensis Ecclesiae tuae imperfectum adhuc est aedificium, dum plura adhuc in ea desiderantur Altaria, dum quae extant, paucis exceptis, sordescunt nimis, dumque deficiunt caetera ad congruum divino numini cultum exhibendum opportuniora.

§ 22. Ex hactenus expressa Historica facti narratione rem iterum nostram repetentes, perspicuum fit, nihil plane superesse vetustioris Ecclesiae; novam

ipsi a primo ad supremum usque lapidem subrogatam esse ampliorem atque spectabiliorem, et ex veteri illo Templo, praeter titulum et situm, nihil amplius superextare. Quapropter cum fuerit iam demonstratum, fas esse penitus renovatae Ecclesiae dedicationem perficere, quamvis praeexistens illa vetustior fuisset inaugurata, nihil est reliquum, quod novam moretur Consecrationem, eamdemque peragi, iuri admodum congruit ac Religioni. Tolletur quoque per id quaestio ab Auctoribus agitata, nimirum, an liceat retinere recitationem Officii Dedicationis Ecclesiae, etsi vetus haud supersit Consecratio, uti plane Bononiae hactenus factitatum; neque enim desunt Auctores, contendentes, non licere Officium Dedicationis Ecclesiae recitare, cum amplius non superest Consecratio, ad quam recolendam institutum fuit Officium, quemadmodum videre est penes Guyet, *de Festis propriis Sanctorum*, lib. 1, cap. 3, quaest. 7, et Bissum *in sua Hierurgia, verb. Dedicatio Ecclesiae*, num. 51. Quamvis profecto nec desint alii appositam sententiam docentes, ducti potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis et Vaticanae, in quibus ad veterum Consecrationem recordationem diu fuit retenta Officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superextarent Consecrationes: quod scilicet in causa fuit, ut Benedictus XIII Pontifex, veluti praediximus, Lateranensem Basilicam, Urbanus vero VIII, alteram S. Petri in Vaticano, iterata adhibita Consecratione, dicarent.

§ 23. Constituto itaque de congruentia iterandae Consecrationis Archiepiscopalis Bononiensis Ecclesiae consilio, conversoque sermone ad Consecrationis functionem, per Nos ipsos perficiendam, Tibi asseverabimus, id propositum Nos haud abiecisse, licet intermedio hoc tempore, supremo Numini placuerit, Nos omni plane merito destitutos ad Summum Pontificatum extollere. Saepe animo recogitavimus dilectam Nobis Sponsam, Ecclesiam, in qua gemina Baptismatis et Confirmationis Sacramenta suscepimus, et in qua Sepulcrum Nobis destinavimus, uti nosse licet ex Lapide vel hodie ad Altare Sanctissimi Sacramenti substrato. Tenuit Nos semper vehemens desiderium revisendi Nostrum Clerum, Concives Nostros, Nostros Dioecesanos. Augebatur autem illud in dies, percurrentibus Nobis Annales Nostrorum Praedecessorum, a quibus tot per Italiam consecratae fuerunt Metropolitanae, atque Cathedrales Ecclesiae, Nobisque, qui iis successimus, haud secus videbatur cum Bononiensi Ecclesia Nostra rem transigi debuisse. Ab Alexandro II Pontifice, legitur, inclinante saeculo XI, consecratam fuisse Lucensem Cathedralem Ecclesiam; quemadmodum mox infra demonstrabimus. De Gelasio II narrat Ughellius, tom. 4, *Italiae sacrae*, col. 851 consecrasse eumdem Cathedralem Ecclesiam Ianuensem, extatque huiusce rei monumentum in illius sacrario, ubi in quodam Lapide haec leguntur: *Sexto Idus Octobris anno Dominicae Incarnationis 1118, indict. xii, Dedicatio Ecclesiae Beatissimi Laurentii, atque Sanctissimi Syri Ianuensis Episcopi. Quae consecrata fuit a Gelasio Papa, primo anno Episcopatus sui, cum pluribus Episcopis, etc.* Cardinalis Baronius ad annum Christi 1120, num. 3, colligit ex Vaticano Manuscripto de rebus gestis Callixti II, hunc Luca decedentem, atque pertranseuntem Hetruriam, exceptum, honorificentissimeque habitum Pisis, ubi exoratus a praeclaris illis Civibus: *rogatus ab ipsis Pisanis, et magna*

instantia postulatus, maiorem Ecclesiam ad honorem Beatae Mariae, tota ibidem Thuscia concurrente, dedicavit solemniter. De duarum, Bononiensi, et Mutinensi, Cathedralium Ecclesiarum inauguratione a Lucio III peracta, iam superius verba fecimus. Annalium Baronii continuator Raynaldus ad annum Christi 1225, num. 55, exemplum affert, a dicto Cardinali relictum, vetustae inscriptionis spectantis ad Reatinam Cathedralem Ecclesiam, in qua ita legitur: *In nomine Domini, Amen. Anno eiusdem 1225, Indictione xiii, quinto Idus Septembris, tempore Honorii III PP. Pontificatus anno eius decimo consecrata est maior Ecclesia Reatina ab ipso Domino Honorio cum talibus Episcopis, videlicet Ostiensi, Albanensi etc. ad honorem Beatae Mariae semper Virginis.* Celebris denique perhibetur Consecratio Florentinae Metropolis ab Eugenio IV Pontifice sub annum 1436 peracta, de qua meminere S. Antoninus in sui *Chronicis*, part. 3, tit. 22, cap. 10, § 6, Ughellius tom. 3, col. 170, Scipio Ammiratus in Historiis Florentinis, part. 2, lib. 22. Idemque S. Antoninus exacte describit ingentem pontem ab Ecclesia PP. Praedicatorum ad Cathedralem Ecclesiam S. Mariae de Flore protensum, non minus ad magnificentiam, quam ob necessitatem praestandi Pontifici expeditum transitum, ne immensa manu confluentis populi esset circumfusus.

§ 24. Haec nobis plures annos prae oculis observata sunt exempla, ut iter Bononiam aggrederemur, novam Metropoliticam Aedem consecraturi. Urgebat autem praesertim illud Alexandri II exemplum, quum ipse simul cum Summo Pontificatu Lucensem retinuerit Episcopatum, et Nos Summum Pontificatum multos annos, retento Bononiensi Archiepiscopatu, obtinuerimus; ipse Lucensis Cathedralis Ecclesiae aedificium absolverit, et Nos ea perfecerimus, quae ad Bononiensis Ecclesiae complementum desiderabantur. *Eodem anno* (concepta sunt verba Cardinalis Baronii *ad annum* 1070, num. 27) *Alexander Papa, qui imitatus Sanctum Leonem IX, licet Romanus Pontifex creatus, nunquam titulum prioris Lucensis Ecclesiae dimittere voluit, emenso decennio, ex quo coeperat illic egregiam Basilicam aedificare, ea iam absoluta, Lucam petiit, eamque in honorem S. Martini Episcopi et Confessoris Deo dicavit pridie nonas Octobris.* Verum aetas ingravescens, incidens podagra, Pontificiique aerarii tot calamitatibus exhausti tenuitas, invitos Nos, satisque moerentes adegerunt, ut propositum suscipiendi itineris Bononiam, atque per Nos ipsos absolvendi inclitae Metropoliticae aedis S. Petri inaugurationem, seponeremus.

§ 25. Ex privativis iuribus Romani Pontificis quondam fuit, Ecclesias inaugurare; adeo ut, quicumque dicare eas cupiebat, deberet opportunam ab eo petere, et obtinere facultatem. Huiusce olim vigentis disciplinae argumenta extant Canone quarto et quinto *de Consecratione*, dist. I, sumpta ex Epistola quinta Gelasii I, tom. 2, Collectionis Harduini, col. 904. Et in superius citato Diurno Romanorum Pontificum edito ab Holstenio, num. 35, preces afferuntur Episcoporum supplicantium Pontifici, ut sibi liceret sitas suis in Dioecesibus Ecclesias consecrare, et num. 36 et seq. exscripta reperiuntur gratiae, facultatisque rescripta Romanorum Pontificum. Quamvis autem is usus transalpinis quibusdam in Provinciis forte non obtinuerit, quamque alibi universim Episcopi a Romano Pontifice expetebant facultatem conse-

crandi Ecclesias, eam Suffraganearum Ecclesiarum Praesules a suo Metropolita exquirerent, atque tandem pluribus abhinc saeculis, ob insigniter adauctum Ecclesiarum numerum, invectum sit, ut quilibet Episcopus, nulla praeobtenta Apostolica facultate, sitas in Dioecesi sua Ecclesias solemni dedicatione consecret, veluti etiam perbelle observat Gretserus, tom. 5, lib. 2, *de Festis*, cap. 10, pag. 123, id tamen non facit, quin si Romano Pontifici videatur Ecclesiam aliquam in quaecunque per Orbem Dioecesi solemniter dicare, id ipsi per se liceat, et ex propria auctoritate, ad Dioeceses omnes protensa. *Habent illi sibi assignatos Greges singuli singulos,* scripsit S. Bernardus, lib. 2, *de Considerat. ad Eugenium,* cap. 8, loquens de Episcopis; subindeque ad Papam sermone converso, ita subdit: *Pontifici universi sunt crediti, nec modo Ovium, sed et Pastorum est omnium Pastor.*

§ 29. Hactenus dicta quo spectent, iam prospicis, Dilecte Fili Noster. Supra vires nostras est, Bononiam, quod optatissimum nobis semper fuit, reverti, et Consecrationem Metropoliticae Ecclesiae nostrae per Nos ipsos peragere. Propositum nobis est, nostra uti auctoritate, mandantes alteri Consecrationem nostro nomine perficiendam. Cui autem id opus possumus opportunius mandare, quam tibi, Creaturae nostrae, proximo in Bononiensi Archiepiscopatu Successori, tantoque cum spirituali Civitatis et Dioecesis progressu, gaudioque nostro plane incredibili, emeritissimi Praesulis muneribus cumulatissime perfungenti; quo quidem nomine enixas in dies Deo Optimo gratias rependimus. Te itaque, veluti ex nostris ad te Litteris in forma Brevis luculentius demonstratur, ad Ecclesiam nostro nomine, cum tibi commodum erit, consecrandam delegamus. Ne autem a nobis demandata Consecratio eundem plane subeat casum, quem pertulit a Lucio III peracta Consecratio, cuius monumenta fuerunt ex Historicis, Tabulariisque Ravennatensibus repetenda, tibi mandamus, ut de Consecratione per te nostro nomine perficienda, publicum confici cures Instrumentum in Archiepiscopali Tabulario asservandum; iubeasque affigi intus Metropoliticam Aedem, opportuniore, quem iudicaveris, loco, Lapideum monumentum, in quo inscribantur huic Epistolae subiicienda verba. Atque nunc quidem paterno te amore amplectentes, tibi, tuaeque curae concredito Gregi, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 425-455].

441.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Ex omnibus*, 16 oct. 1756.[1]

§ 1. Ex omnibus Christiani Orbis regionibus, ad quas imposita imbecillitati Nostrae pastoralis cura protenditur, quum multa saepe ad Nos deferantur, quae animum Nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sollicitum et anxium habeant, vix tamen aliunde nobis maiores perturbationis,

[1] Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Archiepiscopis, et Episcopis Regni Galliarum, in novissimis comitiis Cleri Gallicani congregatis.

atque doloris causae acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum et dissensionum incommodis, quibus florentissimum istud Regnum, et Catholicam Gallorum nationem aliquot abhinc annis iactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus, orare atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Saepe etiam, datis ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum Apostolicis litteris, illius opem et brachium ad Ecclesiasticae pacis tutelam atque praesidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos et ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiae Gallicanae, quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitae superesse posset, libenter impendere; atque omnia, quae Nobis agenda proponerentur, et aggredi et urgere, dummodo eiusmodi consilia essent, quae ad revellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur, et quorum executio cum spe prosperi eventus suscipienda, et ad intentum finem utiliter processura videretur.

§ 2. Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt litterae e Gallicani Cleri Comitiis die 31 Octobris elapsi anni ad Nos scriptae; quas quidem legentes, vestram, Venerabiles Fratres, firmitatem atque constantiam, vestram perspeximus perfectam consensionem in custodiendo verae sanaeque doctrinae deposito, et in retinenda, quam semper maiores vestri professi sunt, erga Apostolicam Beati Petri Sedem, Catholicae Unitatis centrum, observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas et principia; sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a Conventu vestro, haud tamen mirum videri debet, scientibus, id alias inter sacros Antistites, et doctrina et morum sanctitate conspicuos, in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnum autem praeconceptae consolationis nostrae accessionem sese obtulit eximia Christianissimi Regis pietas et religio, cum haereditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio coniuncta, quae non in recentioribus tantummodo illius litteris, quas die 19 Decembris eiusdem elapsi anni, praedictam Cleri epistolam huc mittens, ad nos dedit, sed in caeteris quoque omnibus ab eo conscriptis, praeclare enituit; in quibus testari possumus atque debemus, Nos semper illius Regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant Orthodoxum Principem, et vera in Deum religione, et sincera erga Romanam Sedem pietate praeditum, eumdemque pacis atque concordiae in suis regnis restituendae et conservandae amantissimum.

§ 3. Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicae Constitutionis, quae incipit *Unigenitus,*[1] eademque sibi tam sinceram venerationem,

[1] Cf. N. 270.

obsequium, et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit, absque salutis aeternae discrimine, a debita erga ipsam subiectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quae exorta est, controversia, utrum huiusmodi refractariis sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat, sine ulla haesitatione respondendum sit, quoties praedictae Constitutioni publice et notorie refractarii sint, denegandum eis esse; ex generali nimirum regula, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad Eucharisticae Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat.

§ 4. Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a Iudice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae Constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium, et obedientiam contumaciter denegaverint; quicumque etiam huiusmodi contumaciae reos se in iudicio confessi sunt; ac praeterea illi, qui quamvis nec a Iudice condemnati, neque reatum suum in iudicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur, vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem Constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare; quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit: in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus Iudex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens.

§ 5. In quo tamen prae oculis habenda est differentia quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cuius facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii; et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportebit.

§ 6. Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda et in aliis casibus, in quibus crimen nititur coniecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praeiudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur; quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum praeteritorum temporum, tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat.

§ 7. Quia vero nonnulli animarum Pastores, Ecclesiaeque Ministri, pietate et zelo commendati, huiusmodi coniecturis et praesumptionibus deferentes, dum ad sacrum Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii haerent, verentes ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint; certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

§ 8. Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad Sacram mensam accederet, Paschali praesertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit: si enim haec illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam, iuxta praemissa, contraxerit.

§ 9. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant; aliunde vero validae adversus aegrotum praesumptiones, et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, aegrotantem alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem; rogantes eum et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet; eidemque praeterea demonstrantes, quod, quamvis ipsi parati sint sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo iudicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae iubenti obtemperent, quae praeter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

§ 10. Hanc itaque iudicandi agendique normam oportet vos, Venerabiles Fratres, utpote Nostro et Apostolicae Sedis iudicio probatam, inferioribus animarum Pastoribus, caeterisque Presbyteris per Civitates et Dioeceses vestras Sacramenta legitime administrantibus, sequendam et observandam proponere. Quod quidem iudicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum, et Ecclesiasticis regulis nititur, et Conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis, et gravium ipsius Nationis vestrae Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium Praedecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas istic controversias subortaque dubia ad Nos et Apostolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam, ad revocandam tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem, exposcere; ita nunc officii vestri partes, vestraque simul apud Deum et Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam agendi methodum, ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus vestris eo fidentius expectamus, Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsi conscii sumus, nihil diligentiae aut studii a Nobis praetermissum fuisse, sive in perpendendis ac discutiendis articulis, quos Episcopi in praefatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque iudicio definien-

dam opportunis; sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a Venerabilibus Fratribus nostris huius S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus; sive in caeteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae Divini luminis adiutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praetermisimus, Nobis promereri possemus.

§ 11. Neque vero dubitamus, quin Carissimus quoque in Christo Filius noster Rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad nos datis litteris fovere, et adiuvare non recusavit; pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate, validam Fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vobis, quam inferioribus Ecclesiae ministris, liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum Mysteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia freti, nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis Fratrum vestrorum articulis respicientibus Episcopalia iura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam, vel denegandam, et varias super hac re obortas controversias; sed potius cum ipso Christianissimo Rege per alias litteras nostras agendum duximus, ut is sacra Episcopatus iura, sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum, et proprio, et maiorum suorum more, facturum certo confidimus: ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laetentur. In cuius optatissimi eventus auspicium, Fraternitatibus vestris, cunctisque populis Pastorali curae vestrae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 480-484].

442.

Benedictus XIV, ep. *In postremo*, 20 oct. 1756.[1]

§ 1. In postremo secreto Consistorio per Nos habito die 20 proxime superioris mensis Septembris, emeritam virtutem tuam prae oculis habentes, te in Iustinopolitanum Episcopum proposuimus; cumque de eo Episcopatu provisum tibi fuerit, praemissis antea omnibus, quae a Sacro Tridentino Concilio, Sess. 24, cap. 1, *de Reform.*, et Constitutionibus Apostolicis praescribuntur, electus ipse merito dici potes, ac confirmatus: communis quippe Doctorum sententia est, provisionem in Consistorio factam, habere vim electionis insimul et confirmationis. Ita post *Glossam* in Cap. 1, verb. *Provisionem, de elect., in 6*, docent Ripa in Cap. *Eam te*, num. 11, *de Rescript.*, Fagnanus in Cap. *Nullus*, num. 9, et in Cap. *Nihil*, num. 29, *de elect.*, Barbosa, *Iur. Eccles. Univ.*, lib. 1, cap. 9, num. 14, et a Nobis quoque adver-

[1] Dilecto Filio Carolo electo Episcopo Iustinopolitano.

titur in Nostro Tractatu de Synodo Dioecesana novissimae editionis, lib. 2, cap. 5, num. 3.

§ 2. Quod itaque tibi adhuc reliquum, ipsa Consecratio est, quae, iuxta regulas a Sacro Tridentino Concilio praescriptas, Sess. 23, cap. 2, *de Reform.*, intra trimestre, a die Confirmationis tuae supputandum, est a te suscipienda: cumque in collatis nobiscum sermonibus asserueris, ostenderisque, Sacros Diaconatus et Presbyteratus Ordines fuisse tibi a Praedecessore Nostro, nobisque munifico Benedicto XIII collatos, Diaconatum quidem die 30 Septembris 1728 in Sacello S. Pii in Palatio Apostolico Vaticano, Presbyteratum autem 11 Iunii 1729 intra Vaticanam Basilicam; effecit id, ut in examen disputationemque veniret, num successiva in Episcopum Consecratio a Nobis, praeterea nemine, vel certe quidem ab alio ex Nostra ad id sibi delegata auctoritate, confici debeat.

§ 3. Celebris est Textus Innocentii III Pontificis in Cap. *Cum in distribuendis, de temporibus Ordinationum*, quo Mutinensi Episcopo rescribit, quandoquidem commendatus ab ipso Clericus, Romae Subdiaconatum susceperat, indulgere se Bononiensi Episcopo, (tunc temporis Gerardo Ariosti, uti videre est apud Sigonium, lib. 2, *de Episcopis Bononiensibus, in Vita eiusdem*) facultatem ipsum promovendi ad Ordinem Diaconatus: estque hic praecipuus Textus, cui universa Canonistarum schola innixa docet, ordinatum a Papa, non posse ad superiores Ordines promoveri praeterquam a Papa, vel ab alio, cui id muneris ipse delegarit. *Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur:* sunt haec concepta verba epitomes textus. A colligendis hic veterum Canonistarum dictis in praecitatam Decretalem temperabimus, cum unicuique in eorum operibus evolvendis parumper versatum perspectum sit, plerumque alterius dicta ab altero transcribi. Unius tantummodò, alteriusque ex recentioribus verba afferemus. Altaserra est alter, in Commentariis ad citatum Cap. *Cum in distribuendis*, ubi haec adnotat: *Semel ordinatus a Summo Pontifice, non potest recipere Superiores Ordines ab alio Antistite, sine mandato ipsius Pontificis.* Alter est Layman *in eumdem textum*, ubi ita scribit: *Est autem hoc speciale in Pontifice, et videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima Tonsura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Episcopo sine licentia Papali ordinari non possit.*

§ 4. Pater Christianus Lupus, part. 4 *in Canones Synodorum Generalium et Provincialium editionis Bruxellensis*, pag. 488, accuratius, de more, animadvertit, textum in Cap. *Cum in distribuendis, de temporibus Ordinationis*, quum scriptus appareat de Clerico Romanae Ecclesiae obsequiis addicto, uti ex his verbis colligitur: *Ecclesiae Romanae Subdiaconus erat;* sibi quidem vindicare posse locum quoad eos, qui in eorum Ordinatione fuerant alicui Urbis Ecclesiae adscripti; propterea quod prohiberentur ii, deserto illius servitio, ad aliam transire Ecclesiam, accepturi ab eiusdem Episcopo superiores Ordines, quibus a Romano Pontifice non fuerant in Urbe initiati. *Quisquis semel in hac Ecclesia* (de Romana Ecclesia loquitur S. Gregorius) *Ordinem Sacrum acceperit, egrediendi de ea licentiam ulterius non habet*, ita plane *in Epist.* 38, lib. 5, indict. 13, pag. 763, tom. 2 Maurinae editionis. Verum eumdem ait neque posse protendi, neque debere, ad alios, qui Romam adven-

tantes, pio quodam studio Subdiaconatum vel Diaconatum sibi conferri obtinebant a Pontifice, nec tamen a Pontifice servitio alicuius Ecclesiae Urbis adscribebantur, sed postquam fuerant sacro Ordine insigniti, ad proprias adscedebant Dioeceses, servitio alicuius Ecclesiae per suos Episcopos addicti; permodeste innuens idem Pater Lupus, quam necesse sit, aliis collectis monumentis demonstrare, initiatos *honoris causa* in Urbe per Pontificem aliquo Sacro Ordine, subindeque ad proprias regiones reversos, nequivisse ad superiores Ordines, praeterquam a Romano Pontifice, vel ab alio ad id per ipsum delegato, promoveri. *Voces* (inquit Pater Christianus Lupus): *Erat Romanae Ecclesiae Subdiaconus,* evincunt, *illum fuisse Romano cardini adscriptum,* etsi textus epigraphe latiorem ipsis sensum attribuat. *Verum Capituli epigraphe facit sensum ampliorem: Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur:* pergit idem Lupus.

§ 5. Non innuit Lupus monumenta, quibus evincitur, ipsos quoque ordinatos a Papa *honoris causa,* nulliusque Ecclesiae servitio in Urbe addictos, nequivisse superiores Ordines, nisi ab uno Papa suscipere, vel ab alio Episcopo Pontificia ad id delegatione instructo; etsi profiteatur sequi opinionem asserentem, Ordinatum a Pontifice honoris causa, ab eodem tantummodo, vel ab alio ex praeobtenta Pontificis facultate, posse ad reliquos Ordines promoveri. Verum curabimus ipsi opportuna quaeque ad rem hanc investigare, traditasque ab aliis rationes ad eam firmandam colligere.

§ 6. In Dictato S. Gregorii VII duo extant Canones, quorum alter est decimusquartus hisce verbis constans: *Quod Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare;* decimusquintus est alter, qui haec habet: *Quod a Papa ordinatus, alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.* Horum textuum primus generalis est, afficitque non minus Ordinationes Clericorum ex alienis Dioecesibus fieri solitas per Pontifices, ut illorum ministerio in Urbe uterentur, quam caeterorum etiam inaugurationes, qui *honoris causa* ordinati, subinde in proprias regiones discedebant. Alter vero de iis tantum loquitur, qui in Urbe ordinati per Pontificem, Romanae Ecclesiae adscribebantur: et quamvis propositum ibi interdictum recipiendi superiores Ordines ab alio Episcopo, videatur ad eos cohibitum, de quibus est sermo in Canone; ipsi tamen addemus, Nos primum allatorum Canonum protulisse, ad innuendam tantummodo auctoritatem Romani Pontificis initiandi Ordinibus caeterorum Episcoporum subditos, non solum ut eorum ministerio et opera in Urbe utatur, sed etiam ad id solum, ut eos huiusmodi decoret honore, integra ipsis praeservata libertate ad suas redeundi Dioeceses; haud tamen seposito consilio derivandi subinde ex aliis fontibus Ius Pontificium, ne qui ab ipso Pontifice etiam honoris causa ordinatus fuerit, valeat a quocumque, praeter quam ab eo, vel ab alio ex eiusdem delegatione, superioribus Ordinibus inaugurari.

§ 7. Duodecimo vertente saeculo, Mediolanensi praeerat Ecclesiae Archiepiscopus Philippus Lampugnanus; cumque Mediolani plures existerent Clerici per Pontificem in Urbe ordinati, quos propterea nequibat ipse, non praeobtenta a Pontifice facultate, ad superiores Ordines promovere, licet

eorum opera indigeret Ecclesia, Innocentium III Pontificem consuluit, quomodo se gerere in re deberet. Epistolae summa in Pontificio responso affertur: *Sicut ex tenore tuarum litterarum accepimus, Mediolanensis Ecclesia tam in capite, quam in membris, occasione Clericorum illorum, qui ab ipso Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeo est ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad Diaconatus, et Presbyteratus possis officium promovere.* Pergit Pontifex referens, petiisse Episcopum facultatem ordinandi praefatos; concluditque, se eandem ipsi indulgere, modo ii, quos promovere constituit, idonei sint, seque promoveri consentiant: *Verum quia Fraternitas tua suppliciter a Nobis expetiit, ut ipsius Ecclesiae necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere, manus posse illis Ordinationis imponere: super hoc tuae Fraternitati taliter duximus respondendum, quod, ipsius Ecclesiae necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei, et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad Sacros Ordines promoveri, eos auctoritate Nostra tibi liceat ordinare.* Innuens Innocentius, illis verbis: *spontanea voluntate,* privilegium, quo fruuntur Ordinati a Pontifice, ne inviti superiores Ordines suscipere adigantur; quo de privilegio late disserit Hallier, *de Sacris Ordinationibus,* part. 2, sect. 5, cap. 3, art. 9, § 1 in fine, meminitque etiam *Glossa* in Cap. *Cum in distribuendis,* in verb. *indultum, de temporibus Ordinat.,* ubi loquens de privilegiis competentibus Ordinato per Pontificem, inter caetera hoc quoque recenset: *non potest cogi ab Episcopo recipere Ordines;* superiores nimirum, qui sibi non fuerant a Pontifice collati.

§ 8. Clerici, quos commemorat Epistola, Mediolani degebant, fuerantque Romae a Pontifice ordinati; fuerant ergo ordinati *honoris causa,* nullique Urbis Ecclesiae addicti. Et si hi nec ad superiores Ordines conscendere, nec eosdem poterant suscipere a Mediolanensi Archiepiscopo sine licentia Pontificis, a quo fuerant minoribus Ordinibus initiati; en Nobis plane casum Ordinatorum *honoris causa* a Summo Pontifice, qui ab uno Summo Pontifice, vel alio ex Pontificia facultate, poterant superiores Ordines recipere. Innocentii Epistola est num. 22, lib. 1. tom. 1, Balutianae editionis, estque etiam impressa in praeclaro Opere posthumo, *De Archiepiscopis Mediolanensibus* Sassii, tom. 2, pag. 264, et licet in Collectionem Decretalium Gregorii IX, qua utimur in scholis, et foro, non sit relata, haud tamen propterea vim auctoritatemque amittit Canonicae legis: uti colligitur ex Can. *Si Romanorum,* dist. 19, latiusque prosequuntur Cardinalis Turrecremata in *Summa, de Ecclesia,* lib. 2, cap. 108, Fagnanus in cap. *Statuimus,* num. 42, *de supplenda negligentia Praelatorum,* Cardinalis de Aguirre in *Defensione Cathedrae S. Petri,* tract. 2, disput. 30, sect. 3. Neque enim Iurisprudentia Canonica circumscribitur praefata Decretalium compilatione, sed complectitur quoque Epistolas Summorum Pontificum in ea non comprehensas, aliasque plures Constitutiones Pontificias in eamdem non relatas, totque praeterea fontes, apprime perspectos omnibus, qui Canonicam facultatem, qua decet diligentia, pertractant.

§ 9. Praeter Patrem Lupum iterato superius memoratum, in eam sententiam, quod ordinatus a Papa *honoris causa* non possit superiores Ordines

suscipere, praeterquam a Papa, vel ab alio Episcopo de eiusdem licentia, consentiunt Hallier, praecitato loco, et Gonzalez in cap. *Cum in distribuendis*, num. 2, *De temporib. Ordinat.*, et reliqui passim. Et quamvis se referant tantummodo ad praecitatum textum *Cum in distribuendis*, nihilque meminerint de Epist. 22 Pontificis Innocentii III, non tamen omittunt aliquid afferre, quod propositam sententiam firmare valeat; nimirum, iuxta generalia praecepta, non licere Inferiori manus apponere iis, quae fuere Superioris manibus subiecta. Addunt praeterea, si quo die Episcopus Sacrificium obtulit ad certum Altare, non permittitur simplex Sacerdos ad illud, eodem die, sine ipsius Episcopi licentia, celebrare, uti noscitur ex Can. ultimo *De Consecrat.*, dist. 2, multo potiori iure abiudicandam Episcopo facultatem sacram peragendi Ordinationem supra Altare vivum, in quo Romanus Pontifex Ordinis Sacramentum contulit, expressa ab eo non praeobtenta licentia. Scimus inter Auctores reperiri nonneminem, qui praefatum Episcopale privilegium non agnoscit, asserens vel illud nunquam obtinuisse, vel contraria consuetudine fuisse sublatum, uti videre est apud Pasqualigum, *De Sacrificio novae legis*, tom. 2, quaest. 1236. Verum seposito, quod in communi adversantur sententiae, et in bene constitutis Dioecesibus, Episcopale privilegium religiose custoditur, ut omni Nos impedimento explicemus, ne latum quidem unguem a proposita comparatione recedentes, dicimus, super Pontificia Altaria intra Patriarchales Urbis Basilicas existentia, non posse quemquam celebrare Missam, nisi id ipsi fuerit a Romano Pontifice per Apostolicum Breve indultum; uti noscitur ex libro *Sacrorum Caeremoniarum*, attributo Christophoro Marcello, lib. 3, sect. 1, cap. 11, et uti etiam accurate animadvertitur a praedefuncto Sacellano Nostro Dominico Georgio in sua *Liturgia Romani Pontificis*, tom. 2, dissert. 1, cap. 1, num. 4, et per Nos quoque in ea, quam habuimus, allocutione,[1] cum Ara maior Liberianae Basilicae fuit consecrata, quae allocutio impressa legitur in appendice ad tom. 3 *Bullarii Nostri*, estque num. 3, § 3. Neque id tantum obtinet quoad Altaria Patriarchalium Urbis Basilicarum. Quapropter Nos prae oculis habentes id, quod gessit Sixtus V Pontifex, cum ad Philippum II Hispaniarum Regem dono mittens Altaris mensam a se consecratam, super quam, in sanctorum Album referens S. Didacum, Missae Sacrificium obtulerat, Personas simul designavit, quibus indulgebat, ut ad idem Altare Missam celebrarent; idem plane praestandum duximus tunc quum ad clar. mem. Ioannem V defunctum Lusitaniae Regem misimus Altare a Nobis consecratum in Ecclesia S. Antonii Lusitanae Nationis in Urbe, uti videre est ex Nostris litteris ad praefatum Regem datis die decima quinta Ianuarii 1745 iam typis evulgatis.[2] Quod ipsum denique iterato praestitimus quoad Altare Assisiensis Basilicae, Papale et ipsum declaratum; sancivimus namque in Nostra Constitutione incipiente *Fidelis Dominus*, data sub annum 1754, inserenda tom. 4, *Bullarii Nostri*, qui nunc colligitur, et imprimitur,[3] ne cui liceat in ipso sacra peragere mysteria sine expresso

[1] Cf. N. 408.
[2] Cf. N. 352.
[3] Cf. N. 427.

Indulto Apostolico; subindeque eadem in Constitutione Personas designavimus, quibus offerendi ad praefatum Altare Sacrificii facultatem indulgebamus. Animadversum namque fuit, pro ea, quae est inter Assisium et Urbem distantia, fieri nullo modo posse, ut qui dignus haberi poterat celebrandi ex religioso quodam affectu ad praedictum Altare, peculiare indultum obtineret.

§ 10. Constituto autem, datoque ut qui etiam *honoris causa* a Romano Pontifice recepit inferiorem Ordinem, puta, Diaconatum, non possit ab Inferiore ad Presbyteratus Ordinem promoveri, sed a Romano Pontifice, vel alio, de illius tamen licentia, sit promovendus: investigandum expendendumque superest, num idem affirmari debeat de eo, qui ordinatus Presbyter a Pontifice, consecrandus est in Episcopum, nimirum, an consecratio in Episcopum sit a Pontifice, vel alio per ipsum delegato peragenda, quod Inferiori id agere non liceat. Hic autem Nobis videris vehementer causa nostra commoveri, quasi ingressi simus immensum pelagus Scholasticarum quaestionum, an scilicet Episcopatus sit Ordo a Presbyteratu distinctus, num *adaequate*, vel potius *inadaequate* distinctus, num Character in Episcopali Consecratione impressus alius sit a Charactere impresso in susceptione Presbyteratus, vel potius sit eiusdem extensio; eoque vehementius causa Nostra commoveri videris, perpendens animo, investigandum Nobis fore historicum factum, quod conferre plurimum poterit ad praefatas involutas quaestiones scholasticas elucidandas; estque illud: an fuerit unquam ad Summum Pontificatum, vel ad Episcopatum canonice promotus, qui Presbyter non esset, sed simplex Diaconus, antea ipsi non collato Presbyteratu, sed tantummodo eidem ministrata Episcopali Consecratione, ex ea persuasione, quod insit videlicet Episcopali Consecrationi *eminenter*, ut aiunt, collatio Ordinis Presbyteralis; de qua quidem celebri controversia, Aeneas Parisiensis Episcopus in suo libro *Adversus obiectiones Graecorum*, pag. 210, apud Lucam de Achery, tom. 7 *Spicilegii*, pag. 148, primus, ad refellendam Graecorum obiectionem, de qua inferius redibit sermo, in partem affirmantem concessit, cui quoque adhaesere Pater Mabillon in suis *Commentariis ad Ordinem Romanum*, tom. 2 *Musei Italici*, pag. 119, Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. 1, cap. 8, art. 3, num. 10, Pagi *Breviario Romanorum Pontificum*, in *Vitam S. Sabiniani Pontificis*, Sandini in *Notis ad vitam S. Leonis Magni*. Negantem vero viriliter tuentur Morinus, *De sacris Ordinationibus*, part. 3, exercit. 11, cap. 2, ubi haec scribit: *Nullum extat exemplum Episcopatus non Presbytero collati*. Idipsum asseritur a Juenin, *De Sacramentis*, dissert. 8, *De Sacramento Ordinis in communi*, quaest. 8, cap. 4, cuius haec sunt verba: *Nulli unquam collatus fuit Episcopatus Ordo, nisi qui Presbyterali iam insignitus esset*. Haecque ipsa sententia solide confirmatur ab erudito Sacerdote Catalano, vel nunc in humanis agente, in suis elegantibus *Commentariis ad Pontificale Romanum*, tit. 13, *De Consecratione electi in Episcopum*, § 7, num. 3. At Nos ea persuasione ducimur, posse quaestionem enodare, atque dirimere, intactis omnino relictis Scholasticis controversiis; ipsa etiam declinata provincia inquirendi in factum historicum, de quo siquid deberemus attingere, assereremus, haud ita certum esse, quemadmodum non nemo sibi

blanditur, Diaconus electos in Pontifices, vel Episcopos, non recepisse Presbyteralem ordinem, antequam consecrarentur Episcopi, sed a Diaconatu ad Pontificatum, vel Episcopatum, per solam Episcopalem consecrationem conscendisse.

§ 11. Etenim (liceat hic leviter attingere, nec plane inopportuna digressione nonnihil immorari) etsi commemorentur plures, qui simplices Diaconi, primis octo Ecclesiae saeculis, fuerunt in Summos Pontifices electi, atque iisdem saeculis multos etiam adinvenire sit Diaconos, qui Episcopi evasere, uti noscitur ex *Diurno Romanorum Pontificum* edito ab Holstenio, quod opus censetur saeculi septimi: quod factum est ob gerendorum negotiorum participationem, quam sibi Diaconi, ac praesertim Archidiaconi, in Pontificatus, vel Episcopatus administratione sumebant, quemadmodum perbelle advertit Papebrochius in *Conatu in Vitam S. Leonis*, pergitque Garnerius in suis notis ad citatum *Diurnum Romanorum Pontificum*, cap. 3, tit. 3, neque in Vitis Diaconorum, qui Pontifices facti sunt, mentio occurrat de collato ipsis Presbyterali Ordine ante Consecrationem Episcopalem: ex hoc tamen antecedenti nunquam inferri tuto poterit, non fuisse iisdem ante Consecrationem Episcopalem collatum Ordinem Presbyteratus; imo vero locum habet praesumptio, commemoratis priori veluti extremo, Diaconatu nimirum, nec non posteriori, scilicet Episcopatu, non fuisse neglecta intermedia, ac proinde ipsam Presbyteratus collationem.

§ 12. Advertunt quidem accurati, eruditique oppositae sententiae propugnatores, cum Photius caetera inter obiecta in Ecclesiam Latinam proposita, hoc quoque inseruisset, Episcopos assumi ex Diaconis, non collato ipsis antea Presbyteratu; post Photii obiectionem, in electionibus Diaconorum in Pontifices, conspici perspicue expresseque adnotatum, fuisse ipsis, ante Papalem Consecrationem, collatum Ordinem Presbyteratus. At ne id quidem satis, ut tuta fiat assumptio; reponi namque verosimilius potest, Photium tot inter falsas criminationes adversus Latinam Ecclesiam excogitatas, eam quoque proposuisse, Diaconos nimirum inungi Episcopos, non collato ipsis antea Presbyterali Ordine; criminationis causa nimirum exinde per ipsum derivata, quod videret, in actis electionis Diaconorum ad Summum Pontificatum, vel ed Episcopatum, nullam fieri mentionem de collato Presbyteratu; ideoque ad ipsam quoque incusationis speciem removendam, existimatum fuisse peropportunum in historica narratione Electionis Pontificum et Episcoporum, qui antea Diaconi erant, meminisse Sacerdotalis Ordinis iisdem collati: quae quidem animadversiones ut minimum probabiles multum detrahunt iactatae certitudini, Diaconos quondam consuevisse in Pontifices, Episcoposve, Ordine Presbyterali non suscepto, consecrari.

§ 13. Sacro Tridentino Concilio, sess. 22, cap. 2, *De Reform.*, cavetur, ne eligi quisquam possit Episcopus, qui sex antea mensibus non fuerit sacro Ordine initiatus: *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate, moribus, vita, ac aliis, quae a sacris Canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio, constitutus.* Cumque ulterius non progrediatur Concilium, nec edicat, electum huiusmodi, antequam Consecrationem recipiat

Episcopalem, ordinandum Diaconum et Presbyterum; quis unquam auserit asserere, ex Tridentini sanctione, Subdiaconum fieri posse Episcopum, aut unquam Subdiaconos consecratos fuisse Episcopos, Diaconatu, ac Ordine Presbyterali non suscepto? Imo vero quisque consentiet, satis fuisse Concilio innuere, quo gradu esse deberet assumendus in Episcopum, nec censuisse, exprimendos tunc caeteros sacros Ordines, quibus erat ante Episcopalem consecrationem initiandus.

§ 14. Ad haec, cum post plures annos a Tridentino Concilio obtinuerit stylus inserendi in Bulla data ad Subdiaconum electum in Episcopum, sequentia verba, antea praetermissa: *Tecum, ut Ecclesiae N. praefici, illique praeesse, ipsamque in spiritualibus, et temporalibus regere, et gubernare, ac munus Consecrationis praedictum, postquam tamen ad Sacros Diaconatus, et Presbyteratus Ordines te promoveri feceris*, etc., uti videre est apud Rigantium ad regul. 24 *Cancellariae*, tom. 2, § 1, num. 17. Quis unquam in Bulla perlegens praedicta verba antea non adhibita, tum fidenti animo erit, ut asserat, intermedio tempore, inter Concilium Tridentinum, invectamque praxim inserendi in Bulla praememoratam formulam, Subdiaconos consecrari consuevisse Episcopos, non praesuscepto Diaconatu et Presbyteratu? Fatebitur quisque, placuisse ex accuratiori quodam studio id in Bulla exprimere, quod antea non exprimebatur quidem, sed pro indubio certoque habebatur.

§ 15. Verum, rem nostram repetentes, retinentesque, quod mox supra sumus polliciti, velle Nos propositum quaesitum dirimere, intactis penitus relictis quaestionibus scholasticis satis involutis, praetermissoque accurato examine praefati historici facti, dicemus, sublatis Electionibus olim celebrari solitis a Cononicis vacantis Ecclesiae, ob gravia inde profluentia incommoda, restitutaque veteri disciplina, providendi Episcopatibus per Apostolicam sedem; salvis tamen Concordatis initis cum aliquibus Nationibus, in quibus, retentis Electionibus, earum confirmatio reservatur Romano Pontifici, in eumdem quoque recidit ius consecrandi Episcopos, vel constituendi delegatos ad Consecrationem peragendam; etsi superioribus saeculis Suffraganeorum consecratio esset Metropolitae reservata, nec manus in ea apponeret Summus Pontifex, praeterquam si quandoque Metropolita iniuste Suffraganeum consecrare abnueret, veluti noscitur ex *Rhemensi historia* Frodoardi, atque etiam ex *Annalibus* Cardinalis Baronii ad annum Christi 885, ubi cum Pontificem Stephanum VI appellasset electus ad Episcopatum Lingonensem, retulissetque, Lugdunensem Archiepiscopum Metropolitam suum detrectare, ipsi consecrationis munus impertiri, praemissis iteratis monitionibus, ut imploratam Consecrationem perageret, ipsoque Archiepiscopo in sua contumacia obfirmato, Pontifex, usus competenti sibi in universam Ecclesiam auctoritate, in Episcopum eumdem consecravit. Vigens nunc temporis disciplina describitur a Gonzalez in cap. *Nec Episcopus*, num. 6, *De temporibus Ordinationum*, per haec verba: *Hodie consecratio Episcoporum, non ex Metropolitani iussu, sed Pontificis mandato fit; cum enim Romanus Pontifex sibi reservaverit Cathedralium Ecclesiarum collationem, similiter ab eius libito pendere voluit Episcoporum consecrationem:* quod ipsum in *Pontificali Romano* quoque accurate describitur, tit. *De consecratione electi in Episcopum*, haecque sunt verba:

Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis: pergitque Schmier, tom. 1, *Iur.*, lib. 1, tract. 3, cap. 1, num. 569: *Moderno iure consecratio Episcoporum, et Archiepiscoporum, Summo Pontifici reservata est; et ab eo specialiter delegandam esse, communiter dicitur.*

§ 16. Munificus Nobis Pontifex Benedictus XIII curavit pro viribus intactum servare ius Pontificium, salvo, vel certe quominus fieri potuit imminuto veteri iure Metropolitico expresso in Cap. *Si Archiepiscopus,* et in Cap. *Nec Episcopus, de temporib. Ordinationum,* quoad consecrationem Suffraganeorum. Itaque cum animadvertisset, consuetam Bullam, qua absentibus Episcopis fit facultas suscipiendi consecrationem, conceptis hisce verbis expressam esse: *Cuicumque, quem maluissent, Catholico Antistiti, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habenti:* iussit, Mandatum *de consecrando,* quod Suffraganeo Episcopo concederetur, imposterum dirigi ad eius Metropolitanum, tributa simul ipsi facultate, si aliquo detineretur impedimento, subdelegandi alium sibi benevisum Episcopum: casu autem sese offerente consecrandi Metropolitam, constituit, ut Mandatum *de consecrando* antiquiori Episcopo Suffraganeo inscriberetur, superaddita facultate, aliquo superaccedente impedimento, eum, quem maluisset Episcopum, substituendi. Verum tot tantaeque excitatae expostulationes, et querelae, non solum propter incommoda, sed et ob sumptus necessario subeundos, si Suffraganeo adeundus fuisset suus Metropolita, ut consecraretur, vel Metropolitae Suffraganeus per ipsum consecrandus, ut quum Nos nullis licet Nostris suffragantibus meritis, ad Summum Pontificatum fuimus evecti, restitutam invenerimus veterem formulam, iuxta quam, uti praedictum est, Mandatum *de consecrando* ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandus elegit. Nec Nobis aliud quidquam datum, quam aliquid praescribere circa Episcoporum consecrationes, quae in Urbe peraguntur; statuimus namque, Consecrandum, cui facultas fit eligendi Consecratoris, seligere debere aut unum ex Cardinalibus Episcopali Charactere insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendae munus acceptum haberet; in hac quippe casus hypothesi, facta est Episcopo Consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet. Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitarum memoria; cum constituerimus, ne, si in Urbe praesentes sint Metropolita, eiusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, praeterquam suo Metropolitae, delegetur.

§ 17. Evincit historica haec narratio, quandoquidem Episcopi, sive a Summo Pontifice, sive a proprio Episcopo in Presbyterum ordinati, Consecratio est Summo Pontifici reservata, nunc temporis ius esse Pontificibus praecipuum, consecrationem Episcopalem peragere, vel aliis eam peragendam delegare; ideoque omnino extraneam fieri quaestionem, num, sicuti ordinatus Diaconus a Pontifice, ab uno tantummodo Pontifice, vel ab alio ex eiusdem Mandato potest ad Presbyteratum promoveri, idem pronunciandum sit de Sacerdote per Pontificem ordinato, qui inaugurandus est Episcopus, nimirum huius quoque consecrationem a Papa tantummodo, sive ab alio per ipsum delegato, esse perficiendam. Extraneae itidem fiunt quaestiones scholasticae de Episcopatu, sit ne ille Ordo distinctus a Presbyteratu, an impressus per ipsum character alius sit a charactere impresso in susceptione Presbyteratus, vel sit eiusdem ampliatio, extensioque; eodemque loco habenda est quaestio historica num Diaconi fuerint unquam ad Summum Pontificatum, vel Episcopatum assumpti, non praesuscepto Presbyterali Ordine: positiva quippe lex viget, reservans Pontifici Maximo Episcoporum Consecrationes, sive Episcopatus Ordo distinctus sit a Presbyteratu, sive non; et impressus in eo suscipiendo character alius sit, vel potius ampliatio characteris per Presbyteratum impressi; fuerintve alias, vel non fuerint inaugurati Pontifices, seu Episcopi, Diaconi non antea Sacerdotes ordinati, ob eam rationem, quod in Episcopatu *eminenter* contineatur Presbyteratus. Huiusmodi enim quaestiones nullum praestare possunt impedimentum iuri consecrandi Episcopos, ad Pontificem, uti praedictum est, devolutum, iisdemque locus tantummodo erit quoad peractas consecrationes: quum nemo prohibeat disceptare, num Episcopatus sit Ordo a Presbyteratu distinctus, an character in Episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione Presbyteralis Ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a Diaconatu factus sit transitus ad Episcopatum, Ordine Presbyterali non antea suscepto.

§ 18. Res Nobis videtur satis perspicua; at quoties ad eandem vel magis illustrandam exemplo aliquo opus esset, illud minime desideraretur. Fuit alias instituta quaestio, an qui a Pontifice Ordinem suscepisset, exemptus propterea maneret a iurisdictione proprii Episcopi; et Pontifex Innocentius III in sua Decretali *Per tuas, de maioritate, et obedientia,* negativum edidit responsum: *Ad quod breviter respondemus, quod, etsi decens sit, ut illis, quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius Ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia, quam alias tibi debent, minime absolvuntur.* Hac sublata quaestione, alia in medium prolata est; nimirum, an praeservata ab Innocentio III obedientia eousque pertingeret, ut si Ordinatus a Pontifice esset a collato sibi Ordine suspendendus vel deponendus, praestari id posset ab Episcopo, vel potius esset Pontifici reservatum. Glossa, Innocentius, aliique apud Ioannem Andream *in suis Commentariis* in Cap. *Per tuas,* num. 5, *de maioritate, et obedientia,* docent praestari id non posse ab Episcopo. Oppositae sententiae adhaerent Abbas, num. 2, Felinus, col. 1, Layman *ad praecitatum Capitulum.* Hallier autem part. 2, sect. 5, cap. 3, art. 9, § 1, num. 6, mediam quamdam sequitur viam: censet nimirum, debere Episcopum conficere processum, et ad Pontificem transmittere, ut ipse in eum, quem ordinavit, sententiam proferat; id ita exposcente obsequio Summo Pontifici exhibendo. Hoc posito, si, ob praenotatam opinionum varietatem de Ordinato a Pontifice in Diaconum, vel Presbyterum, quoties res est de eo suspendendo, vel deponendo ab Ordine

suscepto, exposceret quisquam, quomodo transigendum sit negotium, quoties consecratus a Pontifice Episcopus, suspendi, deponive promereretur, nulla interposita mora quisque responderet, unius Pontificis esse suspensionis, vel depositionis poenam irrogare; cum sacris Canonibus, sacroque Concilio Tridentino cautum sit cap. 8, Sess. 13, *de Reform.*, ut Episcoporum causae, in quibus pro criminis obiecti qualitate, comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, et terminentur, sive fuerint Episcopi ab ipso consecrati, sive ab alio quocunque per ipsum ad id delegato. Idipsum igitur, et in hac facti specie statuendum est, ius esse praecipuum Romani Pontificis peragere per se, vel aliis peragendam delegare Consecrationem Episcopi sive a Pontifice, sive ab Ordinario suo in Presbyterum ordinati; urgente quoad utramque facti speciem eadem ratione, intermediae legis peculiaris, perspicuis verbis conceptae, omnemque submoventis controversiam.

§ 19. Cum itaque, uti praedictum est, reservata sit Pontifici consecratio, ab ipsomet, vel ab alio ex eiusdem mandato, peragenda, videris ipse ex Nobis modeste sciscitari, de tua Consecratione quid Nobis sit in animo. Cui quidem interrogationi respondemus, propositum Nobis esse, eamdem per Nos ipsos peragere, sequendo exemplum factae tibi collationis Diaconatus et Presbyteratus a Munifico Nobis Pontifice Benedicto XIII, necnon in publicum testimonium amoris, quo te, virtutemque tuam complectimur, gratamque memoriam eius, qua Nos prosequebatur praedefunctus Patruus tuus Urbevetanus Episcopus, benevolentiae. Verum quia, qua saepe laboramus, podagra efficere Nos potest minus idoneos satis prolixae functioni per Nos obeundae, si id unquam (quod Deus avertat), contingeret, praesentes saltem adesse volumus functioni per alium ex speciali delegatione Nostra absolvendae.

§ 20. Peragendae functionis dies erit 28 mensis labentis, dicata celebritati Ss. Simonis et Iudae, ita etiam statuente Pontificali Romano: *Statuta die consecrationis, quae debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit.* Locus, atque hora indicabuntur tibi a Praesule Reali primo Nobis Caeremoniarum Magistro. Peracta autem Consecratione, siquae se obtulerit occasio alias ad te conscribendi litteras, te non titulo *Dilecti Fili*, veluti nunc, sed *Venerabilis Frater*, compellabimus, qui quidem titulus adeo inhaerens est Characteri in Consecratione impresso, ut ne eo quidem careant Episcopi, qui Episcopalem Characterem illicite, malo eorum fato, dummodo valide receperint. Hac de re actum fuisse comperimus in particulari Congregatione de Propaganda Fide, habita 8 Novembris 1631, in qua quaesitum fuit, quo honoris titulo Pontifex appellare posset Patriarchas, Archiepiscopos, Episcoposque Schismaticos; cumque celebris Pater Waddingus adeo Bullarum, Breviumque peritus, asseruisset, dummodo valida fuisset eorum Ordinatio, Pontifices rationem habentes impressi per eam Characteris, iisdem semper tribuisse titulum *Venerabilis Fratris*, hoc ita servandum esse, statutum fuit. Ipsique vidimus, in nonnullis Brevibus datis a Summo Pontifice Innocentio XI ad Ioannem Patriarcham Alexandrinum Schismaticum, quibus illum ad sanctam Unionem invitabat, ac in aliis datis ab Innocentio XII Pontifice ad Archiepiscopum Aethiopiae, quibus ipsum hortabatur, ut audiret Patrem de Salem, eiusque Socios Minores Obser-

vantes Reformatos, de unione ipsius, universaeque Nationis suae cum Romana Ecclesia secum acturos, ob praeadductam rationem, titulum *Venerabilis Fratris* iisdem attribui: praeter complura alia exempla videnda in collatione Brevium Pontificis Clementis XI, et nominatim tom. 1, pag. 575, et tom. 2, pag. 135. Atque huic Epistolae finem imponimus, Apostolicam tibi Benedictionem impertientes.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 486-505].

443.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Quam grave*, 2 aug. 1757.[1]

§ 1. Quam grave horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missae celebrare praesumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspectae sint rationes, ob quas sacrilegum huiusmodi crimen merito detestandum, atque districto poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Praedecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimae adversus memorati criminis reos poenae statuuntur; quae scilicet a fel. rec. Paulo IV, Sixto V, Clemente VIII,[2] et Urbano VIII[3] Romanis Pontificibus editae fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicumque Sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit Missam celebrasse, Foro saeculari puniendus tradatur.

§ 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, et confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnat. Dom. MDCCXLIV Pontif. Nostri IV, sub Dat. XII Kal. Maias edidimus, cuius initium est: *Sacerdos in aeternum*,[4] quaeque impressa est in Bullario Nostro tom. I, num. 97, ubi praeterea plures tolluntur exceptiones, et subterfugia, quae per Defensores reorum afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poena traditionis brachio saeculari; quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eosdem, Sacerdotali ordinatione nunquam suscepta, Missam celebrasse.

§ 3. Quamvis autem Ecclesia praefatos celebrantes non promotos, iustitia sic exigente, saeculari Foro tradendos decreverit; quum tamen eadem pia mater sit, et ut omnibus constat, lenitatis et misericordiae viscera gerat, nec unquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis suae argumenta praebere, tum in statuenda forma degradationis verbalis, quae realem degradationem praecedit, tum in ipsa reali degradatione exequenda; tum denique in providis legibus, et cautelis editis atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu sese immiscendi Sacrorum Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali ordine et charactere; viam illis quodammodo praeoccupando, qua in praefatam poenam traditionis brachio saeculari proruere possent.

[1] Ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, Locorum Ordinarios.
[2] Cf. N. 188.
[3] Cf. N. 207.
[4] Cf. N. 341.

§ 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam et in caeteros Clericali tantum Tonsura, aut Minoribus Ordinibus initiatos. Hoc solum inter utrosque intercedit discrimen, quod in Clericos Minorum Ordinum, aut simpliciter Tonsuratos, verbalis degradatio peragitur, seu, quod idem est, degradatio realis decernitur, a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque interventu: in alios vero Maioribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos, non licet Episcopo ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, et suffragium simul ferentibus aliis quibusdam personis, quarum praesentiam, sententiamque Canonicae Leges exposcunt.

§ 5. Celebris est Decretalis Praedecessoris Nostri Bonifacii Papae VIII, in Cap. *Degradatio, de Poenis, in sexto,* ubi haec leguntur: *Super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus facienda; quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum praesentia, sufficiat in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.*

§ 6. Notae sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica, in cit. Cap. *Degradatio, in verb. Canonibus, de poenis, in sexto,* quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda sit degradatio verbalis adversus Clericum in Maioribus Ordinibus constitutum.

§ 7. Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statutum fuit Sess. XIII, cap. 4, *de reform.*, ubi quum animadversum fuisset, non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibique ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Dioecesi residentibus, atque usu Mitrae et Baculi ex Apostolicae Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adsint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura aetate, et sacrarum legum scientia spectabilibus.

§ 8. Quoniam vero iuxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provincialibus, et in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse ius ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas, uti Assessores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in nostro Tractatu *De Synodo Dioecesana*, lib. 9, cap. 6, num. 4, novissimae edit.

§ 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cuius exequendae ratio distincte praescribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis, et pietatis suae argumenta praebere. Etenim priusquam degradatum tradat saecularis Curiae Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne poena mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Iudex*, verba sunt citati Pontificalis, *rogamus Vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, et misericordiae intuitu, et nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis.* Multoque ante Pontificalis Romani compilationem, idipsum expressum legitur in *Cap. Novimus,* quod est Innocentii III, *De verbor. signific.*, ibi: *Pro quo tamen,* sermo est de degradatò, saeculari Curiae tradendo, *debet Ecclesia efficaciter intercedere,* apud Iudicem laicum *ut citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur.* Videri quoque potest Alteserra ad cit. Cap. *Novimus, de verb. signific.*, ubi plures colligit Patrum auctoritates congruentes iis, quae in praeindicata Decretali statuuntur.

§ 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritos prosequitur, viamque ipsis intercludere nititur, ne mortis poenam per delicta incurrant: dicimus, antiquissima providentia cautum fuisse, ut qui e propria in alienam Dioecesim transgreditur, nisi fuerit in hac plane cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas, quibus fides fiat, eum esse Sacerdotem, nulloque, quod sciatur, Canonico impedimento detentum, quominus Sacra Mysteria celebrare queat. Iam id decretum habetur in Sacra Chalcedonensi Synodo; ubi quum interdictum legatur Clerico atque Lectori, e sua in aliam Dioecesim commigrare, non praeobtentis memoratis literis, quas Discessus appellamus, a proprio Episcopo: Iacobus Cuiacius, aliique post eum accurati Scriptores, monuerunt, cum vera Textus lectione non congruere verbum, *Lectori,* sed *ignoto;* quemadmodum et ipsi adnotavimus *in nostra Institutione* 34 editionis latinae, § 1. Quod si vetustiora etiam propositae disciplinae principia investigare libeat, consuli possunt Canones, qui Apostolici vocantur, apud Cotelerium in editione *Patrum Apostolicorum,* tom. I, lib. 8, inter quos adest Canon XIII, ita decernens: *Si quis Clericus, aut laicus, a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properet Civitatem, et suscipiatur praeter commendatitias literas; et qui susceperunt, et qui susceptus est, communione priventur: excommunicato vero proteletur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit, et Ecclesiam Dei seduxerit.* Consonat huic Canon XXXIV, ut patet ex subiectis illius verbis: *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, sine commendatitiis suscipiatur epistolis, et cum scripta dedulerint, discutiantur attentius; et ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint; sin minus, nec quae sunt necessaria subministrentur eis, et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

§ 11. Porro, quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem saeculo Ecclesiae tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicaenam Synodum celebratis; uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

§ 12. Sanctissimis hisce legibus conformes sunt Concilii Tridentini sanctiones; conformes sunt Epistolae Encyclicae a Congregationibus Urbis ad Ecclesiarum Antistites saepe transmissae. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de Regularibus, qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum eius rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus; si quis tamen saecularis Sacerdos

in Ecclesiis Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas Discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cuius Dioecesi Sacrum vult peragere, uti videre quoque est in *Nostra Institutione* 34, latinae editionis, § 1.

§ 13. Veterem hanc, iustissimamque sanctionem, de cuius executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici (quos inter merito memorandus est diligentissimus Monacellius, *Formular. Legal.*, Part. 1, Tit. 4, Formul. 8, pag. 81, et Formul. 6, pag. 79, item Tit. 6, Formula 18, pag. 160), providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiasticae disciplinae restitutor S. Carolus Borromaeus, cuius hac de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda, et expendenda monemus; videlicet in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habito anno 1565, part. 2, in secundo pariter Provinciali anni 1569, tit. 2, Decret. 1, ac in Provinciali tertio, anni 1573, item in Instructione ad Sacerdotes de celebratione Missae, ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno 1576. Quibus in locis constitutum habetur, ut Parochus, in cuius Paroecia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Dioecesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nunciare debeat Vicario Foraneo, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas Discessus ab huiusmodi Sacerdote exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi Sacerdoti licentiam abessendi ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque iubetur dies, qua expeditae fuerunt literae Discessus; ne scilicet ante eam diem, qua inspiciendae, ac discutiendae offeruntur, antiquiores sint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus; duobus nimirum, si literae confectae sint intra Provinciam; quatuor vero, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditae fuerint; sex denique, si extra Italiam datae comperiantur.

§ 14. Ex omnibus hisce tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea poena ad effectum perducenda, quam Sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus obiiciuntur, ne in eiusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni eiusdem poenae Sacris Legibus definitae.

§ 15. Maioris tamen ponderis, ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subiicimus. Sistit se aliquis coram Ecclesiastico Iudice, seque ipse denunciat, quamvis Sacerdotali Ordine destitutum, Missarum Sacrificia celebrasse, vel etiam Sacramentales Christifidelium Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsi salutaribus poenitentiis, dimittatur; nisi tamen in ipso suo Constituto diminutus, ut aiunt, vel aliunde praeventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed si idem subinde Iudici interroganti, an sciat causam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim, non expectatis ulterioribus interrogationibus, seu quaesitis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incursu in poenales Apostolicarum Constitutionum sanctiones non dubitetur; ideoque dignus sit, qui

saeculari Foro, uti capitalis criminis reus, libere tradatur; nihilominus admittitur ad beneficium minorationis poenae, commutata ipsi poena mortis in damnationem perpetuam ad triremes; uti testantur bon. mem. Cardinalis Albitius harum rerum peritissimus, in suo Tractatu, *De Inconstantia in Fide*, part. 1, cap. 14, num. 70: *Si vero citatus, et vocatus, ad generalem interrogationem, an sciat qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam suae carcerationis, vel quomodo hic reperiatur, fatetur de plano veritatem, is tractatur, ac si esset sponte confessus, et cum eo mitius agitur, praesertim post condemnationem, ut scilicet gravior poena commutetur in mitiorem etc. Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die 12 Maii 1604.*

§ 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano praescripta reperiatur degradatio, etiam a prima Clericali Tonsura, licet de hac quaestio sit, an inter Ordines numerari debeat, nec ne; possitque Iudex Ecclesiasticus, uti praenotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem Degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Maioribus; nihilominus nunc temporis Sacerdotes, aliique Clerici, tam Maiorum, quam Minorum Ordinum, ad Triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine praevia verbali, multoque minus reali Degradatione; uti cuique perspectum est, et adnotatum quoque fuit a Sacerdote Catalani, *Comment. ad Pontif. Roman.*, Tit. 16, § 4, num. 6, tom. III.

§ 17. In Tribunalium Ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui, eo nomine detenti, quod Sacerdotali Ordine carentes, Missas celebraverint, Sacramentales Fidelium Confessiones exceperint, iisdemque etiam Eucharisticam Communionem expetentibus, Particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter, duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt, num detentionis suae causam scirent, omnia ingenue confessi sunt; ex quo orta est quaestio, an iidem admittendi essent ad beneficium minorationis poenae; ita nimirum, ut non quidem Saeculari Foro traderentur, tamquam capitis rei; sed potius in Triremes, seu Carcerem perpetuo detruderentur.

§ 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo, sive iudicando, in praedictorum Causis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus poenam traditionis Foro saeculari, atque adeo Capitis poenam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attenta eorum prompta confessione, qua unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Iudicis interrogationibus; ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur, utque propterea ad Triremes dumtaxat, vel Carcerem perpetuo damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitis reos, brachio saeculari libere tradendos esse.

§ 19. Nos vero, quamvis ob aegritudinis nostrae pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus; quum tamen subinde omnia perlegere, et expendere non omiserimus, Pontificiae clementiae et mansuetudini magis consentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eo vel magis, quod et Cardinalis Albitius in huius generis rebus adeo versatus, testatum reliquit

eiusmodi poenae minorationem, veluti praemium, indulgeri consuevisse iis, qui ad primam Iudicis interrogationem delictum suum integre, aperteque fatentur; et plura suppetunt exempla causarum, quae in similibus circumstantiis ita transactae fuerunt. Itaque volumus praefatos reos promeritae poenae minoratione in praesenti casu gaudere, nimirum Triremibus perpetuo addici, ita ut ab iis nunquam dimitti, seu poenae huiusmodi commutationem ullam impetrare valeant, praeter quam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis, cum omnibus adiunctis circumstantiis, edocto; relicta dumtaxat Iudicibus facultate, ut quoties perpetuum triremium Opus praefatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo aut carcere reclusionem, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Praeterea volumus atque mandamus, ut quum damnatio ad Triremes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra, praefatis reis formiter intimanda erit, id fiat a Iudice, praesentibus iis, qui ad Ecclesiarum Sacraria moderanda deputati sunt, quique ad huiusmodi actum evocandi erunt ab ipso Iudice, sub poenis eiusdem arbitrio infligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda observantia et executione eorum, quae saepe praescripta sunt; ne scilicet ignotos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam Literae Discessus, quas secum a propria Dioecesi prodeuntes attulerunt, recognitae et examinatae fuerint per eum, cui huiusmodi cura demandata est. Idipsum enim praestitum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Praedecessore nostro Clemente Papa XI, iunc quum saeculari Foro traditus fuit reus quidam capitali poena plectendus, eo quod Sacerdotali Ordine non insignitus, Missam celebraverat.

§ 20. Cum iis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones excepisse, iuxta rationem hactenus descriptam, a competentibus Iudicibus, et Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam huiusmodi crimen, utpote gravissimum, et satis superque frequentatum, omni ratione praecavendum, et, quantum fas est, a Christiana Republica eliminandum, extirpandumque Nobis esse cognoscimus; novam hac de re legem a Nobis statutam per Apostolicam Constitutionem, (cuius exemplum Epistolae huic adnexum Fraternitas Tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab eiusdem Constitutionis data computandos, omnino servari, et ad effectum perduci mandamus. Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 538-543].

444.

Benedictus XIV, const. *Divinarum*, 3 aug. 1757.

§ 1. Divinarum, humanarumque Legum custodia vigilantiae Nostrae concredita hoc Nobis onus imponit, ut et assiduo studio caveamus, ne scelera atque flagitia contra ipsas Leges committantur, et ut ea, quae ab iniquitatis filiis perpetrari contingat, iusto poenarum rigore, ad formam Sanctionum iisdem Legibus adscriptarum, puniri et vindicari curemus.

§ 2. Sane Nos alias, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, et accedentibus ad Eucharisticam Mensam, panem a sese nulliter consecratum distribuere, ausu temerario praesumerent; edita Constitutione, quae incipit: *Sacerdos in aeternum*, data XII Kal. Maii Anno Incarn. Dominicae MDCCXLIV Pontificatus Nostri IV, antiquiores Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones adversus huius generis delinquentes iampridem editas confirmantes et innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addidimus, ad eliminandum a Christiana Republica sacrilegum eiusmodi facinus maxime opportunas: quae distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro tom. I, num. XCVII. [1]

§ 3. His tamen ampliorem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatum, et ab invecta sensim in Tribunalibus consuetudine iam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviores poenas plerique evadere possent, una cum caeteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum a Iudice interrogatus fuerit, an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte et candide delictum suum fateatur et narret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam poenae minorationem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Saeculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus, quemadmodum praefatae Praedecessorum nostrorum Constitutiones, a Nobismetipsis, ut supra diximus, confirmatae, et innovatae praescribunt; uti latius a Nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistites Ordinarios Locorum, et Iudices in hac materia competentes, hac ipsa die per Nos data. [2]

§ 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerosque reos, qui Sacerdotali Charactere carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Poenitentiae nulliter ministrarunt, de huiusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, et coram

[1] Cf. N. 341.
[2] Cf. N. 443.

Iudice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Saeculari, extremumque supplicium exinde consequens evadant; quumque hac ratione reipsa eveniat, ut vix ullus sit ex huiusmodi criminis reis, qui moderationem poenae in praefatis Apostolicis Constitutionibus statutae non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Saeculari Foro, tamquam capitali iudicio damnatus, et mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur:

§ 6. Idcirco Nos perniciosam huiusmodi praxim de medio tollere coacti, motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses a data praesentium Literarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico saepedicti criminis reo, promeritae poenae minorationem ullam concedi debere, sive posse, intuitu promptae, apertaeque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Iudici fassus fuerit; sed, ea non obstante, omnes et singulos in praecedentibus Constitutionibus hac de re editis comprehensos, a Iudice competente, in casibus ibidem expressis, praevia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, et esse Brachio Saeculari, capitali poena puniendos.

§ 7. Sicque, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 543-544].

445.

Benedictus XIV, ep. *Aestas*, 11 oct. 1757.[1]

I. Aestas anni 1756 proxime praeteriti variis corporis afflictationibus Nos oppressit, quas aetas nostra gravis admodum, atque non intermissi a prima iuventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat: hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camucium Iustinopolis, sive Aegidae Antistitem, cui rei perficiendae Tu utpote primus Caeremoniarum Magister opportuna quaeque disposuisti, et de qua Nos die 20 Octobris 1756 epistolam dedimus ad Praesulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri Tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIII exhibebit.[2]

II. Malum, quod in suo exortu levius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum inuncti, et bis pariter, iuxta Romanorum Pontificum probatum morem fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam Nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quaeque intelligentiae facultatem adeo Nobis non eripuit,

[1] Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Caeremoniarum.

[2] Cf. N. 442.

minuitve, ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam. Exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus Nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes. Intersumus Consessui, quem Consistorium dicunt, et S. Officii Congregationi semel in hebdomade sub nostro obtutu haberi solitae. Scriptorum calamus pro exigentia, et more quae occurrunt necessaria excipit. Basilicas quoque Romanae Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen a sede gestatoria, qua sustinemur descendentes.

III. Dies erat 28 Octobris Divis Simoni, et Iudae Apostolis sacra, et Iustinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui Sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recipimus sedentes, aut sedentis in modum lecto incumbantes, neque sub id temporis Missam a Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitigatae aestatis benefico aere omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem pedum iuvamine, et spe simul augusta mysteria celebrandi excidisse, iamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communione simus reficiendi, aut vero Missa sit celebranda sedentibus?

IV. Lubentes Nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a Deo sive vitam, sive infirmitatis ablationem petivimus, Sanctissimae eius voluntati omni cordis plenitudine, et sinceritate subiecti, certi, Ipsum et animae nostrae, et Ecclesiae, et Sedis Apostolicae curam habiturum, concesso etiam aliquo vitae spatio. Diximus praeterea tempus adesse, quo determinandum esset, pergendumne in consueta hucusque Sacrae Eucharistiae sumptione, an vero Missa esset celebranda sedentibus. Cum vero Salomon Prov. cap. 3 hortetur: *ne innitaris prudentiae tuae*, quae eadem verba in Decretali *Ne innitaris, de Constitutionibus*, laudata sic illustrat Iansenius in Proverbia: *vetat niti suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, et provisionem rerum necessariarum*. Similiter Salazar in eumdem Proverbiorum locum num. 26 cum S. Ioan. Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantumcumque rerum experientia praeditos, et quocumque prudentiae baculo suffultos: *Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae, vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis, et prudentiae fidere, maxime senes, et grandaevi, propter experimentum, et canos. Ait ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia, quasi baculo utaris:* Hinc est, quod Nos, adductis in utramque partem argumentis, sive pro sumenda ulterius Communione, sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate, et doctrina conspicuorum virorum trutinationi committere, ut secundum illorum iudicia, quae agenda sint constituamus. Aeneas Sylvius Piccolominus, postea Pius II in Pontificia dignitate dictus, in epistola ad Martinum Mayer Mogunensis Archiepiscopi Cancellarium data, et in ipsius Com-

mentariis Romae 1584 edita necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus, et sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium; et deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes qui multa noscant.* Magno nobis documento, qui nec sapientia, nec doctrina praecellimus, in negotio praesertim Nos ipsos concernente, in quo amor proprius Nos insigniter posset decipere absque aliorum prudenti consilio.

COMMENTATIO.

Satiusne sit, sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice servato, an Missam celebrare sedendo.

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco, quae recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missae a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quae Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2, 2, quaest. 93, art. 1, *Ad secundum:* iustos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante tempus Legis iusti per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur.* Per Legem vero postmodum inducta fuisse praecepta externa, quibus ad ea perficienda, et instruebantur, et adstringebantur homines: *postmodum vero exterioribus praeceptis,* pergit Angelicus Doctor, *circa hoc homines sunt instructi quae praeterire pestiferum est.*

VII. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicae Legis observantia, et Evangelio promulgato, non quidem omnes ritus ad Sacramentorum administrationem, Missaeque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab Ecclesia praescripti, quod tamen minime evincit, quin omnes ad amussim sint observandi. Suarez, tom. 3, in 3 part. D. Thomae, quaest. 83, art. 5, disput. 84, sect. 1, post relata S. Pauli Apostoli verba 1 ad Corinth., 14: *omnia secundum ordinem fiant in vobis,* inquit, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta, et Missae celebrandae: *et ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis certum ordinem ab Ecclesia constitui:* si namque cuiusque arbitratui id fuisset relictum, *multa indecore, et imprudenter fierent:* quid quod eadem omnis rituum ratio et Ecclesiae unitatem commendet, et intentam Pastorum sollicitudinem? *Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem officii Ecclesiastici spectat, et unitatem Ecclesiae commendat, et Pastorum eius curam, ac sollicitudinem.*

VIII. Iam vero ut ad materiae nobis propositae fundum mittamus bolidem, Generales regulae, quas rubricas dicunt, Romani Missalis, Tit. 17 vetant sessionem in Missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum *Kyrie, Gloria,* et *Credo* a Choro decantatur. Tridentinum vero Concilium Sess. 7, *de Sacramentis in genere,* can. 13, omnem quantulamcumque mutationem rituum prohibet, et S. Pii V Bulla Missali praefixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod, si quis alio modo, quam sedendo celebrare missam nequeat, Communione *Laicorum more* contentus, a celebratione abstinere teneatur.

IX. Quid vero, si quis ad sedentariae Missae celebrationem dispensetur? Verum, cum Rubricae sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quae dispensationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inscripto: *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers,* tom. 6, pag. 498, § 4 et seqq. dilucide iam irreverentiam docet. Extat quoque opusculum S. Petri Damiani numero 39 editionis anni 1743, in quo Episcopum Bisuntinum hortatur ad arcendum a sua Dioecesi *opprobrium ignominiosae sessionis.* In Decreto etiam Gratiani gemini hanc in rem Canones adducuntur, 57 videlicet, et 68 de Consecrat., dist. 1; primus ita habet: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad Missarum solemnia celebranda praesumat cum baculo introire.* Alter vero ita sonat: *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, et ceteri omnes praesentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent.*

X. Neque sermo Nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen Canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus, sed agitur de integra Missa sedendo celebranda, cuius exemplum haud extare dicitur: Pasqualigus, *de Sacrificio novae Legis,* tom. 1, quaest. 227 quaerit: *An Sacerdos dum celebrat, sedere possit?* atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam, ad Pontificiam dispensationem deflectens quaestionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam; convenientius fore, si Sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat, intermisso tantisper continuo ordine, sedendo vires resumat. *Satius esset, quod potius interrumperet Missam, et sedens quiesceret ad recuperandas vires quam sedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio, et docto Inquisitore Perusino, qui iuxta tenorem obtentae dispensationis omne absolvendo Canoni tempus explere stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

XI. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Missam sedentariam, praesertim si de Canone pariter sermo instituatur; cum sessionis prohibitio non a Lege Naturae, aut Dei, sed positiva solummodo inducta sit: Pontifex autem Romanus cum omni positivo iure sit superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem, ipsumque adeo Canonem sedendo absolvendi.

XII. At vero meminisse oportet, esse casus nullo aut naturae, aut Divino iure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivae Legi derogaturus.

XIII. Non convenit inter Theologus, an matrimonium inter fratrem et sororem, iure naturali, Divino, vel humano prohibeatur. Certe S. Thomas, Gonzales, Pontius, Parisius, et Aversa solam iuris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris, et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quae enim a Sanctae Sedis hostibus proferuntur exempla,

falsa sunt. Institit equidem Henricus VIII Angliae Rex vehementer apud Clementem VII ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam, e legitimo Henrici, et Catharinae thoro prognatam, repulsam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cuius obtentu Dux Armeniacensis Sorori suae nupserat, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III constanter eam concedere recusaverit. Haec uberius relata, et comprobata reperies apud Rigantium in Reg. 49 Cancellariae a num. 13 ad 17. Nosque viri huius mentionem honorificam eo facimus libentius, quod nostram, dum *in minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus, et utilissimo illarum usu sibi vindicaverit.

XIV. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae iure tantum positivo interdicitur, asseritque Silvius magni nominis Theologus, Pontificem dispensare posse cum vitrico, et privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineae rectae, prout ostensum a Nobis est lib. 9 *de Synodo Dioecesana*, cap. 13, num. 4 edit. noviss.

XV. Impedimentum *criminis* secuta etiam coniugis occisione a positivo iure est stabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium post copulam, et coniugis occisionem irritum non agnoscente: atque Ipsi probe meminimus, reiectam esse a Tribunali Sancti Officii, cui *in minoribus* a consiliis eramus, petitionem Iudaei cuiusdam *criminis* impedimentum Hebraeorum matrimoniis opponere volentis, si post coniugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum tradidit, quanquam adulterium praecesserit, et Uriae interfectio. Cum itaque matrimonium eiusmodi iure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset, concurrente praesertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile dispensari in prohibitis iure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento huiusmodi publico. Videantur quae hanc in rem congessit Miglioruccius *in Institutionibus Canonicis* ad lib. 2, tit. 14, in explicationibus ad num. 9 et 10: *ubi coniugis occisio secuta sit, numquam dispensatur, non quia Pontifex non possit:* si impedimentum sit occultum, Maior Poenitentiarius dispensat in matrimoniis tum contractis, tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed *neutro machinante.* Verum si impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante,* sitque occultum, habet quidem Maior Poenitentiarius facultatem dispensandi, *raro tamen,* et semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave immineat periculum, et casu in plena Congregatione, aut Poenitentiariae signatura proposito. Videatur Constitutio nostra XCV, *Pastor bonus,* [1] tom. 1, nostri Bullarii, § 44.

XIV. Hactenus in medium allata abunde commonstrant non temere pro regula statuendum, quod prohibitis Lege solum positiva, non vero naturali vel Divina, derogandi plena et non circumscripta sit Pontifici Romano libertas; imo exemplis adductis illud adiungi potest de Missa sedentaria una cum

[1] Die 13 apr. 1744. – Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 319-330.

Canone celebranda: namque Missae huius oppugnator concessionis similis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obest, quod dispensationis eiusmodi denegatio impediat magnum bonum, aedificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qualicumque demum valeret modo, peracta, proventuram; namque aedificatio illa neutiquam obtinetur, cum dispensationes istae celebrandi sedendo, excepto tempore Canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato Oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit, praescindendo a motivo praemisso, non videtur illius consecutio quaerenda novitatis huius in Ecclesiam intrusione; Episcopi siquidem pietas nutriri potest per Communionem *more Laicorum* sumptam, qui autem pro populo sacrificium offerat, substituere sibi potest Sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium est, si infirmo, quod petiit Sacrum Viaticum, a Sacerdote porrigatur. Verum si nequidem una habeatur candela, si vestes sacrae desint, si alio profectus esset Sacerdos casum haud praevidens, clavesque tabernaculi secum ferens; tum enimvero infirmus Viatici Sacri munimine carebit quidem, docebitur tamen sufficere desiderium, et Sacramenti perceptionem *in spe,* cum nequiverit recipere *in re.* Similiter, et in Sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missae celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, iuxta probatiorem opinionem, qua de re actum est in nostro Tractatu de Ss. Missa, tom. 2, sect. 2, cap. 1, § 3 edit. Ital., sect. 2, num. 52, edit. Latinae.

Commentatio.

De celebratione Missae etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more Laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo Missam, ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter Divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum cap. 2, legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in coenaculo sedentes: *et replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Ideoque Cardinalis Caietanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem cum nihil indecens inducat:* additque Navarrus in Manuali de Oratione, cap. 4, num. 12, situm corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariae Missae Patronus, indecens esse Missam celebrari a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus e Clero, propter dignitatem suam Ecclesiasticam, multoque magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus aversabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen praelaudati opusculi, cap. 4, pag. 336, haec addit: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaudus, loc. cit., pag. 503, col. 1, ita

habet: *Quis sedere coram Deo audeat iniussu eius? at abest Dei nutus, vel iussum de sibi assidendo, si absit aegritudo corporis sessionem deposcens, ea enim corporis imbecillitas Divinae indulgentiae ad sedendum concessae tessera est ex natura rei.* Cumque in Canone 131 Concilii Aquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, et psallendum est.* Eruditus Pater Haeftenus in doctis suis disquisitionibus monasticis, lib. 7, disquis. 1, pag. 705, ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, caeteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. cap. 24; postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei praestabat baculus, cui innixus Dominum et laudabat et orabat.*

XX. Et sane, si media omnia adhibentur, ut Sacerdos ad Missae celebrationem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus, si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a Sacramentorum perceptione arcentia: mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missae sedentariae, Canone excepto: sed si dignioribus Ecclesiae Ministris, Episcopis praesertim, eadem pedum infirmitate oppressis, permittatur sessio sub ipso quoque Canone, et Consecratione.

XXI. Si parochus, aut Sacerdos alius, videndi facultate privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus, et duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum: multae vero clausulae huic concessioni adiiciuntur, illa praesertim, ut *non sit omnino caecus, nec recitet memoriter;* iniungiturque Episcopis, ut si caecus omnino reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos caecus efficiatur post susceptum Presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso, sed ordinis executione privat, et quidem tantum quoad confectionem Eucharistiae, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, praedicatio, etc., prout optime observat S. Thomas 3 part., quaest. 82, art. 10, ad 3. Non vero desunt exempla concessae caecis Episcopis licentiae Missam celebrandi. Aimonius sane refert in Actis Concilii Tricassini an. 878 habiti apud Baronium, et Natalem Alexandrum, Ioannem VIII, in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmaro Laudunensi caeco, nepoti Hincmari Rhemensis facultatem Sacris operandi fuisse elargitum. Soto quoque in 4 Sentent., dist. 9, quaest. 1, art. 2, testatur visum a se in Concilio Tridentino Episcopum caecum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos *in minoribus* munere fungeremur Secretarii Congregationis Concilii, mature discussa materia, excussisque Auctoribus allegatis a Nobis, in folio desuper confecto et tom. 4 Thesaur. Resol. Congreg., p. 101 et seqq. edit. Urbin. inserto, Parocho Florentino caeco omnino, sed magnorum meritorum, intuitu circumstantiarum variarum in eius favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius Sacerdotis; causa haec proposita est 2 Augusti 1727 et eiusdem anni, mensisque die 23 terminata. Neque recentiora desunt exempla similium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id prohibentes adducti a nobis sunt *in Notificatione 14,* tom. 2, quae 34 est Latinae edi-

tionis, § 2, edit. Ital. Latinae vero sect. 1, num. 53. Inter alios vero Canones ad litteram id habet Can. *Nullus Episcopus, de Consecrat.,* dist. 1: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere.* Quidquid autem sit de eo, quod Vasquez, tom. 3 in 3 part., Disput. 232, cap. 4 refert, in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyeme operto capite Missam dicere usque ad Consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulum V concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone operto capite celebrari, iis in regionibus ubi inurbana habeatur capitis denudatio. Raynaudus citat. tom. 6, pag. 499, columna 2, et Henaus, tom. 2, de Sacrificio, disput. 27, sect. 2, num. 10, admittunt, operto capite Missam, et Canonem dici posse, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus praesertim frigidis. Ideoque Navarrus lib. 3, de celebrat. Missarum, Consil. 7, num. 5, edit. Venet. 1621, haec adfert: *Non desinunt Sacramenta Divina reverenter tractari, eo quod ex iusta causa, et necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo aliquo honesto caput tegatur.* Concordat Salmero, tom. 14 in ep. 1 ad Corinth., cap. 13, disp. 18, pag. 144 edit. Colon. 1614 et Henaus cit. sect. 2, num. 20 ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Praeterea Sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet ex documentis a Nobis congestis in Tractatu *de Synodo Dioecesana* edit. noviss., lib. 11, cap. 9, maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missae, attamen per speciem aliquam tolerantiae, ut Clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona, seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum iam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur Laicis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quae sicca dicebatur, quaeque prohibita est, nunc autem facultas conceditur Missae verae celebrandae, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, et praeter Sacerdotem celebrantem adsit Presbyter, aut Diaconus alius, qui exurgente forte quopiam motu calicis effusionem praevertat: singula videri possunt tom. 2 de Sacrificio Missae, sect. 2, cap. 1, § 3, pag. 256 edit. Ital., Latinae vero sect. 2, num. 49 et seqq. Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin Sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in tract. de Sacrificio Missae, tom. 2, sect. 2, cap. 6, § 4 edit. Ital., et sect. 2, num. 170 edit. Latinae. Secundum habetur in Tractatu de Synodo Dioecesana edit. noviss., lib. 13, cap. 19, num. 21 et seqq. Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimirum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus celebrare non valentibus: ut possint nihilominus Sacris operari; si omni possibili modo Laicis Sacramenta mini-

strantur, non debent accumulari scrupuli et subtilitates ad arcendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos, et Episcopos praesertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent; cum praecipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curae suae concredito, et pro seipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet S. Paulus *Epist. ad Hebr.*, cap. 5, vers. 1 et seqq. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis:* et in eiusd. epist. cap. 8, vers. 3: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem caput 5 concludit Ioannes Gagneus: *Munus ergo assumpti Pontificis est orare, et pro suis, et pro populi delictis sacrificia offerre, et agnoscere se peccatorem atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius, Salmero, et Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum caput 5. Neque regerenda hic est superius allata obiectio, cessare motivum aedificandi populum per celebrationem, cum haec perfici nequeat a sedente nisi in Capella, aut Oratorio privato ad evitandam populo demirationem; neque enim populi aedificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quae obtinetur aeque per celebrationem in Oratorio. Praeterea populus videns Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius aedificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessae Episcopis licentiae, sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam, et integram Missam se extenderent; in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacrae monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio Sacro Missae Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniae festo die in terram extensus, et pectore tanquam ara usus Sacris est operatus, prout videre est in Actis apud Bollandistas, Tom. 1, Ianuarii, pag. 361, num. 14. Theodoretus Cypri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolae, qui Missae nunquam interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis, manibus Diaconorum pro altari usus Sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo, cap. 20. Uranias in Epistola *de obitu Paulini* apud Bollandistas, Tom. 4, Iunii, pag. 168, num. 2, testatur, quod cum ad decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo Praesules inviserent, aegrotus licet cum aliis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, iubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret:* quod et factum indicatur, num. 3. *Et cum haec omnia Sanctus Episcopus laeto, ac perfecto ordine celebrasset.* Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacrae Eucharistiae, non item de celebratione Missae intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tillemonius, Tom. 14 in Actis S. Paulini, art. 52, pag. 139, edit. Venet., doctissimusque Pater Magister Orsi, Magister Sacri Palatii Apostolici, Tom. 12, *Hist. Eccles.*, lib. 18, num. 76, pag. 375.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, praesentique casui apprime conveniunt, verum antiqua sunt et praecedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta Missae forma. At vero S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium Saeculi noni; Ignatius vero Episcopus Nicaenus, Tarasii discipulus et illius vitae scriptor, videndus apud Baronium ad annum 806 et apud Bollandistas, Tom. 3, Februarii, pag. 586, num. 47, hunc in modum describit celebrationem Missae a Sancto Patriarcha graviter decumbente peractam: *Ingruens morbus, et valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui et Divini officii. Nam et morbo, et senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, et morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante Aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet:* quod est, ventre, et pectore adniti tabulae; partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone Presbytero, et Parocho Britanniae Armoricensis, anno 1303 defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam celebraverit modo: *Fuit adeo infirmus, et debilis, quod se non poterat sustinere; immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in Cappella sua;* prout videre est tom. 4, Maii apud Bollandianos, pag. 541, A., num. 17, atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos loc. cit., pag. 560, C., num. 65. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione vitae S. Ivonis in cit. tom. 4, Bollandistarum, pag. 594, A., cap. 5, num. 59, rem omnem ita complectitur: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut prae debilitate corporis nec induere, nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria praeparare, ad Altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se iuvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belliportus, et de Begar, et Archidiacono Trecorensi cum aliis praesentibus fulciretur.*

XXVII. Propius iam ad scopum accedimus, sed cum disciplina illius aevi, cuius exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis Apostolicae ad Missae sedentariae celebrationem necdum induxerit, quae tam sapienter admodum est invecta, ne quisque infirmitatem sibi fingens sedendo celebrare augusta Mysteria auderet: adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pontificibus dispensationum pro celebratione Missae a sedentibus, excepto tempore Canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus celebrata, de qua in praesentiarum potissimum quaestio agitatur.

XXVIII. Ioannes Renna Venetus, factus 3 Novembris 1534 Episcopus Algeriensis, indeque anno 1538 die 13 Maii ad Sedem Pampelonis Novae translatus, varias a Paulo III gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagrae morbo omni propemodum membrorum usu esse privatum: *Diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es:* ideoque Missam stando celebrare non valens, petiit facultatem Sacris operandi in sella eo confecta artificio, ut illi insidens, stare videretur: *Ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam, Missam stando celebrare non vales, et zelo devo-*

tionis accensus, Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, et alia, quae ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere... tenore praesentium de speciali gratia indulgemus: proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur, et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem huiusmodi non publice, sed privatim facias. Breve Cardinalis Hieronymi Ghinuccii manu subscriptum reperitur: ille enim scripta roborandi munere fungebatur, prout Ciacconius tom. 3, pag. 569, refert, adiectum quoque est nomen Secretarii Apostolici breviori nota signatum. Ipsum vero Breve habetur in schedis Autographis Brevium Pauli III in Archivio secreto anni 1538, num. 466, integrumque exhibebitur ad calcem huius epistolae, ut cuiusque iudicium convincatur. [1] Nos quidem mechanicarum rerum ignari, sedis huius, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituemus. Id exinde deduxisse sufficiet, Paulum III Episcopo Pampelonensi facultatem fecisse per omnem Missam sedendi, ne Canonis quidem, et Consecrationis tempore excepto.

XXIX. Pontifex Pius V primo Pontificatus sui anno Francisco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagrae molestias stando sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata Capella sedens Sacram Liturgiam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuae, seu Cappella tua privata, coram familiaribus, et domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore praesentium, licentiam concedimus, et facultatem.* Schediasma autographum firmatum manu Reverendissimi Caesaris Glorierii senioris Brevium Secretarii, in Archivio secreto inter diagrammata archetypa S. Pii V anni 1566, num. 572 asservatur. Hoc quoque Breve integrum subiiciemus, [2] tum ut cuique innotescat, tum, ut levitatis convincantur asserentes, rei cuiuspiam exemplum non extare, quod ipsi illud ignorent; ex quo fit, ut, dum talium assertionum facilitas laboris molestiam in alios transfert, ipsis grave accidat, si quae existere negaverant, in lucem protrahantur.

NARRATIO.

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videtur praesentem quaestionem diiudicaturo.

XXX. Supervacanea videri poterunt, quae deinceps in medium erimus allaturi: si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirarine subibit, si eadem ex causa

[1] Cf. Bened. XIV Bull. (Mechliniae, 1827, P. I. Hanicq), vol. 12, p. 358, 359.
[2] Cf. Bened. XIV Bull. (Mechliniae, 1827, P. I. Hanicq), vol. 12, p. 360, 361.

eadem ipse utatur oeconomia? At vero universim loquendo non videtur Pontificiae dignitati convenire usus licentiae aliis concessae. Hinc ut dispiciatur, an indecens sit a Pontifice sedente Missam celebrari, disquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Missae celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis haec res est, cum concessuri bonae memoriae Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Missam sedendo, excepto Canone et Consecratione, omnia ad id argumentum facientia sollicite conquisierimus. Neque iam illa congerere valeremus, tum senii onere gravati, ei ab aegritudinis molestiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris Nobis longo usu notissimis, quos cum omni nostra bibliotheca selecta Instituto Bononiensi dedimus: quanto vero et laboris, et temporis, cuius penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV, anno 1285 in Pontificem electus, Diaconus erat, utique Presbyterio, et Episcopatu primum insigniendus. Historiographi infirmitatis habitu adfectum testantur: Martinus e Minorum coetu in *Floribus Temporum,* Ioannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis, et Hermannus Cornerus in suis *Chronicis,* apud Ioan. Georg. Eccardum in corpore Historico medii aevi, tom. 1, pag. 1631, pag. 1758, pag. 2088, et tom. 2, pag. 936. Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrariensis in Historia Romanorum Pontificum ad annum 1285 in tom. 9, Rerum Ital. Script., pag. 182. Alii, quod ea chyragrae, podagraeque vehementia afflictabatur, ut digitum digito iungere nequiret, teste Muratorio Annalium Italiae tom. 7, pag. 460. Missam sine instrumentorum quorundam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomeus Lucensis, lib. 24 Hist. Eccles., cap. 13, in tom. 11 Rer. Ital. Script., pag. 1191, Raynaldus ad annum 1285, num. 14, Fleuryus, tom. 28 Hist. Eccles., pag. 371, et in vita eiusdem Pontificis Ciacconius, tom. 2, pag. 247, Burius, Pagius tom. 3, pag. 455, num. 3, auctor vitae Pontificum Hagae Comitum editae, tom. 3, pag. 289. Porro Instrumenta quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Praedicatorum in Chronica, lib. 4, cap. 22: *Pedibus erat ita aegrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum iungere non posset, immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, et quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum:* videri cuncta possunt cit. tom. 9, Rer. Ital. Script., pag. 727.

XXXII. In Commentariis Pii II anno 1458 ad Pontificatum evecti, post prolixam narrationem institutae supplicationis in translatione Capitis S. Andreae Apostoli ex Achaia eidem Pontifici dono missi, haec adduntur: *Die Sabbathi, quae fuit Aprilis 17, celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum, portaturumque eo Sacrum Andreae Caput, ut iterum atque iterum videretur, quod ex altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova, et insperata fuit. Nam propter aegritudines et absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant*

Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Praesul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.

XXXIII. Pius III in Pontificem anno 1503 electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque Sacerdotio est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis, 30 Septembris, 1 vero Octobris eiusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die diademate Pontificio insignitus, sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo Ephemeridum Ioannis Burcardi Caeremoniarum Sacrarum Magistri, pag. 56, 58 et 59, quem codicem Bibliotheca habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam Status Secretarii, iam vero tenet Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos:

ANNO MDIII.

Die Veneris 29 Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur, et celebraret, et mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam... accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem, etc.

Die Dominica 8 Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum Ecclesiae... accepit in ea Pallium, et portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad Altare consecratione, ad solium suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub speciebus panis, et vini stans, neque sedendo communicat prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest tom. 2, Tract. nostri *de Sacrificio Missae*, sect. 1, cap. 20, § 1, edit. Ital., Latinae vero sect. 1, num. 339. In ceremoniali autem libro Cappellae Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Communionem Cardinalibus Diaconis, aliisque solio assistentibus sedendo; qua Nos libertate usi sumus nunquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali consecrante Evangeliorum liber, capitique manus imponuntur, inde caput, manusque Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collaturus *Sedenti calicem vacuum cum patena, et urceolos cum vino, et aqua, bucale, et manutergium,* librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum;* sedentique Pontifici aptat paramenta, et porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manuum impositionem, Olei sancti, quod Catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino et aqua, atque patenam cum hostia recipit. Quae omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, praesertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque haec sunt, quae in hac epistola exponenda duximus, eorumque dispositioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam, quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit, praeparare mensam Altaris cum consecrato lapide, imagine Salvatoris cruci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necessariis; vacuumque subtus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull. (Mechliniae, 1827, P. I. Hanicq), vol. 12, p. 302-357].

446.

Benedictus XIV, const. *Emanavit nuper*, 21 ian. 1758.

Emanavit nuper a Congregatione Particulari Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium a Nobis Deputata, super octo Dubiis vertentibus inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Limanum ex una, et dilectos Filios Presbyteros Saeculares Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limanae ex altera partibus, Resolutio tenoris sequentis, videlicet. «Limana, - Die Veneris XXX Decemb. MDCCLVII in Aedibus Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Sacripantes Vitutti, habita fuit Congregatio Particularis, a Sanctissimo Deputata, eiusdem Eminentissimi Domini, atque Eminentissimorum, et Reverendissimorum Dominorum de Matthaeis, et Argenveillieres, in Causa Limana inter Venerabilem Congregationem Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limae, et Reverendum Dominum Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis eiusdem Civitatis; et in ea fuerunt proposita, et discussa sequentia Dubia. I. An Congregatio sit omnimode subiecta Reverendissimo Archiepiscopo, in modo, forma, assumptis, et materiis? II. An Congregatio teneatur tradere Archiepiscopo visitanti quatuor Libros, quos iuxta constitutiones debent habere Patres Oratorii, nec non Libros, seu Indices Archivii, et Bibliothecae, et Inventarium supellectilium Ecclesiae? III. An asserta exemptio ab exhibitione praedictorum Librorum cesset, dum Archiepiscopus uti Apostolicus Delegatus visitet? IV. An interiores Oeconomiae Congregationis, quoad Expensas et Computa, necnon Electiones Praepositorum, Nominationes, Admissiones, et Expulsiones Presbyterorum, sint subordinatae directioni Archiepiscopi? V. An casu quo Congregatio Oratorii de Urbe, necnon aliae Congregationes, sint a praedictis exemptae: idem ferri debeat Iudicium de Congregatione Limana, cuius Presbyteri a Fundatione usque ad praesens, sunt valde pauci, vivuntque et aluntur, non tam ex proprio Patrimonio, quam ex Bonis relictis in commune Congregationi; et ex emolumentis Ecclesiae Hospitalis, pro funeribus, Missis Capellaniarum, Confraternitatum, et ex aliis causis? VI. An destinatio Procuratoris pro Curia Matriti, aut Romae, fieri a Congregatione debeat,

cum interventu Archiepiscopi, sitque Is certiorandus de causis ipsius destinationis, valeatque eas improbare? VII. An Archiepiscopus sit Iudex competens in Causa Nullitatis Electionis ad Praepositurarn, et Promotor Fiscalis de ea Iure agere valeat; prout etiam, pro Observantia omnium Constitutionum? VIII. An Adimplementum Capellaniarum, aliorumque Piorum Operum existentium in Congregatione, et Ecclesia Hospitalis, pertineat ad internum Regimen, ita ut sit extra Visitationem Archiepiscopi, in casu etc. Eisdemque Dubiis responsum fuit. Ad primum: Affirmative; exceptis eius Instituto; sive iis, de quibus loquuntur Constitutiones Congregationis. Ad secundum: Negative, exceptis Inventario Supellectilium Ecclesiae, necnon eorumdem Visitatione. Ad Tertium: Non esse locum in praemissis, Iuri Delegato. Ad Quartum: Negative in omnibus. Ad Quintum: Affirmative in omnibus. Ad Sextum: Negative in omnibus. Ad Septimum: Affirmative quoad primam partem; quo vero ad secundam, Promotorem Fiscalem agere non posse ex officio, et nullo ex Sacerdotibus Congregationis instante pro Nullitate Electionis; quoad tertiam, negative. Ad Octavum: Negative, servata tamen quoad Ecclesiam Hospitalis Dispositione Brevis Sanctissimi Domini Nostri Tertia Augusti MDCCLVII. Factaque per me infrascriptum, Relatione Sanctitati suae omnium, et singularum supradictarum Resolutionum in Audientia habita die VIII Ianuarii MDCCLVIII eas dignatus est in omnibus approbare, mandavitque desuper expediri Litteras Apostolicas in forma Brevis. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Palatio nostrae solitae Habitationis hac die nona Mensis Ian. MDCCLVIII, C. M. Cardinalis Sacripantes Vitutii. Loco † Sigilli.

Cum autem sicut dicti Presbyteri Saeculares Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Resolutionem huiusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae Patrocinio communiri, summopere desiderent. Nos igitur ipsos Exponentes, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares Personas, a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et poenis a Iure, vel ab Homine quavis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; praeinsertam Resolutionem a memoratis Cardinalibus, ut praefertur, super dictis Dubiis captam, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos Iuris, et Facti defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplemus, et sanamus.

Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull. (Mechliniae, 1827, P. I. Hanicq), vol. 12, p. 372-375].

447.

Benedictus XIV, ep. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758.[1]

1. Paucis abhinc hebdomadis Fraternitatis Tuae literas accepimus, die 16 Decembris 1754 datas, nescientes usque adhuc, quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod, cum receptum fuerit in Dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur ad amussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia, quae sine praesentia Parochi sponsi, vel sponsae, et sine duobus testibus celebrantur. Cum vero Dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli Missionarii Sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad Fidem Catholicam pertrahendos, edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contigit, ut quispiam difficultates praenoscens, quae matrimonium fortassis impedirent, quotiescumque in tua Dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum, neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium coram Missionario contrahit, ac subinde regrediens ad Dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis, in quibus Concilii Decretum receptum, ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua Nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin immo decrepitam aetatem, quam agimus, Nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima Nobis definitione servata; nihilosecius, cum Divinae placuerit Maiestati sanam Nobis ac integram mentem servare, etsi, praeter senium, binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, Nos eo perduxerint, ut sacro Viatico, et extrema Olei unctione semel, ac iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam, quam in eiusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in nostra Ecclesiastica Institutione, in lucem edita, dum in Archiepiscopali Bononiensi Cathedra sedebamus, quae est *la* 33 Latinae editionis sub num. 9, tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a Secretis Congregationi Tridentini Concilii, dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

2. In integra Decretali Alexandri III, nostri Praedecessoris, sexta sub titulo *de homicidio*, quae in Collectione Decretalium, qua utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba, quae nostrae favent intentioni: *Sicut dignum, et omni rationi consentaneum est, graves, et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri: ita etiam nobis ea ministerio susceptae sollicitudinis imminet easdem quaestiones, prout nobis Dominus dederit, solvere, et singulis a nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae, quae ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, et removeatur in his ambi-*

[1] Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Goano.

guitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum, et circumspectum existere: cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, iuxta discretionem, et providentiam nostram, tibi exinde respondere.

3. Thomas Sanchez, qui quidem, nemo ignorat, qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo Opere *de Matrimonio,* lib. 3, disp. 17 et seq., ubi sub num. 29, defendit validum matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum Concilium, quamvis ille, qui contrahit, domicilium habeat in loco, ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates aufugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur, intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem, ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco, in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium ubi non sit receptum; vel, etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit: ut videri potest lib. 5, *de Matrim.,* cap. 9. Et Diana *in coordinata editione,* tom. 1, tract. 3, resol. 116 et 117, Sanchesio, et Pontio subscribit. Eiusdem sententiae sunt Bonacina, *de Matrimonio,* quaest. 2, punct. 7, num. 2, tom. 1; Castropalaus, part. 5 disput. 2, *de Sponsal.,* punct. 13, § 8, num. 4; Leander, part. 2, tract. 9, *de Matrimonii Sacramento,* disp. 7, qu. 11, Filliucius, tract. 10, *de Matrimonio,* part. 1, cap. 6, num. 199; Rosignolus, *de Matrimonio,* 1, contract. 15, praenot. 21, num. 8.

4. Ne vero plus quam par est sermonem protrahamus in aliorum Doctorum, atque Theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus, non deesse, qui contrariam sententiam tueatur, doceatque, nullum esse matrimonium ab eo contractum, qui ad evitandas difficultates in quas incidit, vel incidere se posse veretur, si matrimonium ineat in loco domicilii, ubi viget Tridentina lex, transit ad alium, ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta, et post initum matrimonium, domum suam revertitur: qua de re observari poterunt Gobat *in Theologia experimentali,* tract. 9, num. 481; Cardinalis de Laurea, *de Matrimonio,* disp. 22, num. 138 et seq.; Clericatus, *de Sacramento Matrimonii,* decis. 35, num. 24; Giribaldus, tract. 10, *de Matrimonio,* cap. 7, num. 22; Sbogar *in Theologia radicali,* tract. 116, *de Matrimonio,* num. 52; Schmalzgrueber ad tit. *de clandestina desponsatione,* num. 112; Pichler in eumdem titulum, num. 14; Bockhn ad tit. *de Constitutionibus,* § 3, num. 4; Elbel *in Theologia Morali,* part. 3, num. 301 et seq.; Pontas, *verb. Impedimentum clandestinitatis,* cas. 3, § *Ceterum ad casum.* Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii, et Pontii sententias, in eadem editione coordinata, tom. 2, tract. 6, resolut. 74 ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero, tom. 5, *Operum suorum edit. Antverpien.* an. 1698, inter varias resolutiones *verb. Matrimonium,* num. 8, sapienter animadvertens, matrimonium esse validum, si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuit, illud contrahit in loco, ubi non est promulgatum, postquam tamen ibidem novum quasi domicilium acquisierit; ex eo infert, nullum esse matrimonium, quotiescumque ille, qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit, quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco, ubi matrimonium contraxit.

5. Sedente fel. rec. Urbano VIII Pontifice Maximo, Archiepiscopus Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congregatione Concilii: *Quaeritur humiliter a Sacra Congregatione, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho et testibus contrahere.*

Secundo. Quid, si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae, solo animo sine Parocho, et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio. Quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, et testibus contrahant.

Hoc autem Congregatio dedit responsum die 5 *Septembris 1626. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum, et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, et transeuntes cum fraude.*

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferantur, matrimonium non esse validum.

§ 7. Post haec, necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. *Significavit, de Parochiis,* ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet sub num. 39: *Vir, et Mulier Traiectenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit, exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali,* lib. 2, *de Sacrament. Matrim.,* cap. 2, art. 2, regul. 6, animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint, atque perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum matrimonii causa, ut diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus subsequentem habitationem ab iis Auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

8. Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi iam contrahentes quasi domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum, quod prosequebatur epistola Fraternitatis Tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposito paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae Dioeceseos Paroeciis matrimonia, priusquam inirentur; ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tum *Bannum* nuncupatae fuerunt. A Dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit; uti colligitur ex rescripto Innocentii III ad Episcopum Beluacensem in Cap. *Cum in tua, de Sponsal. et Matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi quarto ad universam Ecclesiam eiusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in Cap. *Cum inhibitio, de clandestina desponsatione.* Atque sacra Tridentina Synodus, sess. 24, *de reformat. matrimon.*, cap. 1, Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium, iisdem omissis, celebratum, illicitum quidem sit, quod tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in Paroeciis, in quibus contrahentes inhabitant; quod si velint matrimonium extra Dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is, qui matrimonio interest, exigere prius, ut denuntiationes factae iam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis si alterius Dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua Dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense anni 1585 a Sixto V Pontifice Maximo confirmatum, sicut etiam Rituale Romanum.[1] Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda Collectione Decretalium Cap. primo, *de clandestina desponsatione*, reperitur Decretalis Alexandri III, relata etiam per Gonzales in Cap. *Cum inhibitio, sub num. 10, de clandestina desponsatione*, ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua Dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum, unde appareat, nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

9. Constat igitur, presbyterum Missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in sua Dioecesi, ubi contrahentes domicilium habent, e quibus pateat, nullum inter eosdem impedimentum reperiri. Quod si missionarius obiiciat, Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse, ut bene percipiat; quod, si onus eiusmodi ripetere, ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest, quin illud fateatur, ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio iuncti fuere, ad Dioecesim tuam redierint, si Fraternitas Tua iusserit fieri tum denuntiationes, ut pateat, num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies,

[1] Tit. VII, c. 1, *de sacramento matrimonii*, n. 7-9.

verum, sic agendo, paulatim e medio tolles pravum nonnullorum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum, in quas inciderent, si tua in Dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

10. Decretum Sacri Tridentini Concilii, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est, de quo plusquam de caeteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas Patrum sententias: quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concilii*, lib. 22, cap. 4, atque idem referunt P. Ioannes Stoz, *in succincta Relatione de gestis in Concilio Trid.*, sess. 4, art. 24, § 10, punct. 1, num. 548; Ernestus Salomon Cyprianus in libro, cui titulus *Tabularium Ecclesiae Romanae saeculi XVI*, num. 159 et num. 180, et Mutius Calinus, Iaderensis Archiepiscopus, in Epistola diei 11 Novembris 1563 ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui quidquid in Concilio eveniret, feliciter referebat, ut ex manuscripto eiusdem epistolarum Codice patet.

11. Dubitabatur primo utrum Ecclesia abrogare posset clandestina coniugia, propterea quod legitimus contractus, materia insimul, ac forma est Sacramenti matrimonii; mutua nempe, ac legitima corporum traditio, verbis, ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter, ac legitima corporum acceptatio, forma: ex quo nonnulli arguebant, quod, legitima traditione, et acceptatione simul coniunctis, subest materia, ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo, qui divinae gratiae est auctor, quae per Sacramenta confertur: verum, reponentibus aliis, Ecclesiam posse conditionem quamdam praescribere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus, neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio, et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis Ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis. *Quodlibet 5*, quaest. 8, art. 15, *Ad primum.* Non destitit quidam scriptor Paulus Sarpius *in Historia Concilii Tridentini*, quin contradicentium partes amplecteretur, verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat, atque impugnet, uti observari potest in adnotationibus ad eamdem Historiam Concilii, lib. 8, § 86, num. 88 et seq. et praesertim num. 90.

12. Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina coniugia, quae secundum Canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex Canone *Aliter*, aliisque subsequentibus, quorum unus incipit *Nullus*, alter *Nostrates*, qu. 1, caus. 30, nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit, ex clandestinis coniugiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret, atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli uxorem habentes ad Sacros Ordines ascenderent, et una cum uxore Ecclesiastica Beneficia retinerent, quibus gravissimis malis Ecclesiastici Iudices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex littera ipsius Conciliarii Decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander

in Theologia Dogmatica et Morali, de Sacrament. Matrim., lib. 2, cap. 2, part. 2, proposit. 1.

13. Iniiciebat scrupulum aliis consideratio illa ne scilicet clandestinis coniugiis abrogatis, iis nempe, quae sine Parocho viri, aut mulieris celebrantur - *huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos in praesenti Decreto irritos facit et annullat* - sunt verba Concilii, posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, et consequenter illegitima soboles, quoniam coram Catholico Parocho ac binis testibus numquam celebrata fuissent. Verum, Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus - *Decernit insuper, ut huiusmodi Decretum in unaquaque Purochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis, in eadem Parochia factae, numerandos* - sicuti credibile non erat, Decretum eiusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine praesentia Parochi, et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent: ut prosequitur Cardinalis Pallavicini, loco citato, cap. 8.

14. Tandem cum praevideretur, facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet Paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta Conciliaris Decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet, approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam, sufficere diuturnam observantiam eiusdem Conciliaris Decreti, eius publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in Paroeciis coram Parocho, ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricarien.* 26 Septembris 1602, lib. 10, *Decretorum,* quae existunt in Secretario eiusdem Congregationis pag. 47, et in quadam *Poloniae,* 13 Novembris 1638, lib. 16, *Decretorum eorumdem,* pag. 117, atque Nos ipsi observavimus in Opere nostro *de Synodo Dioecesana* novissimae editionis, lib. 12, cap. 5, num. 6.

15. Fatemur autem, postrema haec, quae respiciunt Decretum abrogans clandestina coniugia, materiam quidem, non sic vero propositam quaestionem attingere. Verum, cum in epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum Fraternitati tuae neutiquam fore arbitrati sumus, si haec omnia oculis tuis enucleate subiicerentur. Quod si nonnulla capita hucusque prosecuti sumus ad materiam potius, quam ad petitionem, spectantia, Epistolam nostram eo cum responso concludimus, quod, non materiam, sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in litteris mentionem facias de facultate praedecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe Oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore, et personarum merito, atque insimul postules eamdem tibi facultatem largiri, libenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, quo illam praedecessori tuo fuimus impertiti. Atque interea Fraternitatem Tuam amantissime complectentes, tibi, ac universo gregi sollicitudini tuae concredito Apostolicam Benedictionem de plenitudine cordis largimur.

[Bened. XIV Bull. (Mechliniae, 1827, P. I. Hanicq), vol. 12, p. 386-399).

448.

Clemens XIII, const. *Inter graviores*, 30 sept. 1758.

§ 1. Inter graviores Apostolicae sollicitudinis curas hanc etiam semper suscipiendam merito censuerunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ut et Ecclesiarum sacrorumque Locorum Immunitatem pro debito Divinae Maiestati honore tuerentur, et simul pravis perditorum hominum consiliis obsisterent, ne Ecclesiastici confugii praesidio abutentes, publicam, privatamque tranquillitatem, atque securitatem maiori confidentia, et audacia turbare praesumerent. Itaque plura opportune censuerunt tam super qualitate criminum, quibus asylum apud Ecclesias, et loca sacra impunitatem nullatenus praestare voluerunt, quam super forma, et methodo, qua eiusmodi criminum reos ex loco immuni extrahi, et competentibus Iudicibus ad poenam tradi liceret; nunc generalibus editis legibus, nunc peculiaribus concessis indultis, prout alia, atque alia ratio, et temporum, et regionum, et morum postulare videbantur. Horum laudabilibus vestigiis insistendum Nobis esse reputantes, quum Sa. Me. Praedecessori Nostro Benedicto Papae XIV ex parte Dilecti Filii nobilis viri Caroli Theodori Comitis Palatini Rheni, et Sacri Romani Imperii Principis Electoris supplicatum fuerit, ut pro extrahendis e loco immuni, custodiendisque exceptorum criminum reis, pro subiectarum sibi regionum et locorum conditione, et exigentia certas providentias ab ipso, eiusque gubernii administris cum Ordinarii Ecclesiastici scientia, et assensu excogitatas probare, et suprema sua Apostolica Auctoritate per ipsius Caroli Theodori Ditionis tractum futuris temporibus observandas statuere dignaretur. Cumque praefatus Praedecessor moderni Nostri, tunc sui, et Apostolicae Sedis Nuntii ad tractum Rheni relationem, simulque eiusdem, et Venerabilis Fratris Episcopi Vormatiensis Vicariatus, in iis partibus constituti, sententias super iisdem audiendas sibi esse duxerit, sed morte praeventus ea, quae cogitaverat, statuere, atque praescribere non valuerit.

§ 2. Nunc autem Nobis in Sede Beati Petri divina voluntate constitutis, novae porrectae fuerint preces eiusdem Caroli Theodori Comitis, et Principis Electoris petentis, ut ad negocii huiusmodi definitionem, et terminationem, iuxta modum iudicio Nostro magis benevisum, procedere dignaremur, Nos omnibus mature perpensis, praedictumque Carolum Theodorum Comitem, et Principem Electorem de Catholica Religione, et Apostolica Sede optime meritum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ex certa scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine praesentium Litterarum tenore decernimus, statuimus, et mandamus, ut pro reorum extractione e locis immunibus eorumque parata assecuratione, et custodia in locis eiusdem Ditioni, ac Dominio subiectis infrascriptae leges, et conditiones in posterum observentur, et pro constanti, et inviolabili norma habeantur.

§ 3. Et primo quandoquidem in Oppido, seu Civitate Manhemii erecta iam, et instructa reperitur quaedam correctionis domus sub titulo, et invocatione

Sancti Michaelis Archangeli, in eaque plures adsunt nuper constructi, apteque dispositi carceres, cum dictus Comes, et Princeps Elector certum aliquem ex huiusmodi carceribus ad infrascriptos effectus Ordinarii Ecclesiastici iurisdictioni addictum, et subiiciendum proposuerit; Nos hanc oblationem, et respective addictionem, et subiectionem approbamus, ita videlicet, ut per solemnem actum in forma iuris valida fiat; exindeque carcer huiusmodi a caeteris distinctus, utpote carcer Ecclesiasticus, atque a Laicali potestate exemptus, et immunis Dioecesani loci Vormatiensis nimirum Episcopi, eiusque Vicariatus iurisdictioni, et auctoritati omnino subiectus sit, et habeatur, eisque carceris custodes, et ministri in his, quae ad huiusmodi custodiam, et ministerium pertinent, non quidem Laicalibus Magistratibus, Iudicibus, et Tribunalibus, sed dicto Episcopo, eiusque officio et Vicariatui omnino parere teneantur.

§ 4. Cum autem contigerit, delinquentem quemlibet Laicum ad Ecclesiam, aliumque locum immunem in praedicti Caroli Theodori Comitis, et Principis Electoris ditione constitutum confugere, si quidem is publica voce, et fama reus arguatur huiusmodi criminis, cui iuxta Canonicas sanctiones, et Apostolicas Constitutiones Ecclesiasticae Immunitatis praesidium denegatur, satis id fore, et esse declaramus, ut ad illius extractionem procedatur per Ministros Curiae Laicalis praevia tamen semper licentia, seu facultate in scriptis obtinenda, et concedenda a Superiore Ecclesiastico, seu ab alia persona ad id, ut infra, deleganda, et cum interventu, et praesentia Ecclesiasticae personae per eumdem Superiorem, seu alium ad id delegatum deputandae, ad hoc ut extractio huiusmodi cum debita modestia, et sine populi scandalo perficiatur.

§ 5. Itaque quibus in locis residet Episcopus, vel eius Vicarius seu Officialis Generalis, ab ipso omnino memorata extrahendi rei licentia petenda, et obtinenda, simulque ab ipsis designanda erit Persona Ecclesiastica, quae peragendae extractioni intersit; quibus autem in locis nec Episcopus residet, nec eius Vicarius, seu Officialis Generalis, licentia huiusmodi concedi, et deputatio fieri respective debebunt a Vicariis Foraneis, hisque deficientibus a Parochis locorum, quos scilicet Vicarios Foraneos, atque Parochos Episcopus semel in conferendo simili eorum officio, vigore specialis facultatis sibi ab Apostolica Sede, et a Nobis per praesentes tributae, ad huiusmodi licentias concedendas, deputationesque faciendas irrevocabiliter delegabit. Ipse vero Episcopus, eiusque Generalis Vicarius, seu Officialis, dictique respective Vicarii Foranei, et locorum Parochi, ut supra, delegati, quoties fuerint a Curia Saeculari requisiti, et statim ac intellexerint, eum, qui ad Loci Sacri immunitatem confugit, de crimine excepto insimulari, non alio requisito ad id argumento, seu iudicio quam quod exsurgit ex ipso confugio in locum immunem cum publica aliqua patrati delicti fama coniuncto, nulla interposita mora, licentiam praedictam in scriptis concedere, ac Personae Ecclesiasticae deputationem respective peragere debebunt; hac tamen lege, ut si extractio rei, sola Vicarii Foranei, aut Parochi auctoritate fiat, de ea quamprimum certior reddatur Episcopus, vel eius Vicarius Generalis.

§ 6. Huiusmodi autem reum e loco immuni, praemissa ratione extractum, ad Ecclesiasticum carcerem superius designatum illico deducendum, ibique

custodiendum fore decernimus nomine Ecclesiastico, et sub omnimoda dispositione Episcopi quoad usque idem Episcopus, vel alius ab eo ad id deputatus de indiciis a Saeculari Curia allatis satis cognoverit, et sententia sua in scriptis proferenda declaraverit constare, aut non constare de crimine excepto, et si quidem pronunciaverit constare, debebit Ecclesiasticus Iudex huiusmodi reum Curiae Saeculari libere tradere, addita consueta protestatione, de qua in Cap. *Praelatis, de homicidio,* in Sex. Contra vero si contingat eumdem pronunciare, non constare de crimine excepto, reus iussu Episcopi ad locum immunem, unde eductus fuerat, omnino restituendus erit.

§ 7. Hanc denique Nostram, et Sedis Apostolicae indulgentiam, sive concessionem semper quoad solos Laicos, nunquam vero quoad Clericos, et Ecclesiasticas Personas, quae praeter immunitatem localem personalis quoque immunitatis privilegio gaudent, factam datamque intelligi volumus, atque ita religiose servari, et custodiri mandamus, et quidquid secus, ac contra superius descriptam formam in praeiudicium Ecclesiasticae Immunitatis fuerit attentatum, ex nunc irritum prorsus, et inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, et fore; contrafacientes autem, et aliter attentantes, censuras, et alias poenas a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis adversus violantes iurisdictionem, et immunitatem Ecclesiasticam inflictas incurrere decernimus, et declaramus.

§ 8. Praesentes demum Litteras, et in eis contenta huiusmodi omnino valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus in locis praedicti Caroli Theodori Comitis, et Principis Electoris dominio subiectis sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime observari: Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis praeeminentia, et potestate fungentes, ac functuros, sublata eis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere volumus, et decernimus.

§ 9. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 42-44].

449.

Clemens XIII, const. *Inter multiplices*, 11 dec. 1758.

§ 1. Inter multiplices easque gravissimas iniuncti Nobis, licet immerentibus, Apostolici Ministerii curas illam potissimum recensemus, ut quae iam recte, sapienterque Sacrorum Canonum Decretis, et Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aliisque Ecclesiasticis legibus statuta noscuntur a temporum, hominumque iniuriis oblivionis nempe, aut affectatae ignorationis, seu pravae interpretationis, et inobservantiae labe vindicemus, vel ipsismet veteribus legibus, et Constitutionibus opportune renovatis, confirmatis, assertis, vel novis Decretis, quae in huius Romanae Curiae

Tribunalis ad peculiarem quidem causarum opportunitatem edita, sed ad generales Canonici iuris regulas exacta cognoscimus, Apostolicae approbationis et confirmationis Nostrae robore communitis, iisdemque latius promulgatis atque prolatis, prout ad tuendum Ecclesiasticae disciplinae vigorem in Domino iudicamus salubriter expedire.

§ 2. Sane ex parte Venerabilis Fratris Nostri Clementis Augusti Archiepiscopi Coloniensis, et S. R. I. Principis Electoris expositum Nobis fuit tum in ipsa Colonien. Dioecesi, tum in aliis videlicet Monasterien., Hildesimen., Paderbornen., et Osnabrucen. Episcopatibus, quorum ipse regimen et administrationem ex concessione, et dispensatione Apostolicis obtinet, nonnullos paulatim succrescere abusus Ecclesiasticae disciplinae, suaeque Ordinariae Auctoritati valde perniciosos, atque iis plane similes, quos paucis annis bo. mem. Ferdinandus Iulius S. R. E. Presbyter Cardinalis de Troyer nuncupatus et Olomucen. dum viveret Ecclesiae Praesul ad Sedem Apostolicam detulit in dicta sua Olomucen. Dioecesi vigere quibusque submovendis, et funditus eradicandis optimum susceperit consilium recurrendi ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ab eadem apostolica Sede specialiter deputatorum, et causa apud eam introducta adversus Regulares praesertim Sancti Benedicti, ac Cisterciensis, et Premonstratensis Ordinum seu Congregationum Abbates, et Monachos, seu Canonicos Regulares in dicta sua Dioecesi existentes, sexdecim distincta capita, seu dubia, controversias omnes cum dictis Regularibus vertentes complectentia eidem Congregationi discutienda, et ad iuris normam definienda proposuit.

§ 3. Quae quidem dubia semel, iterumque primo videlicet die VII Iunii a. MDCCLV, deinde vero die II Augusti eiusdem Anni in praefata Congregatione urgentibus perspicuis Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum sanctionibus semel et iterum favore praedicti Ferdinandi Iulii Cardinalis et Praesulis resoluta fuerunt, ut patet ex subiecto eorumdem dubiorum, et consequentium Decretorum tenore, qui talis est nimirum: Olomucen. Iurisdictionis. Usque ab anno 1665 Episcopus Olomucen. Sacram hanc Congregationem consuluit pluribus propositis dubiis, quae respiciebant Iurisdictionem suam in Monasteria Sanctimonialium Regularibus Ordinibus subiecta ad intellectum cognitissimae Constitutionis Gregorianae cuius initium est. *Inscrutabili.*[1] Respondit Sacrum hoc Tribunal, dubiaque proposita definivit, sed non dum exequi potuerunt.

§ 4. Praecipui, qui inter ordines Regulares sese opponant Episcopi Iurisdictioni in Moravia, Benedictini sunt, Cistercienses, et Premonstratenses. Multa sunt quae ipsi praesidio exemptionum hactenus gesserunt ad declinandam Visitationem Episcopalem in Parochiis, quae vel unitae sunt eorum Monasteriis, vel eorum Iurispatronatus sunt, et iurisdictionem Episcopalem in Monasteriis Sanctimonialium, quorum ipsi curam, et regimen habent. Haec ferre non valens Eminentissimus Dominus Cardinalis de Troyer Episcopus Olomucen. ductus eo, quo praestat, zelo servandi Sacrorum Canonum, et

[1] Cf. N. 199.

Constitutionum Pontificiarum dispositionem, atque Ecclesiasticam disciplinam, narravit omnia in Visitatione Sacrorum Liminum, ita ut necesse fuerit etiam auctoritate Sanctissimi Domini Nostri plura adhibere remedia, quibus in ordinem redigeretur Regularium illorum adversus Episcopalem Iurisdictionem licentia. Res tandem delata fuit ad iudicium Eminentissimorum Patrum; longum esset singula, quae Regulares sibi debita esse contendunt, capita referre; poterunt Eminentissimi Patres illico ea assequi lectione XIV Dubiorum, quibus causa omnis collecta fuit quaeque hic subiicimus nullo negocio expedienda, cum fere omnia pluries sint in aliis causis definita, vel in ipsa littera Apostolicarum Constitutionum reperiantur expedita. Facta etiam plurima, quae his Dubiis disputandis causam dederunt, quaeque si referrentur, folium in volumen excresceret, legent in libello Em. Episcopi. Cautum quoque fuit decreto ea dubia non esse disputanda, quae sive ab uno, sive ab altero eorumdem Ordinum Regularium legitime in actis acceptarentur ut fieri velle assertum fuit; quia vero nondum id factum esse scimus, ideo omnia Dubia subiicimus; a Regularibus nihil habuimus.

§ 5. Primum, « An Parochi Regulares cuiuscumque Ordinis illi sint, et praesertim Premonstratenses, Cistercienses, et Benedictini exercentes curam Animarum Saecularium, et non Commensalium in Parochiis in Dioecesi Olomucen. licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et annexae, sive sint de Iure patronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in Abbatibus, Visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum sive Episcopus visitet per se, sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum Monasteriorum », et quatenus affirmative, Secundum. « An dicti Parochi procurationem solvere teneantur; vocati ad synodum accedere sint cogendi, Festa Dioecesis Populo annunciare et celebrare, etc., pariter Chrisma, et olea Sacra ab Episcopo Dioecesano accipere teneantur »; Tertium, « An Parochi Regulares etiamsi sint Abbates, possint a Superioribus Regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere sine approbatione Episcopi »; Quartum, « An Regulares dari in Coadiutores dictorum Parochorum possint a Superioribus Regularibus sine expressa licentia Episcopi, sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione Confessariorum Regularium limitare eorumdem facultates, non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca in quibus debeant confessiones audire »; Quintum, « an liceat sive Abbatibus, sive Parochis Regularibus praesertim Cisterciensibus pro libitu, et sine licentia Episcopi pro Parochiis modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in qua Sacramenta a Parochis administrantur Fidelibus Dioecesis Olomucen. constituere »; Sextum, « An Praelati Regulares, ubi habent purum Iuspatronatus Parochiarum acquisitum, vel cessum a Laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo praesentare Sacerdotes Saeculares ut antea laici tenebantur, an vero possint substituere Monachos, eosque pro libitu, non salutato Episcopo, removere »; Septimum, « An ad Episcopum spectet cura Clausurae Monasteriorum Monialium Regularibus, et praesertim Cisterciensibus, et Benedictinis subiectarum, eamdem clausuram demandare servandam ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini »; et quatenus affirmative, Octavum, « An competat Episcopo Praelatis Regularibus praesertim Cisterciensibus, et Benedictinis prohi-

bere ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subiecti sine praesentia eiusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae »; Nonum, « An possit Episcopus inhibere Regularibus praesertim Cisterciensibus, et Benedictinis ut sine examine Ordinarii Puellas ad habitum et Professionem admittant, et praecise ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significato Ordinario die Electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit »; Decimum, « An competat Episcopo rationes exigere ab Administratoribus Bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum Monialium, et in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur sine indulto Pontificio et Episcopi licentia »; Undecimum, « An Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus, possint sine speciali approbatione Episcopi in Confessarios Monialium exemptarum a Superioribus Regularibus destinari », et quatenus negative, Duodecimum, « An saltem dicti Confessarii Regulares pro audiendis Confessionibus unius Monasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati censeri debeant approbati semper, et pro omnibus Monasteriis Monialium »; Decimum tertium, « An Regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi Confessiones sive Saecularium, sive Monialium se personaliter coram Episcopo praesentare, sive potius sufficiat a Superioribus de sufficientia, et idoneitate testimonium transmitti »; Decimum quartum, « An Praelati, et Abbates Regulares possint sine speciali indulto Calices, Campanas, aliaque Vasa sacra, in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum Ecclesiarum »; Decimum quintum, « An dicti Abbates, et Praelati teneantur servare Decretum ab Alexandro VII editum [1] circa usum restrictum Pontificalium Praelatis inferioribus concessum »; Decimum sextum, « An liceat Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter Regularibus, et praesertim Benedictinis, et Cisterciensibus in propriis Ecclesiis insolitam Imaginem, aut Sacram Reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere, et tandem in eisdem Ecclesiis praedicare, non petita ab Ordinario benedictione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia ».

§ 6. Die 7 Iunii 1755 S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Ad primum et secundum respondit « affirmative ». Ad tertium, « negative ». Ad quartum, « negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Ad quintum, « negative ». Ad sextum, « affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Ad septimum, octavum, nonum, decimum, « affirmative ». Ad undecimum, « negative ». Ad duodecimum, decimum quartum, decimum sextum, « negative ». Ad decimum tertium, « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Ad decimum quintum, « affirmative ». Reproposita vero causa sub dubio, an sit standum, vel recedendum a Decisis in casu, etc. Die 2 Augusti 1755; « Eadem Sacra Congregatio stetit in Decisis. M. Cardinalis Millinus Praefectus - T. A. Furiettus Secretarius - Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, relata Congregationis Concilii Decreta fuerint subinde in forma specifica a Sa. Mem. Praedecessore Nostro Benedicto Papa XIV confirmata per suas apostolicas Litteras, quarum initium est *Ad Solium iustitiae*, etc. datas XIV Kalendas Octobris anno MDCCLV Pontificatus sui XVI, quae quidem Litterae in praefata Olomucen. Dioecesi solemniter publicatae, et debitae exequutioni demandatae fuerint, ideoque ad eliminandos abusus in supradictis Colonien. Monasterien. Hildesimen. Paderbornen. et Osnabrucen. Dioecesibus succrescentes, et ad Ecclesiasticae disciplinae formam ibidem conservandam, aut restituendam, praecavendasque diuturniores controversias, quae inter Ordinarium et Regulares frequenter oriri solent, valde opportunum foret si eadem Decreta auctoritate Nostra ad eas quoque Dioeceses ampliarentur, ibique etiam inviolabiliter observanda publicarentur.

[1] Die 27 sept. 1659. - S. R. C. Decr. Authent., n. 1131.

§ 7. Idcirco praefatus Clemens Augustus Archiepiscopus, et Princeps Elector Nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos itaque re serio ac mature perpensa, animadvertentes omnia in superius relatis Decretis contenta utpote Sacrorum Canonum, et Tridentini potissimum Concilii Sanctionibus conformia, saepe etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus inculcata fuisse; proindeque aequissimum reputantes providis huiusmodi legibus iterato confirmatis, et promulgatis nova adversus gliscentes abusus Apostolicae providentiae praesidia obiicere, praedicti Venerabilis Fratris Nostri Clementis Augusti, et Principis Electoris precibus annuentes, exscripta superius Congregationis Concilii Decreta pro Olomucen. Dioecesi emanata, et pro eadem a praefato Benedicto Praedecessore approbata, et confirmata ex certa scientia, et Apostolica auctoritate Nostra iterum approbamus: et ad Coloniensem, Monasteriensem, Hildesimensem, Paderbornensem, et Osnabrucensem Dioeceses extendimus, et ampliamus; ita ut Decreta huiusmodi, in recensitis Dioecesibus, eam plane vim, auctoritatem, et exequutionem habeant, et obtineant, quam haberent, et obtinerent si pro iisdem Dioecesibus nominatim a praefata Congregatione Concilii condita atque edita fuissent.

§ 8. Sicque et non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios iudicari et definiri debere statuimus atque decernimus. Praesentes quoque Litteras cum omnibus in iisdem contentis omnimoda firmitate validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, atque a Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis in supradictis Dioecesibus existentibus, aliisque ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari volumus, et mandamus.

§ 9. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 72-75].

450.

Clemens XIII, const. *Ci è stato*, 13 febr. 1759.

§ 1. Ci è stato rappresentato, che nella Segreteria del Vicariato di Roma sia stata per molto tempo osservata con esattezza la regola providamente stabilita di non ammettere alla Vestizione dell'abito Religioso quelle Fanciulle, per le quali non sia prima depositata nel Monte della Pietà, o Banco di S. Spirito l'intera Dote, e non sia stata in seguito consegnata al Notaro della Segreteria la Fede autentica del Deposito. Che da qualche tempo in qua il Notaro della Segreteria invece di ricevere l'accennata fede di deposito, abbia introdotto l'abuso di contentarsi di qualunque obbligo o promessa si faccia da persona ancora poco solvibile; per lo che non potendo questa fare lo sborso effettivo nel tempo stabilito, debba trattenersi la Professione della Monacata. Che nell'anno della probazione alcune Novizie così vestite, invece d'attender unicamente alla vita ritirata, quieta, e lontana affatto dalle sollecitudini mondane, sono obbligate a procurar i mezzi, perchè in fine dell'anno sia pronta la Dote; si domandino rescritti Pontificj d'abilitazione, di coazione ai Luoghi Pii, e simili straordinarj provvedimenti.

§ 2. Ai quali inconvenienti tutti volendo Noi rimediare, e contribuir insieme per quanto può da Noi dipendere, che l'anno del Noviziato si passi dalle Religiose in azioni puramente divote, che possino ottener loro da Dio quello spirito di perfezione, al quale s'incamminano; con la presente Cedola di Moto proprio, ordiniamo a Voi, che in avvenire non permettiate, che si ricevino all'Abito Religioso quelle, che non avranno depositata nel Banco di S. Spirito, o Monte di Pietà l'intera Dote, che è dovuta al Monastero, nel quale vogliano professare; e ne pure permettiate alle Monache di convocar il Capitolo per ricevere alla Vestizione effettiva la Novizia, se prima non sarà fatto l'intero deposito, come sopra; del quale si dovrà leggere in Capitolo il documento autentico.

§ 3. E se per qualunque eventualità le Religiose mancassero a questo presente Regolamento, vogliamo, che la Superiora resti sospesa dal suo impiego, e solamente da Noi possa essere reintegrata; e che il Monastero, e Religiose abbino perduto il diritto di domandare la Dote all'Educanda vestita, e debbino contentarsi solo di quella somma, che sino a quel tempo sarà depositata. Ci contentiamo solamente per una ragionevole equità, che quelle Fanciulle quali già sono state accettate per Religiose con le solite formalità di dovute licenze, atto Capitolare, ecc., non restino soggette a questa nostra disposizione. Volendo nel resto, che questo nostro presente Chirografo sia pienamente eseguito secondo la sua forma e tenore; non ostante qualsivoglia consuetudine in contrario.

[Bull. Rom. Contin., tom. 1, p. 93].

455.

Clemens XIII, const. *Gravissimum*, 6 mart. 1759.

§ 1. Gravissimum, atque execrabile scelus, quo nefarii, perditique homines, Religione, ac pietati omni posthabita, divinaeque ultionis formidine excussa, Angelis ipsis tremendam, venerandemque Dei, et Salvatoris Nostri Iesu Christi in Altaris Sacramento praesentiam, maiestatemque spernentes, in ipsum, ac sacra, quibus actu asservatur, vasa, rapaces atque sacrilegas manus iniicere audent; cum Romani Pontifices Praedecessores Nostri, editis consultissimis Legibus, statutisque severissimis poenis, semper detestati atque insectati sint: Nos, ad illatam Augustissimo Sacramento, ac Deo ipsi atrocem iniuriam magis magisque propulsandam, horrendique criminis scandalum ab Ecclesia Dei eliminandum, Apostolico exurgentes zelo, leges ipsas in prophanos huiusmodi violatores denuo ferre, et adversus quaecumque effugia, illarum observantiam ac poenarum omnimodam executionem decernere in Domino iudicamus.

§ 2. Alias siquidem ven. mem. Innocentius Papa XI Praedecessor Noster ad id reprimendum, motu eius proprio, perpetua valitura Constitutione, sub Datum apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae MDCLXXVII, Quarto Idus Martii, Pontificatus sui Anno Primo, statuit, et decrevit, [1] ut omnes et singuli utriusque sexus, qui de furto hostiae consecratae, sive unius, vel plurium particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, per legitima indicia iudicialiter, iuxta Sancti Officii Inquisitionis contra haereticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti regulas, et praxim confessi aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius ordine, seu mandato, Hostiam, sive unam vel plures particulas consecratas praedictas, apud se retinuerint, vel alio transferre, aut exportare praesumpserint, condignis poenis, et animadversionibus pro facinoris atrocitate puniantur; et nisi constiterit non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice, Curiae saeculari traduntur, non obstante minori aetate, dummodo vigesimum attingant annum, quibus poenis etiam mandantes subiectos esse voluit.

§ 3. Eius deinde successor fel. record. Alexander Papa VIII etiam Praedecessor Noster, aequali zelo motus, per aliam suam perpetuo valituram Constitutionem, sub Datum Anno Incarnationis Dominicae MDCXC, Undecima Kalendas Ianuarii, Pontificatus sui Anno Secundo, [2] praedictam Innocentii Praedecessoris praefati Constitutionem in omnibus, non modo confirmavit, sed etiam addidit, omnes quascumque et singulas Personas, tam saeculares, quam Ecclesiasticas etiam regulares, cuiuscumque Dignitatis, status, gradus, ordinis, societatis, et instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, et indultis, et quavis speciali nota, et individuatione dignas, nulla

[1] Cf. N. 250.
[2] Cf. N. 255.

prorsus excepta, siquas ex eis, atrocissimi huius criminis reos esse constiterit, omnibus, et singulis, tum antiquis, tum in dicta Innocentii Praedecessoris praefati innovatis, etiam, quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, et traditionis brachio saeculari poenis, omnino, et irremissibiliter obnoxias fuisse, et esse, cognitionemque praedicti sceleris contra eas, ad Ordinarios Ecclesiasticos, et ad Inquisitores contra haereticam pravitatem, qui iuxta ipsius Alexandri, et aliarum quarumcumque, ad favorem fidei, et Officii Sanctae Inquisitionis huiusmodi Constitutionum editarum formam, et tenorem procedere valerent, et deberent, privative quoad alios quoscumque spectavisse, et spectare. Ac insuper memoratam dicti Innocentii Praedecessoris Constitutionem, cum declarationibus ac dispositionibus praefatis, omnibusque et singulis superius contentis, et expressis contra quoscumque, sive saeculares, sive ecclesiasticos, etiam regulares, ut praefertur expressos, qui dictas Hostias, vel Particulas consecratas quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsos, vel alios quoscumque, aut de alterius mandato habuerint, seu retinuerint, vel alio transferre, seu transportare praesumpserint, super quibus stari voluit iudicio, et interpretationi praefatorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Inquisitorum, quibus pariter cognitionem super praedictis reservavit, iuxta casuum, et personarum circumstantias et qualitates, cum iisdem poenis, etiam traditionis brachio saeculari, ampliavit et extendit.

§ 4. Postremo vero eiusdem record. Benedictus PP. XIV immediatus Praedecessor Noster, cui horrendae huiusmodi impietatis magis magisque praecavendae non minor pectori cura insidebat; per similem Constitutionem, sub datum Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Tertio Nonas Martii, Pontificatus sui Anno quarto, supradictas Innocentii et Alexandri Praedecessorum praedictorum Constitutiones, atque omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, et extensiones, in illis contentas, Motu eius proprio, confirmavit, et approbavit. Ac insuper opportune statuit et declaravit circumstantias, per quas de consecratione Hostiae, vel Particularum a Reo subreptarum constare posset. Ac decrevit quoque, exceptionem non probatae pravae intentionis Rei, abutendi Sacramento subrepto ad malum, vel sacrilegium finem, inutiliter a Reis, vel eorum Defensoribus proponi, nisi concludentibus, et iuridicis probationibus, adstruendis ab ipsis Reis, in quos tale onus refusum esse declaravit, huiusmodi exceptio constabilita fuerit, et iusta, ac excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti plene comprobaretur; prout in praedictis Innocentii, et Alexandri, ac Benedicti Praedecessorum praedictorum Constitutionibus, plenius continetur.

§ 5. Quia vero, ex Ecclesiae indulgentia ac lenitate, in nostro Inquisitionis Officio mos inolevit, ut si Reus in iudicio constitutus ad primas, et generales Iudicis interrogationes delictum suum plene, distincte, ac sincere fateatur, tunc cum ipso, veluti sponte confesso, mitius agatur, et citra eius traditionem saeculari foro, extremumque supplicium, triremibus vel carceri

[1] Cf. N. 340.

addicatur perpetuo; cumque ea fortasse indulgentia, graviorumque poenarum mitigatione abutentes sacrilegi homines, a tanto scelere, illiusque frequentia minus deterreantur, atque avocentur: hoc illis perfugium, et, qua prorsus indigni sunt, misericordiae, lenitatisque ecclesiasticae fiduciam eripiendam existimavimus, ut poenarum severitate, absque remissionis, vel moderationis spe aliqua sibi proposita, tam enorme flagitium patrare exhorrescant.

§ 6. Itaque vestigiis Praedecessorum Nostrorum inhaerentes, eorumque in gravioribus quibusdam, ac frequentioribus delictis severiori animadversione, ac duriori supplicio mulctandis, exempla sequuti; praecipue dicti Benedicti Praedecessoris, qui celebrantibus Missam, aut fidelium Confessiones excipientibus sine sacerdotali charactere, sinceram criminis confessionem in prima interrogatione generali factam, ad evadendam poenam traditionis brachio saeculari, in Constitutionibus Apostolicis inflictam minime suffragaturam decrevit:[1] Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, in tota Republica Christiana praefata, contra haereticam pravitatem, generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio; hac nostra perpetuo valitura Constitutione: in primis memoratas Innocentii, et Alexandri, ac Benedicti Praedecessorum praedictorum Constitutiones (quarum integros tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus, inserti forent, iisdem praesentibus pro insertis haberi volumus) nec non omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, et extensiones, prout illae et earum singulae in Constitutionibus praedictis expressae sunt, ipsarum tenore praesentium confirmamus, approbamus, et innovamus, easque et earum singulas in omnibus, et per omnia, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, integre, et inviolabiliter observari mandamus.

§ 7. Praeterea memoratam Tribunalium nostrorum praxim, atque consuetudinem, huius execrabilis criminis Reos, in primo eorum constituto confessos plectendi mitiori poena, ita ut iuxta memoratas Constitutiones per Nos, ut praefertur confirmatas, brachio saeculari minime tradi debeant; Motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac de eorumdem Fratrum consilio, ipsarum tenore praesentium, de medio tollimus, atque abolemus, legitimaeque observantiae vim nullam deinceps habituram, declaramus. Ac perpetuis futuris temporibus decernimus, atque statuimus, post tres menses a data praesentium computandos, nulli amplius Clerico, sive laico dicti criminis reo promeritae poenae minorationem aliquam intuitu promptae apertaeque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Iudicis fassus fuerit, concedi debere, sive posse: sed confessione huiusmodi non obstante, omnes singulos in praecedentibus supramemoratis comprehensos, a competente Iudice in casibus ibidem expressis, praevia

[1] Cf. N. 444.

etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, et esse brachio saeculari, debitis poenis, suppliciisque plectendos.

§ 8. Decernentes, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. I, p. 101-104].

452.

Clemens XIII, ep. encycl. *Cum primum*, 17 sept. 1759.[1]

§ 1. Cum primum incomprehensibili Pastoris aeterni iudicio in Beati Petri Cathedra constituti, Dominici Gregis curam suscepimus, complures audivimus Ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim Animarum Pastores, et Verbi Dei praecones, qui Civitates atque Provincias peragrant, poenitentiam Populis, et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas, quas pro Ministerii sui officio notarunt, pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam Ecclesiasticorum avaritiam, habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, utut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu, propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat, et ad saecularia desideria conversos, mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice addixerunt, quum inter sacrae institutionis mysteria, solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sive speratum, sive iam partum amittant. Hinc se ab abiecta quaelibet officia et ministeria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit ut laicorum plerique, non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed saepe etiam universum Ecclesiasticorum coetum, contemnant; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media, per quae suae, suorumque sustentationi consulere potuissent.

§ 2. Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares Viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus Communitatum suarum emolumentis, ultra Ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut Apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, huiusmodi corruptelam, unde Fidelis Populi scandalum, aliique noxii consequuntur effectus, de medio tollere satageremus.

§ 3. Verum quum ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius, aut Conciliorum Decretis, aut Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus statutum

[1] Venerabilibus Fratribus, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

legatur, nihil a Sanctis Patribus, Ecclesiarumque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae Ministri, cum Clerici, tum Monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et a saecularium negociorum sollicitudinibus arcere se debeant: cumque non solum spirituales censurae, sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui Canonicas Regulas hac in re infringere aut violare praesumpserint; omnibus mature perpensis, nihil Nobis reliquum esse iudicavimus, nisi ut Vos, Venerabiles Fratres, de constanti enixaque voluntate Nostra, Praedecessorum Nostrorum menti, Ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos, Paternis, Fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis, tam Ordinariae Vestrae, quam Delegatae Vobis Iurisdictioni subiectis, ad formam Sacrorum Canonum, et Decretorum Apostolicae Sedis, ac respective Synodalium uniuscuiusque Dioecesis Statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

§ 4. Ut igitur clarius innotescat, perpetuum Nostrum et Apostolicae Sedis studium, pro religiosa praedictarum legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo, aut consuetudini (quae corruptelae potius, et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate appellari debent), quibus Ecclesiastici quicumque criminosam suam in negociis curisque saecularibus immixtionem obtegere, aut excusare contenderent, Nos, omnes et singulas Canonicas leges, et Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, adversus Clericos negociatores, et saecularibus negociis sese immiscentes, praesertim a Pio IV,[1] Urbano VIII[2] et Clemente IX[3] latas atque editas, usque ad novissimam quam s. mem. Decessor Noster Benedictus Pp. XIV sub Dat. v Kal. Martii MDCCXLI, Pontificatus sui Anno I, evulgavit,[4] cum omnibus item et singulis poenis, atque Censuris per eas respective indictis, perinde ac si Decreta omnia in praemissis contenta, eorumque poenales sanctiones, praesentibus Nostris Litteris de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus, et innovamus; decernentes ac declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subiici, ac subiectas censeri debere omnes et singulas personas Ecclesiasticas, non solum e Saeculari Clero, sed etiam e Regulari, cuiuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, amplissimis licet et singularibus Indultis, Privilegiis, et Exemptionibus muniti, et cuius etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus huiusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis poenas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, iuxta casuum distinctionem, et procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede praescriptam, cum effectu mulctari et puniri debeant; non obstante contrario quolibet, usu, stilo, aut consuetudine, etiam immemorabili, quae aliquo in Loco, Dioecesi, aut Regione inolevisse dici posset; quam quidem Nos, veluti damnabilem abusum, et imperscriptibilem corruptelam,

[1] Const. *Decens esse*, 5 nov. 1560. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 58, 59.
[2] Cf. N. 211.
[3] Cf. N. 243.
[4] Cf. N. 306.

earumdem praesentium tenore, damnamus, proscribimus, et viribus omnibus vacuamus.

§ 5. Deinde Vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro Ecclesiasticae Disciplinae integritate, et Animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium, Vobis tam Ordinario quam Delegato iure subiectorum, agendi rationem sedulo inquiratis; ac, si quos forte huiusmodi avaritiae labe infectos, adversus Canones et Apostolicas Constitutiones peccasse comperietis, in eos, ad formam eorumdem Canonum, et Constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

§ 6. In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudolenter componant, ut quatenus eorum crimen in iudicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi, suaeque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem, aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent. Modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a Superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi coniunctorum, bona, negociationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex charitatis officio, et directionis titulo, procurare se praedicabunt.

§ 7. Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit iudicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negociatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super huius gravissimi Ecclesiasticae Disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram, Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis; iisdemque, oblata opportunitate, graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud Supremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiae Praesulem decipere, indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit, latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt, rerumque, et casuum adiuncta, quae allatas excusationes probabilius admittendas, reiiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum Vestrarum sapientia, et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

§ 8. Alterum vero, quod aeque cavere debetis, illud est, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et Spiritum Ecclesiae, ex privatis opinionibus adventas, et sine legitimi Superioris assensu, ad proprii cuiusque casus opportunitatem accommodatas, apud Vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum Saecularium aut Regularium negociationem, vobis Iudicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in Dioecesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro iudicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem, quae sicuti alias complures huius generis quaestiones, per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi iudicandique regula desumi valeat.

§ 9. Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram et Apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo, an Clericis liceat Cambium activum contrahere; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subiectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium litterarum tenore declaramus ac definimus, Cambium activum, natura sua, esse actum vere et propriae negociationis; ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam, illud contrahere; quicumque vero e Saeculari vel Regulari Clero, Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in Clericos negociatores constitutae noscuntur.

§ 10. Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod Saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique Clerico, canonicus Ordinationis Titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet; iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere) sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturalis Officii debito opem ferre teneatur; primum volumus atque decernimus, huiusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad Canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et Insulas adiacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu, opportunam dispensationem, et facultatem praedictas personas industria sua iuvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario, impetrasse.

§ 11. Deinde, pro eo quod pertinet ad huius Curiae nostrae Officia, notum facimus, nostram mentem et voluntatem esse, ut huiusmodi dispensationes et facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse: eoque etiam casu nunquam Ecclesia-

sticis permittatur, eiusmodi negociationis genus assumere, cuius administratio Clericalem statum et characterem dedeceat; quin immo in ipsis Indultorum Rescriptis et Litteris, indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, iusta moderatione servata, et intra veram indigentiae mensuram pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in huiusmodi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debebunt: hoc insuper advertentes, ne ea quae vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa, et iustis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur, (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos, certa annua pensione conventa colendos, exercendosque conducerent); eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absque iusta causa, et sine speciali Indulto usurpentur.

§ 12. Caeterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis, et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae Coniunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum exequutione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam, atque conscientiam onerari volumus, et re ipsa oneratam fore denunciamus.

§ 13. Verum non uni dumtaxat negociationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur Ecclesiasticae Dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem, totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius, atque securius abiicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari litterae Sacrorum Canonum, et Constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subiiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, et coeterorum quae in propriis Ecclesiaeve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus, vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et sollicitudinibus huius saeculi debitos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti, merito reputantur, infra ipsos abiectissimi status homines sese demittant; et qui Filii lucis esse et apparere deberent, saeculi filios, terrenae aviditatis anxietate, superare videantur. Hos aiebant, omnibus Nundinis, atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac specie, se sistere, nec quidquam minus, quam Clericalis moderationis, atque modestiae, vel Ecclesiastici decoris, et gravitatis, specimen praeferre.

§ 14. Quibus Nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta, et provida Ecclesiastici Patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus, et Ecclesiasticarum legum Conditoribus eorum diligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae Clericis, quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo

et forma, iisdem pemittitur, iis autem qui praescriptum modum excesserint, statutamque Ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae, tum etiam spirituales censurae, a Sacris Canonibus infliguntur; cuius rei innumera extant exempla in generalibus Canonici iuris legibus, ac etiam in peculiaribus Dioecesum statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura Clericorum, sive observanda, sive vitanda, praescribunt: ita Vos, Venerabiles Fratres, oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in Dioecesibus Vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod Clericalem statum dedeceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque Ecclesiastico Ordini existimationem, et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, quaerant et curent; sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis, ac severioribus Edictis propositis, eiusmodi Clericorum turpitudini et cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris maiorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio, ad caeterorum exemplum, coercere et punire.

§ 15. Et parem quidem, vel etiam maiorem Pastoralis zeli Vestri sollicitudinem atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures Ecclesiasticos Viros inficere, et ab Ecclesiae servitiis abductos, ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam Divino cultui, et proximorum utilitatibus, ex charitatis lege, impendere deberent, Laicorum obsequiis abiectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est iudicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit Laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus Christianae vitae documenta, aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eis in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

§ 16. Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte huiusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad Clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi Patrimonio, cuius fructus aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad Sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis Vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, Vos omnes et singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque Vos praebeatis, ne cui Subditorum Vestrorum detur ad Sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica Pensione, aut ex Patrimonio, sibi constituto, in casibus a iure permissis, omni submota collusione ac fraude, eam

reipsa non percipiat annui redditus summam, quae Synodalibus cuiusque Dioecesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

§ 17. Clericos autem et Sacerdotes in Laicorum Domibus eiusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedeceant, quaeque eos a Divinis obsequiis, et propriae perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum, et saecularium negociorum agitationem traducant, quamtumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos, de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota ordinariae ac delegatae iurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticae vitae instituta, et ad Clericalis Militiae munera revocare curetis.

§ 18. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae pro Apostolici Ministerii Nostri officio, ad Ecclesiastici Ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam, sollicitudini Vestrae suggerenda, enixeque commendanda iudicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, Vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui Subditorum Vestrorum facta, eorumque adiuncta, regionum necessitates, et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros, honesti, aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constitui, et melius agnoscere, et securius aestimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare, quodcumque dispensationis aut facultatis Indultum circa praemissa a quolibet Romanae Curiae Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio Vestro moderandum permittimus; nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus, et votis, adiectisque eidem Indulto eiusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum liceat, illius praetextu negocium ullum, aut ministerium minus honestum, contra interdictum Vestrum assumere, aut susceptum retinere et protrahere. Interim in Pastorali zelo Vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 227-231].

453.

Clemens XIII, ep. *Mirum sane*, 14 mart. 1760.[1]

§ 1. Mirum sane, ac ferme incredibile Nobis accidit intelligere quod Fr. tua cuius tota Dioecesis in Sicilia est ultra Pharum, in Calabriam praeterito Mense Septembri clanculum transiectaverit, ut Presbyterum quemdam cui sub initium praecedentis Augusti Prioratum S. Mariae XII Apostolorum de Balnearia institutione Episcopali contuleras, in possessionem ipse quoque

[1] Ven. Fr. Ioachimo Episcopo Cephalediensi.

immitteres, eidemque Ecclesiasticae iurisdictionis in Clerum, ac Populum illum potestatem quasi Episcopalem traderes; quod quidem idcirco incredibile videbatur, cum propter hactenus inauditam rei novitatem, tum vero etiam quoniam paulo ante officiosissimam Nobis Epistolam scripseras, de negociis tuae Dioeceseos, cui 8 Kalendas eiusdem Mensis Septembris responsum dedimus.

§ 2. Neque dicas oblatum tibi fuisse ab eo Presbytero, qui clam Neapoli discedens in Siciliam te convenerat, Regiae nominationis placitum, significatumque insuper, Balneariae Prioratum Ecclesiae Cephalediensi subiectum; siquidem neque de Regio Patronatu sermo nunc est, neque de asserta subiectione (haec enim cum piissimo Rege, aequo, et amico animo discutientur). Illud tantummodo quaerimus quo titulo, quo iure, qua autoritate ausus fueris demandare alicui sine Pontificio mandato potestatem quasi Episcopalem in Territorio perfecte separato, eumdemque manuducere in exercitium ordinariae iurisdictionis, quam in eiusmodi Districtibus a solo Romano Pontifice derivari Catholici omnes profitentur.

§ 3. Etenim illud primo animadvertere debueras, Balneariam neque in tua, neque de tua Dioecesi nunquam fuisse. Contra vero, Praelatos nullius nuncupatos, plurimorum saeculorum spatio, iurisdictionem quasi Episcopalem a Cephalediensibus Episcopis omnino independentem ibidem exercuisse. Deinde vero quamvis etiam ageretur de Paroecia intra fines Cephalediensis Dioeceseos indubie comprehensa, numquam potest Episcopus Territorium a Territorio separare, vel ex Parocho quasi Episcopum constituere, sine privilegio Apostolico, sine Pontificio mandato.

§ 4. Quod si profitearis, tibi numquam in mentem venisse, potestatem quasi Episcopalem simplici Sacerdoti de novo tribuere, sed in vim assertae subiectionis, Regiique Mandati recognovisse te, ac insimul confirmavisse in Sacerdote praesentato illam eamdem iurisdictionem, qua reliqui in antecessum Balneariae Praelati iam dudum gavisi fuerant, nisi obvium, ac patens erat Ven. Fr. quid Regi, eiusque administris respondere debueras, tibi scilicet nullum occurrere exemplum Cephalediensium Antistitum, qui destituerint, vel instituerint unquam Balneariae Praelatos: quod si unio illa Balneariensis Prioratus a Pseudo Pontifice Anacleto iam facta teneret, non Regis amplius sed Ecclesiae tuae Patronatus ille fuisset: demum vero cum palam omnibus esset, iurisdictionem ordinariam in Clerum, ac Populum Balneariae per Regulares Praelatos ex privilegio Apostolico hactenus exercitam, non posse te neque naturam Beneficii Regularis immutare, neque iurisdictionem illam in Clericum Saecularem transferre. Tunc enim sapientissimus aeque ac piissimus Rex, eiusque probi doctique Consiliarii, non tam responsum hoc tuum non tulissent aegre, quinimo probavissent potius, atque commendavissent.

§ 5. Quare videat Fr. Tua quam inconsulto, ac perperam egeris: sive enim novam iurisdictionem quasi Episcopalem, per tuam Institutionem conferre putavisti, atque id nullo pacto efficere poteras, sive antiquam, quae per Balneariae Praelatos antea gerebatur, quasi in illo revivisceret, excitare cogitavisti, et gravius adhuc errasti; etenim spiritualis potestas, quae per Apo-

stolicum privilegium Monasterio, eiusque Coenobitis inhaerebat, nisi per novum Apostolicum privilegium, Pontificiumque mandatum in Presbyterum saecularem transferri nequibat.

§ 6. Haec autem pro paterna caritate Nostra fusius tibi Ven. Fr. explicare voluimus, ut considerares attentius quid mali feceris, quantamque iniuriam inconsiderate, uti arbitramur, non quidem Nobis, sed personae, quam immerentes gerimus, ipsique Apostolicae Sedi palam intuleris, cuius quidem Pontificiae authoritatis cum vindices, atque custodes a Deo constituti fuerimus, non possumus quin gravissimum moerorem Nostrum tibi significemus, tuique facinoris rationem repetamus.

§ 7. Illud etiam accedit non sine amarissimo fletu prosequendum, quod Presbyter ille, nulla legitima spirituali potestate munitus, cum per ostium non intraverit, quidquid agit, irrite ac perperam agit in Christianae illius plebis detrimentum. Frustra enim sacramenta dispensat, Confessarios adprobat, Clericos ordinat, edicta proponit, quorum omnium criminum ipse praecipuus auctor coram aeterno severissimo Iudice a Balneariensi Christiano populo expostulaberis.

§ 8. Verum quid inquam expostulaberis, cum te iam nunc redarguat, et coram Apostolica Sede plebs illa reum expostulet: novit enim, transmissaque a parentibus in filios traditione accepit, se iam inde a prima Ecclesiae institutione, Apostolicae Sedi conceptis verbis, praescriptisque sanctissimis formulis, commendatam, Romanisque Pontificibus per longissimum octo saeculorum, et ultra curriculum, nulla Episcoporum intermedia authoritate subiunctam; utique Ven. Fr. populus ille clamat, atque conqueritur, Alumnumque tuum intuetur invitus, aliosque Pastores supplex deposcit, ne spirituale pabulum, quemadmodum facit, per alienas Dioeceses quaerere cogatur.

§ 9. Consulito igitur Religioni tuae, et serio cogita, quomodo tot mala emendare queas, atque insimul Apostolicae Sedi satisfacere; dum tibi toto corde adprecamur a Domino, ut Spiritus Sancti gratia mentem tuam illuminet.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 299, 300].

454.

Clemens XIII, ep. *Cogitantibus Nobis*, 26 mart. 1760.[1]

§ 1. Cogitantibus Nobis de praeclara, ac vere insigni pietate, quam erga Catholicam Fidem, Sanctamque Matrem Ecclesiam diuturna Christianae vitae institutione Maiestas Tua profitetur, dubium non est, quin bene humaniterque accipiat, quae de Balneariae casibus non sine multis lacrymis in Hispaniam perscribere cogimur, quum renunciatum Nobis fuerit, eorum, quae hac in re, Neapoli, Tuo sub regimine, evenerunt, inconsulta Maiestate Tua, nihil immutari fas esse. Porro sensus quoque Nostros in adnexis paginis

[1] Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

latius describi mandavimus, quas una cum his literis Ven. Fratri Nostro Ioachimo Episcopo Sabinensi Cardinali Portocarrerio, in rebus Ecclesiae, Tuisque negociis gerendis, solertia, religione, prudentia spectatissimo, communicari voluimus, ut ipse quoque rei gravitate perspecta, acerbissimum dolorem Nostrum, literis suis, Maiestati Tuae significaret. Non agitur modo, carissime in Christo Fili Noster, de Regio Patronatu, de quo vel Tecum si libuerit, vel carissimo pariter in Christo Filio Nostro Ferdinando utriusque Siciliae Rege illustri amica tractatio institui poterit: interim vero Maiestati Tuae persuasum esse cupimus, Nos idcirco petitas Bullas Regio praesentato neutiquam concessisse, non quia lubitum non esset voluntati Tuae morigerari, sed quia religione detinebamur eas ob causas, quas ex adiunctis paginis Maiestas Tua cognoverit.

§ 2. Id autem quod Nos modo vehementer conturbat, summoque moerore conficit, facinus est hactenus inauditum Cephalediensis Episcopi, qui de simplici Sacerdote, quasi Episcopum constituere ausus fuit, eidemque potestatem ordinariam ut vocant in Clerum ac Populum Balneariae, quae in Territorio perfecte separato, nemine contradicente, a solo Romano Pontifice proficiscitur. Hoc sane per se ipsum unicuique, Antistiti vero praesertim, obvium, ac patens esse debuerat, atque hoc illud erat, quod Cephalediensis Episcopus pro sua Fide, et Sacramento, Divo Petro, eiusque Successoribus praestito, Maiestati Tuae significare debuisset: tunc enim propter eximiam et singularem prudentiam, ac Religionem Tuam non tam eum excusavisses, si ab eo sacerdote in Praelatum Ordinarium instituendo, abstinuisset, verum etiam more Tuo valde commendavisses, quod Episcopus ille timore Dei perterritus tantae offensioni, tantisque criminibus, quae inde sequuta sunt impedimento fuisset. Siquidem palam est, quod Presbyter ad ministerium illud quasi Episcopale sic assumptus legitima missione caret, neque potestatem, quam exercet, Romano Pontifici acceptam refert, neque Sedis Apostolicae gratiam, et communionem quaerit, ac proinde (proh dolor!) quidquid agit frustra, ac perperam, agit in spirituale detrimentum Balneariensis Populi; eoque insuper eius audacia devenit, ut ordinarii quoque Praelati fines transgredi veritus non fuerit, Clericos illius Sacerdotii ordinando, quod Balneariae Praelatis tributum non erat; tandem ea sibi quoque arrogare non puduit in Canonicis impedimentis tollendis, quae ne quidem Episcopi sine Apostolicae Sedis permissu, suis in Dioecesibus faciunt.

§ 3. Haec autem gravissima crimina non tam illi imputabuntur, quam Cephalediensi Episcopo, qui tot mala, cum posset, non solum non cavit, sed etiam dux fuit, et auctor, verum Nobis quoque culpae darentur coram severissimo aeterno Iudice, si tam multas, gravesque offensiones, inexcusabili silentio comprimeremus: quamobrem tot Christianarum ovium perniciem ex hac Apostolica specula prospicientes, amarissimo fletu pertusi Maiestatem Tuam per viscera misericordiae Dei Nostri, enixe quantum possumus obtestamur, ut innocentis populi miseratione, aeternaeque illius salutis amore incensus amoveri quamprimum iubeas luctuosum hoc schismatis initium, quod quidem si effeceris, quemadmodum pietate tua freti minimo dubitamus, non tam gravissimam animi Nostri aegritudinem lenieris, sec

quod potissimum est, Deo Opt. Max. gratissimum praestabis obsequium, qui rebus Tuis iam florentissimis, maiorem in dies prosperitatem, et stabile incrementum adiiciet, cuius pignus sit Apostolica Benedictio, quam Tibi carissime in Christo Fili Noster amantissime impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 305, 306].

455.

Clemens XIII, const. *Religiosam pacem*, 26 apr. 1760.

§ 1. Religiosam pacem, atque concordiam ubique servari decet, in iis vero praesertim Religiosorum Hominum coetibus, qui se totos Christianae humilitatis, ac poenitentiae exercitationibus devoverunt, et si quid ob humanae indolis infirmitatem ex adverso contigerit, Apostolicae Nostrae servitutis officium est, discordiarum semina sedulo extirpare, ne parvis ex scintillis magnum exurgat incendium. Exposuit Nobis dilectus Filius Seraphinus a Capricolle Ordinis Capuccinorum Generalis Minister demissis precibus, totius etiam Diffinitorii nomine oblatis, san. mem. Urbanum VIII praedecessorem Nostrum die VII Maii MDCXXXI decrevisse,[1] ut in Capuccinorum Ordine Fratres Laici Professi Clericis Novitiis praecederent, ac paulo post ipso adhuc Summo Pontifice Urbano VIII in vivis agente, exortum fuisse dubium, num sub Clericorum nomine censendi forent Sacerdotes, qui ad habitum Capuccinorum admittuntur, ita ut ipsi quoque, Laicis Professis, in quibusdam sacris functionibus, praecedentiae locum concedere tenerentur: quo dubio in Capitulo Generali anni MDCXXXIII per haec verba proposito: *Utrum scilicet Sacerdotes Novitii debeant praecedere Laicis Professis in Processionibus, et in Communione feriae V in Coena Domini* - Responsum fuit - *Affirmative: quia Decretum clare loquitur de Clericis Novitiis, non de Sacerdotibus, et ideo quoad Sacerdotes debet valere ius, et antiqua consuetudo, et ordo Ecclesiasticus.* Retulit praeterea idem dilectus Filius in iisdem precibus, hoc ipsum in universo suo Ordine religiose hactenus observatum.

§ 2. Cum vero nonnulli Fratres Laici Professi Provinciae Boeticae, occasione Sacerdotis cuiusdam Sacro Capuccinorum Schemate recens induti, motum facere, turbasque ciere praesumpserint, ne praecedentiae honore gauderet, nuperrime quoque in Generali Diffinitorio propositum fuit aliud simile dubium: *An scilicet Novitius Sacerdos in publicis, et privatis actibus ubique praecedere debeat Religiosis Laicis Professis.* Cui pariter in Congregatione habita die XVII Ianuarii anni labentis responsum fuit - *Affirmative:* inhaerendo definitioni iam latae de anno MDCXXXIII, quam supra memoravimus. Ut autem Laici Professi debito in officio humilitatis, religiosaeque obedientiae contineantur, nec amplius audeant sese extollere supra illos, quos elegit Dominus, ut ascendant ad Altare suum, eidemque sacrificium laudis, atque Divinam Hostiam litarent; Nobis idem Minister Generalis humiliter supplicari fecit,

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 6, I, p. 275.

ut novum hoc Diffinitorii Generalis Decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae Nostrae confirmationis munimine roborare dignaremur.

§ 3. Nos itaque dictum Generalem Ministrum, et Generale insimul Diffinitorium specialibus gratiis, atque favoribus prosequi cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, eorum supplicationibus inclinati, ne imposterum eiusmodi concertationibus religiosam tranquillitatem, atque concordiam interturbantibus pateat aditus, Decretum antedictum Apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, eidemque inviolabilis Apostolicae firmitatis robus adiicimus.

§ 4. Decernentes, etc.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 322, 323].

456.

Clemens XIII, ep. *Et paternus*, 4 mart. 1762.[1]

§ 1. Et paternus amor, quo te complectimur, et impositum humilitati Nostrae Apostolicae servitutis officium, ea Nos dissimulare non sinunt, quae et regulis antiquissimis minime consentanea sunt, et Apostolicae Sedis dignitati contraria; ac proinde diffiteri non possumus, non sine moerore accepisse Nos, in ista Toletana Dioecesi, ieiunium pervigilii S. Mathiae Apostoli in proxime antecedens Quinquagesimae Sabbathum, Episcopali auctoritate translatum; siquidem ignorare non poteras gravissimam animi Nostri reluctantiam in eo ieiunii die commutando, ne quod Ecclesiastici ritus est, Baccanalium turbis, quas impura superstitio invexit, et cum abolere nondum penitus queat, purissima Christi Sponsa detestatur, et fletu prosequitur amarissimo, concedere locum, eamque ob causam sua sede dimoveri videretur; neque tibi pariter incognitum esse debuerat, quod eximiae pietati carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici plurimum fidentes, eiusmodi petitionem pro se, et Aulico Comitatu per dilectum Filium Emanuelem Roda Regium Ablegatum Nostrum delatam, censuimus aequam eidemque indulsimus id, quod alteri praeterea nemini concessum a Nobis fuit; quae quidem a tanto Rege Apostolicae Sedi facta petitio, nonne satis erat ad ostendendum, soli Romano Pontifici pertinere ieiunium in Ecclesia universa receptum, cuius etiam mentio corpori Canonici Iuris fuit inserta[2] in

[1] Dilecto Filio Nostro Aloysio S. R. E. Cardinali de Corduba Archiepiscopo Toletano.

[2] C. 1, X, *de observatione ieiuniorum*, III, 46.

alteram diem transferre? Ac demum eaedem ipsae encyclicae literae Sa. Me. Benedicti XIV,[1] quibus eiusmodi translationem tum elargiri non renuit, si prae manibus sumantur, hoc ipsum non comprobant apertissime?

§ 2. Quare de moerore Nostro, Dilecte Fili, mirari non debes, qui eo gravior fuit, quo cogitabamus te, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem esse, et tam insignis Ecclesiae Archiepiscopum Hispanicae Nationis, quae Romanae Cathedrae observantissima semper fuit. Verum haec eadem cogitatio Nos pariter consolatur, certo enim certius fore confidimus, ut quae paternae charitatis impulsu duximus perscribenda, pro tua egregia in Nos, voluntate, et in Apostolicam Sedem obsequio aequi bonique facias, ac interea Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 226, 227].

457.

Clemens XIII, const. *Inexhaustum*, 3 sept. 1762.

§ 1. Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum a Iesu Christo Domino Nostro Ecclesiae relictum, Christiano populo maxime salutarem, et summopere in pretio habendum esse, Catholicae Ecclesiae auctoritas, et Summorum Pontificum praedecessorum Nostrorum gesta facillime suadent. Cumque per divinae gratiae abundantiam, nullis suffragantibus meritis, in suprema Beati Petri Cathedra constituti, modo ad pastoralem sollicitudinem Nostram pertineat, per universum Domini gregem vigili cura providere, ut omnia in ea honeste, et secundum ordinem fiant; veterem, et probatam Ecclesiae consuetudinem circa Indulgentiarum dispensationem, quantum fieri potest restituere, et servare, simulque Christifidelium utilitati occurrere studemus.

§ 2. Inter caetera siquidem spiritualium gratiarum dona, quibus Summorum Pontificum liberalitate Christifideles cumulantur, potissimum locum habet Plenaria peccatorum Indulgentia, et remissio, quae statis anni diebus conceditur, dum Romanus Pontifex solemni caeremonia populo coram ipso congregato benedicit, et non raro ipsius Summi Pontificis nomine, effundendae Apostolicae benedictionis super Principes Viros absentes delegata fuit facultas; sed inde invaluit praeter modum, usus etiam, verbi Dei Praeconibus indulgendi, ut similiter cum Plenaria Indulgentia, Apostolicam benedictionem, non singulari alicui personae, vel familiae, sed universo ad Ecclesiam confluenti populo impertiri valerent. Nonnullos pariter, non sine aliquo Ecclesiasticae disciplinae discrimine, circa harum facultatum exercitium, irrepsisse abusus deprehendimus.

§ 3. Ut autem spiritualium gratiarum dona, sancte, atque incorrupte administrentur, quodque adeo salubriter institutum est, in perniciem non cedat abutentium, praemissa omnia Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositae

[1] *Prodiit*, 30 ian. 1751. - Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 321-330.

examinanda commisimus, quae exquisitis etiam Consultoribus, votum suum Nobis aperiret. Postquam igitur, quid eadem Congregatio, auditis Consultoribus, hac in re sentiret, percepimus; omnibus mature perpensis, iustam rationem, congruosque limites in his praescribere volentes, de ipsius Congregationis consilio, Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et singula particularia indulta, et privilegia effundendi supra populum Apostolicam benedictionem, per Romanos Pontifices praedecessores Nostros, ac per Nos etiam, quibusvis particularibus personis, sive Ecclesiasticis saecularibus, sive cuiusvis Ordinis, et instituti Regularibus, ad certum tempus, seu ad eorum vitam, non tamen illa per praedecessores praedictos aliquibus Ordinibus Regularibus attributa, quae modo infrascripto salva esse volumus, respective concessa, et elargita, etiamsi eaedem particulares personae, ex quavis causa illa impetrarint, et in possessione indultorum, ac privilegiorum huiusmodi reperiantur, harum serie revocamus, ac de medio tollimus, et abolemus.

§ 4. Porro ad submovendos quosvis abusus, qui in hac re, vel suborti deprehenduntur, vel quandoque suboriri possent, et ad augendam erga Pastores eminenti Episcopatus dignitate pollentes, populorum devotionem, simulque Christifidelium utilitati, de immenso, et inextimabili thesauro Ecclesiae tradito consulere volentes, ipsarum tenore praesentium statuimus, quod deinceps Venerabilibus fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, nec non dilectis filiis Praelatis inferioribus, Mitrae, et Pontificalium usum, Territoriumque separatum cum vera qualitate nullius Dioecesis habentibus, et activa in clerum et populum iurisdictione gaudentibus, nunc et pro tempore existentibus; Patriarchis, videlicet, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, duabus anni solemnibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni, eorum respective arbitrio designando; Praelatis vero, praemissis qualitatibus praeditis, et propriis Territoriis degentibus, semel in anno, in uno ex diebus, quibus eorum singulis Pontificalium usus ab Apostolica Sede permittitur, populo in Ecclesia congregato, Apostolica Summi Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate, illiusque nomine, facultas solemniter benedicendi, cum elargitione Plenariae Indulgentiae, iuxta ritum, et formulam inferius tradendam, concedi possit, et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis respective Ecclesiis praefuerint, gratiamque et communionem cum Apostolica Sede habuerint, per Literas Apostolicas in forma Brevis, gratis, ut in similibus mos est, concedatur. Ad quorum effectum, ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, ac supramemoratos Praelatos, nunc, et pro tempore existentes, in Domino hortamur, ut pro dignitatum eorum splendoris augmento, et fidelium populorum ipsis creditorum, congrua erga Divinam iustitiam satisfactione, a Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, facultatem huiusmodi, ultro ipsis oblatam, postulent, et impetrare non praetermittant.

§ 5. Quoniam vero eas facultates, impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam Benedictionem, aliquibus Regularibus Ordinibus concessas praeservare intendimus; harum serie declaramus, illas iuxta concessiones Apostolica auctoritate factas, salvas et illaesas esse debere. Districte tamen dilectis

filiis eorumdem Ordinum Superioribus, et Professoribus, etiam speciali mentione dignis, facultate, et indulto huiusmodi gaudentibus, et qui in posterum gaudebunt, harum quoque serie praecipimus et mandamus, quod in illius exercitio, in omnibus, ritum, et formam a fel. rec. Benedicto Pp. XIV per eius Epistolam Encyclicam, sub die XIX Martii anni Domini MDCCXLVIII, Pontificatus Sui anno octavo editam,[1] praescriptum, servare: et insuper in dictis duabus solemnitatibus, quatenus Episcopi in illis facultate huiusmodi utantur, ab effundenda benedictione penitus abstinere respective debeant. Ac itidem, ad submovendam quamcumque dubii causam, declaramus etiam, per benedictionem Apostolica auctoritate, sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, sive per Regulares quoslibet, ut praefertur impendendam, nullam prorsus a censuris, et poenis Ecclesiasticis, scienter, vel ignoranter incursis, absolutionem concedi, neque ab illis absolutio praetextu benedictionis huiusmodi susceptae praetendi possit.

Decernentes, praesentes Nostras Literas, et in eis contenta quaecumque, semper validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri, et obtinere, atque iis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, ac respective ab omnibus observari debere.

Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis Apostolicis, et in generalibus ac Provincialibus Concilii editis generalibus seu specialibus Constitutionibus: nec non Ordinum Regularium quorumcumque praemissis, et aliis privilegiis, ac indultis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam simili motu, scientia, et potestatis plenitudine concessis, ac pluries approbatis, confirmatis, et innovatis: nec non Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent, exhibitae, vel ostensae.

Ritus vero, et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis pro impertienda Benedictione, una cum Plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo Crucis emisso, et in Episcopali Trono, cum Mitra, caeterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus Ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet.

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, in primis alta voce, per Ministrum, Superpelliceo indutum, legantur Literae Apostolicae, quibus Indulgentia Plenaria conceditur, una cum potestate benedictionem

[1] Cf. N. 386.

Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam, translata recitetur. Postea Episcopus surgens, iuxta ritum in Caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Ioannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae, et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens, et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus, tribuat Vobis Omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et Benedictio Dei Omnipotentis Pa † tris et Fi † lii, et Spiritus † Sancti *descendat super Vos, et maneat semper.* ℟. Amen.

Demum, post impertitam benedictionem, publicabitur latino, et vernaculo idiomate concessio Plenariae Indulgentiae, sequenti formula.

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre, et Domino Nostro, Domino Clemente, Divina providentia, Papa decimotertio, in enunciatis Apostolicis literis expressis, datis Reverendissimo Domino, Domino N., Dei et Apostolicae Sedis gratia, huius Sanctae N. Ecclesiae Antistiti; Eadem Dominatio sua Reverendissima, Summi Pontificis nomine, dat et concedit omnibus hic praesentibus, Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta: Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis Suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrarum revocationis, abolitionis, statuti, hortationis, declarationis, praecepti, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

[Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 292-295].

458.

Clemens XIII, ep. *Cum a multo*, 18 dec. 1762.[1]

§ 1. Cum a multo tempore frequentibus gravibusque querelis de labante pluribus in locis, seu potius ruente Ecclesiastica iurisdictione Nostrae aures, fere quotidie, magna cum molestia Nobis atterantur; nullis tamen ex partibus nuncios videmur accipere tristiores, quam qui e Germania vestra identidem ad Nos veniunt de violata Ecclesiae libertate. Iis enim multo gravius commovetur, et tamquam totidem vulneribus animus Noster custoditur, quod

[1] Dilecto Filio Nostro Francisco Christophoro S. R. E. Presbytero Cardinali de Hutten Episcopo Spirensi.

Nobis in mentem venit, nullam olim fuisse gentem, quae suo in Ecclesiam obsequio, et Sacrorum Canonum reverentia Nationi Germanicae anteiret.

§ 2. Nunc vero e Regionibus, quae Ecclesiae minus sunt obsequentes, isthuc a pluribus annis transiisse ingemiscimus, pessimi imitationem exempli, et eam ad Vos iudiciorum invectam esse rationem, qua foro Ecclesiastico in omnibus fere Clericorum causis silentium potest indici. Cuiusmodi ad Nos illud est nuperrime allatum de controversia, quam habet cum Capitularibus suis Decanus Spirensis; Capitulares enim illos, quum ea causa iamdiu in Nostra Romana curia ageretur, intelleximus ad Consilium Imperiale Aulicum confugisse, et a laica potestate postulasse, ut eamdem causam sub praetextu annexorum temporalium, iudicandam susciperet. Qua quidem Ecclesiasticae iurisdictionis declinandae ratione, perniciosissime de Germanica Ecclesia, eiusque libertate Capitulares illi meriti sunt; qui laicis Potestatibus occasionem praebent gravius in dies imponendi servitutis iugum eidem Ecclesiae, et auctoritatis Romani Pontificis funditus evertendae. Quae est enim, aut esse potest causa Clericorum, cui non aliquid temporale coniunctum sit? Quod si eiusmodi praetextui locus sit, ipse pro eximia prudentia tua vides, dilecte Fili Noster, actum esse fere de omnibus Ecclesiasticis iudiciis, actum de appellationibus ad Apostolicam Sedem.

§ 3. Quamobrem, qui ob delatam tibi amplissimam dignitatem in Sanctae Romanae Ecclesiae adscitus es Ministerium, te quanta maxima possumus animi Nostri contentione in Domino rogamus, et obtestamur, ut auctoritatem tuam hac in re omnem adhibeas, et quantum vales industria, sagacitate, et auctoritate id efficias, ut quo Capitulares inconsulta temeritate progressi sunt, inde magna sui laude referant pedem. Quod si consequare, mirum quantum quidquid est Episcoporum in tota Germania tibi debebit, mirum ab hac Apostolica Sede quantum inibis gratiam, et ab omnibus bonis quantum ipse feres laudis, et gloriae! Quam vero meritorum segetem apud Deum tibi parabis, ex eo facile potes coniicere, quod ab Ecclesia eius Sponsa, novam hanc iniuriam propulsaveris. In hanc denique praeclaram operam incumbenti, boni exitus auspicem tibi, dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 322, 323].

459.

Clemens XIII, ep. *Quemadmodum*, 25 maii 1763. [1]

§ 1. Quemadmodum fel. rec. Innocentius III praedecessor Noster Archiepiscopo Nidrosiensi praecipuam tribuit laudem, quod Romanam Ecclesiam non modo magistram in rebus, quae ad fidem, sed in iis etiam, quae ad disciplinam pertinent, consultam voluerit, sic te Ven. Frater laudamus, atque etiam amamus, quod ad Nos quaestionem Apostolico Nostro iudicio attu-

[1] Venerabili Fratri Iosepho Philippo Episcopo Salutiarum.

leris dissolvendam, sacri ne asyli gaudeat beneficio minor sexdecim annis, qui homicidii etiam praecogitati commiserit facinus.

§ 2. Huic quaestioni locum dedisse videntur plures Apostolicae Constitutiones, et Instructio Benedicti XIV praedecessoris Nostri ad Episcopos, qui sunt in ditione carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis Illustris, in ea parte, ubi de immunitate locali agitur, et de delictis exceptis. [1] Nos quidem consideravimus rationes contentas in iis scriptis, quae ad Nos misit ex utraque parte Fraternitas tua, tum ex parte Archiepiscopalis Curiae Taurinensis, quae minorem sexdecim annis declaravit esse restituendum Ecclesiae, unde, servata Constitutionum Apostolicarum forma, fuerat extractus, tum ex parte saecularis Fisci, qui iuxta praescriptum in memorata Instructione ad Tribunal tuum appellavit; ac examinatis earumdem rationum ponderibus, censuimus, Archiepiscopalis Curiae sententiam validissimis fundamentis iuris inniti; ideoque a te confirmari, eiusque exequutionem mandari oportere. Nam si Apostolicas spectemus Constitutiones, perspicuum est, in iis non contineri minores; quorum ita praecipuam singularemque rationem semper habuerunt tum saeculares tum Ecclesiasticae leges, ut nullius sanctionis severitas censeatur ad eos pertinere, nisi in ea expresse nominentur. Absurdum vero, et ab omni regula alienum seu potius monstrosissimum esset, si tantummodo, ubi agatur, sacrum ne illis asylum suffragari debet, nullus his legibus esset locus.

§ 3. Et quamquam non desunt qui publicum bonum, et Reipublicae praetexentes securitatem docuerunt, in iis sanctionibus, quae in atrocissimorum criminum reos poenas constituunt, minores contineri aeque ac maiores; ac propterea immunitatis beneficio privandos, etiamsi expresse non nominentur in Apostolicis Constitutionibus, quae caeteris idem immunitatis beneficium eripiunt; hanc tamen opinionem, ut erroneam praedecessores Nostri semper respuerunt, et Clemens VIII in primis, qui cum ageretur de pluribus reis, qui per proditionem hominem interfecerant, ab Archiepiscopo Panormitano consultus, num illis sacrum asylum suffragaretur, respondit, omnibus quidem utpote in minori aetate constitutis deberi Immunitatem, sed duos tantum iussit Ecclesiae restitui, quorum alter sexdecim, alter duo de viginti annis natus erat, caeteros vero propter atrocitatem criminis, summa sua potestate usus, privilegio privavit immunitatis. Quod attinet ad instructionem Benedicti XIV certissimum est, in ea nullam minorum fieri mentionem. Quae quidem ratio ex eo tantam habet firmitatem, ut nullo modo possit everti, quod Benedictus XIV per instructionem memoratam extendit ad loca, quae sunt in ditione memorati Sardiniae Regis, Bullam Clementis XII praedecessoris Nostri, quae incipit: *In supremo Iustitiae solio*, [2] quae quidem Constitutio in casu homicidii, quod neque casu, neque ad sui defensionem perpetratum fuerit, contrahendo inter angustiores fines privilegium minorum, privat beneficio immunitatis localis eos, qui minores sint

[1] Raccolta di Concordati, p. 365-381.

[2] Die 1 febr. 1735. – Bull. Rom., tom. 14, p. 17-23.

viginti quinque annis, sed maiores sint annis viginti, ex quo invicte conficitur eo privilegio gaudere, qui sint viginti annis minores.

§ 4. Pugnaretur autem cum omnibus iuris principiis, si quis contenderet, eam constitutionem ad loca, quae sunt in ditione memorati Regis, tantummodo productam extensamque fuisse in ea tantum parte, qua exceptioni casuum laxiores fines definiuntur, non vero in ea parte, qua minores viginti annis excipiuntur; neque enim eadem lex scindi potest, ut eius pars altera recipiatur, altera repudietur. Huc accedit, ipsum Benedictum XIV, satis hac in re suam mentem declarasse. Nam in ea Bulla multis post annis edita, quae incipit: *Officii nostri ratio,*[1] dum eam extensionem Bullae Clementinae a se in concordatis cum utriusque Siciliae, et Sardiniae Regibus factam commemorat, expressis profitetur verbis, se eam extendisse omnino in eo, quod Clemens XII addidit ad ius commune. Quidquid autem idem Clemens statuit de minoribus, id omne est ad ius commune quaedam additio. Praeterea iidem praedecessores Nostri Clemens XII et Benedictus XIV cum extenderent Bullam *In Supremo Iustitiae solio,* ad Regna Hispaniarum, et ad ditionem aliorum Principum, qui eam postulaverant extensionem, in suis quisque Constitutionibus disertissime afferunt quidquid de minoribus memorata Bulla Clementina constituit. Ex quo palam fit, illum non assequi veram Benedicti XIV mentem, qui putet, illum Pontificem aliam in ditione memorati Regis Sardiniae voluisse praxim inducere, ac minores, de quibus nullam mentionem facit in saepedicta Instructione, privilegio minoris aetatis omnino privasse; cui privilegio Clemens XII fines tantummodo ad aetatem viginti annorum praescripserat.

§ 5. His igitur de causis existimamus, rectam esse, quam in hoc casu, de quo Nos consuluisti, Archiepiscopalis Curia Taurinensis sententiam tulit, eamque a te confirmandam. Si qua vero supersit in hac quaestione dubitatio summa tibi cautio erit Ven. Frater, ne perinde ac generale principium amplectare, nimirum, in re dubia standum esse adversus immunitatem, quod secularis Fiscus contendit. Semper enim huic praepositioni contradixit Ecclesia, semperque contrariam, et doctrinam tenuit et praxim, tibi vero commodissime fortunateque contigit, Episcopale munus tuum gerere in eius Principis ditione, cuius praecipua quidem laus est summus amor iustitiae, sed qui pari sibi laudi ducit Religionem revereri: nec ignorat Religionem id postulare, ut summa veneratio sacris locis adhibeatur. Caeterum iustissimum est, maximeque cum aequitate coniunctum, maiores discernere a minoribus; quod discrimen leges ipsae in eo recognoscunt, quod minoribus non illa sit perfecta ratio, cuius defectu plena ab eorum criminibus videtur abesse malitia, ut idcirco statuerint minus severe in illos animadvertendum. Pari vero, seu potius eadem plane ratione, quam differentiam agnoscunt saeculi leges in poenis sanciendis adversus reos, eamdem aequum est in eisdem reis immunitatis beneficio defendendis Ecclesiasticas leges recognoscere. Publico prodesse aiunt bono si severius statuatur exemplum, et acerrime animadvertatur in eos, qui se tam atroci crimine adstrinxerint.

[1] Cf. N. 406.

§ 6. Sed si rem bene perpendas, parum inde Respublica trahit utilitatis: perraro enim fit, ut minores viginti annorum atrocissima admittant facinora; contra plurimum illa cautio Rempublicam iuvat, ne Ecclesiae vilescant, aut quidquam de illa detrahatur reverentia, quae sacris debetur locis, ubi quodammodo peculiarem sedem habet Religio; cuius si minuatur maiestas, communem perturbari tranquillitatem, et ipsam oportet labare Rempublicam. Denique tibi Ven. Frater, eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 350-352].

460.

Clemens XIII, ep. *Quantopere,* 16 nov. 1763.[1]

§ 1. Quantopere a connubiis inter Catholicos, et Haereticos abhorreat Catholica Ecclesia, et de aeterna filiorum suorum salute vehementer sollicita, ut semper eos absterruerit, ne cum Haereticis Matrimonii vinculum iungant, dilecte fili Noster, profecto non ignoras. Nunc autem id agi comperimus, ut in posterum in Alsatia licitum sit talia coniugia contrahere, quae videtur in rem fore Catholicae Religionis, si ea tantummodo conditione permittantur, ut suscepta inde soboles in Apostolica Romana fide educetur: hac ratione non longe abesse aiunt, cum Deo gratulabimur, populum istius regionis universum ad veram religionem esse traductum.

§ 2. Nobis vero longe aliter videtur et ex huiusmodi coniugiis existimamus, Catholicae Ecclesiae magnam cladem allatum iri. Si enim Mater, penes quam est prima sobolis educatio, a nostris sacris aliena sit, quid de liberorum religione non est timendum? Illa enim pro materno amore de aeterna eorum salute sollicite cogitans, nullam praetermittet occasionem, qua illos imbibat suae sectae doctrina, quam unice veram putat. Ac si Virum, vel in vigiliis ieiunantem, et carnibus abstinentem, vel poenitentiae Sacramento, animae suae sordes eluentem, vel ad Sacram Eucharistiae Mensam accedentem quasi inania sectantem, ut saepissime fiet, irrideat, id etiam certe fieri oportet, paullatim ut in animos puerorum illabatur sacratissimarum rerum contemptus. Quae vero a tenera aetate arripuerint, ea ex illorum animis difficillimum est evellere.

§ 3. Et contra si Mater quidem Catholicam Religionem colat, Pater vero alicui Haereticae sectae addictus, in puerorum conspectu dicta Uxoris, et facta, quae ad Religionem pertinent, iocularitER illudat, an non puerilis animus liberorum, penes quos plurimum valet Patris auctoritas, de veritate Religionis, quam sequitur Mater, nonnihil dubitaverit? Quid si seria oboriatur inter Virum, et Uxorem de Religione disputatio? An non liberi, quorum mens, alternantibus in parentum disputatione momentis, hac illac impellitur,

[1] Dilecto Filio Nostro Ludovico Constantino S. R. E. Presbytero Cardinali de Rohan Episcopo Argentoratensi.

sensim in Religionis prolabentur indifferentiam, qua nihil exitialius, nihil Religioni inimicius; cum omnem Religionem veram, falsamve funditus tollat. Illud etiam perspicuum est, Lutheranae haeresi per haec coniugia patentiorem aperiri campum, quo latius sese possit diffundere. Etenim puellae Luthe-rano imbutae errore, quibus nunc, nonnisi certis quibusdam in locis, cum Viris suis licet constituere domicilium, si Catholicis nupserint Viris, illos sequantur necesse est, ubicumque iis libitum fuerit habitare. Praeterea et nova nupta, plures e sua secta admittet in Viri familiam; nec prohiberi poterunt ab eius domo, falsae sectae Ministri, qui salutandi gratia eam conveniant. Hi nimirum suo non deerunt ministerio, quo oves suas in errore confirment, artemque suggerent Matri, qua in animis liberorum bonae doctrinae germina ab ipso tempore, quo incipiant erumpere, exarescant.

§ 4. Frustra igitur fuerit Catholicorum usque adhuc adhibitum studium, quo ex iis regionibus, quas tenent, damnati ab Ecclesia erroribus eliminarentur, cum impune licuerit in posterum, in medio eorumdem Catholicorum, eamdem veneficam doctrinam profiteri. Huc accedit, quod si alteruter Coniugum, qui Catholicus sit, vita functus, liberos in prima aetate reliquerit, alteri Coniugi Haeretico, liberum erit venenatis sectae suae sensibus, filios suos inficere. Vides igitur, dilecte filii Noster, quid de prole ex his coniugiis suscepta polliceri sibi possit Catholica Religio, et num vehementer timendum sit, ne cum per haec connubia propagare intendunt Catholicam Fidem, latius propagetur haeresis; et quod omnium deterrimum, maiores in dies vires capiat Religionis cuiuscumque indifferentia, qua plerumque ad impietatem aditus aperitur.

§ 5. Haec vero paullo fusius uberiusque persequuti sumus, sed ut ex harum prolixitate literarum, sollicitudinem Nostram intelligas, qui de re gravissima, et maxima, scribendi vix finem facimus. Sed ut sapientiae prudentiaeque tuae has rationes, quas supra tetigimus, quamobrem non sint permittenda haec coniugia, obscuras non fuisse arbitramur; sic religioni tuae, et zelo Domus Dei, quo flagrantem animum geris, plurimum confisi, dilectionem tuam obsecramus, et in Domino obtestamur, ut quantum auctoritate valeas, id efficias, ut his coniugiis nullus in Alsatia fit in posterum locus; in qua Provincia, Ecclesiae leges suum robur recuperarunt ex indicto, quod anno MDCLXXXIII cum tanta sui nominis laude edidit gloriosissimae memoriae Ludovicus XIV. Quod si consequare, non haec ultima laus erit tuarum pro Religione rerum praeclare gestarum, consilio et opera tua Catholicae Ecclesiae fidem, e tam gravi periculo ereptam suam incolumitatem retinuisse. Tibique praecipuo quodam charitatis sensu, dilecte fili Noster, quem unice amamus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 425, 426].

461.

Clemens XIII, ep. encycl. *Christianae reipublicae*, 25 nov. 1766.[1]

§ 1. Christianae reipublicae salus, cuius causam a Principe pastorum, et Episcopo animarum accepimus, vigiles Nos esse compellit, ne insolens, et teterrima librorum licentia, quae e latebris ad exitium, et vastitatem emersit, eo fiat perniciosior, quo se in dies efferendo sit latior. Execrabilis erroris perversitas, et inimicorum hominum audacia in medio tritici, qua scripto, qua verbo superseminans zizania, his praesertim temporibus adeo excrevit, ut nisi falcem ad radicem immittamus, et alligemus mala germina in fasciculos ad comburendum, parum absit, quin spinae pravitatis exortae plantationem Domini Sabaoth suffocare aggrediantur. Perditi enim homines ad fabulas conversi, et sanam doctrinam non sustinentes, quaquaversum invadunt arcem Sion, et per pestiferam contagionem librorum, quibus fere obruimur, in christianae plebis interitum serpentina venena pectoribus evomunt, illimes credendi fontes corrumpunt, et Religionis fundamenta convellunt. Abominabiles facti in studiis suis, sedentesque in insidiis clam e pharetra iacula educunt, quibus in obscuro sagittent rectos corde. Quod est tam Divinum, tam Sanctum, et vetustissima omnium temporum Religione consecratum, a quo impias continuerint mentes, et in quo oppugnando linguas suas tamquam gladium non exacuerint? Cucurrerunt primum adversus Deum erecto collo, et armati pingui cervice contra Omnipotentem roborati sunt. Impiorum deliramenta toties fracta e cineribus excitantes, Deum ubique praedicantem, et quotidie in oculos incurrentem denegant, non ex obtusa ingenii acie, sed solo depravatae voluntatis consilio; vel Deum ipsum desidem, et otiosum effingunt, cuius nec providentiam colant, nec iustitiam vereantur. Animae vero nostrae originem, et naturam ad imaginem supremi Conditoris creatam, et paulominus ab Angelis minoratam, foeda prorsus, et vesana opinandi licentia mortalem praedicant. Materiam sive creatam senserint, sive aeternam, et nulli causarum obnoxiam somniaverint, nihil tamen praeter illam in hac rerum universitate arbitrantur; vel coacti fateri spiritum cum materia existere, animam tamen ab hac coelesti conditione deturbant; nolentes intelligere, in hac ipsa, qua compacti sumus imbecillitate, spiritale quiddam, et incorruptum inesse, cuius vi sapimus, agimus, volumus, quo et futura providemus, et intuemur praesentia, et praeterita recordamur. Alii vero, etsi probe sentiant, abigendam esse procul terrenarum caliginem rationum, et ab illuminatae Fidei oculo depellendum mundanae sapientiae fumum; recondita tamen Fidei Mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis audent examinare ponderibus, et scrutatores facti maiestatis, opprimi non

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

verentur a gloria. Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quaestiones de altissimis rebus temere ventilantur; omnia sibi usurpat audax inquirentis ingenium, omnia scrutatur, fidei nihil reservans, et eidem detrahit meritum, dum in humana ratione quaerit experimentum. Nonne iis etiam necesse est indignari, qui turpissima et rerum, et verborum obscenitate severos, et pudicos mores per summum scelus corrumpunt, execrabilem vivendi licentiam suadent mentibus incautorum, et pietati extrema inferunt dispendia? Quid? quod scripta sua conquisito quodam nitore, et blanda orationis festivitate, ac lenocinio inspergunt, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius veneno erroris inficiant. Sic imprudentibus fel draconis in Calice Babylonis propinant, qui suavitate sermonis illecti, et obcaecati, toxicum, quo pereunt, non agnoscunt. Quis demum acerbissimo non conficiatur moerore, cum viderit infensissimos hostes, praetergressos quoscumque modestiae, ac debiti obsequii fines, editis, nunc certo, nunc ementito praelio, contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri sedem, quam Redemptor fortis Iacob posuit in columnam ferream, et in murum aeneum adversus principes tenebrarum; hoc perdito fortasse adducti consilio, ut, ubi caput afflixerint, liberius Ecclesiae membra discerpant.

§ 2. Itaque, Venerabiles Fratres, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, et de singulari sacramento humanae salutis edocuit, non possumus in tanta librorum depravatione, quin, quod Nostrarum est partium, studia devotionis vestrae excitemus, ut, qui in partem Pastoralis sollicitudinis vocati estis, in idem maiori quo potestis conatu conspiretis. Pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies; nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Dispensatores facti mysteriorum Dei, et armati illius potentia ad destructionem munitionum, satagite, ut creditae vobis oves, Christi sanguine redemptae, a venenatis hisce pascuis arceantur. Si enim necesse est a malorum hominum societate discedere, quod verba eorum multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; quam vastitatem pestilentia efficiet librorum, qui apte compositi, et artificii pleni, manent perpetuo, et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quae imbrobo, et occulto auctori aditus non pateret? Constituti ministri Christi in gentibus, ut sanctificetis Evangelium suum; perficite, laborate, et quantum in vobis est, opere, et sermone succidite fallaciae stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruite, insonate buccina, ne pereuntes animae de manu speculatoris requirantur. Agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis; pro potestate, quam a Domino accepistis. Praeterea cum nemo possit, ac debeat ab huius tristitiae participatione secerni, et in tanto fidei, et religionis discrimine una omnibus dolendi, una iuvandi communis sit ratio; avitam catholicorum Principum pietatem, ubi res postulat, implorate; gementis Ecclesiae causam exponite; et amantissimos eius filios, de illa tot nominibus egregie semper promeritos, ad opem ferendam excitate: ut, quoniam non sine causa gladium portant, coniuncta Sacerdotii, et Imperii auctoritate, perditos homines contra phalanges Israel pugnantes strenue compescant, et eliminent. Ad vos, Venerabiles Fratres, potissimum pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est, et tueri sanctissimum Fidei depositum, cuius custodiae in solemni inauguratione sacramento vos addixistis. Detegantur fideli populo vulpes, quae vineam Domini demoliuntur; moneatur, ne capi se sinat splendidis certorum auctorum nominibus, ne circumferatur nequitia, et astutia hominum ad circumventionem erroris; unoque verbo, libros execretur, in quibus aliquid resideat, quod lectorem offendat, Fidei, Religioni, bonisque moribus adversetur, et christianam non sapiat honestatem. In quo quidem plerisque vestrum intimo gaudio gratulamur, quod Apostolicis inhaerentes institutis, et Ecclesiasticarum legum strenui vindices omnia studia sua in hac avertenda peste fortes, vigilesque contulerint, nec siverint simplices tuto dormire cum serpentibus. Nos certe, qui sollicitudine omnium Ecclesiarum, et salutis Populi christiani angimur, et distinemur, nulli parcentes labori, vestro etiam in tam gravi periculo adiuvari pollicemur. Deum interim in humilitate cordis Nostri rogare non desinemus, ut det vobis auxilium de sancto ad declinandam insidiantium hostium calliditatem, et ministerii vestri partes cumulate implendas; et in optati eventus auspicem vobis, et gregi vestro Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 3, p. 225-227].

462.

Clemens XIII, ep. *Cum a venerabili*, 21 febr. 1767.[1]

§ 1. Cum a ven. fratre Ioanne Maria Episcopo Regiensi, haud ita pridem accepissemus, Iudaeum quemdam, cui nomen Elias Sonninus, considerato consilio certoque animo, parvulas duas filias S. Matri nostrae Ecclesiae sponte sua obtulisse, superabundavimus gaudio, manusque ad coelum sustulimus, gratias agentes Deo, quod acerbitatem quotidianae Nostrae sollicitudinis et curae ex afflictis fere ubique catholicae Ecclesiae rebus ea lenire consolatione voluisset: quamquam gaudium Nostrum identidem stupore quodam intermittebat ex incomprehensibili Dei iudicio: qua enim gratia parvulis puellis sacro regenerationis lavacro oblatis porta Coeli quodam modo aperiebatur eiusdem gratiae fructum idem pater non potuit capere: qui Deo ab iudaica illum superstitione ad Iesu Christi fidem vocanti, obstinato animo restitit. Iussimus autem duas illas infantes a memorato Episcopo baptizari, cumque anxie illius literas expectaremus, quae Nobis afferrent, eas sacro ablutas lavacro ad christianam Ecclesiam fuisse iam aggregatas, inopinato ac plane horribili nuncio sumus perculsi. Nobis enim rescripsit idem ven. frater, se inscio, ex improviso parvulas illas, magistratus Mutinensis iussu, cathecumenorum domo, noctu extractas, ei ad Iudaeorum septa asportatas, perfidi parentis curae et custodiae fuisse traditas.

[1] Dilecto filio nobili viro Francisco Mutinae Duci.

§ 2. Quam indignitatem alia Iudaeorum consequuta est, magistratu Mutinensi pariter adiutore, in Ecclesiam iniuria. Quidam enim iudaeus ad catechumenorum aedes confugerat, quem hebraei omnino mentis impotem dictitabant. Episcopus in eius dementiae, quam illi tantopere praedicabant, cognitione et examine versabatur, diligenterque hominem excutiebat, serio ne de amplectenda christiana Religione cogitaret. Ecce autem, eodem pariter inscio et inconsulto Episcopo, magistratus Mutinensis ea nocte, quae noctem illam est proxime consequuta, cum memoratae duo parvulae infantes prope ab Ecclesiae sinu fuerunt abreptae, iudaeum illum ad hebraeorum habitacula reduci curavit.

§ 3. Quae iniquissima duo iudicia, disceptantibus hinc christiana Ecclesia, hinc iudaica sinagoga, qui a te, dilecte filii nobilis vir, existimasset esse profecta, atrocem praeclarae Religioni tuae et aequitati iniuriam faceret; nobis quidem minime dubium est, te insciente Mutinensem magistratum tam nullam habuisse rationem Ecclesiae, tam studiose favisse iudaicae perfidiae. Huius autem facti, de quo nemini unquam vel exiguo Religionis sensu praedito indignabunda satis suppeditare potest oratio, egregiae tuae pietatis erit funditus, si fieri potest, vel ipsam delere memoriam. Ad te confugimus, a te duas animas Iesu Christi sanguine redemptas, et per sacrum regenerationis lavacrum eidem sanctae matri, cui dono datae fuerunt, restituendas, quam maxime flagitamus. Qui tibi delectum facienti se exhiberet, et militiae vellet nomen dare, illum si quis malitiose a se suscepto consilio retraheret, cogitet, velimus, nobilitas tua, quam graviter ea de re iure quidem ac merito irasceretur. Ecclesiam pariter aestimato, dilecte fili nobilis vir, iure indignare et conqueri quod a suo sinu animae illae fuerint avulsae, quas vel ultronea sui ipsarum deditione, vel oblatione legitima suas propriasque iure censebat, iamiam per baptismatis sacramentum christianae militiae nomen daturas. At enim adulti illius iudaei cui mens integra non esset, improvida censenda est et inconsulta conversio: duarum itidem infantium oblationem inconsiderate factam inde quis recte iudicaverit, quod pater postridie quam filias Ecclesiae obtulit, factum mutavit, eamque oblationem infectam voluit. Ad hunc quidem modum in hac re disputant iudaei, iudaeorumque fautores, quibus magistratus Mutinensis omnem habuit fidem, nec prae sinagoga tanti esse christianam Ecclesiam aestimavit, ut eius etiam rationes censuerit audiendas. Quo nihil iniuriosius, nihil absurdius flagitante nimirum iudaica perfidia christianos iudices Ecclesiam indicta causa de sua quasi possessione deturbasse. Obstupescite coeli super hoc, et portae eius desolamini, verum de huiusmodi rebus solius est Ecclesiae iudicare.

§ 4. Illa enim iudaeum illum apud se diligentissime custodire debebat, ne cui fraudi aut subversioni esset locus, eiusque voluntatem accuratissime explorare. Eas vero parvillas infantes a parente dono acceptas, ac propterea suas et proprias Ecclesia iustissime possidebat, cui munus illud contra ius et fas minime ereptum oportuit. Satis enim notae sunt Ecclesiasticae leges, quae praescribunt quid facto opus sit tabulis in rebus, et innumera pene proferri possunt exempla, quae probant parvulos infantes ab iudaeis parentibus Ecclesiae oblatos, ipsius laicae potestatis auctoritate apud eamdem

Ecclesiam fuisse retentos, etiamsi parentes ad superstitionem iudaicam remigrassent. Quae quidem exempla in longinquis regionibus nihil est opus conquirere, sed eorum memoriam in ipsis ditionis tuae locis, neque altius quam ab aetate illustris parentis tui facile potest nobilitas tua repetere. Nam in eadem Regiensi civitate anno 1735 iudaea quaedam mater fuit, quae plures habebat filios. In his erat filia adulta aetate, quam christianae Religionis revera cupidam, ut a sancto proposito averteret nefaria mater, se quoque ad Christi Ecclesiam aggregari velle simulavit. Cui simulationi maiorem ut adstrueret fidem ad chatecumenorum domum commigravit, sexque alios Ecclesiae obtulit filios suos, partim puerulos partim adultos, quos apud patrem in iudaeorum septis reliquerat. Cum autem scelestae foeminae patefacta fuerit simulatio, parentibus frustra magno clamore suos reposcentibus filios, pronuntiatum fuit puerulos baptizandos, et qui adulta essent aetate, eorum esse animum explorandum, num et ipsi christianam Religionem vellent amplecti.

§ 5. Sed cui verus inest christianae Religionis amor, nihil est opus ecclesiasticas, quibus tenetur, leges commemorare, aut exempla adhibere, quibus tamquam stimulis excitetur. Summa huius rei huc tandem redit: animae sanguine Christi redemptae, adspirante divina gratia, dono dantur Ecclesiae, atque ita ex ore et faucibus inferni eripiuntur. Eas in potestate iudaeorum deserere, perinde est ac easdem aeternis poenis cruciandas ad inferos deturbare. Has a nobilitate tua nos summopere flagitamus, atque de Religione tua ea est nobis opinio, ut de iis impetrandis artam propemodum opem habeamus. Quod si postulata nostra (quod Deus prohibeat) repudiaveris, cogitato, quaesumus, dilecte fili nobilis vir, illum aliquando futurum diem, cum Iesus Christus Dominus gloriae, iudex vivorum et mortuorum, cuius nomen est super omnem principatum et potestatem, harum a te rationem animarum requiret quarum aeterna poena tibi imputabitur. Nos quidem cum de his nobilitatem tuam pro Apostolico nostro munere admonemus, animam nostram liberavimus. Ipse autem videto apud aeternum iudicem, quam excusationem sis allaturus, sed a pietate tua, dilecte fili nobilis vir, nihil Nobis non pollicemur. Interea nobilitati tuae paterno animi nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 3, p. 241-243].

463.

Clemens XIII, ep. *Opinionem*, 11 mart. 1767.[1]

§ 1. Opinionem de te Nostram tua non fefellit Religio; et cum ad nobilitatem tuam proximas literas scriberemus,[2] qui egregiam tuam voluntatem, et obsequentissimi filii devotum in S. Matrem Ecclesiam animum tuum abunde novimus, pro certo habebamus, ubi primum eas literas accepisses,

[1] Dilecto Filio nobili viro Francisco Duci Mutinae.
[2] Cf. N. 462.

te incunctanter de gravissimo illo scandalo amovendo cogitaturum. Itaque lectis literis tuis, noli quaerere, dilecte fili nobilis vir, quanto triumphavimus gaudio, cum pietatem tuam eiusmodi esse recognovimus, qualem semper fuisse et esse recte iudicavimus. Vidimus quae tua sit satisfaciendi Ecclesiae studiosa voluntas, et de tua ipsius aeterna salute quam solicita cura; qui ut in hac re securo incedas gradu, a Nobis ipsis te monitum velis, quid tibi faciendum censeamus.

§ 2. Itaque magistratum Mutinensem iubeas oportet, duas illas parvulas et adultum illum Iudaeum sine ulla mora ad catechumenorum domum remittere; et eas quidem, ut illico per sacrum regenerationis lavacrum christianae aggregentur Ecclesiae, illum autem, ut per 40 dies ven. frater Regiensis Episcopus eius animum diligenter exploret, et siquidem hominem comperiat cupidum esse christianae Religionis et disciplinae, salutari baptismate illum abluat; sin minus, ad Iudaeorum septa iubeat reduci. Ad hoc praescriptum Ecclesiae abunde nobilitas tua satisfaciet, omnemque tibi eximes scrupulum, qui te a posterum male habeat; quod quidem maxime tibi est providendum: nam in hac re, quae sane gravissima est, quidquid reliquum tibi erit scrupuli, nimio acrius quam existimaveris animum tuum absidue fodiet. Ceterum, dilecte fili nobilis vir, videto, quaesumus, ne te absente magistratus saecularis tales res iudicandas suscipiat, de quibus ad Ecclesiam unice spectat iudicium. Nunc autem quod sanctissimis Ecclesiae legibus tam prompto pareas animo, dici vix potest, id tibi tantopere gratulemur; et nobilitati tuae Deum precamur ut maxime sit propitius, iisque omnibus, quae optas, divinae gratiae suae numine obsecundet; tibique, dilecte fili nobilis vir, quem in Nostrae caritatis gerimus sinu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 3, p. 244, 245].

464.

Clemens XIII, const. *Alias ad Apostolatus*, 30 ian. 1768.

§ 1. Alias ad Apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestia, pervenit in ducatu Nostro Parmensi, et Placentino a saeculari illegitima potestate edicta quaedam contra Ecclesiae iura, et libertatem prodiisse, in quorum altero edito Parmae die 25 Octobris anni 1764 sub gravibus poenis prohibebatur, ne quis cuiuscumque status, gradus, et conditionis aliquem fundum, census, loca montium, bona tum immobilia, cum mobilia, pecuniam, iura, et actiones in ecclesias, coetus ecclesiasticos, aliaque loca pia, quae nomine *di mani morte* nuncupantur, exceptis dumtaxat Xenodochiis, et Brephotrophiis, atque etiam in singulares personas ecclesiasticas quocumque titulo, sive testamenti, sive successionis ab intestato, donationis inter vivos, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum transferre, distrahere, atque alienare posset, praeter vigesimam partem proprii cuiuscumque patrimonii, dummodo non excederet summam tercentorum scutorum Parmensium, eamque solum in numerata pecunia; vetita semper quacumque in dictas ecclesias, aliaque loca pia translatione, et respective acquisitione cuiuscumque fundi, vel quorumlibet bonorum stabilium, etiam ex causa adiudicationis per iudicis decretum, aut ad longum tempus locationis, aut devolutionis, aut emptionis, aut cuiuslibet alterius tituli. Praeterea in eodem edicto praecipiebatur, quod omnes, qui in aliquo regulari ordine, conventu, monasterio, aut congregatione religiosam professionem emittere voluissent, omnium bonorum suorum, ac iurium abdicativam, atque extinctivam renunciationem facere tenerentur, vel si, non facta eiusmodi renunciatione, praefatam professionem emisissent, perinde censerentur, ac si in humanis nunquam extitissent, quemadmodum haec omnia sub quibusdam conditionibus, et poenis constituta in eodem edicto, aliisque successivis declarationibus, et ordinationibus fusius continentur.

§ 2. In altero autem edicto die 13 Ianuarii anni 1765, Parmae similiter promulgato iubebatur, ut omnia bona, quae in postremis generalibus catastris Parmae, et Placentiae, vel Guastallae exaratis, sub laicorum nomine descripta reperiebantur, atque propterea omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis collectis, et oneribus de eo tempore subiiciebantur, iisdem pariter deinceps forent obnoxia, quamvis in ecclesiasticas personas, vel ecclesiasticorum societates et coetus ab huiusmodi oneribus immunes vel iam pervenissent, vel imposterum pervenire contingeret, perinde ac si penes laicum possessorem inscripta adhuc essent, cum aliis conditionibus et restrictionibus, quae in eodem edicto plenius habentur.

§ 3. Ut autem huiusmodi edicta, et omnia, quae in eis erant disposita, promptius et celerius executioni demandarentur, per quamdam notificationem die 8 Februarii anni eiusdem 1765 statutum est, ut assertus quidam magistratus super conservatione regiae, ut vocant, iurisdictionis per quoddam aliud decretum nulliter, et illegitime constitutus diligenter cognosceret, ac definiret omnes, et quascumque controversias super praefatis duobus edictis ortas, vel orituras, cum amplissima facultate ea etiam edicta interpretandi. et quae ad illorum executionem spectassent, exequendi summarie, et absque ulla forma, et figura iudicii.

§ 4. Tandem alio quodam evulgato decreto sub die 20 Februarii eiusdem anni iuxta praescriptum praefati secundi edicti die 13 Ianuarii sancitum est, ut sublatis quibuscumque privilegiis et immunitatibus, omnia bona in Parmensi ducatu existentia, quae in catastro incepto anno 1561, et absoluto anno 1568 descripta fuissent, collectis pendendis essent obstricta, quamvis ab ecclesiis, locis piis, aut personis ecclesiasticis in praesens possiderentur, ipsis quoque iniuncto onere nuntiandi laicis ministris quid, quantum, et a quo tempore quis possideret sub nonnullis poenis, et conditionibus ibidem expressis.

§ 5. Habita igitur per nos horum edictorum notitia, et quod praeterea varii, gravesque alii abusus in praeiudicium ecclesiasticae immunitatis, et iurisdictionis per dictam saeculi potestatem inducebantur, priusquam ad ea remedia intenderemus animum, quae pastoralis officii nostri ratio postulabat, et quae curandis vulneribus, iniuriisque repellendis, quibus Ecclesiae auctoritas, et libertas impetebatur, aptiora et efficaciora videbantur, ad ea potius, quae pacis sunt, cogitationes, et consilia nostra convertimus, atque propterea integro fere biennio non praetermisimus, omnibus, quibus potuimus, officiis, et oblatis etiam ad sublevandas populorum necessitates aequitatis, ac lon-

ganimitatis nostrae argumentis, suadere et deprecari, ut, quae publicata fuerant, edicta revocarentur, Ecclesiae dignitas, et laesa iura restituerentur; omnia demum, quae iniuste, et illegitime acta fuissent, tollerentur, et corrigerentur.

§ 6. Dum vero monitionibus, et cohortationibus nostris plene quidem Nos profecisse in Domino gratulabamur, res quippe eo devenerat, ut exhibita Nobis fuerint novorum edictorum exempla, quibus vetera illa supra memorata, tum etiam ea, quae contra iura, et rationes ecclesiastici ordinis indebite, atque attentate per saecularem potestatem gesta fuerant, revocabantur, atque retractabantur; dumque Nos ipsi parati eramus communitates, atque homines ducatuum Parmae, et Placentiae, et Guastallae peculiaribus favoribus, et gratiis prosequi; repente praeter omnem expectationem irrita facta sunt vota, et consilia nostra, et quae Ecclesiae libertati, ac iuribus inflicta pridem fuere vulnera, non modo iis, quae promissa fuerant, sanata non sunt medicamentis, sed superimposita sunt nova, atque graviora.

§ 7. Nam, sicut accepimus, eadem saecularis potestas novo primum edito edicto sub die 12 Ianuarii praeteriti anni, priora illa, pro quibus suspendendis fides data fuerat, renovavit, confirmavit, atque exequi iussit, nisi quod facultatem, quam in edicto diei 25 Octobris 1764 nulliter, atque indebite in totum ademerat, in hoc altero recentiori edicto restituit quidem ecclesiasticis personis acquirendi bona stabilia, et mobilia, quae ipsis obventura forent vel haereditario iure suorum ascendentium, et collateralium, vel alio emptionis, aut permutationis titulo; sed adiectis contra Ecclesiae leges, et instituta durissimis conditionibus; quod scilicet earumdem ecclesiasticarum personarum successio in haereditate ascendentium et collateralium non ultra quartum gradum protenderetur; quod insuper sese obligarent, earumque obligatio in actis alligaretur, pro huiusmodi bonis recenter acquisitis omnia onera vel imposita, vel deinceps imponenda subeundi, laicum forum non declinandi, eademque bona Ecclesiis, seu ut vocant, manibus mortuis nullo modo transmittendi. Mox vero alia sub die 26 Martii eiusdem praeteriti anni edita notificatione, eadem saecularis potestas quemdam assertum praefectum, nuncupatum superintendentem regium, designavit, qui facultate sibi nulliter attributa praeesset bonorum ad ecclesias, et coetus ecclesiasticos regulares, ac saeculares spectantium administrationi, erogationi reddituum, observantiae etiam institutorum, et praecipuarum legum cuiuscumque ordinis regularis circa ea, quae ad externum eorumdem ordinum decus, Religionis cultum, et populorum exemplum conservandum, et amplificandum spectassent.

§ 8. Ad haec insuper alia quoque promulgata fuit, atque etiam typis edita instructio, in qua, quaenam essent eidem regio praefecto commissa munia circa personas, bona, redditus, impensas singulorum conventuum, monasteriorum, collegiorum, congregationum, confraternitatum recensentur, quidam alii secundarii ministri, appellati regii conservatores, et commissarii, deputantur, ut in exequendis mandatis a supradicto incompetenti magistratu regiae, ut appellant, iurisdictionis quandocumque dandis, suam operam praestent, plurima alia demum eidem praefecto, et supradictis ministris suis adiutoribus curanda, et reformanda demandantur, tam quoad numerum regularium utriusque sexus, tam quoad monialium dotes, sumptusque faciendos

in ingressu in religionem, tam denique quoad ecclesiarum solemnitates, et festa, parochorum congruam, compluraque alia, quae nullo modo, uti exploratum est, a saeculari potestate propria authoritate, et arbitrio statui, et decerni possunt, sed ad ecclesiasticam potestatem omnino spectant, et pertinent.

§ 9. Hinc autem factum est, ut non modo praedictus magistratus assertae regiae iurisdictionis, sed praefati quoque praefectus, aliique laici ministri commissam sibi incompetentem, atque illegitimam potestatem in ecclesias, atque personas, et bona ecclesiasticorum exercentes, non dubitaverint sententiam proferre super celebratione missarum, super sacramentorum administratione in ecclesiis parochialibus, super adimplemento piorum legatorum; Episcoporum praeterea potestatem imminuerint, contempserint, atque impedierint, illis, qui temerariis eorum ausibus quoquo modo restiterunt, et iuxta canonicarum sanctionum normam obedire recusarunt, saepius intentatis minis carceris, exilii, terrorem incusserint, quandoque vero inflicta etiam poena vim intulerint, complures denique actus gesserint, quibus non veriti sunt ecclesiasticae potestatis fines invadere, et sacerdotii praerogativas, ac iura violare.

§ 10. Post haec, cum Nos charitati nostrae diuturniori longanimitate indulgentes, expectabamus ab alto opportunam opem, et iugibus lacrymis a Domino precabamur, ut qui illa admiserant, in eam a qua tam longe aberraverant, iustitiae viam, agnita tandem veritatis luce, redirent, non modo nullum cepimus charitatis et patientiae nostrae fructum, sed incredibili animi moerore, atque intimo cordis sensu nova atque acerbiora gravamina in priorum cumulum adiecta fuisse cognovimus. Nam sub die 16 labentis huius mensis Ianuarii Parmae prodiit edictum, in primis quidem contumeliosum, atque calumniis refertum, dein vero perniciosum, atque tendens ad schisma, quod christifideles a supremo Ecclesiae capite, oves a pastore avertere, et quasi separare studet, ecclesiasticam iurisdictionem opprimit, et sanctissime stabilitam hierarchiam infringit, quod iura, et praerogativas huius S. Sedis imminuit, et ab omnibus debitam eius mandatis, decretis, ac legibus obedientiam saeculari potestati subiicit, quod demum Ecclesiam Dei, quae libera est, facit ancillam. In eo enim praecipitur, ne subditi Parmensis, et Placentini, necnon Guastallae ducatuum, quicumque illi sint, saeculares, aut ecclesiastici, universitates, conventus, religiosae domus tam virorum, quam mulierum, nemine excepto, suas lites, etiam ecclesiasticas, in nullo extero tribunali, videlicet, neque in metropolitanis curiis, neque apud apostolicam Sedem, quemadmodum ibidem expresse cavetur, ullo modo agere vel tueri possint, nisi prius ab eadem saeculari illegitima potestate venia impetrata: praeterea omnibus prohibetur, ne apud exteros principes, ditiones, ac tribunalia, non excepta apostolica Sede, quasi exterum illud catholicis tribunal sit, recursus ullus instituatur, neque etiam pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis, pensionibus, commendis, in iisdem ducatibus sitis, nisi prius praefatae potestatis consensus praecesserit: statuitur etiam beneficia ecclesiastica, etiam consistorialia, pensiones, abbatias, commendas, dignitates, et munera iurisdictionem adnexam habentia, quaecumque illa sint, et quacumque speciali appellatione commemoranda forent, non ab aliis, prae-

terquam a subditis consequi posse: ita tamen, ut pro illis etiam idem consensus, et venia praefatae potestatis prius intercedat. Tandem ne quaelibet scriptura, mandatum, epistola, sententia, decretum, bulla, breve, aut alia provisio, quae ab apostolica Sede emanaverit, exequi ullo pacto possit in iisdem ducatibus, nisi impetrato exequatur, ut vocant, a saeculari potestate.

§ 11. Quum autem tum haec postrema praesertim, tum praemissa omnia, nimium sane per nos huc usque tolerata, libertatem, immunitatem, ac iurisdictionem ecclesiasticam, huius sanctae apostolicae Sedis iura ac praerogativas, ipsas denique sanctissimas Ecclesiae leges, instituta, et potestatem manifeste laeserint, ac violaverint, ac laedant, et violent; tum etiam in ipsorum magistratuum, iudicum, officialium, aliorumque tam mandantium, quam consulentium, exequentium, illisque favorem, et auxilium quoquo modo praestantium, aut approbantium, et, quum possint, non impedientium, nec corrigentium perniciem, ac propterea in scandalum plurimorum tendant, et christifidelium animae, de quibus districtam Deo reddituri sumus rationem, in gravissima pericula coniecerint, et deplorandis malis involvere pergant. Hinc est, quod Nos, qui ex commissi Nobis divinitus pastoralis muneris debito, ecclesiasticae libertatis vindices, nec non omnium Romanae, aliisque inferioribus ecclesiis, aut quibusvis personis, et bonis ecclesiasticis competentium iurium assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam, et sollicitudinem suprema dispositione gerimus, ne in tanta Ecclesiae oppugnatione diutius silentes, otiosi, ac desides incumbenti Nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, ac nimia longanimitate, proditae ecclesiasticae libertatis, desertaeque turpiter Dei causae, nec non negligentiae in tuendis, ac defendendis huius apostolicae Sedis iuribus rei efficiamur, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis ac exemplis insistens, nec non generalium conciliorum decretis, sacrorum canonum dispositionibus contra violatores ecclesiasticae libertatis, et eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, ac praesertim iis, quae in die coenae Domini legi, et promulgari solent, firmiter inhaerentes, atque omnium, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, nec non ministrorum, magistratuum, iudicum, officialium, aliorumque praefatorum qualitates, dignitates, nomina, et cognomina, aliaque quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione habita cum nonnullis ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorum consilio, et assensu, et de apostolicae potestatis plenitudine, praefata omnia, et singula edicta, decreta, ordinationes, mandata, ac alia quaelibet a ministris, magistratibus, iudicibus, et officialibus supradictis, aliisque quibusvis personis specifica, et individua mentione dignis, in praemissis, seu eorum occasione in praeiudicium libertatis, immunitatis ecclesiasticae, atque auctoritatis apostolicae, nec non huius S. R. E., Archiepiscoporum, et Episcoporum iurium respective, quovis modo emanata, edita, acta, gesta, et perpetrata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan, quod Deus

avertat, quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris ac momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum aut possidendi, seu quasi possidendi, vel praescribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si numquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cauthelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu poenitus et omnino vacuamus, et pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 12. Quodcirca ven. fratribus Episcopis Parmensi, et Placentino, et Burgi S. Donnini, nec non caeteris ordinariis praecipimus, et mandamus; ne edicta, decreta, ordinationes, et notificationes huiusmodi executioni mandari permittant; omnibus vero, et singulis eorumdem ducatorum personis tam laicis, quam ecclesiasticis, sive saecularibus, sive regularibus respective prohibemus, atque interdicimus, ne praefata edicta, decreta, ordinationes quovis modo exequantur, vel iis obtemperent, aut obtemperari faciant, multoque minus praefati magistratus, aut eiusdem ministrorum, seu alterius laicalis tribunalis foro sese subiicere audeant, vel praesumant.

§ 13. Caeterum cum notorii, et explorati iuris sit, eos omnes, qui edicta, decreta, ordinationes, mandata praedicta ediderunt, promulgarunt, aut quoquo modo pro iis insteterunt, vel illis usi fuerunt, eaque executioni demandarunt, ac alia praemissa, vel eorum aliqua perpetrarunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictorum executionem procurantes, vel per se ipsos exequentes, atque illegitimam potestatem supradictorum magistratuum, iudicum, officialium, conservatorum, et superintendentis assertae iurisdictionis in personas, res, bona, et iura ecclesiarum, vel Episcoporum, Praelatorum, ac regularium facto agnoscentes, censuras ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim literis die coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solitis inflictas, nec non omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet forsan concessorum amissionis poenas, eo ipso incurrisse, nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, ac insuper inhabiles et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec supradicta decreta, ordinationes, mandata, edicta, omniaque in executionem gesta, atque sequuta, et quomo-

dolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, eaque novis edictis, ordinationibus, mandatis, atque decretis e medio sustulerint, ac omnia in pristinum statum plenarie, et cum effectu reintegraverint, vel alias debitam, et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic S. Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint; idcirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione, et abolitione decretorum, edictorum, aliorumque praemissorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae, ac Nobis, et dictae Sedis satisfactione realiter, et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium literarum, seu alio quocumque praetextu minime liberos, et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore, et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore praesentium decernimus, et pariter declaramus.

§ 14. Decernentes, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 3, p. 483-489].

465.

Clemens XIII, ep. *Cum sicut accepimus*, 9 feb. 1768.[1]

§ 1. Cum, sicut accepimus, in altaribus ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum conventuum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum istius civitatis, et dioecesis Pacen. abusus irrepserit ponendi, sive ornatus titulo, sive alia quacumque de causa formas, seu figuras vere deridendas faunorum, avium sylvestrium, simiarum, aliasque imagines illis similes, quae loci huiusmodi sanctitati minime conveniunt, et in istis partibus, ut asseritur, nomine *Mamarrachos* vulgo appellari solent. Nos huic malo opportune remedium adhibere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, memoratas prophanas imagines, formas, seu figuras non solum a dictis, sed etiam a quibuscumque aliis altaribus omnium ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum totius dioecesis tuae praedictae omnino removeri, et ne in posterum ullo unquam tempore praefatae imagines, formae, seu figurae in altaribus huiusmodi ponantur, et collocentur, prohiberi sub censurarum poena ipso facto in utroque casu per inobedientes, seu contravenientes incurrenda, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium mandes, statuas, atque decernas.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus

[1] Venerabili fratri episcopo Pacensi in Indiis.

pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom. Cont., tom. 3, p. 489].

466.

Clemens XIV, ep. encycl. *Inter multiplices*, 21 sept. 1769.[1]

§ 1. Inter multiplices, gravesque curas apostolici ministerii, ad quod meritis licet imparibus, divina sic disponente clementia, haud ita pridem vocati sumus, nulla Nobis potior esse debet, atque praestantior, quam quae impenditur in dominicum illud de pascendis ovibus summa fide, ac religione implendum praeceptum, in quo uno recta non solum christianae reipublicae optime, feliciterque administrandae ratio, ac veluti summa posita est, atque constituta, verum etiam nostrae erga Deum dilectionis argumentum praecipuum, ac maximum. Ad hoc enim Dominus noster Iesus Christus Petrum apostolorum principem ter verbis illis interrogavit: *diligis me?* eidemque ad trinam sinceri amoris testificationem ter mystica dixit insinuatione: *pasce oves meas;* ut compertum inde esset, exploratumque, quanti suarum ovium curam ille faceret, quantumque Petro esset adlaborandum, ut dominici gregis sedulam, providamque gerendo curam, sui erga Deum amoris testimonium omnium firmissimum praeberet, atque clarissimum. Mandatum hoc Petro aeque impositum, ac Nobis, qui in illius Sede constituti sumus, illud potissimum exigit, atque suo veluti iure sibi vindicat, ut quae pascendis Christi ovibus necessaria Nobis visa fuerint, aut opportuna, ea saluberrimo disponamus consilio, curemusque prae omnibus, ut in animarum rectoribus instituendis ea servetur ratio, ac methodus, quae comparandae populorum saluti apta magis sit, atque accommodata.

§ 2. Significatum Nobis est, plerasque parochiales ecclesias istius Sardiniae insulae unitas olim fuisse ab apostolica Sede ecclesiis metropolitanis, et episcopalibus, capitulis, dignitatibus, canonicatibus, abbatiis, collegiis, universitatibus, aliisque piis locis, earumque habitualem curam apud praedictos esse metropolitas, episcopos, capitula, dignitates, canonicos, collegia, actualem vero apud vicarios ab iisdem parochis habitualibus designatos. Relatum quoque est, redditus huiusmodi vicariis pro stipendio constitutos ut plurimum tenues valde esse, et exiguos, eosque saepe saepius distribuendos esse in alios etiam presbyteros in subsidium vicariorum assumptos, tum etiam vicarios praedictos esse amovibiles ad nutum parochorum habitualium. Qua ex re illud consequi intelleximus, ut aliquando nullus fere reperiatur satis idoneus sacerdos, qui velit id oneris ultro, libenterque in se suscipere, utque eos, necessitate cogente, eligere aliquando oporteat in vicarios, qui tanto

[1] Ad Episcopos Sardiniae.

obeundo muneri impares sunt, et sacris officiis minus apti, quaerentes magis, quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, et qui *humanam amittere gratiam formidantes,* ut ait sanctus Gregorius Magnus *in Regul. pastoral.,* part. 2, cap. 4, *loqui libere recta pertimescunt, et iuxta veritatis vocem, nequaquam iam gregis custodiae pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.*

§ 3. Ex hac administrandarum parochiarum ratione quae, et quanta dimanent incommoda, et animarum detrimenta, experientia duce, ac magistra, nemo est, qui ignoret, ipsa per se satis superque loquitur: quinimmo praedecessores vestri saepius testati sunt, qui in relationibus status suarum ecclesiarum (quod et ab aliquibus ex vobis praestitum esse accepimus) quas occasione visitationis sacrorum liminum sacrae congregationi Concilii exhibuerunt, hac sunt de re vehementer conquesti. Ea nimirum omnia locum habent, quae summus Pontifex Ioannes XXII cap. *Execrabilis, de praebendis, extr.* paucis verbis indicavit: *Dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis, et honori, quae carentes defensorum auxilio in iuribus suis, et libertatibus multipliciter collabuntur, et ruinis patent aedificia nobilia ... et (quod amarius est, et dolendum) animarum cura negligitur, et vitiorum sentibus fomentum periculose praebetur.* Tot, tantisque malis providentissime occurrere non praetermiserunt praedecessores Nostri Romani Pontifices variis hac de re editis constitutionibus. Generali vero, constantique lege in Concilio Tridentino, sess. 7, cap. 7, *de reformat.* saluberrime sancitum fuit, ut *beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.*

§ 4. His inhaerens san. mem. praedecessor Noster Pius V peculiari sua constitutione incipien. *Quantum animarum cura* anno MDLXVIII pro ecclesiis Sardiniae insulae edita,[1] statuit primum, ut parochiales ecclesiae, ut supra adnexae, ad primaevum statum simplicem, et liberum revocarentur, ita ut in earum collatione dehinc ab Ordinariis locorum facienda observari omnino deberet Concilii Tridentini forma, quae de parochialibus conferendis ecclesiis praescripta est. Permisit deinde, ut qui plures parochiales ecclesias sic unitas iam obtinebant, easdem, vita eis comite, retinere possent, ea sub lege, et conditione, ut in earum aliqua ad cuiuslibet arbitrium intra sex menses electa, perpetuo residere tenerentur, in reliquis vero vicarii idonei constituerentur ab Ordinariis locorum debito cum stipendio, donec illis cedentibus, vel decedentibus locus fieret electioni singulorum rectorum in qualibet earum: ac demum in ecclesiis parochialibus, canonicatibus, dignitatibus, cathedralibus unitis, in quibus nullae adhuc vicariae perpetuae fuerant institutae, has quam-

[1] Bull. Rom., tom. 4, III, p. 44, 45.

primum institui mandavit, cum congrua fructuum portione etiam super certa re assignanda, ac per dictos vicarios propria auctoritate percipienda.

§ 5. Dolendum magnopere est, Pianam hanc constitutionem tot impediendis, extirpandisque malis, atque pristinum in splendorem restituendo praecipuo ecclesiasticae disciplinae capiti maxime accommodatam, suo penitus caruisse effectu. Nostra itaque plurimum interest, non aliquo, potentique remedio aditum omnem prorsus intercludere gravibus, periculosissimisque malis, quae ex praedicta parochialium ecclesiarum unione, ac praesertim ex mercenariis vicariis, et ad nutum amovibilibus quotidie magis proficisci intelleximus in maximam animarum perniciem; quae profecto mala eo pervenerunt, ut singularem charissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae regis illustris religionem excitaverint, ac insignem pietatem, ut ad hanc sanctam Sedem sua obtulerit officia, seduloque postulaverit, ut ad ea funditus extirpanda, ac radicitus evellenda Nostram apostolicam interponeremus auctoritatem.

§ 6. Nos itaque, qui in apostolatus apice constituti ad hoc sumus, ut religionis bono, communique animarum utilitati et saluti consulamus, de potestatis Nobis a Deo attributae plenitudine statuimus, atque decernimus, ut quaevis duarum, vel plurium ecclesiarum parochialium inter se uniones nullae, ac irritae habeantur, et sint, ac sine possessorum praeiudicio ex nunc pro tunc omnino dissolutae censeantur. Ex parochialibus item ecclesiis, quarum plures uni, eidemque dignitati, canonicatui, abbatiae, beneficio, vel officio ex apostolica dispensatione, aut alias adnexae sunt, et applicatae, una tantummodo pro arbitrio, liberaque voluntate eas obtinentium intra sex menses a die, quo praesentes nostrae literae datae sunt, eligenda, loco praebendae unita perpetuo remaneat eisdem dignitatibus, canonicatibus, abbatiis, beneficiis aut officiis quibuscumque; reliquas vero ex nunc pro tunc, una cum omnibus suis iuribus, et pertinentiis, separamus, et ad primaevum statum simplicem, et liberum, in quo ante praedictam unionem reperiebantur, sine tamen praeiudicio eas obtinentium, restituimus, et revocamus, ita ut iis cedentibus, vel decedentibus, quibus vita comite illas retinere permittimus, Ordinarii locorum, servata omnino forma praescripta a concilio Tridentino, sess. 24, cap. 18, *de reform.,* a s. Pio V constitutione *In conferendis* anno MDLXVI,[1] et novissime a Benedicto XIV constitut. 68 *Cum illud,* tom. I *Bullar.*[2] ad earum collationem iure ordinario deveniant, si vacatio in mensibus ordinariis contigerit; si vero in mensibus reservatis, actum praeelectionis magis idonei ad datariam apostolicam transmittant, literas provisionis assecuturi, uti fieri hactenus consuevit. Quo sane fiet, ut unicuique parochiali ecclesiae suus cum integris parochiae redditibus praeficiatur rector, cui totius parochiae cura spiritualis immediato incumbat, quemque parochiae populus, ut proprium suum sacerdotem, et pastorem agnoscat, et veneretur. Quod si praedicti plures parochiales ecclesias unitas habentes, intra praefinitum sex mensium spatium seligere neglexerint parochiam, quae loco praebendae eis esse debet, ad loco-

[1] Cf. N. 119.
[2] Cf. N. 333.

rum Ordinarios spectare declaramus, eam, quam maluerint, eligere ab eis in posterum, ac perpetuo retinendam. Interim vero in reliquis parochialibus ecclesiis, iis etiam comprehensis, quae alteri parochiae, seu rectoriae sunt adnexae, quasque possessores, quoad vivunt, retinere poterunt, assignari mandamus vicarios idoneos a suis respective Ordinariis approbandos cum debito stipendio, iuxta modum infra praescribendum; qui quidem vicarii e curae exercitio evocari nequibunt, nisi indicta causa coram locorum Ordinariis, quorum erit in eam inquirere, atque summarie, ac sine forensi strepitu sententiam proferre.

§ 7. Quoad parochiales vero ecclesias, quae unitae sunt mensis archiepiscopalibus, episcopalibus, vel capitulis, collegiis, universitatibus, locis piis, vel etiam canonicatibus, aliisque qui unicam tantummodo vel habent adnexam parochiam, vel habituri sunt, ubi praemissa suum consecuta fuerint effectum, inhaerentes sacri Concilii Tridentini sess. 7, cap. 7, *de reform.*, mandamus, ac praecipimus, ut immota remanente praedicta unione, in earum singulis intra sex menses a die subscriptionis praesentium literarum computandos, singuli deputentur vicarii perpetui, qui primario, ac immediate animarum gerant curam, assidue gregi sibi commisso invigilent, eumque verbo pascant, et exemplo, et in viam dirigant aeternae salutis. In iis autem ecclesiis parochialibus, in quibus magna populi frequentia, incolarumque distantia, aliave concurrant, quorum causa solus vicarius par esse non possit ecclesiasticis administrandis sacramentis, cultui divino peragendo, curaeque animarum ea, qua par est, diligentia, vigilique sollicitudine exercendae, tot assumentur sacerdotes, qui auxilium illi ferant, quot locorum Ordinarii pro sua conscientia satis esse iudicaverint ad sacramenta recte dispensanda, cultumque divinum laudabiliter celebrandum. Hi tamen sacerdotes pro-parochi appellandi praedictis respective vicariis subiecti erunt, tanquam iis, quibus praecipue, et immediate concreditum est onus pascendarum ovium, iisdemque morem gerent in iis, quae ad curam animarum pertinent. Ut vero praedictis vicariis extrinsecus etiam stet honor, et gradus supra reliquos presbyteros, seu pro-parochos, eos uti volumus ornatu, seu insignibus, quae caeteri parochialium ecclesiarum rectores in ipsa insula gerere consueverunt.

§ 8. De his tamen sacerdotibus, seu pro-parochis in subsidium adscitis curae animarum, vos serio monitos volumus, venerabiles fratres, ne quovis praetextu, aut nomine patiamini, ut ubi eorum plures constituti sunt, vel constituendi, curae regimen, caeterasque parochiales functiones per turnum, ut vocant, seu per hebdomadam obeundi onus in se suscipiant, ac veluti paciscantur, maximo, et divini cultus, et animarum detrimento. Quem sane ad tollendum abusum, extirpandamque corruptelam inviolate vobis observandum proponimus, quod hac de re sancitum novimus a Mediolanensi archiepiscopo s. Carolo optimo ecclesiasticae disciplinae restitutore, ac vindice fortissimo in *actis eccl. Mediol. conc. provinc. IV*, tit. *de parochiis et parochi iuribus*, per haec verba: *Nec vero ullo unquam modo patiatur, certa quadam hebdomadarum partitione, aliave ratione inter se inita... parochialis officii functiones, quae ab utroque etiam diebus iisdem utiliter praestari possunt, ita inter se dividere, ut ab uno tantum eorum, alternatim scilicet, vel per hebdomadas vel alia temporis vicissitudine praestentur; non enim ferendum est, ut cui ecclesiae parochiali complurium sacerdotum ministrorumve stipendia, alimentave olim attributa sunt, quo diligentius, et cautius illorum copia tum divinorum officiorum cultui, tam aliis ministeriis ad spiritualem populi curam necessariis, opportunisve consultum esset, illi aut avaritiae studio, aut dissidio, negligentiave ducti, vel onus sibi impositum, minoris quam par est, aestimantes, perinde ei ecclesiae deserviant, ac si non plures, vel unus tantum parochus, animarum curator constitutus in illa esset.*

§ 9. Per haec tamen satis prospectum haud foret recto parochiarum regimini, populorumque saluti, nisi et de iisdem deligendis vicariis apta aliqua tradatur ratio, ac via, ex qua constare possit, eos, qui ad id munus eliguntur, morum pollere integritate, scientia, aliisque animi dotibus, quae in animarum rectore praecipue esse debent, ac maxime necessariae. Cui rei pari Nos studio providere volentes praecipimus, ut parochis primitivis, ut vocant, seu habitualibus ius sit, et facultas vicarios perpetuos proponendi, seu nominandi; hos vero locorum Ordinarii, praevio experimento de eorum scientia, et moribus a tribus examinatoribus synodalibus sumendo, si idoneos repererint, quomodocumque, et quocumque tempore praedictas vicarias vacare contigerit, approbabunt, suoque iure ordinario instituent, quin vicarii sic instituti novam provisionem ab apostolica Sede reportare unquam teneantur. Iidem quoque parochi habituales proponent, et offerent Ordinariis locorum presbyteros, seu pro-parochos pro frequentia populi, locorumque ratione vicariis, ut supra, addendos, qui ubi a praedictis Ordinariis literas approbationis obtinuerint, ministerium assument curae animarum, a quo nonnisi Ordinariorum nutu poterunt evocari.

§ 10. Cum autem decimae a populo eo solvantur consilio, ut ex eis commodam illi percipiant, ac necessariam vitae alimoniam, qui ipsis spiritualia administrant, quique pro ipsis laborant, et vigilant, nihil certe aequitati magis consonum esse potest, et rationi, quam ut praedictis vicariis, qui ex officio et vi sui muneris populo spiritualia suppeditant, et pro eo labores subire, atque excubare primario, et continuo tenentur, congruum assignari debeat stipendium ad vitam honeste, decenterque traducendam. Quamobrem praecipimus, ac mandamus, ut iisdem vicariis perpetuis, ultra adventitia emolumenta, quae stolae, seu altaris proventus solent vulgo appellari, quarta pars fructuum, et redditum parochialis Ecclesiae, cui praeficiuntur, pro congrua constituatur, dummodo praedicta quarta pars, subductis omnibus oneribus, neque computatis missarum eleemosynis, aut piis fidelium oblationibus, praesertim quae offeruntur in administratione sacramentorum, aut aliis quibusvis minor non sit scutatis quinquaginta istius monetae. Quod si hanc ad summam ea non pertingat, tunc parochi habituales, quod deest, de reliquis portionibus eiusdem ecclesiae parochialis omnino supplebunt. Huiusmodi vero congrua portio iis in parochiis, in quibus auxiliares sacerdotes, seu pro-parochi adiungendi erunt, ita vicarios inter, et praedictos sacerdotes pro Ordinariorum prudentia, ac iudicio erit dividenda ut pars maior cedat vicariis, qui in parochiarum regimine, animarumque cura principem supra caeteros locum sibi vindicant. Si autem contingat, quartam

partem, ut supra assignatam, alicubi parem non esse tot alendis auxiliaribus ministris, quot vel populi frequentia, vel alia rerum adiuncta postulaverint; tunc episcopus, adhibitis iuris remediis a Concilio Tridentino propositis, pro sui conscientia prospicere curabit.

§ 11. Quod si sermo sit de cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis, quae parochiales sunt, et quorum cura vel apud episcopos, vel apud respectiva capitula, vel apud utrosque cumulative residet, a quibus ea exerceri solet per vicarios, *Domeros* vulgo nuncupatos, sufficienti ut plurimum congrua destitutos, fraternitatibus vestris mandamus, ut eam vicariis praedictis congruam assignetis portionem, quae satis esse possit apte, decenterque alendis iisdem non modo vicariis, verum etiam auxiliaribus, sacerdotibus, seu proparochis, et quae tum respondeat oneribus, aliisque, quae ii subire coguntur, tum quoque cathedralis ecclesiae parochum maxime deceat; metropolitae autem sedulo incumbant, ut a suis suffraganeis id rite impleatur, eorumque, quatenus opus sit (de quo tamen ne per suspicionem quidem cogitare possumus) negligentiam etiam ex officio supplebunt. Quod si vel ipsi metropolitae desides in hoc fuerint (quod nunquam futurum confidimus) opportunis Nos iuris remediis providere non praetermittemus.

§ 12. Quibus sic dispositis, inter ea plura, ac maxima, quae, ut supra innuimus, abunde sequentur commoda, ac utilitates, ea non minoris sane habenda erit momenti, qua fiet, ut omnis penitus vicariis praedictis auferatur occasio excusandi sese ab onere celebrandi diebus omnibus festis, applicandique sacrum pro populo sibi commisso, quemadmodum saepius antehac ab iis factum esse accepimus, eo potissimum nomine, quod congruos sibi parochiae suae redditus non suppeterent, vel quod ipsi essent ad nutum amovibiles, et ad tempus curae animarum addicti. Quo sane sublato praetextu, divinum hac de re mandatum non solum a propriis parochiarum rectoribus, verum et a praedictis vicariis accurate in posterum implendum esse decernimus, ac mandamus, non obstante quacumque etsi antiqua, vel etiam immemorabili consuetudine, conscientiamque vestram, venerabiles fratres, graviter in hoc oneramus, ut quovis etiam adhibito, quatenus opus sit, iuris remedio constitutionem Benedicti XIV, *Cum semper,*[1] hac super re editam diligentissime observari curetis.

§ 13. Haec sunt, venerabiles fratres, quae pro ea, quam gerimus, universi dominici gregis cura statuere tenebamur, ac praecipere, ne in re sane gravissima, maximique momenti officio Nostro deesse videremur. Tot, ac tanta Nobis sunt de vestra pietate, religionis studio, ac pastorali sollicitudine egregia testimonia, ut certa adducamur spe, ac fiducia tutissima, vos praedicta omnia, et singula vestris in civitatibus, dioecesibus, et locis esse quamprimum effecturos non modo, sed ut a caeteris etiam inviolate observentur, omnino curaturos. Id certe facili vos negotio ab his impetrabitis, si quemadmodum dignitate, ita vestro, ut decet, exemplo eis praeiveritis, vestramque in apostolicam Sedem observantiam, animique alacritatem in eius exequendis mandatis novo hoc argumenti genere omnium principes testatam

[1] Cf. N. 345.

feceritis. Quod si vestrum hac in re exemplum minus fortasse apud aliquos valuerit, contradictores quoslibet, et rebelles ecclesiasticis cohibete poenis, ac censuris, aliisque compescite opportunis iuris remediis, appellatione quacumque remota, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

§ 14. Nihil certe facilius contingere vobis posse arbitramur, quam singula nostris litteris contenta summa exequi fide, et obsequio. Habet enim parochia quaelibet, sicut accepimus, ac regio etiam nomine edocti fuimus, limites seiunctos, ac distinctos; habet parochianos suos, peculiares redditus, iura, officia, onera, privilegia, libros, et caetera, quae ad earum singulas pertinent. Quamobrem hoc unum a vobis praestandum superest; et secundum methodum superius a Nobis traditam, vel earum cuilibet proprium suo tempore praeficiatis rectorem, vel perpetuos vicarios constituatis. Neminem etiam conqueri posse putamus, vel grave nimis iugum, ac vix ferendum fuisse a Nobis per praesentes literas impositum, vel aliquod illatum detrimentum; tum quia habita a Nobis fuit eorum ratio, quamdiu vita comes iis fuerit, qui plures habent unitas parochiales ecclesias, quas retinere posse indulgemus; tum quia, licet supracitato Concilii Tridentini decreto, sess. 7, cap. 7, *de reformat.*, tertia fructuum pars vicariis perpetuis assignanda potissimum proponatur, Nos tamen quartam tantummodo illorum partem eisdem vicariis adiudicavimus; tum demum quia eamdem quartam fructuum portionem in quibusdam istius regni ecclesiis iamdiu vicariis attributam bene cessisse comperimus, atque constanti experimento cognovimus.

§ 15. Ne vero ad haec quomodolibet impedienda, vel differenda patrocinium ullus petat ab aliis constitutionibus, indultis, privilegiis, literisque apostolicis generalibus, vel specialibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus, vel statutis iuramento, apostolica approbatione, aut alia quavis firmitate quocumque modo roboratis, praedicta omnia, et si quae alia fortasse sunt peculiari mentione digna, revocamus, nulla esse decernimus, ac irrita, perinde ac si nullo unquam tempore concessa fuissent. Eademque potestatis plenitudine irritum ex nunc declaramus, et inane, quidquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, aut ignoranter contigerit attentari.

Habetis igitur in his, venerabiles fratres, paternae Nostrae erga vos, gregemque vobis commissum dilectionis, et sollicitudinis perpetuum monumentum, quod vestrarum dioecesum necessitatibus satis abunde facturum esse confidimus. Interea vos ex animo complectentes, ac intimo cordis affectu, apostolicam vobis benedictionem impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom 4, p. 35-40].

467.

Clemens XIV, ep. encycl. *Decet quam maxime*, 21 sept. 1769.[1]

§ 1. Decet quam maxime Ecclesiae ministros, et dispensatores mysteriorum Dei, ut ab omni avaritiae suspicione, etsi levissima, penitus alieni, sacro ita vacent ministerio, ad quod vocati a Deo sunt, ut manus suas ab omni se munere excussas gerere, iure ac merito possint gloriari. Hoc sane omnium primum mandavit Iesus Christus discipulis suis, dum ad praedicandum evangelium eos misit, per haec verba « *gratis accepistis, gratis date* », Matth. 18, 8. Hoc potissimum ab iis, qui assumendi essent ad altaris ministerium, exquirendum esse passim tradidit Paulus ad Timoth. 3, 8, ad Titum 1, 7. Hoc demum inculcavit Petrus animarum curae praefectis dicens: « *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non turpis lucri gratia, sed voluntarie* », 1 Epist., 5, 2.

Divino huic mandato, ut ea, qua par est, cura, ac diligentia obsequantur pastores imprimis ecclesiarum, qui exemplum esse debent fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, satis minime est, si ipsi irreprehensibiles se exhibeant, verum sedulo etiam cavere debent, ne ab inferioribus, quibus praesunt, ministris aliquid adversus illud patrari ullo modo permittant, semper prae oculis habentes egregiam Ambrosii sententiam lib. IV *in Lucam*, num. 52. « *Non tamen satis est, si lucrum ipse non quaeras: familiae quoque tuae cohibendae sunt manus. Instrue ergo familiam tuam, hortare, custodi: et si te fefellerit servulus, prophetico deprehensus repudietur exemplo.*

Hinc optimis, sapientissimisque legibus tum sacrosancta concilia, tum praedecessores Nostri Romani Pontifices aditum saepe saepius intercludendum putarunt, ut pravi hac in re abusus, vel nullo unquam tempore irreperent in Dei Ecclesiam, vel si quo forte invecti fuissent, de medio penitus tollerentur. Dolendum tamen, tam sacras, tamque opportunas sacrorum canonum, apostolicarumque constitutionum sanctiones suo apud nonnullas dioeceses caruisse effectu, neque eius fuisse roboris, ac virtutis, ut ad omnes prorsus contrarios usus radicitus evellendos valuerint. Quod ideo factum novimus, quia iis, quorum intererat eas accuratissime exequi, varias praetexuerunt excusationes, vel antiquae, inveterataeque consuetudinis, vel mercedis curiae ecclesiasticae ministris impertiendae, vel demum defectus necessariae substentationis ad vitam decenter, honesteque pro dignitate traducendam.

Haec omnia probe intelligens venerab. mem. praedecessor Noster Innocentius XI, ut opportunum his afferet remedium, irritasque prorsus ac inanes redderet excusationes quascumque, taxam confici iussit anno MDCLXXVIII, in qua collectis omnibus hanc ad rem spectantibus, quae vel in sacris canonibus dispersa continentur, vel a Concilio Tridentino saluberrime sancita sunt, vel a sac. congregationibus praedicti Concilii interpretationi, necnon

[1] Ad Episcopos Sardiniae.

consultationibus episcoporum praepositis fuerant variis temporibus declarata, atque statuta, ea omnia decerni, ac nominatim exprimi mandavit ecclesiastica negotia, pro quibus nullum omnino in foro ecclesiastico, et episcoporum curiis fas esset emolumentum percipere, eo tantum excepto, quod in solius cancellarii commodum, ac necessariam mercedem cedere debet. In eademque cautum simul fuit, ut his in rebus, una, eademque apud curias omnes ecclesiasticas esset methodus, ac uniformis, ut decet, disciplina, reprobata penitus quavis contraria consuetudine. Taxam hanc idem Summus Pontifex Innocentius XI die prima octobris eiusdem anni sua auctoritate approbavit, confirmavitque, eiusque observantiam, ac promulgationem iniunxit.[1]

Attamen ne hoc quidem satis fuit ad collapsam ecclesiasticam disciplinam ubique restituendam, compescendasque, quae variis in dioecesibus, alte iam invaluerant, pravas consuetudines. Ea enim statim opposita fuit exceptio, quod praedicta taxa legem minime imponat ab ecclesiasticis curiis etiam extra Italiam existentibus servandam. Verum dissimulandum haud erat, quaecumque in ea continentur decreta, ex sacris canonibus, ac maxime ex Concilio Tridentino desumpta esse, quibus proinde necesse omnino erat, ut curiae omnes ecclesiasticae religiosissime obtemperarent.

§ 2. Haec sane fuerunt in causa, venerabiles fratres, cur non sine gravi dolore, Nostrique animi afflictione intellexerimus, vestris in ecclesiasticis curiis plures adhuc circa spiritualis potestatis exercitium abusus locum sibi vindicare, qui ecclesiasticam disciplinam evertunt penitus, nedum enervant, ac in summum cedunt dedecus amplissimae, qua fulgetis, dignitatis, potestatisque, qua donati estis ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in aedificationem corporis Christi. Perspecta quidem satis superque Nobis et pietas vestra, conversatio sancta, sollicitudo ecclesiarum vestrarum: novimus etiam, qui in foro ecclesiastico vestrarum dioecesum reperiuntur taxarum abusus, retroactis temporibus inductos primum a secundario aliquo ministro, sensim postea eius exemplo ex dioecesi in dioecesim, insciis forsan episcopis, propagatos, et alicubi etiam auctos pro ratione praestantioris dignitatis ecclesiae: id autem minime advertentibus in officio, vel ministerio successoribus, ac praedecessorum vestigia incaute sequentibus, factum fuisse, ut iidem abusus, usu diutino iam roborati, digni partim visi fuerint, qui eorumdem ministrorum impulsu synodalibus probarentur constitutionibus; adeo ut culpae vobis nullo modo ii verti possint, immo commendatione vos plurimum digni sitis, propterea quod maximo ex iis affectos vos esse dolore intelleximus, deque iis extirpandis maxime cupidos. Sed animo Nos videntes, quam gravia id negotii in vos odia esset concitaturum, et quanta perficiendae rei interventura essent obstacula, nisi sociam ad id ipsum apostolica se adderet auctoritas; hanc propterea interponimus, praesertim propter taxarum diversitatem, diversamque praxim in variis dioecesibus vigentem, ad hoc ut non solum omnes ad aequam, iustamque redigantur mensuram, sed cunctae etiam unam, eamdemque laudabilem obtineant conformitatem. Quare confidimus de vobis in Domino, quoniam quae ad vos mittimus decreta pro apostolico

[1] Bull. Rom., tom. 8, p. 58-61.

Nostro munere, et ad petitionem charissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis illustris, cuius singularis in Nos, et apostolicam hanc sanctam Sedem observantia, nec non pietas, ac religionis studium quotidie magis elucet, eadem vos summa fide exequimini, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari diligentissime curabitis.

§ 3. Et ad sacras primum ordinationes quod attinet, latere vos minime possunt innumerae ferme, eaeque sanctissimae Ecclesiae leges, quibus vetitum quovis tempore fuit, ne episcopi, aliique sacrarum ordinationum collatores, aut officiales quicumque aliquid perciperent ex ordinum collatione. Id apertissime sancitum legimus in Calcedonensi oecumenica synodo an. 451, can. 2;[1] in Romana sub s. Gregorio Magno an. 600 vel 604, can. 5, alias epist. 44, lib. 4, indict. 13; in Nycena II oecumenica an. 787, can. 5;[2] in Salegunstadiensi an. 1022, can. 3; in Lateranensi IV sub Innoc. III, an. 1215;[3] in Turonensi, Bracarensi, Barchinonensi, aliisque apud Christianum Lupum in dessert. 2, prooem. *de simonia*, cap. 9, tom. 4, operum, et apud Gonzalez, in cap. *Antequam 1, de simonia*, num. 9, ac novissime in Concilio Tridentino, sess. 21, cap. 1, *de ref.*, a quo antiqui canones sponte oblatum recipi permittentes emendati sunt, et ecclesiastica de sacris ordinationibus disciplina ad primaevam suam avitamque puritatem redacta. Concilii decretum ita se habet: *Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum episcopi, et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex iisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit: contrarias taxas, at statuta, et consuetudines, etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quae potius abusus, et corruptelae simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando et interdicendo; et qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, poenas a iure inflictas ipso facto incurrant.*

§ 4. His itaque inhaerentes, mandamus vobis, ac praecipimus, venerabiles fratres, ne quid, etiam sponte oblatum, pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae, aut pro literis dimmissoriis, seu testimonialibus, aut pro sigillo, aliave quacumque de causa, et quovis praetextu, vel colore accipiatis, una excepta cereae candelae oblatione, quae ex pontificali romano fieri consuevit; ita tamen ut eiusdem candelae qualitas, et pondus arbitrio, ac liberae eorum voluntati, qui sunt ordinibus initiandi,

[1] C. 8, C. I, q. 1.
[2] C. 9, C. I, q. 1; c. 2, C. I, q. 7.
[3] C. 39, X, *de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V, 3.

omnino relinquatur. Eidem quoque parebunt sanctioni vestri generales vicarii, aut foranei, cancellarii, vel alii ministri, familiares, et famuli quibus gene ratim interdictum est a Sacro Concilio Tridentino occasione sacrarum ordinationum emolumentum aliquod, munus, aut strenas quovis titulo percipere, aut exigere.

§ 5. Quod si istis in dioecesibus nullum cancellario, vel notariis ecclesiasticae curiae constitutum sit stipendium vel salarium pro officio exercendo; tunc iisdem facultatem facimus, ut pro singulis literis testimonialibus ordinis iam collati, etiam clericalis tonsurae, vel dimissoriis pro eadem clericali tonsura, aut ordinibus ab alieno episcopo recipiendis, decimam tantum unius aurei partem, seu obulos decem monetae romanae exigere possint, et valeant, non tamen a regularibus arctissimae paupertatis voto obstrictis, pecuniaeque usum minime habentibus. Eamdem mercedis rationem servandam mandamus, etiamsi praedictae testimoniales literae, aut dimissoriae plures ordines respiciant, et contineant vel iam collatos, vel conferendos ab alio episcopo, ita ut nullo modo liceat praedictam mercedem obulorum decem augere, vel multiplicare pro ratione singulorum ordinum iisdem in literis testimonialibus, vel dimissoriis contentorum. Per haec tamen haud Nobis mens est, cancellarios, aut notarios adigere, ut diversos ordines distinctis temporibus, et ordinationibus collatos in iisdem literis testimonialibus debeant simul describere; id vero tunc dumtaxat fieri praecipimus, quum de iis agitur ordinibus, minoribus scilicet, qui una, eademque ordinatione collati fuerunt. Quoad literas autem dimissorias, quae dantur ad plures ordines ab alio episcopo suscipiendos, scripturas multiplicari interdicimus, aut aliquid aliud exigi pro rogando actu collationis ordinum, aut pro accessu ad locum ordinationis, aut alio quovis nomine etiam doni, vel praemii.

§ 6. In collatione vero ordinis subdiaconatus, cum maior a cancellario, seu notariis subeundus sit labor pro comprobanda veritate, ac idoneitate patrimonii, aut beneficii, ad cuius titulum promoveri quis optat, tum etiam aliis pro actibus collationi praedicti ordinis necessario praemittendis: hinc iisdem indulgemus, ut mercedem aliquam suo labori convenientem, ab episcopo pro suo arbitrio, et conscientia, quam hac in re gravatam volumus, taxandam, percipere possint; dummodo scriptura, sigillo, et caeteris omnibus computatis, unum aureum non excedat, seu iulios sexdecim cum dimidio. Liberum autem esse volumus promovendis ad ordines, vel eorum parentibus, quovis uti notario legitime approbatio ad subscribendum, rogandumque instrumentum, quin cogi hi possint ad sese, una cum necessariis testibus sistendum praedictis curiis pro institutione, ac stipulatione patrimonii, aliisque actibus de more conficiendis. Curiae vero notarius, cui huiusmodi instrumentum erit deinde tradendum, praeter mercedem ab episcopo, ut supra, definiendam, aut summam unius aurei, seu iuliorum sexdecim cum dimidio, tam pro eo excribendo, quam pro quocumque alio labore, nihil omnino poterit exigere, vel accipere pro decreti publicatione, vel pro literis publicatoriis, vel *alia quacumque de causa, aut quovis praetextu*, uti disertis verbis legitur in citato decreto Concilii Tridentini, et aperte declaratum fuit a sacra congregatione Concilii in *Vicen., die 7 februarii 1602*, et a sacra Congrega-

tione Episcoporum in *Gerunden., die 25 octobris 1588* apud Fagnan. cap. *In ordinando, de simonia,* num. 32, et seqq.

§ 7. Haec tamen omnia, quae mercedis loco ac notariis, vel cancellario exigi posse indulgemus, ea semper sub lege, ac conditione permissa censeri debent, dummodo nullum pro exercendo officio stipendium, seu salarium eis sit constitutum, et dummodo ex eorum commodis nihil omnino vel directe, vel indirecte vobis, aut cuivis alii ordinum collatori, vel officiali, aut ministro possit provenire, quemadmodum ab eodem Concilio Tridentino sancitum est. Quae duo locum sibi semper vindicare volumus in caeteris omnibus, quae nostris his in literis sumus constituturi.

§ 8. Ac demum a turpis lucri, et avaritiae suspicione excusari vix posse putamus pravam, quam in aliquibus ex istis curiis invaluisse audivimus, consuetudinem, pecunias exigendi tam pro facultate a vobis, vel generalibus vicariis impertienda, ut recenter in presbyteros ordinati primam missam celebrent, quam pro alia simili facultate, ut exteri nimirum sacerdotes commendatitiis suorum respective Ordinariorum literis muniti ad divina peragenda admittantur. Quam sane consuetudinem, etsi isthic invectam, ac servatam titulo stipendii, seu mercedis eis praestandae, qui ad periclitandam sacerdotum in sacris ritibus, et caeremoniis peritiam designantur, attamen tamquam a sacris canonibus alienam, ac pluries reprobatam de medio tollendam esse omnino praecipimus.

§ 9. Quae hactenus de sacris diximus ordinationibus, eadem ad beneficiorum ecclesiasticorum collationem, seu provisionem pari iure transferenda esse, planum vobis fiet, atque compertum, si vestros ob oculos posueritis Ecclesiae canones, qui ad radicitus evellendos abusus variis hac de re temporibus obortos, sunt constituti, cap. *Si quis,* c. I, q. 3, cap. *Non satis* 8, cap. *Cum in ecclesiae 9,* cap. *Iacobus 44, de simonia,* alibique apud Christianum Lupum in *cit. dissert. de simonia, cap. 10.* Et quamvis a sacro Concilio Tridentino nihil occurrat hoc de argumento speciatim statutum; sacra tamen Congregatio Concilii, approbante summo Pontifice Gregorio XIII declaravit, decretum cap. 1, sess. 21, *de ref.* vindicare etiam sibi locum in collatione beneficiorum, praesertim curatorum, nec pro sigillo aliquid accipi posse, non obstante quacumque immemorabili consuetudine; Garz., *de benef.,* part. 8, cap. 1, num. 76 et seq., Fagnan. in cap. *In ordinando, de simonia,* num. 31, Gallemart. in cap. 1, sess. 21, *de reform.* Hinc eadem sacra Congregatio in literis ad Melphitanum episcopum datis, summo annuente Pontifice, censuit, declaravit, et sanxit, collatores beneficiorum quacumque dignitate praefulgeant, nihil pro collatione, seu quavis alia dispositione beneficiorum, quovis quaesito colore, directe, vel indirecte, etiam sub nomine annatae, aut cuiusvis alterius portionis fructuum, etiam a sponte dantibus, vel offerentibus accipere, aut exigere posse; eorumdem quoque collatorum notarios et alios quosvis officiales, quibus tamen certum salarium aliunde constitutum est; eadem omnino servare debere: alioquin tam dantes, quam accipientes poenis contra simoniacos editis sacris canonibus teneri, ipsasque ipso facto incurrisse censeri; notarios autem, seu officiales alios a suis officiis suspensos esse. Apud Garz., loc. cit.

§ 10. Haec vobis significanda duximus, venerabile fratres, ut inde intelligatis, quantum ab ecclesiastica abhorreant disciplina, quae vestris in dioecesibus passim vigent consuetudines in beneficiorum collatione, quantaque cura eniti debeatis, ut eae funditus evellantur. Vestrum itaque deinceps erit, hanc vobis generatim regulam proponere, sanctissimeque servare, ut in beneficiis ecclesiasticis, sive curata ea sint, aut residentialia, sive simplicia, aut etiam manuales, ut vocant, capellaniae, a vobis iure ordinario conferendis, nihil omnino exigatis, vel percipiatis, quovis praetextu, aut colore, etiamsi titulo strenarum, muneris, aut voluntariae oblationis, praesertim vero pro approbatione, et praeelectione magis digni in concursu ad parochiales ecclesias, vel pro beneficii possessione. Eidem canonicae sanctioni obnoxios declaramus alios quoscumque collatores, vicarios generales, cancellarios, consanguineos vestros, familiares, et famulos, quibus aliquid percipere omnino vetamus.

§ 11. Ab hac generali regula excipiendi tantummodo sunt cancellarii, seu notarii, quibus, ut alias innuimus, nullum pro officio exercendo definitum est stipendium, seu salarium. Tunc enim cancellarius, si sermo sit de beneficiis curatis, pro edicto, seu literis, quibus concursus publice indicuntur, exigere poterit obulos decem, et pro quolibet eius, seu earum exemplari obulos quinque, et pro iisdem de more affigendis, obulos quinque, et si eaedem literae extra urbem debeant affigi, pro itineris expensis, aliisque ad id necessariis solvendum erit in dies singulos emolumentum a taxa cuiuslibet respectivae dioecesis praescriptum. Pro expeditione literarum collationis tam praedictorum beneficiorum curatorum, quam simplicium, cancellarius mercedem labori suo convenientem pro arbitrio episcopi recipiet, quae tamen scriptura, sigillo, caeterisque computatis unum aureum, seu iulios decem monetae romanae non excedat, uti pluries declaratum est a sacra Congregatione Concilii, maxime vero die 15 ianuarii 1594 apud Gallemart., loc. cit., et in *Vicen.,* 8 martii 1602, apud Fagnan., loc. cit., num. 32, et a sacra Congregatione Episcoporum 25 octobris 1588, ad 1, apud eumdem Fagnan. ibid., num. 35. Ad demum pro actu possessionis eorumdem beneficiorum, si intra urbem fuerint, iulios tres accipiet pro subscriptione instrumenti: si in suburbiis, iulios quatuor; si vero alibi, taxa servetur singularum respective dioecesum pro dietis, ut supra indicavimus. At si in loco, ubi situm est beneficium, adfuerit cancellarius vicarii foranei, vel eius notarius, hoc pro suo arbitrio uti poterit, qui beneficii possessionem adire debet, nec ullo modo cogendus erit, ut cancellarium advocet curiae episcopalis pro eodem possessionis actu rogando. Pro literis item testimonialibus approbationis in concursu ab examinatoribus relatae, et quibus uti solent, qui eas impetrarunt, in suae idoneitatis argumentum, iulios duos tantum a notario accipi pro mercede posse permittimus.

§ 12. Nos etiam minime latet, haud exiguum ferendum esse a cancellario, seu notario laborem in concursu ad parochiales ecclesias, sive dum excipit examen testium, qui a concurrentibus inducuntur ad suas probandas qualitates, merita, et res pro ecclesiae servitio praeclare gestas, sive dum in acta concursus inserit requisita, ut vocant, a concurrentibus exhibita, eadem summatim in scriptis redigit, eorumque plura exscribit exemplaria episcopo,

vel vicario generali vices illius obeunti, ac singulis tradenda examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium; quaestiones praeterea morales describit ab iisdem examinatoribus propositas, suffragium refert eorumdem examinatorum, actum rogat praeelectionis, concurrentium custodiae ad duos interdum, vel tres dies, tum etiam praedictarum quaestionum moralium scrutinio praesens adstat, etc. Cuius quidem laboris aliquam haberi posse rationem indulgemus, episcopi arbitrio relinquentes, et conscientiae, eam tantummodo mercedem statuere, quae soli labori respondeat.

§ 13. Quoad beneficia vero, quae a Sede Apostolica conferuntur, quatenus eidem reservata sunt, item quoad beneficia curata, de quibus datariae apostolicae exhiberi solent literae testimoniales approbationis, et praeelectionis in concursu habito ad formam Concilii Tridentini,[1] ac tandem quoad alia beneficia non curata, et praecipue residentialia, in quibus pariter offerri solent praedictae datariae apostolicae literae testimoniales de vita, et moribus, deque idoneitate eorum, qui beneficium petunt, caveant cancellarii, ne ullum pro iisdem literis exigant emolumentum, mercedem, vel aliud etiam sponte oblatum, praeterquam pro scriptura, papyro, et sigillo literarum de idoneitate duos iulios; iulios item duos pro literis testimonialibus de vita, et moribus.

§ 14. Pro executione literarum apostolicarum, quando hae expeditae fuerint in forma, ut aiunt, *gratiosa,* neque episcopi, aut alii praelati locorum Ordinarii, neque eorum vicarii, cancellarii, aliique officiales ullo modo praesumant executorum munus sibi necessario vindicare; sed pendeat omnino ab arbitrio, et voluntate eorum, qui de beneficio provisi fuerint, executorem, aut notarium sibi eligere pro actu adeundae beneficii possessionis. Quod si provisus de beneficio Ordinarium officialem elegerit, eiusque cancellarium, vel si literae apostolicae expeditae in forma *dignum,* ut praefertur, directae fuerint Ordinario, aut eius officiali, seu vicario, cui idcirco necessario competat illas exequi: utroque in casu si legitimus desit contradictor, ita ut executor solus sit, poterit cancellarius, exclusis penitus a quovis emolumento, munere, et voluntaria etiam oblatione episcopo, aut alio praelato, eius vicario, officiali, familiaribus, famulisque, ut supra diximus de beneficiis liberae collationis, percipere pro iisdem literis apostolicis exscribendis, referendisque in acta, tum etiam pro aliis omnibus actibus de more conficiendis mercedem, quam episcopus pro suo arbitrio, et conscientia labori congruam iudicaverit, dummodo non excedat scutum aureum, seu iulios sexdecim cum dimidio. Verum si adfuerit contradictor, ita ut instituit oporteat actus, seu processus iudicialis, arbitrio pariter, et conscientiae episcopi relinquimus, quam graviter oneramus, mercedem statuere, quae operae, laborive a notario, seu cancellario adhibito respondeat; quin ex his cancellarii, aut notarii commodis aliquid episcopo, vel aliis, ut supra, directe, aut indirecte provenire possit. Pro actu vero adeundae beneficii possessionis, eadem, quae superius diximus, observentur.

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 18.

§ 15. Quoad beneficia, quae sunt iurispatronatus, si dubium oriatur cum promotore fiscali, vel cum eo, qui beneficium impetraverit, super existentia praedicti iurispatronatus, quatenus liberae esse collationis aliquis eorum contendat, omnia servanda erunt, quae supra statuimus de beneficiis liberae collationis accedente contradictore. Cancellarius nimirum pro edicto adversus contradictorem, seu contradictores iulios duos recipiet; pro singulis illius exemplaribus obulos decem; pro eodem edicto affigendo, servetur, quod statuimus superius de beneficiis curatis; ac tandem pro literis institutionis unum aureum, seu iulios sexdecim cum dimidio. Si autem de iurispatronatus existentia nulla sit dubitatio: lis tamen super pertinentia oriatur in compatronos, vel eos, qui ab ipsis sunt praesentati, tunc habeatur causa tamquam profana, ac propterea ea exigi possint emolumenta, quae uniuscuiusque curiae consuetae taxae respondeant.

§ 16. Generatim pariter prohibemus, ne episcopi, vel alii praelati, eorumque vicarii, aut officiales quicumque aliquid exigere praesumant tam in cappellaniis manualibus, ut vocant, quam in novis fundationibus, et erectionibus beneficiorum, cappellaniarum, sodalitiorum, congregationum, aut in fundationibus, benedictionibus, consecrationibus, et respective visitationibus, et approbationibus ecclesiarum, et oratoriorum tam auctoritate apostolica, quam ordinaria. Cancellarius tantummodo mercedem labori congruam poterit percipere ab episcopo pro suo arbitrio, et conscientia constituendam, dummodo iulios sexdecim cum dimidio non excedat.

§ 17. Ad ea, quae matrimonia respiciunt, vel sponsalia gradum facientes, servandum vobis proponimus, quidquid sacri canones cap. *Cum in ecclesia* 9, cap. *Suam nobis* 29, *De simonia,* Sanctus Gregorius Magnus in epistol. ad Ianuarium istius Calaritanae sedis episcopum lib. 4, indict. 12, epist. 27, aliique apud saepe laudatum Christianum Lupum in citata dissert. cap. 7, et novissime Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 5, *De reformat. Matrim.*, saluberrime decreverunt. Episcopi nimirum, eorumque vicarii, officiales quicumque, familiares, ministri, ita suum gratis praestare in his debent officium, ut nihil omnino titulo muneris, aut praemii exigere praesumant, aut sponte oblatum recipere, sive pro decreto super dispensationibus matrimonialibus habitis a Sede apostolica, sive pro labore in testibus eam ad rem examinandis, aliisve testificationibus excipiendis, sive pro literis testimonialibus status liberi, et defectus cuiusvis canonici impedimenti, sive pro dispensationibus denunciationum ex Concilio Tridentino tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum sollemnia a proprio contrahentium parocho habendarum, sive pro facultatibus ineundi matrimonia domi, vel alibi, vel tempore insueto, et vetito, vel coram sacerdote alio a parocho, sive demum pro quovis actu de more, et necessario perficiendo, uti a Sacra Congregatione Concilii, summo approbante Pontifice declaratum fuit, non obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine apud Garz., *De benefic.*, par. 8, cap. I, num. 102 et seq., et Fagnan. in cap. *Quoniam, Ne praelati vices suas,* num. 30.

§ 18. Id locum potissimum habere decernimus in licentiis, quas episcopi solent parochis concedere, ut ineunda matrimonia tribus diebus festis publice

in ecclesia denuncient, vel ut matrimoniis ipsis celebrandis, ubi nullum adesse noverint impedimentum, suam praestent praesentiam. Huiusmodi porro licentias non solum gratis prorsus impertiri oportet, verum cavendum praeterea est, ne imposita indiscriminatim necessitate praedictam licentiam impetrandi, antequam matrimonia quaecumque celebrentur, difficilior reddatur matrimonii contractus, ac pluribus inde incommodis praebeatur occasio. Utrique malo occurrendum censuit Sacra Congregatio Episcoporum in *Gerunden.*, 25 octobris 1588, apud Fagnan. in cap. *In ordinando, De simonia,* num. 41. Cum enim a canonicis, et capitulo Gerunden. mota fuisset quaestio super edicto, quo episcopus parochis prohibuerat, ne sponsos matrimonio coniungerent, expletis etiam solemnitatibus a Tridentino Concilio requisitis, nisi haberent in scriptis licentiam, quae non dabatur absque solutione dimidii unius iulii; eadem Sacra Congregatio hunc in modum rescripsit: *Si ex aliqua rationabili causa prohibetur, ne parochi, solemnitatibus a dicto Concilio ordinatis, matrimonio aliquos coniungere possint, nisi habita prius licentia ab episcopo; hoc iure ipsi episcopo lex aliqua praescribenda non est, sed servatis omnino, quae ex eodem Concilio substantialia sunt, quoad solemnitates dumtaxat, suae tantum conscientiae, et regimini relinquendum. Similiter etiamsi quomodolibet in aliquo castro, seu oppido id prohibere convenit, quod tamen nonnisi ex aliqua urgenti causa faciendum videtur. Sicut enim episcopus summopere debet animadvertere, ne matrimonia sine solemnitatibus praedictis fiant; ita etiam cavere, ne difficiliores reddantur matrimoniorum contractus, novas sine magna causa addendo necessitates; si tamen aliqua licentia opus erit, nihil omnino etiam a notario pro ea exigatur; sed si ex antiqua forsan praescripta consuetudine aliquid episcopo, quasi in signum laetitiae, donari gratis soleat, non videtur penitus improbandum.*

§ 19. Uni tantum cancellario, cui certum pro officio exercendo constitutum non sit salarium, fas erit pro sui laboris mercede, et necessariae sustentationis stipendio aliquid percipere emolumenti hac ratione, et methodo, ut pro executione literarum apostolicarum super dispensationibus matrimonialibus, si testium examen per seipsum excipiat ad veritatem eorum probandam, quae in supplici libello exposita sunt, plus minusve recipere possit pro testium numero, et laboris gravitate, non tamen plusquam iulios quinque; si vero huiusmodi examen alteri commissum fuerit, iulios tantum duos pro literis delegationis, quin aliud, etsi minimum, recipiat pro decreto, sigillo, aut alio quovis nomine; pro literis testimonialibus de statu libero, computatis item scriptura, papyro, et sigillo, caeterisque, iulios duos; pro examine testium ad eumdem statum liberum, defectumque cuiuslibet canonici impedimenti comprobandum, obulos decem in singulos testes, pro recognoscendis literis testimonialibus de statu libero alienigenarum, obulos decem, nisi opus sit alterius testis examine ad tollendam dubitationem omnem, si quae fortasse occurrat, ac demum pro dispensationibus denunciationum, quatenus testium examen necessario requiratur, obulos decem pro praedicto tantum examine.

§ 20. Detestabilis aeque, ac de avaritiae, et cupiditatis radice provenire visa semper fuit quaecumque pecuniae, aut alterius cuiusvis rei exactio in

sacramentorum dispensatione. Eam proinde sacri canones tamquam simoniaca infectam pravitate saepius damnarunt, debitisque coercere poenis curarunt, atque ecclesiasticis censuris, ut liquet ex cap. *Cum in ecclesiae corpore* 9, ex cap. *Ad apostolicam* 42, *De simonia,* et ex pluribus Conciliorum decretis apud Christianum Lupum, loc. cit., cap. 7 et 8. Quibus firmissime adhaerens Sacra Congregatio Concilii ullo unquam tempore passa est, aliquid exigi in sacramentorum administratione. Caeteris praetermissis, in *Albanen., Funerum,* die 20 februarii 1723, cum fuisset ad examen revocatum, an permitti deberet, ut parochus patinam acciperet, sive discum, quo is utebatur in Extrema Unctione administranda, proposito dubio: « An sit permittenda receptio disci? », eadem Sacra Congregatio rescripsit: *Non esse permittendam eius receptionem* (*Thes. resolut.*, tom. 2, pag. 280). Pariter cum Vasionensis episcopus in Synodo habita anno 1729 taxam constituisset in sua dioecesi servandam, in qua inter caetera circa baptismum haec constituebantur: *Suppeditabunt patrinus, aut matrina pro baptismi caeremoniis ad minus cereum unum, et linteum candidum, atque lucens, ni maluerint pro his omnibus simul, et pro relatione in acta publica baptismum dare quinque asses:* proposito dubio: *An taxa praescripta in dicta Synodo esset observanda?* Sacra Congregatio in *Vasionen.*, 6 februarii 1734, respondit: *Negative, et amplius* (*Thes. resol.*, tom. 6, pag. 209).

§ 21. Inter caetera vero, quae et frequentius, et acrius a sacris canonibus, conciliisque reprobantur, locum sibi potissimum vindicat, quae olim passim invaluerat, consuetudo, nummos exigendi pro chrismatis, oleique receptione, quam variis episcopi nominibus frustra excusare nitebantur, vel titulo cathedratici, vel paschalis praestationis, vel episcopalis consuetudinis, cap. *Non satis* 8, cap. *Ea quae* 16, cap. *Ad nostram* 21, cap. *In tantum* 36, *De simonia,* et alibi apud Christianum Lupum, loc. cit., cap. 7, § *Secundum sacramentum.* Hinc cum Antiochenus patriarcha maronitarum in distributione sacrorum oleorum aliquam exigere consuevisset pecuniae oblationem, quamvis constaret, pecuniam neque dari, neque recipi animo nundinandi sacra olea, sed ad ipsius patriarchae alimoniam, atque ad onera sustinenda, quae patriarchali incumbunt officio, ac dignitati; attamen ad propellendam omnem simoniae suspicionem, praedicta consuetudo fuit improbata a congregatione particulari, cui demandata est cognitio rerum ad maronitas pertinentium, eiusque sententiam confirmavit Benedictus XIV Constit. *Apostolica* 44, *Bullar.* tom. 1.[1]

§ 22. Haec satis superque esse arbitramur, venerabiles fratres, ut quae vestri sunt muneris in sacramentorum administratione, et intelligatis plenissime, et accuratissime perficiatis, operamque in id potissimum vestram conferatis, ut prava tollatur omnino consuetudo in nonnullis vigens dioecesibus, qua fit, ut aliquid pecuniae vel ab episcopo, vel a sacrarii praefecto exigatur in sacri olei distributione. Id saepe alias praecepit Sacra Congregatio Concilii, praesertim in *Amalphitana,* 18 iulii 1699, confirmata 6 febr. 1700, ad dubium XII: *An archiepiscopus demandare teneatur, quod oleum sanctum*

[1] Die 14 febr. 1742. – Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 115-120.

ab ecclesia cathedrali gratis ecclesiae parochiali tradatur? Ad quod respondit: *Affirmative.* Idemque praestitit Sacra Congregatio Episcoporum in *Acheruntina seu Matheranen.*, 18 martii 1706, ad II, apud Petram, *Comment. ad Constitut. 5 Innocentii IV*, num. 38.

§ 23. Quoad oblationem vero candelae, quam episcopo sacramentum Confirmationis administranti fieri nonnullis in dioecesibus istius regni audivimus, dissimulandum in primis haud est, ne verbum quidem in libro pontificali de ea occurrere; ac praeterea cum sacra ministerii functio omnes adstringat ministros, ut in oblatorum receptione moderationem servent, agendique modum, ne avaritiae, turpisve quaestus notam incurrendo, ministerium ipsorum vituperetur, et reverentia tanto debita sacramento vilescat; cavendum est sedulo, ne huiusmodi candelae oblatio in suspectam degeneret exactionem, qua fiat, ut fideles, praesertim pauperes, vel a sacramenti receptione retrahantur, vel eam diutius, quam convenit, differant. Optandum hinc maxime foret, ut praedicta consuetudo vel tollatur omnino, vel ea saltem observetur ratione, et ab offerentium arbitrio penitus pendeat.

§ 24. Eadem prorsus iura praecipiunt, ut tam episcopi, quam eorum cancellarii, aut notarii gratis suum debeant ministerium impendere, dum praevio etiam examine, et approbatione, facultas alicui fit sacramentales excipiendi confessiones, administrandi sacramenta, exercendique quodvis ecclesiasticum ministerium, vel dum idonei deputantur vicarii, sive perpetui, sive ad nutum amovibiles, oeconomi, coadiutores, uti habetur cap. *Ad nostrum, De simonia*, et declaratum fuit in saepe cit. *Vicen.*, 7 febr. et 8 mart. 1602, et in *Gerunden.*, 25 octob. 1588, ad 7, reprobato quovis praetextu, etiam mercedis pro literis in scriptis concedendis ad praedicta ministeria, seu officia exercenda.

§ 25. Neminem praeterea vestrum ignorare arbitramur, quam crebris, severisque legibus vetitum sit, pro sepulturis, et mortuorum exequiis pecuniae aliquid exigere; Christianus Lupus, loc. cit., cap. 12, et Van-Espen in *Ius eccles. univ.*, par. 2, tit. 38, cap. 4. Unum vobis indicasse sufficiat sanctum Gregorium Magnum qui ad Ianuarium Calaritanum episcopum scribens lib. 9, indict. 2, epist. 3, alias lib. 7, indict. 2, epist. 56, ita conqueritur: *Questa est nobis Nereida clarissima foemina, quod ab ea centum solidos pro filiae suae sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere... Quod si ita se veritas habet, quia grave nimis, et procul est a sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quaerere, et de alieno velle facere luctu compendium, hoc autem vitium, et Nos de Ecclesia nostra vetuimus, et pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus..... Unde ne hoc avaritiae vitium, ne vel in alienis denuo tentari praesumatur, admoneo.* Huiusmodi tamen legibus nequaquam damnabatur laudabilis, et a primis saeculis in Ecclesia recepta pia consuetudo in funeribus oblationes faciendi pro mortuis, neque proinde clericis libertas adimebatur eas recipiendi. Quare idem Summus Pontifex Gregorius, loc. cit., mox addit: *Si quidem parentes ipsius, proximi, vel haeredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero aut aliquid exigi, omnino prohibemus.* Idemque disertis verbis statuit Innocentius III in Concilio Lateranensi cap. *Ad Apostolicam* 42, *De simonia.*

§ 26. Verum deficientibus decimis personalibus, reliquis vero tum realibus, tum mixtis ad monasteria, vel canonicorum capitula devolutis, necesse quodammodo fuit, ut laici quasi adigerentur ad praestandas pias oblationes hactenus consuetas, ut parochorum, ecclesiarumque parochialium necessitatibus provideretur. Attamen consultum semper fuit ecclesiasticae disciplinae sanctitati, ac simul cautum, ne circa has laudabiles consuetudines vel a clericis per excessum, vel a laicis per defectum aberraretur. Inter caetera vero sancitum est, ne defunctorum sive civium sive alienigenarum exequiae, funera, et sepultura vel impediantur, vel differantur ad exigenda emolumenta ex praedicta pia consuetudine invecta; tum etiam ne aliquid exigatur pro facultate transferendi cadavera, vel ea uno potius in loco, quam in alio sepeliendi.

§ 27. Ex his itaque noveritis, venerabiles fratres, ferendum minime esse, ut vestris in dioecesibus praeter consuetas oblationes intuitu piorum officiorum in animae suffragium, cadaverique praestandorum, ex pia fidelium consuetudine alibi etiam servatas, aliquid aliud a parocho, vel actuali, vel habituali recipiatur, pro personarum conditione, distinctoque gradu, vel pro locorum ratione, aut dignitate, in quibus cadavera debent humari, sive in ecclesia sive in digniori ecclesiae loco; tum etiam a sacris canonibus valde abhorrere, quod episcopus aliquid exigat, vel accipiat pecuniae pro quovis sive adulto, sive puero in quacumque dioecesis ecclesia, etiam regularium, sepeliendo, quemadmodum Sacra Congregatio Concilii declaravit adversus episcopum Vicen., et Sacra Congregatio Episcoporum in *Gerunden.* ad 10 apud Fagnan. in cap. *In ordinando, De simonia*, num. 32 et seqq., non obstante quacumque contraria, etiam immemorabili consuetudine, et quovis praetextu, nomine, aut colore.

§ 28. In sacra item dioecesis visitatione omnem avaritiae, ac turpis lucri suspicionem facili negotio declinabitis, et non quae vestra sunt, sed quae Iesu Christi vos quaerere, palam constabit, si, quae Concilii Tridentini Patres maxime hac de re commendarunt, accurate impleveritis: *Caveant* (Visitatores) *ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosique sint, neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quae sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda. Si tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero praedicta victualia subministrare.* Sess. 24, cap. 3, *De reform.*

§ 29. Quo super decreto variae subinde prodierunt declarationes et decreta Sacrae Congregationis Concilii, quorum nonnulla hic lubet referre. Ac primo quidem disputatum saepe fuit, an posset episcopus procurationes, quas vocant, exigere in visitatione cathedralis, et cleri civitatis, vel alterius loci, in quo is solet residere. Cum vero animadversum fuisset, procurationem a Concilio Tridentino statutam fuisse pro visitatione dioecesis, nulla

facta civitatis mentione; et praeterea ab eodem Concilio fuisse sancitum, ut victualia *pro temporis tantum necessitate* ministranda essent, quae sane necessitas adesse non videtur, quando episcopus visitat loca, in quibus residere vel tenetur, vel solet aliqua saltem anni parte, Sacra Congregatio censuit, antiquos canones aliter hac de re disponentes, et contrariam quamlibet consuetudinem fuisse sublatam per citati Concilii Tridentini decretum, ac proinde ad propositum dubium constanter negative respondit, praesertim in *Castren., Procurationis,* 17 nov. 1685, in *Aliphana, Procurationis,* 18 iul. 1705, in *Policastren., Procurationis,* 1 iun. 1737, et novissime in *Valentina,* 30 ianuarii 1768. Eadem in sententia fuit Sacra Congregatio Episcoporum, ut liquet ex literis ad Venetiarum Patriarcham datis 26 maii 1592, non obstante consuetudine, aut quacumque alia re in contrarium.

§ 30. Praeterea quamvis in citato decreto Concilii Tridentini, iuxta ea, quae habentur etiam in cap. *Si episcopus, De off. Ordinarii,* in 6, expresse caveatur, ne episcopi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, exceptis tamen victualibus, aut pecunia victualibus respondente, si hanc, qui visitantur, solvere malint; nihilo tamen secius existimarunt nonnulli, fas sibi esse, vel praeter pecuniam victualia quoque recipere, vel cum victualibus vecturas equorum pro se, suisque ministris, vel aliquid aliud sub civili aliquo titulo, aut praetextu. Hi tamen causa semper ceciderunt in Sacra Congregatione Concilii, eorumque agendi ratio tamquam a sacris canonibus, et Concilio Tridentino aliena fuit constanter improbata. In *Sancti Marci, Visitationis,* inter caetera dubia, duo, quae sequuntur, proposita fuere: V. *An clerus teneatur quidquam solvere ministris aliisque officialibus episcopi visitantis?* VI. *An idem clerus teneatur solvere episcopo visitanti vecturas equorum?* Die 7 iulii 1708 rescriptum fuit: *Danda esse decreta alias edita, et signanter ad V in Amalphitana, 18 iulii 1699, ad 3, lib. 49 Decretorum, pag. 252. Ad VI in Aprutina, decembris 1784, lib. 4 Decretorum, pag. 10.* Sensus autem, qui huiusmodi responsioni inest, ex vi aliorum decretorum, quae ibi indicantur, hic est, videlicet: *Ad V deberi victualia tantum ad formam Concilii; ad VI Negative.* Rursus in alia causa *Sancti Marci, Iurium,* die 16 ianuarii 1723, ad III dubium: *An praedicta integra solita procuratio sit solvenda in illa solita quantitate pecuniae iuxta morem cuiuscumque loci visitandi, et in tribus prandiis dandis episcopo, eiusque comitatui, in vecturis, habitatione, et utensilibus necessariis iuxta praetensam antiquissimam consuetudinem;* et ad VI: *An episcopo, eiusque comitatui debeantur cibaria, aliaque necessaria, toto tempore permanentiae in visitatione?* Sacra Congregatio respondit ad III: *Esse in optione visitandorum solvere procurationem vel in victualibus, vel in pecunia, exclusis tribus prandiis in casu solutionis pecuniae; et quoad vecturas equorum detur decretum 7 iulii 1708 in Sancti Marci ad VI.* Ad IV: *Provisum in tertio.* Similiter in *Policastren., Procurationis,* cum quaesitum fuisset in II dubio: *An dictus episcopus possit exigere ab eodem archipresbytero, et clericis ultra procurationem ducatorum XV in pecunia, victualia, et vecturas equorum pro se, et familia sua, in casu,* etc.? Die 1 iunii 1737 prodiit responsum ad II: *Negative.*

§ 31. Disceptatum quoque fuit, an episcopus, eiusque officiales aliquid emolumenti vindicare sibi possent, et exigere, dum in sacra visitatione testamenta ad pias causas, et legata pia recognoscunt, eaque ut executioni tradantur, efficiunt. Qua de re Sacra Congregatio Concilii in una *Maioricen.,* 7 augusti 1638, declaravit, non posse episcopum, et illius officiales recipere in visitatione salarium pro decretis, seu iudicatura executionis legatorum piorum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili. Non absimilis quaestio an. 1645 orta fuit inter episcopum Vicen. ex una, et iuratos civitatis Minorissae Pratorum, regis ex altera, qua delata ad eamdem Sacram Congregationem, prodiit resolutio sub die 18 martii dicti anni 1645 hunc in modum: *Sacra Congregatio censuit, non posse episcopum, nec illius officiales in visitatione quidquam recipere pro decretis, seu iudicatura executionis testamentorum seu legatorum, sed gratis omnia fieri, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili; itemque extra visitationem per episcopum, et illius officiales quidquam recipi posse pro huiusmodi decretis, et iudicatura, sed tantum aliquid moderate solvi notario pro scriptura, et illius labore in quo conscientia episcopi gravetur, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili.* Hoc item resolutum fuit in *Elnen.,* die 28 martii 1648, ad VIII. His addere alienum non erit, quod in Concilio provinciali Mediolanen. V sapientissime statutum legimus his verbis: *Notarius autem, cancellariusve ne quidquam pro visitatione ab iis, qui visitantur, ullo quovis nomine exigat, neque ullum doni, etiam pusilli, quocumque modo oblati, genus accipiat; ac ne item pro decretorum, ordinationumve in visitatione confectarum dictione, vel conscriptione, earumve exemplo, etiam singulis vel ecclesiis, vel clericis, vel aliis qui visitantur, iussu visitationis edito. At pro opera, laboreve, quem alterius, cuius interest, illarum exempla, alio deinceps tempore, petentis causa, in iis exscribendis posuerit, mercedem capiat licet, pro taxae in foro episcopali praefixae, aut praefigendae ratione.*

§ 32. Haec omnia locum quoque habent in recognitione librorum legata pia, eorumque satisfactionem continentium, et in exigendis rationibus administrationum ecclesiarum, confraternitatum, montium pietatis, aliorumque piorum locorum, in quibus perficiendis tam episcopum, quam eius officiales quoscumque gratis operam suam impendere debere, ac laborem, ut patet ex superius dictis, et aperte declaravit Sacra Congregatio Concilii in *Vicen.,* 27 iunii 1637 decernens: *Neque episcopo, neque illius officialibus pro exigendis rationibus administrationis piorum operum, vel pro executionibus testamentorum, aut piarum voluntatum, licere quicquam recipere, sed illa gratis fieri debere, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili;* et in *Lancianen., Confraternitatis,* die 20 septembris 1710, ad X dubium, in quo quaerebatur: *An archiepiscopus debeat uti pro redditione rationis syndicis, seu rationalibus electis a confratribus, vel potius possit uti alio quocumque sibi bene viso:* Sacra Congregatio respondit: *Negative quoad primam, et affirmative quoad secundam partem, sed gratis* (*Thes. res.,* tom. 6, pag. 164). Quamvis autem episcopus curare omnino debeat, ut gratis revideantur huiusmodi libri, et ratio exigatur a notario proprio, vel oeconomo suae familiae, vel ab alio quovis suo servitio addicto; fieri tamen aliquando potest, ut

gravi, urgentique ex causa deputari oporteat pro huiusmodi munere aliquis extraneus, qui ad id nullo modo teneatur. Quoties vero id contingat, episcopi erit pro suo arbitrio, et conscientia aliquam praedicto revisori congruam mercedem assignare pro rata dumtaxat puri, et meri laboris, uti rescripsit Sacra Congregatio in *Verulana,* 30 ianuarii 1682, lib. 35 *Decret.,* f. 283, in *Beneventana,* 7 iunii 1683, et in *Pisauren.,* 11 decembris eiusdem anni.

§ 33. Cum his porro Sacrae Congregationis declarationibus firmissimo innixis fundamento sac. canonum; et praecitatis decretis Concilii Tridentini conciliari minime possunt consuetudines nonnullae, seu potius corruptelae, quarum vi episcopi, eorumque officiales, dum sacris vacant visitationibus, vel aliquid percipiunt emolumenti ex recognitione quorumvis testamentorum, et ex redditione rationum quas ab ecclesiarum, piorumve locorum administratoribus exigunt; vel equorum vecturas, aut eorum saltem victum percipiunt toto visitationis tempore, vel sua demum facere contendunt lumina, seu candelas, quae in ara templi principe, aut caeteris etiam in aris sacris positae sunt. Quae quidem omnia, et si quae alia huiusmodi sunt praedictis sanctionibus contraria, auferenda penitus mandamus, ac praecipimus.

§ 34. Quamvis autem ex superius citata Sacrae Congregationis Concilii declaratione in *Vicen., Salarii,* 18 martii 1645, nequeat episcopus, aut illius officiales tam in visitatione, quam extra quidquam recipere pro decretis, seu iudicatura executionis testamentorum, seu legatorum; sed gratis omnia fieri debeant; potest tamen in sacra visitatione portionem sibi debitam sumere ex legatis piis, et oblationibus, et aliis, quae occasione funeris ecclesiae obveniunt, quam portionem, seu quartam canonicam vulgo dicunt, uti ab eadem Sacra Congregatione rescriptum fuit in *Urgellen.,* 25 ianuar. 1676 et 14 februar. 1693, ad VIII dubium. Ius enim hoc habent episcopi ex sacris canonibus cap. *Officii* 14, et *Requisiti* 5, *De testamentis,* quos suo in robore voluit permanere Concilium Tridentinum, ut patet ex eo, quod episcopis severissime prohibuit aliquid accipere pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, *praeter id quod ex relictis piis iure debetur;* cit. sess. 24, cap. 3, *De ref.* Rectus tamen servandus est ab episcopis modus in hac portione, seu quarta canonica exigenda, observandique sunt limites ab iisdem sacris canonibus constituti cap. finali *De testamentis,* ubi haec habentur: *De his, quae in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, seu anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum legantur ecclesiae, vel reliquis piis locis, canonica portio... deduci non debet.* Eadem ferme leguntur cap. *Ex parte, De verb. signif.* Praeterea neque detrahitur ex legato relicto pro maritandis puellis, ut respondit Sacra Congregatio Episcoporum in *Nucerina Paganorum,* 14 septembris 1592; neque ex legato pro celebratione Missarum, quamvis ab immemorabili eadem quarta ex omnibus legatis piis episcopo solveretur, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in alia item *Nucerina Paganorum, Quartae canonicae,* 13 ian. 1714, lib. 64 *Decret.*

§ 35. Quoad monialium vero monasteria, vel conservatoria mulierum, quae instar monialium vitam agunt a saeculi negotiis alienam, ac solitariam,

illud generatim statutum saepe fuit ab apostolicis constitutionibus, et a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, ipsis Summis Pontificibus annuentibus, suaque auctoritate approbantibus, ne episcopi, aliive praelati, aut eorum vicarii generales, vel specialiter delegati, officiales, ministri, consanguinei, aut familiares ullum prorsus emolumentum pecuniae, alteriusve rei exigere, vel percipere possint pro admissione puellarum ad habitum monasticum, pro approbatione depositi dotis, pro exploratione voluntatis, animique propositi assumendi regularis vitae institutum, pro emissione professionis, pro puellarum ingressu educationis gratia, pro renunciationibus, antequam ad professionem admittantur, pro electione abbatissae, vel alterius superiorissae, pro licentiis ingrediendi monasterium medicis, chirurgis, aliisque operariis concedendis pro facultate alloquendi moniales, vel alias intra monasterii claustra degentes, pro delegatione confessariorum, capellanorum, procuratorum, administratorum bonorum temporalium, aliorumque ministrorum, ac generatim pro actu quolibet ad monialium regimen necessario.

§ 36. Ab hac tamen generali regula excipi possunt victualia, quae occasione nonnullorum ex praedictis actibus episcopo, vel alii praelato impertiuntur; dummodo haec solius muneris, seu donationis titulo tribuantur, et eam non excedant quantitatem, quae trium dierum spatio proprio illorum usui possit sufficere. Cancellarius vero pro renunciationum instrumento, et pro actu depositi dotis mercedem recipiet labori convenientem, nunquam tamen iuliis decem maiorem.

§ 37. Praeter haec sunt alia plura, quae cum ad spiritualis potestatis exercitium pertineant, a quo humana quaelibet debet quam longissime exulare retributio, vel ad episcopale spectent munus, pro quo sustinendo, exercendoque redditus mensae sunt episcopis assignati, nullum prorsus emolumentum directe, vel indirecte, quovis praetextu, aut colore, etiam muneris, aut spontaneae oblationis, licet eisdem recipere, quemadmodum nec eorum vicariis, officialibus quibuscumque, aut familiaribus. Singula, vel potiora saltem hic vobis indicamus, venerabiles fratres, ex sacris canonibus, apostolicis constitutionibus, et Sac. Congregationum decretis deducta, quorum frequens est apud doctores, et satis vulgata mentio.

§ 38. Pro literis, ut vocant, patentibus, seu licentia praedicandi tam in quadragesima, et adventu, quam alio quovis tempore aut loco. Conc. Trid., sess. 5, cap. 2, *De reform.*

Pro licentia operibus servilibus gravi ex causa vacandi diebus festis. Urbanus VIII, Constit. *Universa,* [1] et pluries Sacrae Congregationes Concilii, et Episcoporum, apud Ferrarium, verb. *Festa,* num. 31 et seq., quamvis pecunia, quae ea ex licentia percipitur, in pios usus esset eroganda.

Pro redditione rationis administrationis ecclesiarum, et locorum piorum, ac pro revisione librorum eiusdem administrationis, sive ea ab episcopo fiat, sive ab alio delegatione generali, sive speciali ab episcopo deputato, cum exceptione tamen superius indicata.

[1] Cf. N. 226.

Pro cognitione, approbatione et promulgatione reliquiarum, indulgentiarum, et altarium privilegiatorum.

Pro facultate eleemosynas, vel alia quaeritandi, etiamsi alienigenis ea concedatur.

Pro deputatione custodum ecclesiarum, vulgo eremitarum.

Pro literis testimonialibus de paupertate, vel alia qualitate. Cancellarius tamen omnibus computatis, obulos decem percipere poterit.

Pro literis quoque, quibus significatur, aliquem nullo ordine, neque clericali tonsura esse initiatum. Cancellario autem obuli tantummodo decem poterunt praestari.

Pro actu renunciationis status clericalis, eiusque admissione, tum etiam pro literis, seu attestatione eiusdem renunciationis. Pro his tamen literis cancellarius obulos decem exigere poterit.

Pro perquisitione librorum parochialium apud archivium episcopale iam reconditorum, in quibus descripti sunt baptizati, confirmati, matrimonio iuncti, atque mortui, pro singulis libris ad alicuius petitionem perquirendis liceat cancellario exigere obulos viginti dumtaxat, totidemque pro fide particulae extrahendae, quin fas sit maius accipere emolumentum sive pro dignitate personae id petentis, sive testimoniales literae usui futurae sint extra dioecesim, vel extra regnum.

Si autem contingat ea de re, cuius petitur testificatio, haud constare ex iisdem parochialibus libris, proptereaque necesse sit probationem ex testibus comparare, tunc praeter mercedem ad praescriptam rationem cancellario pro examine testium ac pro scriptura praefinitam, licitum sit eidem alios accipere obulos quindecim pro literis testimonialibus edendis: vicario autem generali solvantur obuli triginta pro decretis, quibus informationem mandaverit capiendam, eaque capta, et ab ipso discussa, testimoniales iubebit expediendas.

Pro licentia discedendi ab ecclesiis, vel beneficiis, Conc. Trid., sess. 23, cap. 1, *De reform.* Item pro literis commendatitiis, quae impertiuntur presbyteris, clericis, aut aliis ad alienas dioeceses profecturis.

Pro literis monitorialibus excommunicationis ad rerum occultarum manifestationem, sive eae concedantur ab ipsa curia episcopali, et ab Ordinario, sive publicandae sint literae monitoriales apostolicae. Cancellarius vero pro scripturae labore mercedem recipiet obulorum decem. Aliquo etiam emolumento ab episcopo pro sua conscientia taxando idem tantummodo cancellarius donabitur pro eorum, quae revelantur, exemplari, praevio vicarii decreto, conficiendo.

Pro comminatione, sententia, aut declaratione censurarum, in quas vel ex clericorum percussione, vel alia quavis ex causa quis incurrerit: tum etiam pro sententia absolutoria, et absolutione ipsa a censuris; cap. *Ad aures, De simonia.* Cancellarius vero obulos tantum viginti exigere poterit pro scripturae mercede, dummodo non agatur de exequendis literis Sacrae Poenitentiariae apostolicae; tunc enim pro iis, quae ad praedictam pertinent absolutionem, ne cancellarius quidem emolumentum aliquod poterit recipere. Obuli etiam viginti solvi poterunt cancellario pro censurarum schedulis, vulgo cedulonibus, et pro iisdem de more affigendis. Idem servandum erit pro absolutione a iureiurando, ita tamen ut si in curia ecclesiastica eadem absolutio concedatur, pro attestatione cancellario tantum obuli viginti, si vero extra curiam pro literis delegationis obuli totidem eidem dumtaxat cancellario rependantur.

Pro facultate exercendi pontificalia.

Pro executione literarum apostolicarum impartiendi benedictiones, vel absolutiones: pro literis vero, quibus eadem facultas parochis, vel aliis quibusvis committitur cum insertione dictarum literarum apostolicarum, omnibus computatis, cancellario tantum obuli triginta solvantur.

Pro executione literarum apostolicarum, seu facultatis a Sacra Congregatione impetratae alienandi, vel permutandi bona ecclesiarum, locorumque piorum, vel census imponendi, cancellarius tantummodo mercedem suo aptam labori in conficiendis actis, seu scriptura recipiet, quae tamen iuliis decem non sit maior. Quod si a Sancta Sede commissum fuerit Ordinario, ut in eorum inquirat veritatem, quae in supplici exponuntur libello, tunc cancellario obuli decem assignentur in singulos testes, qui examini subiiciuntur. Habitaque etiam laboris ratione, merces aliqua constitui eidem poterit ad episcopi arbitrium, et conscientiam pro edictis, quoties praescripta haec fuerint, et pro examinandis testibus ad probandam utilitatem alienationis, et pro caeteris omnibus de more hac in re perficiendis.

Pro decreto alienationum, quae vi cap. *Terrulas,* C. 12, q. 2, auctoritate tantum ordinaria fiunt.

§ 39. Mulctae demum, seu poenae pecuniariae, si quando iuxta rationem delicti, vel delinquentis qualitatem eas imponi contigerit, in pios dumtaxat usus, et pro executione iustitiae ita expendantur, ut privatae episcoporum utilitati, eorumque vicariorum, aut officialium quorumcumque nihil ex iis directe, vel indirecte possit ullo modo provenire. Ut vero omnis dubitatio tollatur, aut suspicio de non recta mulctarum applicatione, optimum erit, quinimmo necessarium putamus, ut ipsis in sententiis loca pia designentur, vel ecclesiae, in quarum commodum praedictae poenae pecuniariae cedere omnino debent, habita semper ratione earum, quae magis indigent, tum etiam domicilii eorum, qui deliquerint.

§ 40. Aliqua addenda nunc essent forum contentiosum spectantia, ut ecclesiastica disciplina hoc etiam ex capite in pristinum suum splendorem revocaretur, ac dignitatem. De his vero maturiori iudicio, et ubi certiores facti plenissime erimus de consuetudinibus, quae istis in dioecesibus obtinent, erit deliberandum. Unum tamen interim est, quod taciti praeterire nullo modo possumus, quinimmo vobis magnopere inculcare cogimur, ac praecipere, ut, qui ferendis sententiis in causis spiritualibus dant operam ecclesiastici viri, ea sanctitate, pietate, ac religione ministerium impleant suum, ut nihil in iis appareat, quod ecclesiasticae puritatis candori ne minimum quidem tenebris offundat. Id tum demum abunde sequetur, quum quicumque apud vos sunt ecclesiastici iudices, nihil emolumenti exigent, vel accipient pro quibusvis actis etiam pro sententiis dicendis in causis spiritualibus, et in iis praesertim, quae circa religionem versantur, veluti adversus suspectos de haeresi, et superstitionis reos, vel in quibus de sponsalibus

agitur, de matrimoniis, de censuris, aliisque. Quamobrem *Attendentes*, verba sunt Innocentii III ad praelatos et clericos Lombardiae, cap. *Cum ab omni, De vita, et honestate clericorum: quod ad hoc vobis, et aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis, ne vos oporteat ad turpia lucra manus extendere, vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cum ergo opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos deceat ad instar saecularium ad turpe commercium iuris occasionem arripere; mandamus, atque praecipimus, quatenus ab huiusmodi exactionibus de caetero abstinentes, vigorem iudicarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante, quod in fraudem a quibusdam proponitur, quod idem exigatur nomine assessorum, cum nec iustum iudicium iudici vendere liceat, et venales sententiae ipsis etiam saecularibus legibus improbentur.*

§ 41. Haec sunt, venerabiles fratres, quae pro apostolico, quo fungimur, munere, ac ex debito suscepti regiminis vobis duximus proponenda. Haec item sunt, quae si rite a vobis, ut in Domino confidimus, perficiantur, ecclesiasticae disciplinae splendori, conscientiarum vestrarum tranquillitati, egregioque vobis ovium creditarum regimini maxime consulent, ac prospicient. Gravia haec vobis futura, ac molesta non putamus, quamvis ex his aliquid vobis de consuetis emolumentis subtractum iri perspiciamus. Id de vobis vel leviter suspicari vetat perspecta in primis vestra pietas, probata religio; ecclesiasticae conservandae disciplinae studium, quibus profecto fiet, ut quae vobis hactenus fuerunt lucra, eadem in posterum arbitremini propter Christum detrimenta, veramque lucri rationem in eo tantummodo constituatis, ut Dei optimi maximi cultus magis magisque apud vos augeatur, populique fidei vestrae, ac religioni commissi verbo, et exemplo a vobis facilius, feliciusque pascantur. Accedit praeterea, ab iis, qui in ecclesiasticis istius insulae rebus versati optime sunt, ac regio praesertim nomine edoctos Nos plene fuisse, ac diligenter instructos, eos vobis esse redditus, qui, paucis etiam emolumentis subductis, quae vobis posthac nefas erit exigere, vel percipere, episcopali dignitati, ac decori respondeant, et ecclesiarum sufficiant necessitati. Ne vero aliquid vobis praesidii esse putetis in iis, quibus usque adhuc innixi estis consuetudinibus, licet antiquissimis, memores vos esse oportet praeclarae Alexandri III sententiae, cap. *Cum in ecclesiae, De simonia*, qua Summus ille Pontifex eos compellabat, qui minus recte suis inhaerebant consuetudinibus: *Putant autem plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate caecati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam tenuerunt alligatam.* Has itaque consuetudines, etiamsi antiquissimas, ac immemorabiles, et synodalibus firmatas constitutionibus, vel alia quavis auctoritate, etiam Apostolica, alias roboratas improbamus, damnamus, ac pro abusu, et corruptelis habendas esse declaramus, statuimus, praecipimus. Sollicitudini, quae Nobis inest, ecclesiarum vestrarum, ut praesentes literae satis indicant, vos studio, diligentia, ac industria vestra minime defecturos, certa Nobis spes est, atque firmissima. Interim vero in paternae erga vos dilectionis, ac benevolentiae pignus, apostolicam vobis benedictionem impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 4, p. 40-53].

468.

Pius VI, ep. *Cum sicut accepimus*, 10 apr. 1775.[1]

§ 1. Cum, sicut accepimus, Christifideles, qui in insulis Pantellaria, et Favignana vulgo nuncupatis ad istam dioecesim Mazariensem, cui ecclesiae praeesse dignosceris, pertinentibus, commorantur, propter difficilem accessum, atque ex Turcarum incursionibus periculis obnoxium iter, Sacramento confirmationis privati existant, quippe quia ad easdem insulas personaliter, et commode accedere minime vales.

§ 2. Nos spirituali Christifidelium huiusmodi necessitati, et eorum animarum Nostrae, tuaeque curae commissarum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, paterna charitate consulere volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut quoad vixeris, et ecclesiae Mazariensi eiusmodi praefueris, unum presbyterum pro unaquaque ex insulis praedictis tibi benevisum moribus gravem, ac pietatis, et religionis zelo praeditum, qui ibidem sacramentum confirmationis huiusmodi, receptis oleo, et chrismate etiam antiquis, si nova commode haberi non possint, per te, seu per quemcumque catholicum antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, administrare respective possit, auctoritate nostra apostolica de speciali gratia delegare, deputare, nominare et eligere valeas.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 5, p. 44].

469.

Pius VI, const. *Alias emanavit*, 15 maii 1775.

§ 1. Alias emanavit a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum decretum, tenoris, qui sequitus, videlicet.

Feria V die 9 februarii 1764

§ 2. In congregatione generali sanctae Romanae et universalis inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali coram sanctissimo Domino Nostro Clemente divina providentia Pp. XIII, ac eminentissimis, et reverendissimis

[1] Venerabili fratri Ugoni episcopo Mazariensi.

dominis S. R. E. cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sancta Sede apostolica specialiter deputatis.

Proposita causa Avenionensis Carpenctoratensis circa baptismum clam puero Hebraeo collatum a cathecumeno Ain de Cavaillon, et circa recursum quatuor universitatum Hebraeorum provinciae Avenionensis super minis, quae quotidie inferuntur a pravis, et otiosis hominibus, conferendi baptismum infantibus Hebraeis invitis parentibus ad finem extorquendi pecunias ab Hebraeis divitibus, relatis scripturis desuper pro parte Hebraeorum distributis, aliisque omnibus iuribus deductis: Sanctissimus Dominus Noster Papa, praedictis auditis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium generalium inquisitorum suffragiis (proviso tamen quoad baptismum supradicti pueri Hebraei, quam quoad minas, et instantias matris, et sororis de Cavaillon in Hebraeorum claustro civitatis Carpenctoratensis commorantium) decrevit, scribendum esse, tum r. p. d. episcopo Carpenctoratensi, ut nullo modo permittat accessum ad suam dioecesim Hebraeis fratribus de Cavaillon absentibus; tum r. p. d. vice legato Avenionensi, ut poenam exilii a toto comitatu Venesino, debitis formis, praedictis Hebraeis fratribus de Cavaillon sub gravibus poenis, in casu etiam primae contraventionis intimet.

§ 3. Item Sanctitas Sua eidem Carpenctoratensi episcopo, ac patri inquisitori Avenionensi scribendum statuit, ut nomine sanctae congregationis publicent novum edictum, comminatis poenis gravioribus, etiam afflictivis, et corporalibus (scilicet triremium quoad homines, fustigationis vero quoad mulieres) irremissibiliter incurrendis contra baptizantes, ut supra, invitis parentibus, infantes Hebraeos, et minas eisdem respective inferentes ad supradictum effectum.

Petrus Pauluccius, sanctae romanae et universalis inquisitionis notarius.

§ 4. Nunc autem nomine praedictarum quatuor universitatum Hebraeorum Nobis expositum fuit, quod ipsae, ut decretum huiusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae etiam Nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderant.

§ 5. Nos igitur praeinsertum decretum memorata a congregatione, ut praefertur editum, cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis.

§ 6. Decernentes, etc.

§ 7. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 5, p. 60, 61].

470.

Pius VI, encycl. *Inscrutabile*, 25 dec. 1775.[1]

§ 1. Inscrutabile divinae sapientiae consilium, cuius semper mirabilia sunt opera, quemadmodum David natu minimum elegit inter mille, sustulitque de gregibus ovium, ut in excelso solio gloriae positus populum suum regeret, atque in virga directionis Deo redderet acceptabilem; sic adeo non sprevit humilitatem Nostram, ut quamvis in purpuratorum patrum senatum novissimi omnium essemus adscripti, atque postremum locum teneremus, Nos tamen prae caeteris, qui pontificio diademate digniores videbantur, voluerit episcopalis officii habere principatum, et ad tanti honoris sublimitatem evectos universae Ecclesiae suae esse rectores. Quam dignationem plane admirandam, et bonitatem in Nos immensam, quum taciti, et grato animi sensu assidue consideramus, a lacrymis temperare non possumus, beneficentissimam illam misericordiam, simul atque omnipotentiam perpendentes, qua in eum munera sua contulit amplissime, in quo nulla meritorum suffragia invenit; constituens Nos infirmos, et immerentes in caput gentium, ut aeterni pastoris vicariam procurationem gerentes in terris, pasceremus Israel haereditatem suam, eamque adduceremus in montem sanctum Sion coelestem Hierusalem. Et quoniam maxime convenit, ut obsequium Nostrum, et oblatio consecrati pontificis a sacrificiis Dominicae laudis inchoetur; non possumus non erumpere in voces exultationis, confitentes Domino et clamantes cum propheta:[2] Laudem Domini loquatur os Nostrum; et nomen sanctum eius anima Nostra, ac spiritus, caro, et lingua benedicat. *At si religiosum est gaudere de dono; necessarium est etiam trepidare de merito. Quod enim tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?*[3]

§ 2. Quem non terreret praesens christiani populi status, in quo divina illa charitas, qua in Deo manemus, et Deus in nobis, plurimum refrigescit; scelera autem, ac iniquitates magis in dies invalescunt? Cuius non obrueret animum gravissima illa consideratio, quod Ecclesiam Christi sponsam custodiendam, ac tuendam suscipimus eo tempore, quo orthodoxae religioni tot struuntur insidiae; quo salutaris sacrorum canonum norma tam impudenter contemnitur; quo denique turbulenti homines immani quadam novitatum prurigine furentes, vel ipsa rationalis naturae adgredi non dubitant fundamenta, atque item conantur, si fieri posset, subvertere? Profecto *in hac tanta materia trepidationis nulla Nobis esset dependendae fiducia servitutis, nisi non dormitaret, neque obdormiret qui custodit Israel, et qui discipulis suis ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem*

[1] Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis.

[2] Ps. CXLIV, 21.

[3] S. Leo M., Serm. I, cap. II, et Serm. II, cap. I, postr. Venetae edit. ff. Ballerin.

saeculi; nisi dignaretur non solum custos ovium, sed ipsorum etiam pastor esse pastorum.[1]

§ 3. Quoniam vero tunc maxime, et abundantius in Nos munera divina descendunt, quum Nostra ad Deum adscendit oratio; vos, venerabiles fratres, adiutores, et consultores Nostros nunc primum adlocuturi, illud etiam in primis a vobis magnopere expetimus pro ea, qua in Domino unum sumus, charitate, proque ea fide, qua in unum corpus coalescimus, ne cessetis quotidianis obsecrationibus vestris instare enixius apud Deum, ut confortet Nos in potentia virtutis suae, effundatque super Nos spiritum consilii, spiritum fortitudinis, quo inter tot rerum, ac temporum difficultates, et quae agenda sint, videamus, et ad implenda, quae viderimus, convalescamus. Orate igitur in spiritu; et sit oratio vestra, et invocatio erga Nos amoris, et fraternae coniunctionis probatio certissima. Atque ut promptius, quod Nobis necessarium est, impetremus, sanctissimae Dei genitricis Mariae, cuius patrocinio maxime confidimus, totiusque caelestis curiae merita interponite; praesertim vero tutelam Nobis, et praesidium implorate beatissimi Petri apostoli, *cuius Sedi non tam praesidere, quam servire gaudemus, sperantes orationibus ipsius esse praestandum, ut Deus misericordiarum ministerii Nostri tempora benignus aspiciat, pastoremque ovium suarum custodire semper dignetur, et pascere.*[2]

§ 4. Iam vero hoc ipso assumptae a Nobis apostolicae servitutis initio, quanto possumus paternae charitatis studio, vos, venerabiles fratres excitamus, et commonemus, ut fideles habeamini dispensatores mysteriorum Dei. Vos, quorum pars Dominus est, non ignoratis quid vos facere oporteat, quos labores pro Ecclesia Dei sustinere, ut fortiter impleatis ministerium vestrum. Hortamur itaque vos, atque obsecramus, ut suscitetis gratiam, quae est in vobis per impositionem manuum; nec quidquam praetermissum velitis, quod ad augmentum eius corporis pertineat, *quod compactum ex Christo est, et connexum per omnem iuncturam subministrationis*[3] in fide, et charitate. Quamobrem quum satis persuasum vobis omnibus arbitremur, praecipuum Ecclesiae bonum ex eo derivari, ut nemo, nisi per omnia probatus, clericali adscribatur militiae; necesse non est, ut eorum, quae in hanc rem sanctionibus sunt constituta canonicis, diligentissimam vobis commendemus observationem. Pro eo enim, quo incensi estis studio, id accuratissime perficietis, ut qui sanctitate morum non praestant, qui docti in lege Domini non sunt, qui demum aut nullam, aut tenuissimam de se, suaque industria praebent expectationem, illis ad ecclesiasticam militiam nullus pateat aditus; ne qui vobis manus debent adiutrices in pascendo, regendoque grege exhibere, ii labori vestro addant laborem, molestiam molestiae, sintque vobis impedimento, ne eos vineae fructus Dominus a suis cultoribus accipiat, quos in futuri retributione iudicii a vobis severissimus aeque, ac iustissimus exactor Christus requiret. Sanctitate praecellat oportet, et doctrina, qui sacerdos est futurus;

[1] Id. S. Leo, Serm. V al. IV, cap. II.
[2] S. Leo, ibid., cap. V.
[3] Ad Ephesios, IV, 11.

repellit quippe a se Deus, ne sacerdotio sibi fungantur, qui scientiam a se repulerint, nec operarius ad messem par, aptusque esse potest, qui morum pietati scientiarum non coniunxerit studia. Quod quum fieri sine accurata institutione non valeat, eapropter opportune decretum est, ut in unaquaque dioecesi clericorum collegium pro modo facultatum, si deesset, institueretur; institutum autem studiosissime conservaretur. Nisi enim a teneris annis ad pietatem, et religionem informetur, atque in literarum palaestra exerceatur ad lubricum iter prona ac proclivis adolescentium aetas; quo pacto fieri poterit, ut vel in disciplina ecclesiastica sancte perseveret, vel eos in humanis, ac sacris literis progressus faciat, quos ad populi fidelis exemplum atque institutionem ministerium Ecclesiae postulat? Collegia huiusmodi recte instituta, sancte conservata studio vestro atque aptissimis legibus diligenter communita, multoque magis quam antea amplificata esse in singulis dioecesibus facile Nobis persuademus; praesertim posteaquam immortalis memoriae Benedictus XIV praedecessor Noster id operis, tamquam muneri vestro pernecessarii, unicuique vestrum tantopere commendavit.[1] Quamobrem sicuti apostolicae laudationis praeconio eximios labores, ac diligentiam in iisdem colendis augendisque fraudare non possumus; ita, si forte in aliqua dioecesi, aut instituta adhuc non essent, aut otiosa detinerentur, non possumus non vehementer eos, ad quos spectat, impellere, illisque etiam praecipere, ut in rem adeo utilem omni virtute enitantur.

§ 5. Ob eamdem caussam suspicari non licet, quin id, quod maxime fidelium animos commovere, atque in sacrarum rerum venerationem solet adducere, decorem videlicet domus Dei, et eorum, quae divino cultui sunt addicta, nitorem, dignitatemque omni tempore apprime curetis. Quam absonum esset, episcopi domum mundiorem esse, et elegantius ornatam, quam sit sacrificii domus, sanctitatis hospitium, aula Dei vivi? Quam absurdum sacras vestes, altarium ornamenta, atque universalem supellectilem, vel vetustate squallentem, et conscissam, vel sordibus foedatam intueri; mensam autem episcopi splendide paratam, sacerdotis indumenta nitidissima, et ad multam venustatem composita? *Quantae confusionis opprobrium est,* ut praeclare scripsit s. Petrus Damiani,[2] *quod nonnulli in squallido linteo Dominicum corpus et offerant, et involvant; et quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris!* At vos certe quidem, venerabiles fratres, ab huius negligentiae crimine disiunctissimos existimamus, cui obstrictos maxime vult sanctus idem cardinalis eos, qui ex adquisitis Ecclesiae bonis non *codices* emunt, *non ornamenta, non utensilia suis ecclesiis* comparant; sed in suos usus quasi *necessitudinis sumptus* cuncta prodigere non perhorrescunt.

§ 6. De his igitur vobiscum amanter loqui, venerabiles fratres, non inutile esse putavimus ad optimae voluntatis vestrae confirmationem. At multo gravius aliquid sermonem Nostrum, seu potius Nostrarum vim lacrymarum exquirit, et vindicat; pestilens nimirum ille morbus, quem Nostrorum tem-

[1] Epist. encycl. an. 1740. – Cf. N. 304.
[2] Lib. IV, epist. 14, tom. I, op. edit. Rom. 1606.

porum nequitia parturit: ut unanimes, coniunctisque viribus necessariam adhibeamus medicinam, ne dissimulatione Nostra insanabilis in Ecclesia nutriatur, atque excrescat pestilentia. Videntur enim novissimis his diebus instare *tempora illa periculosa*, de quibus pronunciavit apostolus Paulus,[1] quando nempe erunt *homines se ipsos amantes, elati, superbi, blasphemi, proditores, voluptatum amatorem magis quam Dei, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hi se erigunt in magistros *mendacissimos*, ut eosdem appellat apostolorum princeps Petrus, atque introducunt sectas perditionis; et eum, qui emit eos, dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem. Dicunt se esse sapientes, et stulti facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum. Quam multos plena fallaciis iactet ubique triumphos philosophia, ea nimirum, quae tam honesto vocabulo suam abscondit impietatem, quantaque facilitate ad se trahat, adliciatque populorum multitudinem, vos ipsi bene prospicitis, qui speculatores constituti estis in domo Israel. Dogmatum iniquitatem, ac nequissima deliramenta, quae insinuat, quis aut dicendo persequi poterit, aut cogitando comminisci? Dum videri volunt sibi quaerere huiusmodi homines sapientiam, *quia non rite quaerunt, prolabuntur* longius; *et in tantos errores incidunt, ut etiam communem sapientiam non teneant.*[2] Atque equidem eo usque deveniunt, ut impiissime effingant, aut non esse Deum, aut otiosum esse et desidem, nihil nostra curantem, nil hominibus revelantem; ut proinde mirandum non sit, si quidquid sanctum, atque divinum est, blaterent esse inventum, atque excogitatum ab imperitorum hominum mentibus, inani futurorum metu perculsis, et vana immortalitatis spe illectis. Sed fraudulenti isti sapientes tantam dogmatum perversitatem iis verborum, ac sententiarum lenociniis emolliunt, et occultant, ut infirmiores, qui plurimi sunt, quasi quadam esca capti, miserandum in modum irretiti, aut fidem prorsus abiiciant, aut certe labefactari magnopere sinant, dum quasi praeclaram aliquam scientiam consectantes aperiunt oculos ad falsam eam lucem hauriendam ipsis tenebris deteriorem. Nimirum hostis noster nocendi cupidus, et peritus, sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis adsumpsit; ita horum linguas, linguas sane dolosas, a quibus animam suam liberari postulat propheta,[3] ad seducendos fidelium animos veneno suae falsitatis armavit. Itaque suo hi sermone *humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.*[4] Quanta hinc moribus corruptio, quanta in cogitando loquendoque licentia; quanta in omni actione arrogantia, et temeritas!

§ 7. Et vero his offusis tenebris, atque evulsa e cordibus religione, id praeterea adgrediuntur perditissimi hi philosophi, ut quibus homines vinculis inter se, atque cum dominantibus coniunguntur, et in officio continentur, ea omnia dissolvant; liberum hominem nasci ad nauseam usque clamitant,

[1] II ad Timoth., III.
[2] Lactant., divin. instit., lib. III, cap. 28, edit. Paris. 1748.
[3] Ps. CXIX.
[4] Leo M., Serm. XVI, al. XV, cap. 3.

regeruntque, nec cuiusquam obnoxium imperio; societatem propterea multitudinem esse hominum ineptorum, quorum se prosternat stupiditas coram sacerdotibus, a quibus decipiantur, coram regibus, a quibus opprimantur, adeo ut concordia inter sacerdotium, et imperium nihil sit aliud, quam immanis conspiratio contra insitam homini libertatem. Quotus autem quisque non videt huiusmodi deliramenta, atque horum similia multis simulationum involucris contecta, tanto maiorem quieti, et tranquillitati publicae adferre perniciem, quanto tardius auctorum coercetur impietas; animabus vero Christi sanguine redemptis eo esse graviori detrimento, quo, ut cancer, sermo eorum latius serpit, atque se intrudit in publicas academias, in magnatum domos, in aulas regum, et, quod horrendum dictu prope est, etiam in sanctuarium se insinuat?

§ 8. Vos propterea, venerabiles fratres, qui estis sal terrae, custodes Dominici gregis, et pastores, quorum est proeliari proelia Domini, exsurgite, et accingimini gladio vestro, qui est verbum Dei; atque a finibus vestris improbam contagionem depellite. Quousque tandem communem fidei, et Ecclesiae contumeliam dissimulamus? Tamquam clamantis Christi sponsae gemitu nos excitari putemus illi Bernardi verbis:[1] *Olim praedictum est, et nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima; amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu haereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum... Intestina est plaga Ecclesiae; et ideo in pace amaritudo mea amarissima. Sed in qua pace? et pax est: et non est pax. Pax a paganis, et pax ab haereticis; sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto: filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Spreverunt, et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quaestu, a turpi commercio, a negotio denique perambulante in tenebris.* Lacrymosis his questibus pientissimae matris quis se commoveri, atque impelli vehementer non sentiat ad praestandam omnem suam, quam Ecclesiae arctissime pollicitus est, industriam atque operam? Vetus igitur fermentum expurgate; auferte malum de medio vestri, idest venenatos libros ab oculis gregis magna vi, et sedulitate extorquete; animos autem infectos prompte fortiterque segregate, ne sint ceteris nocumento. *Aliter enim*, aiebat sanctissimus pontifex Leo,[2] *Nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt perditiores, et perditi, zelo fidei Dominicae persequamur; et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus.* Qua in re perficienda vor hortamur, obtestamur, et monemus, ut quemadmodum in Ecclesia una est fides, unum baptisma, unusque spiritus; sic unus omnium vestrum sit animus, et concordia individua, una eademque et iugis contentio; et qui iuncti estis institutis, pari etiam virtute, ac voluntate coniungamini. De summa re agitur, quia agitur de fide catholica, de Ecclesiae puritate, de sanctorum doctrina, de tranquillitate imperii, de salute populorum. De eo agitur, quod ut ad universum Ecclesiae corpus, sic ad vos maxime pertinet, qui pastores estis in partem sollicitudinis Nostrae vocati, et quorum vigilantiae puritas fidei est

[1] Serm. XXXIII super cantic., n. 16, tom. IV, op. edit. Paris. 1691.
[2] Ep. VII, VIII, ad episc. per Italiam, cap. 2.

singulariter commendata. *Nunc itaque, fratres, quoniam vos estis episcopi in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite,*[1] ut stent in fide, et ingredi valeant in illam requiem, quae soli credentibus parata esse dignoscitur. Obsecrate, arguite, corripite, increpate, nolite timere; indiscretum quippe silentium hos, qui erudiri poterant, deserit in errore, illis, et vobis, a quibus depelli debebat, damnosissimo. Sancta Ecclesia tunc valentius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate fatigatur; neque in divino hoc opere aut potentiam adversariorum, aut gratiam pertimescatis. Absit timor ab episcopo, quem unctio Sancti Spiritus roboravit: absit a pastore metus, quem princeps pastorum suo docuit exemplo vitam ipsam pro salute gregis contemnere: ab episcopali pectore absit vecordia mercenarii, et abiectio. Egregie pro more suo magnus ille antecessor Noster Gregorius,[2] ecclesiarum praesides erudiens, inquiebat: *Saepe rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, et iuxta veritatis vocem, nequaquam iam gregis custodiae pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt... pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga praebuisse?* Quod si nequissimus humani generis hostis, quo conatibus vestris acrius obsistat, illud aliquando efficiet, ut religiosis saeculi potestatibus abscondita sit grassantis morbi pestilentia, ne quaeso concidatis animo, sed ambulate in domo Dei cum consensu, cum oratione, et veritate, quae sunt arma militiae nostrae. Mementote, quod contaminato Iudae populo, nil ad illius purgationem aptius visum est, quam ut liber legis, quem paullo ante invenerat Helcias pontifex in templo Domini, cunctis a parvo ad maximum audientibus, promulgaretur; et statim consentiente universo populo, abominationibus destructis, *foedus percussum coram Domino est, ut ambularent post Dominum, et custodirent praecepta eius, et testimonia, et caeremonias in omni corde, et in tota anima.*[3] Non dissimili ratione sacerdotes et levitas misit Iosaphat, qui habentes librum legis circumirent civitates Iuda, atque erudirent populum.[4] Vestrae fidei, venerabiles fratres, divini verbi promulgatio non humana, sed divina est auctoritate commissa; congregate ergo populum, adnunciantes illi Iesu Christi evangelium; atque e divino illo penu, e coelesti illa doctrina succum verae philosophiae in vestrum quisque gregem derivate. Suadete subditis servandam esse fidem, et exhibendum obsequium illis, qui Dei ordinatione praesunt et imperant. Date addictis ecclesiae ministerio documenta fidei, continentiae, sobrietatis, scientiae, ac liberalitatis, ut placeant ei, cui se probaverunt; nihilque praeseferant, nisi grave, moderatum, ac religione plenum. Super omnia autem in cunctorum animis ignem mutuae illius charitatis accendite, quam tam saepe, tamque singulariter Christus Dominus commendavit, quaeque una est christianorum tessera, et vinculum perfectionis.

[1] Iudith., VIII, 21.
[2] Reg. pastor. 11, cap. 4, tom. II, op. edit. Paris. Monach. s. Mauri.
[3] IV Reg. XXII et XXIII.
[4] II Paralipom., XVII, 7 et seq.

§ 9. Haec sunt, venerabiles fratres, de quibus potissimum vos adloqui in Domino cupiebamus, et quae a vobis ardentissimo studio, et omni contentione expetimus, ut proprio experimento probemus, quam iucundum sit Nos omnes unanimes esse in fideliter servando deposito custodiae Nostrae concredito. Ast peccatis Nostris impedientibus, consequi illa eadem non possumus, nisi cito anticipent Nos misericordiae Domini, qui praeveniat propitius suis benedictionibus. Quapropter, ut expeditius introeat in conspectu eius communis oratio Nostra, reconcilietur Nobis, et adiuvet infirmitatem Nostram; quo tempore has literas vobis mittimus, eodem alias damus, quibus universis Christifidelibus iubilaeum concedimus, sperantes in eo, qui est miserator, et misericors, ut sicut dedit Nobis ligandi ac solvendi potestatem in terris ad aedificationem sui corporis; sic et vobis, et vestris gregibus ad salutem sit largiturus, ut ab omni semper errore alieni de virtute in virtutem proficiatis. Quod plane ex animo adprecamur, dum apostolicam benedictionem vobis, populisque curae vestrae commissis amantissime impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 5, p. 176-180].

471.

Pius VI, rescript. ad Card. Archiep. Mechlinien., 13 iul. 1782.

1. Exequendo nunc id, quod tibi promiseramus per nuperam nostram epistolam, in qua reservavimus nobis sensa nostra depromere tam super tolerantia matrimoniorum mixtorum, quae super Parochorum Belgii Austriaci in eorundem celebratione assistentia praescriptis a supremo dictae regionis Gubernio per mandata encyclica 21 Maii currentis anni signata: ante omnia quidem manifestare Tibi debemus, quantam haec pastoralis tui zeli, uti et Confratrum tuorum Episcoporum nova argumenta, necnon constans eorum in adhaerendo regulis doctrinae Ecclesiae studium nobis afferant aedificationem, et quantum quoque premant animum nostrum iteratae, quibus ipsos cernimus involutos, angustiae. Attamen non ideo recedendum nobis est ab uniformi Praedecessorum nostrorum sententia, et ab ecclesiastica disciplina, quae non probant matrimonia inter partes utrinque haereticas, vel inter catholicam unam et haereticam alteram, idque multo minus casu quo dispensatione in aliquo gradu opus sit. Materia haec satis est obvia, et praeter praescriptiones quam plurimas, quae habentur, omnino uniformes contra haec sacrilega matrimonia, invenitur specialis prohibitio, facta anno 1710 per Pontificem Clementem XI uni ex Praedecessoribus tuis Archiepiscopo Mechliniensi, relata a Benedicto XIV in epistola sua de 29 Iunii 1748 ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Poloniae directa, quae facit Constitutionem 51, tom. II sui Bullarii editionis Romanae.[1] Dicit ille ibidem de praelaudato Clemente XI: « Mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino

[1] Cf. N. 387.

licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis reipsa praecessisset, theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerint, acriter admonendos decrevit ».

2. Ab hoc systemate, quod fundatur in periculo perversionis partis catholicae, specialiter si ipsa mulier sit haeretica, quemadmodum ad exempla e Sacris Libris petita de inobedientia Adami per Evae incitamenta, de idololatria Salomonis per mulierum suarum artificia, de perversitate Achabi ex suasionibus uxoris suae Jezabel, docte animadvertit Cardinalis Bellarminus Epistola inter familiares suas 35, ubi ait: « ea siquidem est natura foeminarum, ut multo facilius sit ut ipsae viros pertrahant ad errorem, quam ut viri eas perducant ad veritatem » - et propterea ab hoc systemate, inquam nescimus nos recedere, quoniam non debemus. Quamvis tamen nequaquam velimus Tibi et Coepiscopis tuis vel in minimo adaugere angustias, neque criticas istas sequelas, quas credunt merito a se timeri, super illos attrahere; et ideo quantum ad id, quod punctum spectat simplicis permissionis seu veniae dandae, dicemus idem, quod in responsoriis suis de 12 Sept. 1750 Episcopo Wratislaviensi dixit praenominatus Benedictus XIV scilicet: « non posse se positivo actu approbare, ut dispensationes concedantur inter haereticos, vel ipsos inter et catholicos, sed tamen se posse hoc dissimulare »; additque: « scientia haec nostra et tolerantia sufficere debet ad tuam assecurandam conscientiam, quandoquidem in materia, de qua agitur, non occurrat oppositio cum iure divino aut naturali, sed tantummodo cum iure ecclesiastico. Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes crucifixi, id unice nos facere, ut sanctae religioni nostrae maiora damna evitentur »; ac demum concludendo monet, eum teneri omni modo adlaborare, ne malum hoc dilatetur. Nos autem his omnibus hoc adiungimus, quod et ipsa Congregatio Concilii conformiter ad iudicium praefati Pontificis Benedicti praescripsit in instructione data super matrimoniis mixtis, quae in Hollandia contrahuntur, in qua incitantur et serio monentur Episcopi, Vicarii Apostolici, Parochi, Missionarii, omnesque Ecclesiae ministri, « ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis, in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant », prout legitur in dicta instructione, quae reperitur post constitutionem 33, tomi I supracitati Bullarii Benedictini: [1] tali porro admonitioni neque se opponit, neque potuit habuisse in animo se unquam opponere Caesarea Sua Maiestas per ordinationem emanatam: utpote quae in publicis declarationibus expresse asseruit, se desiderare: « manutenere Religionem Catholicam, quae sola est, quae possit hominem beatum efficere, cuiusque augmentum ac propagatio officium sunt, quod prae reliquis magis cordi est Maiestati suae, et cura eius maxime urgens ».

3. Ex verbis epistolae Benedicti XIV supracitatis intellexeris certe, sermonem esse de dispensationibus, quae locum habent non minus, dum agitur de matrimoniis simplicibus inter partem catholicam et haereticam, quam de

[1] Pag. 87-89.

gradibus parentelae, in quibus sibi invicem coniuncti forent contrahentes. Et reipsa casus ille, de quo Pontifex a. 1750 interloquebatur cum episcopo Wratislaviensi, concernebat dispensationes in gradibus, circa quos mentem suam, prout retulimus, exposuit in terminis merae tolerantiae, ex iis, quae praevie sibi nota erant, consequentis. Sed hoc ipsum est, quod nos facere non possumus, quoniam in hypothesi tunc existente praxis dispensandi in gradibus pro matrimoniis mixtis *inveterata* erat in isto loco; hic autem agitur de introductione omnino nova, cui se opponit regula, in aliis casibus magis recentibus per Praedecessores nostros et per nos ipsos adoptata; scilicet cum dispensatio gratia sit, reservatur haec fidelibus sub Ecclesiae obedientia viventibus; unde ad haereticos non debet extendi, qui non agnoscendo eiusdem auctoritatem per hoc se reddunt similis indulgentiae indignos; vel ad summum poterit dispensatio in gradibus ab Episcopis concedi in aliquo particulari casu, qui non sit strictior illis, qui in formula comprehenduntur, et in quo concurrat causa urgens et publica, non autem privatum aliquod commodum vel effraenis animi contrahentium impetus. Speramus quoque aliunde futurum, ut Episcopi vestrates quantum ad ista impedimenta parentelae tranquilli possint vivere, propter aversionem, quam Caesarea Sua Maiestas a dispensatione in gradibus se habere declaravit.

4. Transeundo nunc ad aliud punctum de imperata Parochorum assistentia in matrimoniis mixtis, dicimus, quod si praemissa supra nominata admonitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, ipsa nihilominus in voluntate illud contrahendi persistat, et matrimonium infallibiliter secuturum praevideatur, poterit tunc parochus catholicus *materialem suam exhibere praesentiam*, sic tamen, ut sequentes observare teneatur cautelas.

Primo, ut non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec aliqua veste ritum sacrum praeferente indutus, neque recitabit super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicet.

Secundo, ut exigat et recipiat a contrahente haeretico *declarationem in scriptis*, qua cum *iuramento*, praesentibus duobus testibus, qui debebunt et ipsi subscribere, *obliget se ad permittendum comparti usum liberum religionis catholicae et ad educandum in eadem omnes liberos nascituros sine ulla sexus distinctione;* quemadmodum praescripsit defuncta Imperatrix Maria Theresia art. 4 decreti sui de 20 Febr. 1751 pro matrimoniis, quae in civitate Tergestina inter Graecos dissidentes et unitos forte contingeret contrahi. Unde quum nunc velit Sua Maiestas ut mares omnes in protestantismo educentur, si pater sit haereticus, necesse erit ut super deplorandis talis mandati sequelis urgentissimae fiant supplicationes Caesareae Suae Maiestati, ponendo ipsi ob oculos oppositam suprafatam ordinationem Augustae suae Genitricis.

Tertio, ut et ipse contrahens catholicus declarationem edat a se et duobus testibus subscriptam, in qua cum iuramento promittat, non tantum se nunquam apostatataturum a religione sua catholica, sed educaturum in ipsa omnem prolem nascituram, et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici.

Quarto, quod attinet *proclamationes*, decreto Caesareo imperatas, quas Episcopi apprehendunt actus esse civiles potius quam sacros, respondemus:

quum praeordinatae illae sint ad futuram celebrationem matrimonii, et ex consequenti positivam eidem cooperationem contineant, quod utique excedit simplicis tolerantiae limites, *non posse nos, ut hae fiant, annuere,* et hinc recurrendum iterum erit ad Caesaream Maiestatem, quatenus in ista saltem parte eximere dignetur Parochos a dictis proclamationibus et specialiter in loco sacro faciendis.

5. Omnes hae regulae, de quibus hactenus scripsimus, desumptae sunt ex instructionibus per Praedecessores nostros in parili casu datis, a quibus eo minus possumus declinare, quod agatur de matrimoniis istis introducendis in regiones, in quibus populus totus catholicus est, aut saltem pars eius longe maxima, idque directe in oppositum detestationis illius universalis, quae existit adversus eius generis nuptias in vicina Hollandiae republica.

6. Superest nunc de uno adhuc puncto loquendum, super quo licet non simus expresse interrogati, silentio tamen illud praetereundum non credimus, utpote quod in praxi nimis frequenter possit accidere, hoc scilicet: an contrahens catholicus, postea volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti? Ad quod dicimus, dum idem ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae coniunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem coniugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus nos, quominus pars catholica Sacramentorum fiat particeps.

7. Existimamus nunc abunde nos satisfecisse tuis ac reliquorum Episcoporum convicinorum tuorum aedificanti sollicitudini, quapropter sermonem contrahendo finem imponimus, sincero Te corde amplectentes, Tibique ac reliquis Praelatis, nec non gregi curae cuiusque commisso Apostolicam impertientes benedictionem.

[Roskovány, De Matrimoniis mixtis, tom. II, p. 61-66].

472.

Pius VI, const. *Mediator*, 11 nov. 1784.

§ 1. Mediator Dei, et hominum Christus Iesus, quo plenius in Nos misericordiae suae divitias effunderet, figmentum Nostrum miseratus, ad reparandos eos, qui a baptismi gratia quandocumque excidissent, tradita Ecclesiae praepositis potestate remittendi, ac retinendi peccata, sacramentum poenitentiae instituit, cuius vi, et efficacia, qui ad id accederent rite dispositi, ac peccata confessi, per sacerdotis absolutionem peccatorum veniam consequerentur. Constans haec fuit de hoc insigni Christi beneficio, et ab apostolicis usque ducta temporibus perpetua Ecclesiae praedicatio; eaque, depulsis pridem, ac praesertim per Tridentini Concilii decreta novatorum erroribus, fusa per omnes catholici orbis provincias, fideliumque omnium animis insita penitus ac defixa, pacatissima consensione, nec sine ingenti animarum fructu pura et integra fide tenebatur. Verum antiquus generis humani hostis, adversarius ille noster, in quo numquam quiescit voluntas nocendi, *omnibus modis instat, quemadmodum deiiciat:* itaque cum in hac fidei, ac doctrinae constantia, nil dudum christianae plebi ab apertis hostibus metuendum videretur, prodierunt repente ex nostris, qui Nobis bella moverent, *si tamen nostri dicendi sunt, quos ad inimicum transisse rupto foedere sentiamus.*

§ 2. Editum sane recens, nec sine acerbo doloris sensu accepimus libellum Germanico idiomate, cuius haec est latine reddita inscriptio: « *Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione? ab Eybel. Vindobonae apud Iosephum Nobilem de Hurzbek, etc. 1784* ».

§ 3. Ediderat iam scriptor iste paucis ante annis introductionem in ius ecclesiasticum catholicorum, quem librum decreto sub die 16 februarii currentis anni Indicis congregatio, maturo adhibito examine, censuit inter damnatos libros referendum. At hoc novo libello palam omnibus factum est, perspicueque declaratum, qui scriptoris huius animus semper antea fuerit, quove demum tendant eorum consilia, qui omni scriptionum genere student fidelium animos alienare ab ea Sede, cum qua ecclesias universas, et fideles, qui undique sunt, omnes oportet convenire. Sane infelicem auctorem non puduit palam profiteri, haereticorum scriptis quoad res plurimas solide se fuisse instructum; licet vane testetur, se in hoc argumento ab eorum quantumvis doctorum lucubrationibus abstinere voluisse: infelix revera, qui dum se solide instructum perperam sibi blanditur, non animadverterit, quam periculosum sit eorum se instabilitati committere, qui a soliditate petrae, supra quam Christus Ecclesiam suam fundavit, aliquando discesserint. Atque isti quidem ex illis sunt, quos novissimis diebus futuros praedixit apostolus, quos nimium multos in hac, quae quotidie magis magisque increbrescit opinandi licentia, experimur qui corrupti mente, ac reprobi circa fidem resistunt veritati; *sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Qui, etsi cum innovare, et errare inceperint, ipsi non desistent ab errore; sed semper fallacias novas, et dogmata corrupta invenient, non diutius tamen fallent, neque secum rapient; quippe licet in principio prospere agat error, ad finem tamen usque non permanebit.

§ 4. Magna certe Nobis fiducia est apud Deum fore numquam, ut filii Ecclesiae, filii lucis, obedientes ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi sunt, abduci se sinant variis illis, et peregrinis doctrinis, quas spiritus erroris invexit, quarum finis interitus. Huius notae sunt illae, quas in novatorum libris expositas dudum, et patentes non dubitavit libelli auctor fraudolenta calliditate incautis mentibus obtrudere. Propositum ait sibi fuisse exponere, quid contineant antiquitatis christianae monumenta de auricolari confessione, nec tamen abstinet ab illis etiam proferendis, quae pridem fuere a Novatoribus congesta, quibus in colligendis more illi suo ita versati sunt, ut ea commentitiis interpretationibus, ut et divinas Scripturas in suam, aliorumque perniciem depravantes, ab sanctorum mente, ac sententia longissime aberrarent.

§ 5. Hinc effectum, ut quantumvis a Concilio Tridentino declaratum sit,[1] modum secrete confitendi soli sacerdoti, quo Ecclesia nunc utitur, a sanctis-

[1] Sess. XIV, *de poenitentia*, c. 5, can. 6.

simis et antiquissimis patribus fuisse commendatum. contra Eybelius velut imperitos traducat eos doctores, qui poenitentiae, et confessionis modernum, et posteriorem usum iam in antiquitate se detegere autumant. Hinc ecclesiasticam peccatorum remissionem, quam memorat in antiquitate viguisse, refert ad remissionem iniuriae, quae fidelium communitati contra foedus initum a peccantibus irrogabatur, quae remissio, utpote ex natura, et pactis cuiuslibet societatis prodiens, potestatis etiam esset ecclesiasticae societatis, minime proinde confundenda cum supernaturali absolutione a Dei offensa, quasi in reconciliandis poenitentibus non uterentur Ecclesiae praepositi supernaturali iudiciali potestate a Christo sibi tradita offensae Dei per sacramentalem absolutionem illis remittendae, qui eam digne susciperent. Huc pertinet quod tradit, non alia intentione debuisse poenitentes ad Ecclesiae praesules, et sacerdotes accedere, quam ut detectis animae vulneribus, receptaque instructione, ac pro poenitentia peragenda operum designatione his peractis tum primum sub spe divinae misericordiae, et promissione gratiae reconciliationem obtinere possent: cum tamen constans haec sit Ecclesiae doctrina, eam esse vim et efficaciam sacramenti poenitentiae, ut per illud poenitentes etiam ante peracta poenitentiae opera consequi reconciliationem queant, nec tantummodo in instruendis poenitentibus, operibusve poenitentiae designandis versari sacerdotale ministerium in huius sacramenti administratione, sed ut clavium potestate utens sacerdos, tamquam iudex, ac fidelis dispensator, et prudens, tum salutares poenas, ac satisfactiones confitentibus non designare modo, sed et imponere, tum vere poenitentes absolvere a culpis valeat. Sic etenim docti sumus a maioribus, non solum *peccatorum remissionem in catholica Ecclesia reperiri, sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse, qua si rite, et secundum leges a Christo Domino praescriptas sacerdotes utantur, vere peccata remitti, et condonari credendum est.* Accedit, quod modum secrete confitendi soli sacerdoti eatenus concedit humanum inventum non esse, quatenus lex naturalis divina obligat ad quaerendum animae remedium: quo satis demonstrat, vim mandati Christi eludere potius, quam adstruere voluisse. Atque ex his perspici potest cuiusmodi sit ea veneratio, qua prosequi se Tridentinum Concilium Eybelius profitetur; dum et eius decreta tot modis pervertere nititur, nec insuper insinuare veretur in hodierna poenitendi ratione, non obstante Tridentino, immutationem fieri posse, qua dissidentium christianorum concordia procuretur; oblitus, quam arcte nobis indictum sit *supercertari semel traditae sanctis fidei;* cumque nulla sit societas luci ad tenebras, nefas esse christianum de veritate cum errore pacisci. Sed et istud catholico viro prorsus indignum, quod non horruerit, subdole refricare maledicta, et convicia, quibus haeretici blasphemantes opera Dei invehuntur in secretam confessionem, quo eximium istud divinae largitatis beneficium et populis odiosum, et saeculi potestatibus suspectum reddunt, et invisum. Quae tamen minus mirum videri debet ab homine profecta, qui opusculum suum concluserit tali veluti fidei professione, quam heterodoxus nemo detrectaverit, testans videlicet nolle quicquam a se scriptum, quod coram Deo orthodoxum non sit. Quod si nil orthodoxum coram Deo, quod non sit ex veritate, nec possit quicquam ex veritate esse, quod non congruat cum sensu Ecclesiae, quae

columna est, ac firmamentum veritatis, an potuit ille confidere, se ex veritate scripsisse, qui de auriculari confessione ea scripserit, quae plane abhorrent a doctrina, quam a maioribus accepimus, quam oecumenica synodus Tridentina sancivit, quae in universa Ecclesia praedicatur, qua ubique instruuntur alumni fidei, quam ille ipse in Ecclesia didicit ab infantia? Merito proinde obiici illi potest, quod Luthero, quod caeteris novatoribus obiectum semper fuit: non sic vos ipsi credidistis ab initio: nova sunt quae affertis, novitas ipsa vos arguit erroris. Hoc inducta principio celebris theologica facultas Parisiensis doctrinam, quae supponeret, Ecclesiam aliquo tempore legitimi usus poenitentiae cognitione caruisse, velut temerariam notavit, ipsi Ecclesiae iniuriosam, et haereticam. Quin etiam ad uberiorem explicationem sub iisdem notis, alias insuper propositiones perstrinxit, in quantum disciplinam, et consuetudinem ecclesiasticam ab omnibus catholicae communionis ecclesiis receptam, quantumcumque diuturnam, tamquam abusivam, et institutioni Christi, ac evangelicae doctrinae contrariam. Hinc et illustre Augustanum vicariatus officium probro sibi fore duxit, videri probatum a se opusculum Eybelii, eaque de re impactam calumnia publico decreto repellendam censuit, edixitque, ut per verbi divini ministros monerentur fideles ab libellis eiusmodi abstinere, qui fidem corrumpunt, et mores. Tametsi vero in Domino confidimus, numquam futurum, ut pernicies haec, labesque fundat se latius ad eos inficiendos, qui spiritu Dei aguntur, quive non omnem suae salutis curam abiecerint; quia tamen sapientibus, et insipientibus debitores sumus, nec desunt in multis, qui infirmi sunt in fide, valde trepidavimus, ne horum fidem a tramite veritatis insinuatio male docentis averteret. Maiorem vero in modum commoti sumus, ac perculsi, tristitiamque super tristitiam habuimus, cum ad Nos perlatum est, eo usque progressam esse impiorum hominum in religionis contemptu effraenatam audaciam, ut sanctissima haec sacramentalis poenitentiae actio indignis picturis, ac dicteriis, per fora et compita exponi ad ludibrium coeperit: vel iismet flabellis appicta, quae in mulierum manibus passim geruntur. Nefandum dictu! Sacrilegum iocum fieri de hoc divinae largitatis, ac misericordiae ineffabili dono, cuius vel nomine ipso admonemur conscientiae sordes recognoscere, peccata deflere, et annos nostros cum salutari animae nostrae amaritudine recogitare. Sic omni machinationum genere adversus fidem, religionisque sanctitatem certatur. Hinc disputationum laquei, quibus irretiantur mentes incautorum; isthinc ludicrae artes, quibus deformata per impiam fraudem sacrorum maiestas in contemptum adducatur. Neque id satis erat, nisi insuper ad cumulum accessisset facinus perinde audax, et improbum, quod cum privati scriptoris probro, Romani nominis dedecus coniungeret: scilicet Nobis est paucis hisce diebus nuntiatum recens prodiisse adversus auricularem confessionem sub usurpato Romani theologi nomine furtivum opusculum, velut ex Italico in Germanicum sermonem conversum, et Augustanis typis editum, opus tenebrarum, dignum illis, quorum cogitationes in malum, quorum labia loquuntur dolum; et illi quidem impudenti usi mendacio, quod scriptor hic vivens mox queat redarguere; at non sine sperato aliquo iniquitatis fructu, rati nimirum fore, ut per ementitam inscriptionem molliretur impii dogmatis pravitas, leniusque

influeret in aures multitudinis, cui persuasum esset illud et Romae suos habere defensores.

§ 6. Quo maiore cura Nobis est providendum, ut impendentibus animarum periculis, quam mature fieri possit, subveniamus. « *Etenim*, quod sapienter monebat suis ad Cyrillum iteris Coelestinus praedecessor Noster, *vulnus, quod non unum aliquod membrum tantum laedit, sed universum Ecclesiae corpus consauciat, primo quoque tempore excindere oportet* ». Hisce de causis statim, atque memoratum Eybelii de auriculari confessione opusculum a piis doctisque viris ad apostolatus Nostri iudicium delatum est, illud ex Germanico in Latinum sermonem verti; atque, ut rei gravitas postulabat, complurium in sacra theologia magistrorum examini, et censurae subiici mandavimus; ac subinde habitis eorum consultationibus, auditisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum coram Nobis adstantium, *implorato Divino lumine*, motu proprio, et ex certa scientia Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine antedictum librum, cuius titulus latine redditus: *Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione, ab Eybel?* tamquam continentem doctrinas, et propositiones respective falsas, captiosas, temerarias, scandalosas, seditiosas, sanctis patribus contrarias, et iniuriosas, sapientes haeresim, erroneas, haereticas, et a Concilio Tridentino uti haereticas damnatas, reprobamus, damnamus, ac pro reprobato, ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

§ 7. Mandamus insuper, ne quisquam ex Christifidelibus cuiuscumque gradus, et dignitatis, quamvis specialissima nota dignis, librum praedictum iam typis editum, sive manu conscriptum, vel in suo originali, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuo imprimere, seu imprimi facere audeat, aut praesumat sub poena excommunicationis maioris ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, excepto dumtaxat mortis articulo, nisi a Nobis, seu a Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium valeat obtinere.

§ 8. Praecipimus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus, ac singulis cuiuscumque gradus, et conditionis existant, vel quatenus praedictus liber ad eorum manus devenerit, aut deveniat, illum, statim atque praesentes literae eis innotuerint, locorum ordinariis tradere, ac consignare sub eadem excommunicationis poena teneantur.

§ 9. Memores porro Nos, meritis licet imparibus, sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino Iesu Christo glorificata est confessio, et cuius fides omnes haereses destruit, vos, qui undique estis, venerabiles fratres, quibus sua cuique gregis portio attributa est, in visceribus Christi, cum omni instantia hortamur, et obsecramus, ut pro diligenti cura, quam geritis ecclesiarum, quibus praesidetis, collaborare Nobiscum ne desinatis, Nostrisque studiis, ac vigiliis studia vestra, vigiliasque adiungere, ut divina opitulante gratia commissum Nobis gregem servare a venenatis pascuis immunem, eumque supremo pastori, et episcopo animarum, qui Nobis pascendum illum tradidit, purum, et incolumem repraesentare, ac reddere valeamus.

In id incumbite, omnique ope satagite, ut suis constabilita regulis Ecclesia, et iustae pronuntiationis firmata decreto, talibus patere non possit, qui perversis verborum argutiis, sub imagine catholicae fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, quo recte sentientium corda corrumpant, totam veri dogmatis quaerunt evertere disciplinam.

§ 10. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam praetexere possit, volumus, et mandamus, illas ad valvas basilicae principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae necnon curiae generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic vero publicatas perinde afficere omnes, et singulos, quos concernunt, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum autem literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, et ostensae.

[Bull. Rom. Cont., tom. 7, p. 339-342].

473.

Pius VI, const. *Super soliditate*, 28 nov. 1786.

§ 1. Super soliditate petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae caeteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam susciperet: dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni patrum praedicatione traditum, ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores summorum pontificum, conciliorumque decretis confirmavit. In hoc scilicet apostolicae cathedrae principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut huius vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum, quotquot omnibus retro saeculis extitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in Ecclesiam odium infudit, in hanc primum Sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disiecto, si fieri posset, fundamento, ac dirempta ecclesiarum cum capite coniunctione, qua potissimum nituntur, vigent, ac efflorescunt, ipsammet Ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent.

§ 2. Hos inter, paucos ante annos procacis vir ingenii, damnatis dudum opusculis, nimium iam notus Eybel, [1] novo exemplo infesti sui in Nos et apostolicam hanc Sedem animi testimonium edidit: qui nempe audito nuntio itineris a Nobis religionis causa suscepti, libellum suis popularibus obtrudere properavit, ac inverecunda inscriptione: *Quid est Papa?* Quo plenum illud pietatis studium, quod adventus Nostri expectatio commoverat, restingueret, ipsumque decus Pontificiae dignitatis, in sacerdotalis ordinis invidiam, popularisque coetus contemptum adduceret. Non tamen passus est misericors Deus improbi eum voti compotem fieri; quippe tanta ipsorummet suorum, quos abalienare a Nobis studuerat, celebritate, et frequentia, tanta omnium ordinum gratulatione, ac plausu excepti sumus, prorsus ut perspicuum fieret, quamquam nullis Nostris meritis in Petri Sedem, divina disponente providentia, evecti sumus, divino tamen numinis eiusdem consilio provisum esse, ne honori, qui Petro debetur, successoris indignitas obesset.

§ 3. Ac tum quidem abstinendum duximus a libello merita damnatione notando; primum ne suspicacioribus, qui non desunt, hominibus, dolori potius Nostro indulsisse, quam officio paruisse videremur: dein quod oblivione protinus obruendum videri poterat opusculum eiusmodi, quod tenue per sese nil momenti afferret praeter procaciorem quamdam in veteribus calumniis retexendis licentiam. Nuper vero cum acceperimus, levitate ipsa operis factum esse, ut, qui semper parati sunt superseminare zizania inimici homines, repetitis illud typis, nec patrio tantum sermone, sed et in alios plures, quin et in *Graecam* vulgarem linguam translatum longe, lateque divulgari curarent hoc nimirum consilio, eaque spe inducti fore, ut scripti iocularis licentia non paucos ad legendum alliceret, scriptoris in affirmando confidentia incautis, qui nec pauci sunt, illuderet; nullam Nobis moram interponendam novimus, quominus gliscenti malo in dies, quantum in Nobis est, occurramus, omnique studio et opera enitamur, ut qui pacem, et unitatem Ecclesiae scindere quaerunt (utinam non domestici hostes) ad saniora consilia revocentur, aut ne horum fallaciis irretiti bonarum etiam mentium fideles ab Orthodoxae fidei constantia in profanas insurgentium errorum novitates miserrime abducantur.

§ 4. Et sane cum, monente Augustino, in cathedra unitatis posuerit Deus doctrinam veritatis, contra infelix iste scriptor nil non mollitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet, ac oppugnet, qua in Sede constitutam patres unanimi sensu cathedram eam coluere, *Qua in una unitas ab omnibus servaretur; e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant; ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles convenire.* Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse, qui claves regni coelorum, cum ligandi, solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit: eumdem porro vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, iudicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni coelorum cum ligandi, solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves communicandas caeteris, post Tertullianum Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot solemnia, totiesque repetita pontificum, conciliorumve decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarent in beato Petro apostolorum principe successorem eius Romanum Pontificem constitutum a Deo caput Ecclesiae visibile, ac vicarium Iesu Christi, ei regendae Ecclesiae plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui Christiano nomine censentur, obedientiam deberi; atque vim eam esse primatus, quem *divino iure* obtinet, ut caeteris episcopis non honoris tantum gradu, sed et supremae potestatis amplitudine antecellat? Quo magis deploranda est praeceps, ac caeca hominis temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit, ac per multas ambages passim insinuarit: quemlibet episcoporum vocatum a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam papam, nec minori praeditum esse potestate: Christum eamdem per sese apostolis omnibus potestatem dedisse: quidquid aliqui credant obtineri, et concedi solum a pontifice, posse idipsum, sive a consecratione, sive ab ecclesiastica iurisdictione pendeat, perinde obtineri a quolibet episcopo: voluisse Christum Ecclesiam reipublicae more administrari: ei quidem regimini opus esse praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare; privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia: vim primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus, et exemplo: pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu: pontificem caput esse, quod vim suam, ac firmitatem teneat ab Ecclesia: licitum sibi fecisse pontificis violandi iura episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quae singulatim recenset, atque velut indebitas, ac episcopis iniuriosas reservationes traducit.

§ 5. Atque ille quidem ad fidem suis hisce dictis non tam conciliandam quam quoquo modo surripiendam, nomina longa serie praetendit sanctissimorum patrum, quorum decerptis hinc inde, maleque adductis sententiis insigni fraude abutitur, dum ea loca recenset, quae faciunt ad commendationem episcopalis dignitatis, alia reticet, quibus illi singularem pontificiae potestatis praestantiam extulerunt. Qui, si adessent, impudentem hominis calumniam ea voce refellerent, qua Sedis apostolicae principatum, suumque in eam obsequium non praedicarunt modo, sed et immortalibus scriptis ad omnem futuri temporis memoriam testatum reliquerunt: Cyprianus ipse cuius haec sunt verba: Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata: qui Petri cathedram profitetur Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ad quam perfidia non possit habere accessum.

§ 6. Chrysostomus aperte declarans, potuisse Petrum iure suo successorem in proditoris locum eligere. Quo iure ex primatu ducto Petrus ipse

[1] Cf. N. 472.

deinceps, primique Petri successores usi sunt, dum per omnem occidentem ecclesias fundarunt, eisque vel ante omnem synodum episcopos praefecerunt, quibus gregis regendi portionem assignarunt, tum definitis regionibus unam Sedem designarunt, cuius antistes caeteris apostolica auctoritate praesideret. De qua ecclesiarum institutione Innocentius I velut de re manifesta testimonium edidit luculentissimum, quo intelligere quisque valeat, pontificiam auctoritatem non ex constituta ante per synodos disciplina prodiisse, sed constitutae per synodalia decreta disciplinae praeluxisse. Quem etiam pontificem, compertum est, Antiochenam ecclesiam, caput orientalis dioeceseos decretis suis ordinavisse.

§ 7. Epiphanius, qui Ursacium, et Valentem poenitentia ductos testatur Iulio Romano Pontifici libellos obtulisse, quibus errorem suum deprecarentur, atque ad communionem, et poenitentiam admitterentur.

§ 8. Hieronymus, cui profanus erat quisquis non cathedrae Petri communione consociaretur, super quam petram sciret aedificatam Ecclesiam, atque adeo ab uno Damaso in gravissimis concertationibus, ut loquendi, ita et communicandi auctoritatem sibi dari efflagitabat.

§ 9. Augustinus, qui se in scripturis sanctis testatur didicisse, primatum apostolorum in Petro excellenti gratia praeeminere: illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum: Romanam Ecclesiam, Petri Sedem, eam esse petram, quam non vincunt superbae inferorum portae. Quo alia refellitur scriptoris calumnia, dum petrae nomine, super quam Christus aedificavit Ecclesiam suam, non personam, sed fidem, aut confessionem Petri vult potius esse intelligendam, quasi patres ii, qui, pro mira fecunditate Scripturae, petrae vocabulum eo quoque retulerunt, literalem illum sensum, quo ad Petrum ipsum directe refertur, deseruerint, ac non etiam apertissime retinuerint. Sic et magister Augustini Ambrosius: « Ipse est Petrus, cui « dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* Ubi « ergo Petrus, ibi Ecclesia »: Haec una vox patrum, haec doctorum perpetua traditio, quam ex maioribus collectam paucis hisce verbis complexus est, Eugenium alloquens Bernardus: « Tu es cui claves traditae, cui oves creditae « sunt... habent alii assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi universi « crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium « pastor ». Hoc lacte doctrinae nutriti sunt quotquot in Ecclesia Christi adoleverunt; hoc, si recordari volent, a pueritia imbuti, quotquot nunc omni vento doctrinae circumferri se patiantur. Semper ex Evangelio proditum, pascendas oves Petro a Christo commendatas, non item Petrum ovibus pascendum.

§ 10. Nec vero a patrum traditione synodi oecumenicae unquam recessere. Chalcedonenses patres Petro se audientes praebuere per eos Leonis loquenti,[1] nec a quovis antistite, sed ab Leone tamquam capite cum implorata confirmatione, actionum suarum firmitatem noverunt esse repetendam.

§ 11. Octava generalis synodus actione prima perlectum libellum probavit, seu formulam, qua post praeclara multa de Romani Pontificis auctoritate perscriptum erat, qui sequestrati essent *a communione Ecclesiae catholicae, idest non consentientes Sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.*[1] Quin praeterea cum statuendum superesset de nonnullis dispensationibus, quas utilitas Ecclesiae exposcere maxime videbatur, impartiendae veniae facultatem sumere sibi patres ausi non sunt: verum eam per patiarcham Ignatium implorandam duxere a Sede apostolica, quam proinde agnovere, non ipsos patriarchas, relaxandorum canonum potestate pollere.

[1] Actio II. – Mansi, tom. 6, col. 971.

§ 12. Magna Lateranensis Synodus quarta, can. 5, Romanam Ecclesiam tradit, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, utpote universorum Christifidelium matrem et magistram.[2]

§ 13. In Lugdunensi II edita est Graecorum fidei professio,[3] qua se recognoscere testantur, Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum, et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse. Quas superiores Synodus subsecuta deinceps Florentina catholicum primatus dogma celebri decreto sancivit.[4]

§ 14. Divino eodem spiritu afflati Tridentini patres declararunt: *Pontifex maximus pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores potuisse peculiari iudicio reservare.*[5] Quam adeo potestatem per omnes ecclesias sese fundentem, atque in alia eiusdemmodi munia, quae libelli auctor explodere perperam nititur, ex aequo pertinentem, non aliunde adscitam, non ab inferioribus ad Pontifices delatam, sed primatui ordinario iure insitam, cuique fatendum est, qui coelestem synodorum sapientiam, humanae inscitiae disputationibus non dubitet longe praeponendam.

§ 15. Appellat Eybel Constantiense Concilium. At meminisse ipsum oportuerat, damnatos in eo errores fuisse, cum Wicleffi aientis non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias, nec Papam esse proximum et immediatum Christi vicarium; tum Iohannis Hus, Petrum non esse, nec fuisse caput Ecclesiae sanctae catholicae. Quibus erroribus sanorum verborum formam opponens Martinus V praescripsit interrogandos, qui de his suspecti essent, utrum credant, beatum Petrum fuisse vicarium Christi, habentem potestatem ligandi, ac solvendi super terram. Item Papam canonice electum successorem esse beati Petri habentem supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Item Papam omnibus Christianis posse concedere indulgentias; singulos porro episcopos suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum.[6] Quo plane refutatur

[1] Mansi, tom. 16, col. 28.
[2] C. 23, X, *de privilegiis et excessibus privilegiatorum,* V, 33.
[3] Cf. N. 35.
[4] Cf. N. 51.
[5] Sess. XIV, *de poenitentia,* c. 7.
[6] Cf. N. 43.

istius error, dum perperam disserens de indulgentiis scribere ausus est, quemlibet episcopum, pari modo atque Papam, posse indulgentias concedere. Quae patrum, synodorumve documenta, quisquis aequo, pacatoque animo paullo attentius introspexerit, sentiet profecto, longe praestantiorem auctoritatem comprehendere, quam quae aut meri directorii, ut vocant, finibus, aut hortandi, monendi, supplendi munere continetur.

§ 16. Quin et ipsi Basileenses in synodali responso ad Tarentinum episcopum [1] palam declarant fateri se, et credere, Romanum Pontificem caput esse, et primatem Ecclesiae, vicarium Christi, et a Christo, non ab hominibus, vel Synodis aliis praelatum, et pastorem Christianorum, cui datae sunt a Domino claves, et uni dictum *Tu es Petrus,* et solum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis. Quo magis pudere ipsum deberet impotentis audaciae, qua eam potestatis plenitudinem infirmare aggreditur, quam Basileenses inter doctrinae capita referunt adeo nota et pervulgata, ut nec opus foret ea percensere. Et sane quod supra dictum ab Augustino retulimus, in Romana Sede semper viguisse apostolicae cathedrae principatum, huncque apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum, cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur, quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat iure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis: caeteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus commune cum Petro caeteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.

§ 17. Laudat Gallicanos praesules, Gallicanos doctores: frustra omnino. Quos etenim ex his cogitat ille sibi suffragatores adsciscere? Vetustiores ne, an aut qui medio aevo, aut recentiore memoria, in ea inclita ecclesia pietatis, doctrinaeve laude floruere? At inter veteres illos, ut paucos ex multis proferamus, audire illum non pigeat Caesarium Arelatensem, Avitum Viennensem, quorum ille supplici libello Symmachum Papam alloquitur: « Sicut « a persona beati Petri episcopatus initium, ita necesse est, ut disciplinis « competentibus Sanctitas Vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, « evidenter ostendat ». Avitus vero ad Hormisdam: « Quaesumus ut quid « filiis vestris, fratribus meis, idest Gallicanis, si consulant, respondere debeam,

[1] Mansi, tom. 29, col. 245.

« instruatis; quia iam securus non dicam de Viennensis, sed de totius Gal- « liae devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare senten- « tiam ». Aurelianenses patres, qui canonicam formam in metropolitanorum electione servandam ex apostolicae Sedis decretis repetunt.

§ 18. Audiat ex medio aevo Hincmarum Remensem, qui, cum testatur se erga Sedem apostolicam omnium ecclesiarum matrem, ac magistram, eiusque rectores fidelem semper, atque subiectum in omnibus extitisse, hoc ipso quod videri voluit, quid apostolicae Sedi debeatur, ac deberi sentiat, manifeste declarat; tum et Ivonem Carnotensem graviter eorum audaciam coarguentem, qui contra Sedem apostolicam caput erigunt, *cuius iudiciis, et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitatis notam incurrere:* ad quam *principaliter, et generalissime pertineat tam metropolitanorum, quam caeterorum episcoporum consecrationem confirmare, vel infirmare, constitutiones et iudicia retractare, suas vero inconcussas detinere, et nullius inferioris iudicio retractandas, vel corrigendas concedere.* Quod idem Gelasii quoque auctoritate comprobat.

§ 19. Quod si ab illa vetustate ad propiora tempora pregredimur, latere illum non debuere gravissimae censurae adversus famosum Spalatensem apostatam ab insigni theologica facultate Parisiensi latae, in quibus praeformatam libelli sui damnationem perspicere facile potuisset. Hi scilicet fuere Spalatensis errores, quibus illa haereticae, ac schismaticae pravitatis notam inurendam non dubitavit: « Disparitatem potestatis inter apostolos esse huma- « num inventum, in sacris evangeliis, et divinis novi testamenti scripturis « minime subsistens »: (quam haereticam et schismaticam declarat de iurisdictione apostolica ordinaria, quae in solo divo Petro subsistebat, intellectam). « In Ecclesia non dari unum caput supremum, et monarcham praeter « Christum ». « Episcopos omnes simul, et in solidum eamdem regere Eccle- « siam singulos cum plena potestate ». « Romanam Ecclesiam praecipuam « fuisse, et esse nobilitate, existimatione, nomine, et dignitatis auctoritate, « non regiminis, et iurisdictioni principatu » (quam dicit haereticam et schismaticam, quatenus aperte insinuat, Romanam Ecclesiam iure divino auctoritatem in alias ecclesias non habere). « Unumquemque episcopum iure divino « esse universalem ». « Monarchiae formam non fuisse immediate in Ecclesia « a Christo institutam; falsum esse, unionem Ecclesiae catholicae in unitate « rectoris visibilis consistere », cumque Spalatensis subiunxisset, Parisiensium doctrinam, enucleate intellectam, nihil a sua discrepare, impactam sibi calumniam continuo illi refutarunt *velut meram contra facultatem Parisiensem imposturam.*

§ 20. Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium doctorum sententiae, sic et constanti maiorum suorum traditioni plane consentaneum de Romani Pontificis primatu testimonium edidere Gallicani praesules in comitiis anno 1681: « Caput est, inquiunt, Ecclesiae, centrum unitatis: obtinet « ille in nos primatum auctoritatis, et iurisdictionis sibi a Christo Iesu in « persona sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, « immo et haereticus esset ».

§ 21. Quin et libelli auctori non prorsus ignota fuere, petita ex omni antiquitatis memoria de Romano primatu luculentissima documenta, quo

magis prodit sese pertinax illius adversus Romanam Sedem contentio, qui cum splendida illa patrum testimonia obscurare, ac delere non posset, ea veritus non sit per summam impudentiam velut allegorias male intellectas traducere, indeque factum ex parte esse, ut longa saeculorum serie creditus sit Papa is esse, qui non est; quasi sanctissimi patres, quos Ecclesiae suae Deus dedit pastores et doctores, in re gravissimi momenti, quae ad Ecclesiae constitutionem pertinet, communi sensu aut erraverint ipsi, aut errandi causam fidelibus obiecerint, ac non potius nefarii erroris convictus teneatur, qui de Romano Pontifice aliter credendum statuat, quam tot saeculorum continuata successione creditum sit.

§ 22. Atque haec quidem Praedecessorum Nostrorum paribus in causis exempla secuti paullo latius, ut muneris Nostri ratio postulat, exponenda duximus, non Nostra, sed animarum lucra quaerentes, solliciti servare unitatem in vinculo pacis; in id intenti, ut, patefactis eorum fraudibus, qui patrum nomine ad pervertendas patrum sententias abutuntur, omnes intelligant, nil patribus ipsis antiquius fuisse, quam ut unitas ab omnibus in ea cathedra servaretur, quae una est caeterarum omnium a Christo constituta mater et magistra.

§ 23. Unum certe ovile Christi Ecclesia est, cuius unus supremus pastor, Christus ipse regnans in coelis, unum quoque sui vicarium supremum in terris visibilem pastorem reliquit, in cuius voce Christi vocem oves audirent, ne seductae alienorum vocibus in venenata quaeque, ac mortifera pascua dilaberentur. Quo igitur cautius fideles curae Nostrae concrediti profana, et vaniloquia devitent, quae proficiunt ad impietatem, constantesque maneant huic unitatis cathedrae devincti, in qua Petrus adhuc velut in propria Sede vivit, et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, neve in hanc fraudem induci se patiantur, ut putent ambitione extortum, aut ignorantia, vel adulatione delatum, aut pravis artibus quaesitum, quod Christi est ordinatione constitutum. Nos memoratum opusculum a Germanico idiomate in latinum translatum, complurium in sacra theologia magistrorum examini subiici mandavimus, quorum habitis consultationibus, auditisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in tota republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum coram Nobis adstantium, motu proprio, et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, antedictum libellum, cuius titulus latine: « Quid est Papa? » cum dispensatione Caesareae regalis censurarum commissionis ob appositionem nominis, Viennae apud Iosephum Edlen de Kurzbeck 1782, Graece vero *Τί ἐστιν ὁ Πάππας*, tamquam continentem propositiones respective falsas, scandalosas, temerarias, iniuriosas, ad schisma inducentes, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas, et alias ab Ecclesia damnatas reprobamus, damnamus, ac pro reprobato ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

§ 24. Praecipimus insuper, ne quisquam ex Christifidelibus cuiuscumque gradus, et dignitatis, quamvis specialissima nota dignis, libellum praedictum iam typis editum, sive manu conscriptum, vel in suo originali, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuo imprimere, seu imprimi

facere audeat, aut praesumat sub poena suspensionis a divinis quantum ad personas ecclesiasticas, quantum vero ad personas saeculares sub poena excommunicationis maioris ipso facto absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, et respective relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, articulo mortis, quo nimirum quilibet confessarius ab huiusmodi censura, ut praefertur, incursa absolvere poterit.

§ 25. Mandamus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus et singulis cuiuscumque gradus, conditionis, et dignitatis, personis ecclesiasticis, et saecularibus, etiamsi speciali, et individua mentione indigeant, ut quatenus praedictus libellus vel in suo originario, in quocumque idiomate impressus, vel etiam manuscriptus, ad eorum manus devenerit, statim deferre illum teneantur Ordinariis locorum sub eisdem suspensionis a divinis comminatis poenis, ac respective excommunicationis.

§. 26. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam praetexere possit, volumus et mandamus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, nec non curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic vero publicatas perinde afficere omnes et singulos, quos concernunt, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum autem literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, et ostensae.

[Bull. Rom. Cont., tom. 7, p. 671-677].

474.

Pius VI, ep. encycl. *Charitas*, 13 apr. 1791.[1]

§ 1. Charitas, quae, docente Paulo apostolo, patiens et benigna est, tamdiu omnia suffert, ac sustinet, quamdiu aliqua spes remanet, ut per mansuetudinem iis, qui obrepere iam coeperint, erroribus occurratur. Verum si errores augeantur in dies, eoque iam deveniant, ut res ad schisma delabantur, tunc leges ipsae charitatis cum apostolici muneris, quo indigni fungimur, officiis coniunctae postulant flagitantque, ut paterna quidem, sed prompta, et efficax enascenti morbo medicina afferatur, patefacto errantibus culpae horrore, et canonicarum poenarum, in quas inciderunt, gravitate. Ita enim fiet, ut qui a via veritatis recesserunt, resipiscant, et eiuratis erroribus

[1] Dilectis filiis Nostris Sanctae Romane Ecclesiae cardinalibus, et venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis capitulis, clero, et populo regni Galliarum.

ad Ecclesiam revertantur, quae veluti benigna mater apertis ulnis regredientes amplectitur; utque caeteri fideles mature pseudo pastorum fraudes evadant, qui aliunde quam per ostium ad ovile accedentes nihil quaerunt aliud, nisi ut furentur, mactent, et perdant.

§ 2. Haec Nos ante oculos habentes divina praecepta, vix belli rumorem audivimus, quod philosophi novatores in conventu nationali Galliarum simul coniuncti, maioremque partem constituentes adversus catholicam religionem excitabant, acerbe quidem deflevimus apud Deum, communicataque cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus animi Nostri anxietate, cum privatas, tum publicas preces indiximus. Hinc datis 9 iulii 1790, ad carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum regem christianissimum literis, eum etiam atque etiam hortati fuimus, ut a civili constitutione cleri confirmanda abstineret, quae et nationem in errorem, et in schisma regnum induceret. Nulla enim ratione fieri poterat, ut politicus hominum coetus universalem Ecclesiae disciplinam immutaret, sanctorum patrum sententias, et conciliorum decreta pessumdaret, hierarchicum ordinem everteret, episcoporum electiones arbitratu suo moderaretur, episcopales sedes destrueret, et meliori ablata, deteriorem formam in Ecclesiam inveheret.

§ 3. Utque hortationes Nostrae christianissimi regis animo altius insiderent, alias binas dedimus in forma Brevis literas die 10 eiusdem mensis ad venerabiles fratres archiepiscopos Burdegalensem, ac Viennensem, qui eidem aderant regi, eosque paterne monuimus, ut sua cum Nostris consilia coniungerent, ne, si praedictae constitutioni auctoritas quoque regis accederet, schismaticum regnum ipsum evaderet, schismatici episcopi, qui ad praescriptam decretorum formam crearentur, quos Nos ipsi propterea declarare, ut pastores intrusos, omnique carentes ecclesiastica iurisdictione teneremur. Et quo dubitari minime posset, curas et sollicitudines Nostras unice ad res religionis referri, et quo inimicorum huius apostolicae Sedis ora occluderentur, praecepimus suspendi exactiones taxationum pro Gallicis expeditionibus, ex pristinis conventionibus, perpetuaque consuetudine Nostris officiis debitarum.

§ 4. Abstinuisset profecto rex christianissimus a constitutione sancienda; sed urgente atque impellente conventu nationali, tandem eo se abripi passus est, ut suam constitutioni auctoritatem adiungeret, quemadmodum ipsius literae die 20 iulii, die 6 septembris, et die 16 decembris ad Nos datae praeseferunt, quibus Nos etiam atque etiam rogabat primo, ut quinque, deinde, ut septem, saltem per modum provisionis, probaremus articulos, qui parum inter se dissimiles totam novae constitutionis veluti epitomen complectebantur.

§ 5. Illico sane perspeximus, neutros articulos posse a Nobis probari, aut tolerari, utpote qui regulis canonicis adversarentur. Nolentes tamen, ut hinc inimici occasionem populorum decipiendorum arriperent, perinde ac si Nos ab omni ratione conciliationis ineundae essemus alieni, volentes eadem semper incedere mansuetudinis semita, regi declaravimus per Nostras literas die 17 augusti ad ipsum datas, articulos huiusmodi Nos sedulo per-

pensuros, et in consilium vocaturos Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui simul congregati omnia ad trutinam revocarent. Hi porro cum simul bis convenissent die 24 septembris, et die 16 decembris, ut primos, et alteros articulos expenderent, habito rerum omnium diligentissimo examine, unanimi consensione putarunt, sententias Gallicanorum episcoporum super propositis articulis esse exquirendas, ut canonicam quamdam, si fieri posset, rationem ipsi indigitarent, quam hic apte excogitari posse locorum intervalla vetabant, veluti Nos ipsi per alias Nostras literas regi christianissimo antea significaveramus.

§ 6. Nostrum interea dolorem, quo vehementer afficiebamur, non levis consolatio lenivit, dum interim maior episcoporum Gallicanorum pars sua sponte pastoralis sui muneris officiis adacta, et amore veritatis incensa constanter adversabatur ipsi constitutioni, eamque oppugnabat in iis omnibus, quae ad Ecclesiae regimen pertinerent. Huic autem consolationi Nostrae novus quoque cumulus accessit, ubi dilectus filius Noster Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Rupefucaldius, venerabilesque fratres archiepiscopus Aquensis, aliique archiepiscopi et episcopi ad numerum usque triginta, ut tot tantisque malis occurrerent, ad Nos confugerunt, et die 10 octobris literis datis expositionem miserunt super principiis constitutionis cleri, suo cuiusque nomine subscriptam, consiliumque Nostrum, et opem postularunt, ac tutam agendi normam, in qua conquiescerent, a Nobis exquisierunt, tanquam a communi magistro, et parente. Illud quoque magis magisque Nostram consolationem adauxit, quod alii episcopi bene multi, primis adiuncti, praedictam expositionem amplexi fuerant, ita ut cum ab episcopis centum triginta et uno istius regni quatuor dumtaxat dissiderent, cumque tam ingenti episcoporum numero capitulorum etiam multitudo, et parochorum sive pastorum secundi ordinis pars maior accederet, huiusmodi sane expositio, concordi animorum consensione suscepta, totius Gallicanae ecclesiae doctrina haberetur, et esset.

§ 7. Equidem Nos ipsi nulla interiecta mora tunc operi manus admovimus, omnesque dictae constitutionis articulos examini subiecimus: sed Gallicanae nationis conventus quamvis concordes illius ecclesiae voces audiret, nihilominus tantum abfuit, ut ab incoepto desisteret, ut ipsa magis irritaretur episcoporum constantia. Videns itaque, planeque cognoscens, ex metropolitanis, et ex episcopis antiquioribus inventum iri neminem, qui confirmare se posse crederet novos episcopos, per laicos, per haereticos, per infideles, et per iudaeos in municipalibus districtibus electos, veluti edita decreta imperabant; videnque insuper absurdam hanc regiminis formam nullo loco posse subsistere, cum sine episcopis omne ecclesiae simulacrum evanescat, de aliis magis absurdis edendis decretis cogitavit, quemadmodum factum est die 15 et 27 novembris, et diebus 3, 4 et 26 ianuarii 1791. His porro decretis, quibus subinde regiae etiam auctoritatis robur accessit, cautum est, ut, metropolitano, sive antiquiore episcopo consecrare novos electos renuente, quilibet alterius districtus episcopus eosdem electos consecraret. Quinimo ut una opera, unoque temporis momento omnes probi episcopi, omnesque pariter parochi catholica religione incensi dispellerentur, cautum praeterea

est, ut cum primi, tum secundi ordinis pastores omnes absque adiectione iurarent, se constitutionem, quae iam edita esset, quaeque imposterum ederetur, servaturos: qui autem id constanter detrectarent, ii non secus haberentur, ac si essent e suo gradu deiecti, eorumque sedes, et parochiae suo pastore carerent. Legitimis autem pastoribus, et ministris per vim etiam expulsis, licitum esset municipalibus districtibus ad electionem novorum episcoporum, et parochorum procedere; hi vero electi, posthabitis metropolitanis, et antiquioribus episcopis, qui iuramentum minime praestitissent, directorium adire deberent, cui curae esset episcopum quemcumque designare ad illos confirmandos, et instituendos.

§ 8. Istiusmodi decreta, posterius edita, supra modum novo animum Nostrum dolore perculerunt, Nostrumque auxerunt laborem, ut ad haec quoque Nostra extenderetur solicitudo in ea, quam tunc parabamus, ad episcopos responsione, Nostrasque curas denuo excitarunt ad publicas preces indicendas, et ad misericordiarum patrem exorandum. Haec ipsa decreta in causa fuerunt, cur Galliarum episcopi, qui egregiis editis lucubrationibus oppugnandam cleri constitutionem susceperant, novas in vulgus literas pastorales ediderint, omnesque industriae suos nervos contenderint adversus ea, quae circa depositiones episcoporum, circa sedium episcopalium vacationes, circa novorum pastorum electiones confirmationesque constituebantur. Ex quo factum est, ut, tota ecclesia Gallicana fatente, et consentiente, haberi deberent iuramenta civica tamquam periuria, ac sacrilegia, non ecclesiasticis modo, sed catholico quovis homine prorsus indigna, omnesque consequentes actus tamquam schismatici pro nullis, irritis, gravioribusque censuris obnoxiis.

§ 9. Hisce cleri Gallicani declarationibus, digna laude celebrandis, facta responderunt: episcopi enim fere omnes, et parochorum pars maxima sacramentum praestare invicta animi constantia detrectarunt. Probe tunc agnoverunt religionis inimici, pessima sua consilia omnia in irritum recasura, nisi alicuius episcopi, aut ambitione ducti, aut imbecillis, animum pervicissent; qui proinde, et iuramentum de constitutione tuenda praestaret, et sacrilegas etiam manus ad consecrationes admoveret, ita, ut ad schisma inferendum nil amplius deesset. Hos inter aliorum malitia, et fraude devictos primum extitit Carolus episcopus Augustodunensis, constitutionis fautor acerrimus, alter fuit Ioannes Ioseph episcopus Liddae, tertius Ludovicus episcopus Aurelianensis, quartus Carolus episcopus Vivariensis, quintus cardinalis de Lomenie archiepiscopus Senonensis, ac perpauci secundi ordinis pastores infelicissimi.

§ 10. Ad cardinalem de Lomenie quod attinet, in datis ad Nos die 25 superioris novembris literis iuramentum abs se praestitum excusare contendens, illud non esse habendum pro animi assensu affirmabat, seque valde in ancipiti esse praeseferebat, num electis manus imponere detrectaret (ut eousque abstinuerat), nec ne. Cum vero quammaxime interesset, ut episcoporum nemo ad electorum consecrationem accederet, utpote quae latiorem ad schisma communiret viam, e re visum est Nostram ad episcopos responsionem, quae pene absoluta erat, tantisper intermittere, nullaque interposita mora die 23 februarii cardinali rescribere, demonstrando eidem tum sententiae suae errorem in praestito iureiurando, tum poenas, quae per canones infliguntur, et ad quas non sine animi Nostri aegritudine manus admovere cogeremur, eum cardinalitia etiam dignitate exuentes, nisi publicam offensionem tempestiva, ac digna satisfactione retractaret. Quod vero ad illius dubium pertinebat de pseudo electis consecrandis nec ne, conceptis verbis ipsi praecepimus, ne eo usque progrederetur, ut novos episcopos ob quamvis etiam causam necessitatis institueret, novosque Ecclesiae refractarios adiungeret; de iure enim agitur, quod unice spectat ad apostolicam Sedem iuxta Tridentini Concilii sanctiones, [1] quodque arrogari sibi a nemine potest episcoporum, aut metropolitanorum, quin Nos, illo, quo fungimur, apostolici officii munere declarare cogamur, schismaticos simul esse tam eos, qui confirmant, quam eos, qui confirmantur, nulliusque roboris futuros illos actus omnes ab utrisque proituros.

§ 11. His peractis, quae supremi pastoralis officii Nostri ratio postulabat, resumendum per Nos fuit responsionis opus, quod iam laboriosius, ac diuturnius evaserat propter multiplices, quae se mutuo subinde exceperant, novitates: illudque, Deo adiuvante, absolvere ita valuimus, ut omnibus articulis ad examen revocatis, neminem prorsus lateret, novam cleri constitutionem ex Nostro, et apostolicae huius Sedis iudicio, quod Gallicani episcopi a Nobis exquisierant, quodque Galliarum catholici peroptabant, ex principiis coalescere ab haeresi profectis, adeoque in pluribus decretis haereticam esse, et catholico dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam, iura primatus, et Ecclesiae evertentem, disciplinae, cum veteri tum novae contrariam, non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam, nisi ad catholicam religionem prorsus abolendam. Ad hanc enim unam profitendam libertas omnis adimitur, legitimi pastores submoventur, bona occupantur; dum reliquarum sectarum homines in sua libertate, bonorumque possessione conquiescunt. Quamvis haec omnia luculenter demonstravimus, a mansuetudinis tamen via minime recedentes declaravimus, Nos hactenus continuisse, ne abscissos ab Ecclesia catholica auctores male ominatae constitutionis civilis cleri declararemus, sed una simul illud repetere debuimus, quod nisi quisque errores, a Nobis iam patefactos, detestetur, (quemadmodum haec sancta Sedes in huiusmodi casibus peragere semper consuevit) cogeremur inviti eos omnes schismaticos declarare, qui vel essent huiusce constitutionis auctores, vel eidem iuramento adhaererent, qui in novos pastores praeficerentur, qui electos consecrarent, et qui ab illis consecrarentur: illi enim, quicumque essent, legitima missione, et Ecclesiae communione carerent.

§ 12. Quemadmodum autem, salvo dogmate, et salva universali Ecclesiae disciplina, ita animo comparati sumus, ut inclytae Galliarum nationi, quoadusque licet, obsecundemus, sic cardinalium, hac de causa advocatorum consilium secuti, et ea repetentes, quae christianissimo regi per Nostras literas iam significaveramus, hortati sumus episcopos, ut ii, quorum oculis res ipsae obversantur, Nobis desuper agendi rationem quamdam exhiberent, si inveniri fortasse poterit, a catholico dogmate, disciplinaque universali minime dis-

[1] Sess. XXIII, *de ordine*, can. 8; sess. XXIV, *de ref.*, c. 1.

sentaneam, in Nostram deliberationem, atque examen adducendam. Hos ipsos animi Nostri sensus significavimus carissimo in Christo filio Nostro regi christanissimo, ad quem misimus etiam Nostrae ad episcopos responsionis exemplum, eumque hortati in Domino sumus, ut in consilium adhibitis sapientioribus episcopis, magis aptam medicinam afferret morbo, qui e regia etiam auctoritate profluxit, et eum denique certiorem effecimus, Nos in illos, qui errori pervicaces, haerebunt, ex debito pastorali officio ea praestituros, quae in eadem necessitate positi decessores Nostri praestiterunt.

§ 13. Utraeque literae Nostrae ad regem, et ad episcopos datae die 10 martii extraordinario cursori traditae sunt, qui insequenti mox die discessit. Iterum die 15 eiusdem mensis, adveniente huc ex Gallia cursore ordinario, allatum ad Nos undique est, die 24 februarii Lutetiae Parisiorum fuisse schismati culmen impositum. Illa enim die Augustodunensis episcopus, iam periurii crimine infectus, et reus defectionis ob dimissam auctoritate propria, et coram laicis ecclesiam, capituloque suo, omni commendationum laude digno, longe absimilis coniunctus est Babylonis, et Liddae episcopis; quorum primus a Nobis pallii decoratus honore, et vitae quoque auctus subsidiis, dignum se successorem exhibuit alterius Babylonis episcopi, scilicet Dominici Varlet, hominis propter schisma Ultraiectensis ecclesiae satis noti; alter vero periurii item reus, in odium iam, et detestationem bonorum inciderat, eo quod a recta episcopi, capitulique Basileensis ecclesiae, cuius ille est suffraganeus, doctrina dissideret. Illa igitur die episcopus Augustodunensis, cooperantibus duobus hisce episcopis, ausus est in ecclesia presbyterorum Oratorii, irrequisito ordinario, sacrilegas manus imponere Aloisio Alexandro Expilly, et Claudio Eustachio Francisco Marolles sine ullo apostolicae Sedis mandato, omisso iuramento obedientiae pontifici debitae, posthabito examine, et fidei confessione praescripta in pontificali Romano, in omnibus universi orbis ecclesiis servando, cunctisque praeterea legibus neglectis, violatis, pessumdatis; licet ignorare non posset, horum primum minus rite electum fuisse episcopum Corisopitensem contra Corisopitensis capituli iteratas, et graves obtestationes, et alterum multo minus rite fuisse episcopum ecclesiae Suessionensi datum, quae legitimum pastorem suum vivum atque incolumem habet ven. Fratrem Henricum Iosephum Claudium de Bourdeilles, qui proinde officii sui partes esse putavit, acriter in actum tantae profanationis invehere, promptaque allata ope suae dioecesi consulere, quemadmodum eiusdem literae insequenti mox die 25 in vulgus editae ipsum fecisse testantur.

§ 14. Allatum etiam eodem tempore ad Nos est, nominatum Liddae episcopum primum crimen novo crimine cumulasse. Die enim 27 eiusdem mensis februarii, sibi novis pseudo episcopis Expilly, et Marolles in socios adiunctis, ausus fuerat in eadem ecclesia sacrilege consecrare in episcopum Aquensem parochum Saurine, quamvis haec etiam ecclesia optimo suo pastore ven. fratre Carolo Augusto Lequien laeta gaudeat, et perfruatur. Ex quo evenit fortasse, ut idem Liddae episcopus Ioannes Ioseph Gobel ad ecclesiam Parisiensem, vivo adhuc archiepiscopo, electus fuerit exemplo Ischyrae, qui ad compensationem sceleris obsequiique praestiti in accusando, et e sua sede exturbando s. Athanasio, fuit in conciliabulo Tyri episcopus eiusdem civitatis renunciatus.

§ 15. Molesti hi quidem tristesque nuncii incredibili animum Nostrum dolore, ac moerore oppresserunt. Sed spe in Deum erecti cogi iterum iussimus die 17 mensis martii eamdem cardinalium congregationem, quae Nobis, sicut alias, in re tam gravis momenti suam sententiam expromeret. Dumque in eo versabamur, ut deliberationem exequeremur cum consilio cardinalium susceptam, ecce alius istius regni tabellarius die 21 dicti mensis ad Nos defert, Liddae episcopum, nequiorem etiam effectum, ab pseudo-episcopis Expilly, et Saurine sociatum die 6 eiusdem mensis in eadem ecclesia, eademque sacrilega manu consecrasse parochum Massieu, unum ex deputatis Gallicani conventus in episcopum Bellovacensem, parochum Lindet alterum item ex deputatis in episcopum Ebroicensem, parochum Laurent alterum pariter ex deputatis in episcopum Molinensem, et parochum Heraudin in episcopum Castri Rufi; idque praestare ausum fuisse, tametsi duae priores ex his ecclesiis suos habeant pastores legitimos, et reliquae duae nondum fuerint apostolica auctoritate in sedes episcopales erectae. Quale autem iudicium fieri de iis debeat, qui eligi se consecrarique permittunt ad illas ecclesias, quae a suis adhuc reguntur, atque administrantur episcopis, multis ante Nos annis a s. Leone egregie declaratum est: scribens enim Iuliano episcopo Coensi adversus Theodosium quemdam, qui in sedem Iuvenalis episcopi viventis invaserat, *Qualis autem sit* (inquit cap. IV), *qui in locum episcopi viventis obrepsit, ex ipsa qualitate facti non potest dubitari; nec ambigendum est, eum esse perversum, quem impugnatores fidei dilexerunt.*

§ 16. Et re quidem vera quam merito abhorruerit semper Ecclesia ab illis, qui a laicorum turba, et colluvione eliguntur, quique eodem, atque eligentes, falsarum opinionum morbo laborant, satis superque demonstrat delata per eumdem tabellarium ad Nos pastoralis epistola, quam pseudo-episcopus Expilly ad imperitiorum deceptionem die 25 februarii edendam curavit, non alio sane consilio, nisi ut inconsutilem Christi vestem abscinderet. Hic enim primo iuramentis, periuriis scilicet, quibus se adstrinxit, commemoratis, omnia complectitur fundamenta Gallicae constitutionis, quam fere de verbo ad verbum excribit, et sententiis ipsius conventus inhaerens ad probandum aggreditur, per constitutionem huiusmodi nihil de dogmate detrahi: sed disciplinae tantum meliorem formam induci, eamque ad priorum saeculorum puritatem converti in ea praesertim parte, in qua populo electiones, amoto clero, et metropolitanis institutiones, consecrationesque redduntur, solis hoc loco prioribus Gallici conventus decretis in medium adductis. Utque melius fortasse fucum imperitioribus faciat, literas memoratas die 18 novembris 1790 ad Nos datas, perinde ac si cum apostolica hac Sede communione teneatur; deindeque ad singulos dioecesis ordines sermonem convertens hortatur, monetque omnes, ut se tamquam legitimum pastorem excipiant et constitutionem ultro amplectantur.

§ 17. Vae misero! Missis per Nos consulto iis, quae ad civile regimen pertinent, qua ille temeritate defendendam suscipit constitutionem, super ecclesiasticis rebus versantem, quam omnes fere Gallicanae Ecclesiae episcopi, aliique plures ecclesiastici viri improbarunt, ac refutarunt, uti dogmati adversantem, et a communi disciplina abhorrentem, praesertim in electionibus, et

consecrationibus episcoporum? Hanc sane veritatem, quae incurrit in oculos, ne ipse quidem dissimulare potuisset aut obtegere, nisi data opera praeteriisset silentio, quae postremo in conventu Gallicano absurdiora decreta prodierunt; ista enim praeter alias improbitates eo progressa etiam sunt, ut ius instituendi, confirmandique tribuerent cuicumque episcopo pro directorii arbitrio, ac voluntate.

§ 18. Perlegat infelix iste, qui adeo longe in via perditionis processit, Nostram ad episcopos Galliarum responsionem, qua omnium suae epistolae errorum monstra praevia confutatione prostravimus, et, quam odit veritatem, in singulis articulis manifeste elucentem deprehendet. Sciat interea, se sibi sententiam dixisse. Si enim verum est, iuxta veterem disciplinam, ex canone Nicaeno, quem is in medium adducit, profluentem, opus omnino esse, ut electus ad legitimum titulum nanciscendum per metropolitanum suum confirmaretur; quod quidem metropolitanorum ius a Sedis apostolicae iure manabat, qui fieri poterit, ut canonice, et legitime immissum se putet Expilly, dum consecrationem suam non archiepiscopo Turonensi, cuius suffraganea est Corisopitensis ecclesia, sed aliis episcopis referre debet acceptam? Hi enim cum ad alienas provincias pertineant, si sacrilego ausu ordinem potuerunt eidem conferre, nequiverunt profecto iurisdictionem, qua ipsi quoque iuxta omnium aetatum disciplinam destituuntur omnino. Haec porro iurisdictionis conferendae potestas ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a conciliis generalibus, et ab ipsis concordatis confirmata, ne ad metropolitanos quidem potest ullo modo attinere, utpote quae illuc reversa, unde discesserat, unice residet penes apostolicam Sedem; ita ut hodie Romanus Pontifex ex muneris sui officio pastores singulis ecclesiis praeficiat, ut verbis utamur Concilii Tridentini, sess. 24, cap. I, *de reformat.*, adeoque legitima consecratio nulla fiat in Ecclesia catholica universa, nisi ex apostolicae Sedis mandato.

§ 19. Tantum vero abest, ut literae ad Nos datae eum adiuvent, ut magis reum efficiant, et nequeant schismaticam notam effugere. Illae enim nonnisi simulatam quamdam imaginem praeseferentes communionis Nobiscum ineundae, ne verbum quidem faciunt de confirmatione per Nos obtinenda, et illegitimam tantum Nobis electionem significant, ut Gallicanorum decretorum verba iubebant. Hinc Nos decessorum Nostrorum exempla secuti minime illis duximus rescribendum, sed serio illum commonefieri mandavimus, ne ulterius progredi niteretur, quemadmodum sperabamus futurum. Etenim fuit etiam hac de re ab Rhedonensi episcopo sponte monitus, dum is, quam sibi enixe flagitabat, institutionem, confirmationemque negavit. Quapropter loco illum suscipiendi tamquam pastorem, debet populus cum horrore tamquam invasorem reiicere: invasorem inquimus, qui quam veritatem agnoscere debebat, profiteri neglexit, qui mentito abuti coepit pastoris officio, qui denique eo arrogantiae devenit, ut in fine pastoralis epistolae quadragesimale ecclesiastici praecepti vinculum laxare non dubitaverit, ita ut *imitator diaboli fuerit, et in veritate non steterit, male utens specie pervasi honoris, et nominis;* quemadmodum de simili invasore a s. Leone Magno dictum est scribente ad quosdam Aegypti episcopos.

§ 20. Videntes itaque Nos ex multiplici tot criminum serie, per Galliarum regnum tam bene de religione meritum, et adeo Nobis carum, magis magisque schisma invehi atque amplificari, videntesque hanc ipsam ob causam novos in dies tam primi, quam secundi ordinis pastores undique eligi, et ministros legitimos de suo loco deiici, atque exturbari, eorumque vice rapaces lupos subrogari, non possumus equidem tam lacrimabili rerum aspectu non commoveri. Ut igitur gliscenti schismati primo quoque tempore obicem opponamus, ut ad officia revocentur errantes, ut boni perstent in proposito, utque religio in florentissimo isto regno servetur, Nos consiliis inhaerentes venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, et votis obsecundantes totius episcopalis coetus ecclesiae Gallicanae, Nostrorumque praedecessorum exempla imitantes, apostolica, qua utimur, potestate tenore praesentium in primis edicimus, ut quotquot sunt Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates, vicarii, canonici, parochi, presbyteri, cunctique ecclesiasticae militiae adscripti, sive saeculares, sive regulares, qui civicum iuramentum pure, et simpliciter, prout a conventu nationali praescriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum fontem, et originem, catholicaeque Gallicanae ecclesiae moeroris praecipuam causam, nisi intra quadraginta dies, ab hac die numerandos, huiusmodi iuramentum retractaverint, a cuiuscunque ordinis exercitio sint suspensi, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuerint.

§ 21. Insuper peculiariter declaramus, electiones praedictorum Expilly, Marolles, Saurine, Massieu, Lindet, Laurent, Heraudin, et Gobel in episcopos Corisopitensem, Suessionensem, Aquensem, Bellovacensem, Ebroicensem, Molinensem, Castri Rufi, et Parisiensem illegitimas, sacrilegas, et prorsus nullas fuisse, et esse, prout eas rescindimus, delemus, abrogamus una cum assertorum episcopatuum Molinensis, Castri Rufi, et aliorum nova erectione.

§ 22. Declaramus item ac decernimus, nefarias eorumdem consecrationes fuisse, et esse omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas, ac factas contra sacrorum canonum sanctiones; ac proinde eosdem temere, nulloque iure electos omni ecclesiastica, et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratos ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspensos.

§ 23. Pariter declaramus, etiam suspensos esse ab omni exercitio episcopalis ordinis Carolum episcopum Augustodunensem, Ioannem Baptistam episcopum Babylonis, et Ioannem Iosephum episcopum Liddae sacrilegos consecratores; seu adsistentes; et suspensos pariter esse ab exercitio sacerdotalis, seu cuiuscumque alterius ordinis eos omnes, qui in execrandis huiusmodi consecrationibus opem, operam, consensum, et consilium praestiterunt.

§ 24. Mandamus propterea, districteque interdicimus memorato Expilly, aliisque perperam electis, et illicite consecratis sub eadem suspensionis poena, ne audeant episcopalem iurisdictionem, aliamve ullam pro animarum regimine auctoritatem, quam numquam sunt consequuti, sibi arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias literas dare, pastores, vicarios, missionarios, deservitores, functionarios, ministros, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu constituere, deputare, ac confirmare, nec non alia agere,

decernere, et constituere, sive seorsim, sive coniunctim in modum conciliabuli in rebus ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus; declarantes, ac palam edicentes, tam literas dimissoriales, et deputationes, seu confirmationes, si quae datae factaeque sint, aut in posterum dari fierique contingat, quam alia acta omnia, quae temerario ausu fierent, cum omnibus inde secutis, irrita prorsus esse ac nullius roboris, et momenti.

§ 25. Aeque mandamus, et sub simili suspensionis poena inhibemus tam consecratis, quam consecratoribus praedictis, ne audeant illicite sacramentum confirmationis, aut ordinis conferre, aut quocumque modo ordinem episcopalem, a quo suspensi sunt, exercere, ac proinde qui ab ipsis fuerint ecclesiasticis ordinibus initiati, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, et si susceptos ordines exercuerint, irregularitati etiam fore obnoxios.

§ 26. Ad praecavenda autem maiora mala tenore, et auctoritate paribus decernimus, et declaramus, alias omnes electiones ad Galliarum ecclesias cathedrales, et parochiales cum vacuas, tum multo magis plenas, cum veteris, tum fortius novae, et illegitimae erectionis ad formam memoratae constitutionis cleri a municipalium districtuum electoribus usquemodo peractas, quas volumus pro expressis haberi, et quotquot peragentur, irritas, illegitimas, sacrilegas, et prorsus nullas fuisse, esse, et fore, easque per praesentes, et nunc pro tunc rescindimus, delemus, abrogamus: declarantes idcirco, eosdem perperam, nulloque iure electos, aliosque simili modo eligendos ad ecclesias tam cathedrales, quam parochiales omni ecclesiastica, et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque episcopos illicite hactenus consecratos, quos pariter pro nominatis haberi volumus, et imposterum consecrandos ab omni exercitio episcopalis ordinis, et parochos nulliter institutos, et instituendos a sacerdotali ministerio esse, et fore suspensos; adeoque districte interdicimus, tam electis, et forsan eligendis in episcopos, ne a quocumque sive metropolitano, sive episcopo ordinem, seu consecrationem episcopalem suscipere audeant, quam ipsis pseudo-episcopis, eorumque sacrilegis consecratoribus, et aliis omnibus archiepiscopis, et episcopis, ne eosdem frustra electos, et eligendos consecrare quovis sub praetextu, et colore praesumant; praecipientes insuper dictis electis, et eligendis, sive in episcopos, sive in parochos, ne ullo modo se pro archiepiscopis, sive episcopis, sive parochis, seu vicariis gerant, aut cuiusvis cathedralis, sive parochialis ecclesiae titulo se nominent, et ne iurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem, facultatemque sibi arrogent sub poena suspensionis, et nullitatis, a qua quidem suspensionis poena nemo ex hactenus nominatis poterit umquam liberari, nisi per Nos ipsos, aut per eos, quos apostolica Sedes delegarit.

§ 27. Qua maiori uti Nobis licuit benignitate, declaravimus huc usque canonicas poenas inflictas, ut mala hactenus perpetrata emendentur, utque imposterum ne latius dimanent, impediatur. Nos in Domino confidimus futurum, ut consecrantes, ut tam cathedralium, quam parochialium ecclesiarum invasores, ut auctores, fautoresque omnes editae constitutionis suum agnoscant errorem, ac poenitentia ducti ad ovile regrediantur, unde non sine machinatione, et insidiis avulsi sunt. Eos itaque Nos paternis verbis compellantes hortamur etiam atque etiam, et obsecramus in Domino, ut a ministerio se abdicent, ut a perditionis via, in quam se dederunt praecipites pedem referant, et ut nunquam committant, per homines philosophia saeculi huius imbutos ea in vulgus diffundi doctrinarum monstra, quae Christi institutioni, traditionique patrum, et Ecclesiae regulis adversantur. Quandoquidem si fiet umquam, ut Noster hic mitis agendi modus, et Nostrae paternae monitiones, quod Deus avertat, in irritum sint recasurae, sciant Nostrae mentis non esse, illos a gravioribus iis poenis liberare, quibus per canones subiiciuntur; sibique certo persuadeant se per Nos anathemati subiectum iri, Nosque illos anathemate perculsos Ecclesiae universae denunciaturos, tanquam schismaticos, a communione Ecclesiae, Nostraque segregatos. Maxime enim conveniens est « ut quisque in insipientiae suae luto iacere delegerit, statuta permaneant, « et cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem; ita nos edocente « Magno Leone praedecessore Nostro in epistola ad Iulianum episcopum « Coensem ».

§ 28. Vos nunc alloquimur, venerabiles fratres, qui, paucis exceptis, vestrorum erga gregem officiorum munera probe agnovistis, eaque, humanis rationibus sepositis, palam professi estis, ibique curas, ac labores maiores impendi oportere existimastis, ubi maiora pericula ingruebant; vobisque aptamus elogium, quo laudatus Leo Magnus cumulavit episcopos ex Aegypto Catholicos apud Constantinopolim constitutos: « Licet laboribus dilectionis « vestrae, quos pro observantia catholicae fidei suscepistis, toto corde com« patiar, et ea, quae vobis ab haereticis illata sunt, non aliter accipiam, quam « si ipse pertulerim, intelligo tamen magis esse gaudii, quam moeroris, quod, « confortante vos Domino Iesu Christo, in evangelica apostolicaque doctrina « insuperabiles perstitistis. Et cum vos inimici fidei christianae ab ecclesiarum « sede divellerent, maluistis peregrinationis iniuriam pati, quam ulla impietatis « ipsorum contagione violari ». Equidem vos intuentes, non possumus consolatione non affici, vosque, ut in proposito perstetis, non vehementer hortari. Ad memoriam itaque vestram revocamus spiritualis illius coniugii nexum, quo ecclesiis vestris adstricti estis, quodque nonnisi morte, aut apostolica Nostra potest auctoritate iuxta canonicam formam dissolvi; iis ergo adhaerescite, neque illas unquam derelinquite luporum rapacium arbitrio, adversus quorum insidias vos iam sancto ardore aestuantes, et vocem extulistis, et legitimae auctoritatis munia obire non dubitastis.

§ 29. Ad vos deinde sermonem convertimus, dilecti filii, spectabilium capitulorum canonici, qui vestris archiepiscopis, et episcopis ita, ut decet, subiecti, quique tanquam plura membra cum capite colligata unum ecclesiasticorum corpus efficitis, quod a civili nequit potestate solvi, aut everti. Vos itidem, qui tanta cum laude estis egregia vestrorum praesulum exempla secuti, e recta, in qua inceditis, via nunquam deflectite; nec unquam item committite, ut quisquam mentitis exuviis episcoporum, aut vicariorum indutus regimen vestrarum ecclesiarum arripiat. Illae enim, si suo pastore viduatae remaneant, ad vos unice pertinebunt, quidquid contra vos frustra novae quaedam molitiones effecerint. Una ergo animorum, et consiliorum coniunctione omnem a vobis invasionem, et schisma, quam longissime potestis, arcete.

§ 30. Vos etiam affamur, dilecti filii, parochi, et pastores secundi ordinis, qui et plurimi numero, et virtute constantes vestro munere estis perfuncti illorum ex vestris collegis omnino dissimiles, qui aut infirmitate devicti, aut ambitionis aestu correpti se manciparunt errori, quique per Nos moniti, mature, ut speramus, ad officia convolabunt: fortes incoepto operi insistite, ac mementote, quam a vestris legitimis episcopis institutionem accepistis, eam nonnisi ab iisdem adimi vobis posse, ita ut licet per civilem potestatem e gradu vestro deiecti, et expulsi, semper futuri sitis pastores legitimi, vestro munere adstricti, quantum in vobis erit, ad fures arcendos, qui in vestrum locum subingredi enituntur non alio consilio, nisi ut animas perdant vestrae curae concreditas, et de quarum salute eritis rationem reddituri.

§ 31. Vos item alloquimur, dilecti filii, sacerdotes, aliique Gallicani cleri ministri, qui in sortem Domini vocati debetis vestris legitimis pastoribus adhaerere, et esse in fide, ac doctrina constantes, quibus nihil esse debet antiquius, quam ut sacrilegos invasores vitetis, ac reprobetis.

§ 32. Vos tandem in Domino obtestamur, dilecti filii catholici, qui in regno Galliarum, estis universi, vobisque religionem, ac fidem patrum vestrorum commemorantes intimo cordis affectu suademus, ne ab illa secedatis, quippe quae una est, ac vera religio, quae et vitam aeternam largitur, et civiles etiam societates sospitat, atque fortunat. Cavete diligenter, ne aures praebeatis insidiosis vocibus philosophiae saeculi huius, quae mortem parant; et invasores omnes, sive archiepiscopi, sive episcopi, sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, praesertim in divinis, auscultantes assidue legitimorum voces pastorum, qui vivunt adhuc, quique vobis canonice praeficientur imposterum; uno denique verbo Nobis adhaerete: nemo enim in Ecclesia Christi potest esse, nisi capiti ipsius visibili uniatur, et in cathedra Petri solidetur. Utque omnes vehementius ad sua munera obeunda excitentur, Nos a Patre coelesti spiritum consilii, veritatis, et constantiae in vos implorantes, in paternae dilectionis pignus vobis, dilecti filii Nostri, venerabiles fratres, ac dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Bull. Rom. Cont., tom. 9, p. 11-19].

475.

Pius VI, const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, prop. Synodi Pistorien., damn.

§ 1. Auctorem fidei, et consummatorem Iesum aspicientes nos iubet apostolus [1] sedulo recogitare qualem, quantamque ille substinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus, et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos, ac refici tum maxime necessum est, cum adversus corpus ipsummet Christi, quod est Ecclesia, [1] dirae istius, nec umquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere. [2] In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior Nobis quibus pro credita pastorali Nostrae sollicitudini gregis totius cura, et moderatione, *maior cunctis, christianae religionis zelus incumbit.* [3] Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium, qui gravantur,* quo magis conscii Nobis sumus infirmitatis Nostrae, eo firmiorem in spem erigit Nos, et sublevat apostolici huiusce muneris in persona beati Petri divinitus instituta ratio, ut qui semel tradita sibi a Christo ecclesiae gubernacula numquam derelictus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione, ac tuendos haeredes dedisset.

§ 2. Et in hisce quidem aerumnis quae undique circumstant, ad caeterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat Nos gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda.* [4]

§ 3. Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis urbis, et prope apostolorum limina; fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Riccis antea episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad Nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus: qui vicissim Nobis, atque huic apostolicae Sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem, et obedientiam solemnis iurisiurandi religione obstrinxit. Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu Nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem, et pacatam christianae institutionis formam iam pridem invexerant, ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

§ 4. Quin etiam cum et hortatu Nostro ad synodum dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie, sapien-

[1] Ad Hebr., 12.

[1] Ad Coloss., I.
[2] Ad Ephes., 6.
[3] S. Siricius ad Himerium Tarrac., epist. 1, apud Coust. - Cf. N. 15.
[4] S. Coelest. I, ep. 12, apud Coust.

terque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem, auctoritatemque derogarent.

§ 5. Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per se se, tanto impensius pastoralis Nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur. Atque in primis sapientis moniti memores Praedecessoris Nostri beati Zosimi, [1] *ea quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare*, synodum ab episcopo editam primum quatuor episcopis, aliisque adiunctis e clero saeculari theologis examinandam commisimus, tum et plurium S. R. E. cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram Nobis voce, et scripto edita excepimus: qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per se se, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt: quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque Nobis curae fuit, ut selecta ex tota synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

§ 6. Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis, noxiisve novitatibus reprimendis plures Nostri sanctissimi Praedecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite, cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum, commendatumque reliquissent. Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum [2] latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adiectionem, aut commutationem veritate sententiae, confessio quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata, aut etiam correcta reperiantur, quasi procax isthaec

[1] S. Zosimus, ep. 2, ap. Coust.
[2] S. Leo M., ep. 129, edit. Beller.

affirmandi, et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se se componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistitis Nestorii literis iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione Praedecessor Noster Coelestinus [1] coarguit; quibus nempe in literis vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam, suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

§ 7. Quam et Nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus, in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus iam feliciter evenisse), magno fore adiumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

§ 8. Nec dum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius charitati, quae urget Nos erga fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire. [2] Charitas nempe illa urget Nos, qua inductus Praedecessor Noster Coelestinus [3] etiam contra fas, seu maiori quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino, Milevitanisque patribus volumus, et optamus homines prava docentes *pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat.* [4]

§ 9. Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum episcopum, antequam ad ulteriora progrede-

[1] S. Coelestinus, ep. 13, n. 2, ap. Coust.
[2] S. Coelest., ep. 12, ad populum C. P., n. 8, ap. Coust.
[3] Ep. 13, ad Nestor., n. 9.
[4] Ep. 176, n. 4, 178, n. 2, edit. Maur.

remur, amantissimis literis ad eum iussu Nostro datis ad Nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a Nobis exciperetur, nec vetaretur, quin, quae in rem suam facere sibi viderentur, libere, aperteque expromeret. Nec vero spes Nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus [1] requirebat, cum simpliciter, et candide, omni remota concertatione, et acerbitate recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile sese colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima, qua fieri posset ratione orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur. [2]

§ 10. Nunc vero cum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus, quin apostolico Nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo, alteriusve dioecesis periculum agitur: *universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur.* [3] Undique iam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae Sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa umquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem. [4] Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare. [5] Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur. [6] Atque divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, Nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. [7]

§ 11. Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum Christifidelium privatis publicisque precibus, Spiritus Sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut praefatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas, et reprobandas censuimus, prout hac Nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus:

Sunt autem quae sequuntur.

[1] L. 4, *De Bapt. cont. Donat.*, c. 5, et l. 5, c. 26.
[2] S. Coelest., ep. 16, num. 2, ap. Coust.
[3] Idem, ep. 21, ad episcopos Galliarum.
[4] S. Chrys., ep. ad Eutychem.
[5] S. Coelest., ep. 12, n. 2.
[6] Idem. ep. 11, Cyrillo, n. 3.
[7] S. Leo M., ep. 23. Flaviano C. P., n. 2.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

Ex decr. De grat., § 1.

I.

§ 12. Propositio, quae asserit *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Iesu Christi,*

Haeretica.

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

Epist. Convoc.

II.

§ 13. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii, ac regiminis potestas,

Haeretica.

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

Decr. De fide, § 8.

III.

§ 14. Insuper quae statuit *Romanum Pontificem esset caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia,

Haeretica.

De potestate Ecclesiae quo ad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

Decr. De fide, §§ 13, 14.

IV.

§ 15. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quoque pendet a persuasione, et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis;*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda,

Haeretica.

V.

Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia, et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore iudicio, ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi,*

Ex Bened. XIV. In Brevi *Ad assiduas,* anni 1755, primati, archiepiscopis, et episcopis regni Poloniae. [1]

Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

Iura episcopis praeter fas attributa.

Decr. De Ord., § 25.

VI.

§ 16. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem, et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes Summos Pontifices, et Concilia generalia pro universa Ecclesia,

Schismatica, ad minus erronea.

VII.

Item in eo quod hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem,* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei, et maiori aedificationi fidelium;*

Per id quod supponit episcopo fas esse proprio suo iudicio, et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia, et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae, et vim legis obtinent,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

VIII.

Item quod et sibi persuasum esse ait, *iura episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia, nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum, ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae;*

In eo quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri, aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae ecclesiae,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

[1] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 266, 267.

Ius perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei, et disciplinae.

Epist. convoc.

IX.

§ 17. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo, et parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus, et iussionibus episcoporum,*

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Arianae a Calvino innovatae.

Ex ep. convoc., ex ep. ad vic. for., ex orat. ad syn., § 8, *ex sess. 3.*

X.

Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. synod., § 8.

XI.

Sententia enuntians veteri maiorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent, et approbatae a Synodo dioecesana,*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens, et haeresim.

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas.

De fide, § 12.

XII.

§ 18. Assertiones synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

De pace dicta Clementis IX.

Or. synod., § 2 *in nota.*

XIII.

§ 19. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit Clementem IX pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris, et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII praescripti,

Falsa, temeraria, Clementi IX iniuriosa.

XIV.

Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens, et haeresim.

De coagmentatione corporis Ecclesiae.

Append., n. 28.

XV.

§ 20. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu, et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu, et veritate,

Haeretica.

De statu innocentiae.

De grat., §§ 4, 7, *de sacr. in gen.*, § 1, *de poenit.*, § 4.

XVI.

§ 21. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium;

Falsa, alias damnata in Baio, [1] *et Quesnellio,* [2] *erronea, favens haeresi Pelagianae.*

[1] S. Pius V, const. *Ex omnibus afflictionibus,* 1 oct. 1567; Urban. VIII, const. *In eminenti,* 6 mart. 1641, § 1-3. - Bull. Rom., tom. 6, II, p. 270-276.

[2] Clemens XI, const. *Unigenitus,* 8 sept. 1713. - Bull. Rom., tom. 10, p. 340-344.

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

De bapt., § 2.

XVII.

§ 22. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab apostolo spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis;*

Quatenus sub nomine apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalis non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio;

Captiosa, temeraria, apostolo iniuriosa, alia damnata.

De conditione hominis in statu naturae.

De grat., § 10.

XVIII.

§ 23. Doctrina synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam I. C. allaturus erat,* tamen *Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum,* ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis;*

Doctrina, ut iacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere;

Suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De conditione hominis sub lege.

Ibid.

XIX.

§ 24. Item quae subiungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit,* superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit evitare, qui pius est,*

Ex s. Caesario, serm. 73 in append. s. Augustini.

Serm. 273, edit. Maur.

Ex s. Aug., de Nat. et Gr., c. 43.
De grat. et lib. arb., c. 16.
Enar. in psal. 56, n. 1.
Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

XX.

Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis,*
Ex concil. Araus. II, can. 3.
Propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De gratia illuminante, et excitante.

De grat., § 11.

XXI.

§ 25. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam declarationem contrariam amori in nobis dominanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam declarationem esse proprie gratiam I. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam novi testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid., sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur;

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum, ut haereticum,[1] *eumque renovans.*

De fide velut prima gratia.

De fide, § 1

XXII.

§ 26. Propositio, quae innuit, fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam,* esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia, illa, quae *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem;*
Ex s. Aug., de dono persev., c. 16, n. 41.
Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.[2]

[1] Innocentius X, const. *Cum occasione,* 31 maii 1653. – Bull. Rom., tom. 6, III, p. 248, 249.
[2] Clemens XI, const. *Unigenitus,* 8 sept. 1713. – Bull. Rom., tom. 10, p. 340-344.

De duplici amore.

De grat., § 8.

XXIII.

§ 27. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere, et corrumpere;

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur, ei corrumpantur: aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum, ut haereticum,[1] *iterum in Baio damnatum artic. 40.*[2]

§ 12.

XXIV.

Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponantur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei;*
Ex s. August., de Spir. et lit., c. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur.*
Ex s. August., serm. 349, de carit., edit. Maur.
Falsa, alias damnata.

De timore servili.

De poenit., § 3.

XXV.

§ 28. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae;

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini,[3] *tum et communi patrum sententiae,* opus esse, *iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam,* ut intrat

[1] Sess. VI, *de iustificatione,* can. 7.
[2] S. Pius V, const. *Ex omnibus afflictionibus,* 1 oct. 1567; Urbanus VIII, const. *In eminenti,* 6 mart. 1641, § 1-3. – Bull. Rom., tom. 6, II, p. 270-276.
[3] Sess. VI, *de iustificatione,* c. 6, can. 8.

timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.

Ex s. August., in Epist. Iohan., c. 4, tract. 8, n. 4, 5.
In Iohan. Evang., tract. 41, n. 10.
Enarratione in psal. 127, n. 7.
Sermone 157, de verbis apostoli, c. 13.
Sermone 161, de verbis apostoli, n. 8,
Sermone 349, de charitate, n. 7.

De poena decedentium cum solo originali.
De bapt., § 3.

XXVI.

§ 29. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpae, et poenae inter regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabuntur Pelagiani:

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.

De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adiuncta conditione.
De bapt., § 12.

XXVII.

§ 30. Deliberatio synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione,

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

De participatione victimae in sacrificio missae.
De euch., § 6.

XXVIII.

§ 31. Propositio synodi, qua postquam statuit *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem,* subiungit, *non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet;

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

De ritus consecrationis efficacia.
De euch., § 2.

XXIX.

§ 32. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus in tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2. Tunc omnem panis, et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definivit,[1] et quae in solemni fidei professione continetur;[2]

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articoli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica;

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.

De applicatione fructus sacrificii.
De euch., § 8.

XXX.

§ 33. Doctrina synodi, quam dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis:* dein continuo subiicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet;* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, caeteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte et expressum;

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia*, c. 4, can. 2.
[2] Cf. N. 108, 146.

Sess. 23, cap. 1, *De reform.*
Bened. XIV, constit. *Cum semper oblatas*, § 2.[1]

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.[2]

De convenienti ordine in cultu servando.

De euch., § 5.

XXXI.

§ 34. Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere,

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti, et probato mori iniuriosa.
Ibid.

XXXII.

Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae, floresve apponantur,

Temeraria, pio, ac probato Ecclesiae mori iniuriosa.
Ibid., § 6.

XXXIII.

Propositio synodi qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet;

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

De ordine poenitentiae.

De poenit., § 7.

XXXIV.

§ 35. Declaratio synodi, qua postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad apostolorum exemplum ab ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili, et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta;

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 43.

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi iniuriosa.
De poenit., § 10, n. 4.

XXXV.

Depositio his verbis concepta: *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius charitatis, oportet ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis, et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod ieiunium post iam collatam obsolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet procedere absolutionem, longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo, et magni momenti opere nostrae reconciliationis;*

Quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis, et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis praecedere debeat absolutionem;

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.[1]

De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

De grat., § 15.

XXXVI.

§ 36. Doctrina synodi, qua postquam praemisit: *Quando habebuntur signa non aequivoca auctoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis,* subdit, *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta,* qui signa, ut deinde tradit (§ 17) *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis,* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de poenit.*, § 10) *velut* dispositionem, quae *debet praecedere absolutionem;*

[1] Cf. N. 58.

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter, et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae, ac probatae in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens, et iniuriosa.

De auctoritate absolvendi.

De poenit., § 10, n. 6.

XXXVII.

§ 37. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium, et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive iure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur, et perturbatio;*

Quatenus post institutas dioeceses, et parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; [1]

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria, et iniuriosa, erronea.

Ibid., § 11.

XXXVIII.

Item doctrina, qua postquam synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae,* ut ait, *ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,* subiungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent;*

Contraria can. 13 concilii Nicaeni I, [2] *decretali Innocentii I ad Exuperium Tholos.,* [3] *tum et decretali Coelestini I ad episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus pontifex exhorret.* [4]

[1] Sess. XIV, *de poenitentia*, c. 7.
[2] Cf. N. 1.
[3] Cf. N. 17.
[4] C. 13, C. XXVI, q. 6.

De peccatorum venialium confessione.

De poenit., § 12.

XXXIX.

§ 38. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur eiusmodi confessiones,

Temeraria, perniciosa, sanctorum, ac piorum praxi a s. Conc. Trid. probatae [1] *contraria.*

De indulgentiis.

De poenit., § 16.

XL.

§ 39. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata. [2]
Ibid.

XLI.

Item in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi, et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi, et sanctorum,

Falsa, temeraria, Christi, et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in artic. 17 Lutheri damnata. [3]
Ibid.

XLII.

Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos;*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, [4] *iterum damnatum in artic. 22 Lutheri.* [5]
Ibid.

[1] Sess. XIV, *de poenitentia*, c. 5, can. 7.
[2] Cf. N. 76.
[3] Cf. N. 76.
[4] Cf. N. 58.
[5] Cf. N. 76.

XLIII.

In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum altaria privilegiata etc.,

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

De reservatione casuum.

De poenit., § 19.

XLIV.

§ 40. Propositio synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem;*

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, [1] *superioris hierarchicae potestatis laesiva.*

Ibid.

XLV.

Item de spe quam ostendit fore, *ut reformato rituali, et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem ritualis, et ordinis poenitentiae factam ab episcopo, vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare,

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino, et Summorum Pontificum auctoritati derogans, et iniuriosa.

De censuris.

De poenit., §§ 20, 22.

XLVI.

§ 41. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae;*

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans.

Ex s. Aug., ep. 250 Auxilio episcopo; tract. 50 in Iohan., n. 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, [2] *ad minus erronea.*

§§ 21, 23.

XLVII.

Item quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales, et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen

[1] Sess. XIV, *de poenitentia*, c. 7, can. 11.
[2] Cf. N. 76.

personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.

§ 21.

XLVIII.

Item quae pronuntiat, *inutilem, ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset,*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa.

§ 24.

XLIX.

Item quae damnat ut nullas, et invalidas *suspensiones ex informata conscientia,*

Falsa, perniciosa, in Tridentinum iniuriosa. [1]

Ibid.

L.

Item in eo quod insinuat soli episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1, de ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae,

Iurisdictionis praelatorum Ecclesiae laesiva.

De ordine.

De ordine, § 4.

LI.

§ 42. Doctrina synodi, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more, et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut siquis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset: neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est;*

§ 5.

LII.

Item quae innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in concilio Calcedonensi: subiungens (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum confirmavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii,

§ 7.

LIII.

Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia insistens apostoli vestigiis,

[1] Sess. XIV, *de ref.*, c. 1.

neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta, et instituta,

1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt;

2. Sive quibus pro ecclesiarum necessitate, et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii:[1] salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco, ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu apostoli, non excludendo generaliter, et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent;

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate, et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam iniuriosa.[2]

§ 23.

LIV.

Item quae velut turpem abusum notat umquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis, et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae*, et generatim quodcumque stipendium, et honorarium, quod suffragiorum, aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offeretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum, et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur,

Falsa, temeraria, ecclesiastici, ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam, eiusque ministros iniuriosa.

§ 14.

LV.

Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus, et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis, et aliis officiis velut accolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia, non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur, exerceanturve, qui in illis constituti, ad-*

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 2.

[2] Sess. XIV, *de ref.*, c. 7; sess. XXI, *de ref.*, c. 2; sess. XXII, *de ref.*, c. 14; sess. XXIV, *de ref.*, c. 6.

scriptive sunt (Concil. prov. IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (Sess. 23, c. 17), *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquandiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur,*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera, et functiones, tum in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis, et calumniis.

§ 18.

LVI.

Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis ullam umquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

Aequitatis, et moderationis canonicae a sacro Concilio Tridentino probatae laesiva,[1] *auctoritati, et iuribus Ecclesiae derogans.*

Ibid., § 22.

LVII.

Praescriptio synodi, quae generaliter, et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni, eidemque conferatur: item in eo quod subiungit, certum sibi esse iuxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse.

Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini, sess. 7, cap. 5 et sess. 24, cap. 17.

De sponsalibus, et matrimonio.

Libel. memor. circa sponsalia etc., § 2.

LVIII.

§ 43. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae,

Falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

De matrim., §§ 7, 11, 12.

LIX.

Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae*

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c.

ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod *ius originarium* praeterea dicitur cum *iure dispensandi essentialiter connexum,* subiungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, sess. 24 *Conc. Trid. eversiva, haeretica.*

Cit. libel. memor. circa sponsal., § 10.

LX.

Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani,* tum ut *restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem, et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;*

Quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis,

Libertatis, ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus,

Et primum de adoranda humanitate Christi.

De fide, § 3.

LXI.

§ 44. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex concil. C. P. V. gen. can. 9.

Falsa, captiosa, pio, ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito, ac praestando detrahens, et iniuriosa.

De orat., § 10,

LXII.

Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, pevniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem iniuriosa.

De orat., § 10, *append.,* n. 32.

LXIII.

Item in eo quod cultores cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles cor Iesu adorarent, cum separatione, vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.

De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

De orat., § 14, *append.,* n. 34.

LXIV.

§ 45. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum, et piarum salutationum;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro, et religioso cultu rite, et ex ordine peragendo,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De poenit., § 10.

LXV.

Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia, vel missiones ..... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura;*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato iniuriosa.

De modo iungendae vocis populi
cum voce Ecclesiae in precibus publicis.
De orat., § 24.

LXVI.

§ 46. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae,

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

De lectione sacrae scripturae.
Ex nota in fine decr. de gratia.

LXVII.

§ 47. Doctrina perhibens a lectione sacrarum scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*, subiungens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesniello damnata.[1]

De proscriptis libris in Ecclesiis publice legendis.
De orat., § 29.

LXVIII.

§ 48. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in novum testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant,

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae iniuriosa, schisma fovens, et haeresim.

De sacris imaginibus.
De Orat., § 17.

LXIX.

§ 49. Praescriptio, quae generaliter, et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.

Ex brevi *Sollicitudinis nostrae*, Benedicti XIV, anni 1745.[2]

[1] Clemens XI, const. *Unigenitus*, 8 sept. 1713. – Bull. Rom., tom. 10, p. 340-344.
[2] Cf. N. 362.

LXX.

Item doctrina, et prascriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique, prout vult.

Ex S. Aug. ep. 78 clero, senioribus, et universae plebi Ecclesiae Hipponen.

LXXI.

Item quae vetat ne imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur praeterquam demonstrationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat, et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae iniuriosa.

LXXII.

Item quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines,

Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

De Festis.
Libell. memorial. pro fest. reform., § 3.

LXXIII.

§ 50. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae, et finis earumdem solemnitatum originem duxisse,

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.
Ibid., § 8.

LXXIV.

Deliberatio synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis: idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis, ieiuniisve celebrandis: aut inductum missae audiendae praeceptum abrogare,

Propositio falsa, iuris conciliorum generalium, et Summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

De iuramentis.

Libell. memorial. pro iuram. reform., § 5.

LXXV.

§ 51. Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini Praeceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet iurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus:* insuper *continuatam patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse:* indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit: statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suspiciendis muniis, et officiis, et generatim pro omni actu curiali,

Falsa, Ecclesiae iniuriosa, iuris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae, et probatae subversiva.

De collationibus ecclesiasticis.

De collat. ecclesiast., § 1.

LXXVI.

§ 52. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum;*

Quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros, et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Ibid.

LXXVII.

Item in eo quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae, et probatae obliterari umquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

Propositio falsa, temeraria, erronea.

LXXVIII.

Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem, et ad essentiam religionis ab eo quod est proprium disciplinae,* subiungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem, et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam, et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem, et materialismum,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae, ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.

Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Orat. ad synod., § 2.

LXXIX.

§ 53. Assertio, quae conviciis, et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit,

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.

De tribus regulis fundamenti loco a synodo positis pro reformatione regularium.

Libell. memorial. pro reform. regularium, § 9.

LXXX.

§ 54. Regula 1, quae statuit universe, et indiscriminatim *statum regularem, aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis,*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae patres, et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori, Summorumque Pontificum sanctionibus contraria: quasi monachi quos morum gravitas, et vitae, ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae* clericorum officiis *aggregentur.*

Ex s. Siricio epist. decret. ad *Himerium Tarracon.*, c. 13.[1]

LXXXI.

Item in eo quod subiungit, Sanctos Thomam, et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset,

[1] Cf. 29, C. XVI, q. 1.

Scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

LXXXII.

Regula 2 *multiplicationem ordinum, ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem, et confusionem:* item in eo quod praemittit § 4, *regularium fundatores* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus nil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem, et confusionem parere debeat,

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices iniuriosa.

LXXXIII.

Regula 3, qua postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas, et noxias,

Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis iniuriosa, favens hereticorum in eadem instituta insectationibus, et calumniis.

De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium.

§ 10.

LXXXIV.

§ 55. Art. 1. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae caeteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita: sic tamen ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-regium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tamquam curati, vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus, et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, literarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio, et christianismi ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis, et obedientiae non admittentur instar communis, et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: ad ipsum pertinebit monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio, et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. 2 statuta, sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duae in diem missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

Item pro reformatione monialium.

§ 11.

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae: a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae: expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui;

Systema vigentis, atque iam antiquitus probatae, ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis, et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini[1] *sanctionibus oppositum, et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota, et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis, et calumniis.*

De nationali concilio convocando.

Libell. memorial. pro convoc. concil. national., § 1.

LXXXV.

§ 56. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem, et mores spectantes in ecclesia quacumque subortae, per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri

[1] Sess. XXV, *de regularibus,* c. 1, 9, 11, 20.

valeant: quasi inerrantia in fidei, et morum quaestionibus nationali concilio competeret,

Schismatica, haeretica.

§ 57. Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus, et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac Nostra constitutione declaratur, ita ut quicumque illas, vel earum aliquam coniunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice, vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis, ipso facto, absque alia declaratione subiaceat.

§ 58. Ceterum per hanc expressam praefatarum propositionum, et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones, et doctrinae sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae, et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices, et Apostolicam Sedem animum praeseferunt.

§ 59. Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio, § 2 decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum posteaquam rite praemisit Deum in suo esse unum, et simplicissimum permanere, continuo subiungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi, et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

§ 60. Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, quasi minus propria, et exacta foret appellatio Filii tot scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis, et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino Angelicus praeceptor[1] vicissim ipse docuit *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine Filii,* dicente nimirum Augustino,[2] *eo dicitur Verbum quo Filius.*

§ 61. Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab apostolica Sede conventus Gallicani declarationem an. 1682 ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed

[1] Th., 1 p., q. 34, art. 2, ad 3.
[2] Aug., *De Trinit.*, l. 7, c. 2.

quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemni professione obsignare. Quo sane non gravior longe se Nobis offert de synodo, quam praedecessoribus Nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae Ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

§ 62. Quamobrem quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor Noster ven. Innocentius XI per literas in forma Brevis die XI aprilis anni MDCLXXXII,[1] post autem expressius Alexander VIII Constit. *Inter multiplices*, die 4 augusti anni 1690,[2] pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla, et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita praedecessorum Nostrorum decreta, huic apostolicae Sedi summopere iniuriosam reprobare, ac damnare, prout eam praesenti hac Nostra constitutione reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata, et damnata haberi volumus.

§ 63. Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto de fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a card. de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultraiectensi concilio vanum, vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis iactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cuius tamen assertae commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in Nostrae supremae inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium.

§ 64. Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus: *Atti, e decreti del concilio diocesano di Pistoia dell'anno MDCCLXXXVI. In Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione;* sive praemisso, sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque idiomate, quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus, et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in eius, sive eius doctrinae defensionem, tam scripto, quam typis forsan iam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae, prohibemus pariter, et interdicimus.

§ 65. Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, aliisque locorum ordinariis, nec non haereticae pravi-

[1] Cf. N. 251.
[2] Cf. N. 253.

tatis inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per censuras, et poenas praefatas, aliaque iuris, et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant, et compellant.

§ 66. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§ 67. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

[Bull. Rom. Cont., tom. 9, p. 395-418].

476.

Pius VII, const. *Ecclesia Christi*, 15 aug. 1801.

§ 1. Ecclesia Christi, quam ut civitatem sanctam, Hierusalem novam, descendentem de coelo a Deo vidit Ioannes, inde potissimum suam repetit firmitatem, caeteraque ornamenta, quibus praedita consurgit, quod nedum sancta, catholica, et apostolica, sed et una sit, super unius soliditate petrae fundata. Ex firma et constanti membrorum Ecclesiae omnium unione in eadem fide, in iisdem sacramentis, in iisdem vinculis charitatis, in subiectione atque obsequio legitimo capiti, tota vis illa, ac pulchritudo est, qua huius mysticum corpus nobilitatur, ac praestat. Quod decus eius praecipuum ac singulare Redemptor Noster cum et eius proprium esse, et conservari usque ad consummationem saeculi maxime voluerit, in eadem Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, antequam ad Patrem ascenderet memorandis illis verbis sic pro ea oravit: « Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint sicut et nos... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ».

§ 2. Haec Nos animo cogitantes simul ac inscrutabili divinae providentiae consilio ad supremum apostolatus apicem, licet indigni, vocati fuimus, statim convertimus oculos Nostros *ad populum acquisitionis, solliciti servare unitatem in vinculo pacis*, Galliasque potissimum intuentes, magnitudine regionum, populorum frequentia, ac religionis gloria multis iam saeculis commendatissimas, maximo dolore affecti sumus cum animadverterimus regiones ipsas, quae tamdiu Ecclesiae decus ac deliciae extitissent, postremis hisce temporibus intestinis perturbationibus adeo exagitatas fuisse, ut maximum religio detrimentum exinde acceperit, cuius causa recolendae memoriae Pius VI decessor Noster tot, tantasque curas impendit. Nolumus Nos hic commemoratione malorum ea vulnera refricare, quae divina providentia nunc sanare properat. Quibus Nos divina ope adiuti cum opportuna remedia adhibere maxime cuperemus, illud iampridem apostolicis Nostris literis die decima quinta maii superioris anni ad universos episcopos datis professi sumus, « nihil optatius contingere Nobis posse, quam vitam pro filiis Nostris, qui sunt Galliae populi, profundere, si eorum salus posset interitu Nostro repraesentari ». [1]

§ 3. Ad ea a Patre misericordiarum impetranda cum indesinenter preces Nostrae, lacrimaeque in maxima animi aegritudine profunderentur. *Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione Nostra*, recordatus misericordiae suae respicere dignatus est dolorem Nostrum, ac admirando providentiae suae consilio nec opinantibus Nobis aditum aperuit, quo Nos et tantis malis occurrere, et Ecclesiae unitatem, et charitatem, quam « antiquus humani generis hostis superseminans zizania super mysticum Ecclesiae agrum » dissolvere, atque extinguere conatus erat, constabilire iterum, ac revocare possemus.

§ 4. Siquidem ille Dominus « qui dives est in misericordia, cogitat consilia pacis et non afflictionis », illustrem virum, penes quem summa nunc Gallicanae reipublicae est administratio, eadem cupiditate finem tot malis imponendi inflammavit, ut eius ope in abundantia pacis, religione restituta, bellicosissima illa natio ad unicum fidei centrum revocaretur.

§ 5. Vix carissimus in Christo filius Noster Naupoleon Bonaparte consul primus reipublicae Gallicanae sibi gratum fore testificatus est, ut tractatio iniretur, vi cuius religionis cultus in Gallia, Deo adiuvante, feliciter restitueretur, gratias egimus Deo, cuius misericordiae hoc Nos beneficium acceptum referebamus. Itaque ne Nostro muneri, ac studiis eiusdem primi consulis deessemus, statim venerabilem fratrem archiepiscopum Corinthi ad ineundam tanti huius negotii tractationem misimus. Qui cum Parisios venisset, multis hinc inde discussis atque animadversis, tandem misit ad Nos articulos quosdam sibi propositos.

§ 6. Ad quos diligenter expendendos Nos omni studio animum adiicientes, sententiam etiam audire voluimus congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui ad mentem suam de tota hac causa Nobis aperiendam saepe coram Nobis congregati, et voce et scripto quid sentirent Nobis significaverunt.

§ 7. Cum autem in re tanti momenti illud praecipue, ut decebat, curandum existimaverimus, ut vestigia pontificum praedecessorum Nostrorum sequeremur, propterea repetentes memoria ea, quae ab iisdem facta fuerant in extraordinariis temporum difficillimorum casibus, cum gravissimae populorum perturbationes exortae intestinis motibus maximas nationes agitarunt, plura, gravia, et luctuosa accidisse comperimus, quae ante oculos Nostros posita, qua agendi ratione uti possemus Nobis aliquomodo indicarent.

§ 8. Igitur antedictae congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sententia cognita, post sedulam considerationem propositae conventioni, qua ratione potuimus, duximus annuendum, atque apostolicam potestatem ad ea omnia proferre, quae extraordinariae temporum rationes, atque bonum pacis et unitatis Ecclesiae a Nobis postulaverunt.

§ 9. Quin imo adeo ingenti exarsimus desiderio Galliae ad unitatem sanctae Sedis feliciter revocandae, ut cum allatum ad Nos esset nonnullas

[1] Bull. Rom. Cont., tom. 11, p. 21 25.

formas propositae conventionis, quam ad ven. fratrem archiepiscopum Corinthi remisimus, ea interpretatione explicari, ut Gallicae reipublicae circumstantiis non aptae viderentur, atque exoptatae unioni moram aliquam possent inferre, molestissime animo Nostro id ferentes, Lutetias mittere statuimus delictum in Christo filium Nostrum Herculem s. Agathae ad Suburram diaconum cardinalem Consalvi, atque a secretis Nostri status, qui (utpote unus ex eorum numero, quos ad hanc rem congregatos in consilium adhibuimus, quique lateri Nostro continuo in suo munere adhaeret) optime omnium et expositarum rerum intelligentiam, et veros animi Nostri sensus poterat explicare, eam etiam illi facultatem impertientes, ut ubi necessitas postularet, in antedictis formis eas mutationes induceret, quae definitarum a Nobis rerum substantiam integram retinentes, illarum executionem quam celerrimam redderent, et faciliorem viam sternerent conventioni.

§ 10. Quae cum a Nobis commissa feliciter Deo favente sint peracta, indeque ab eo una cum ven. fratre Nostro archiepiscopo Corinthi, ac dilecto filio fr. Carolo Caselli ordinis Servorum Mariae ex-generali ex Nostra parte, et dilectis in Christo filiis Iosepho Bonaparte, et Emmanuele Cretet consiliariis status, nec non dilecto in Christo filio presbytero Stephano Bernier parocho s. Laudi Andegavensis ex parte Gallicani regiminis, conventio inter Nos, ipsumque Galliarum regimen Parisiis signata sit, haec a Nobis adhibitis in consilium venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus, perscrutata diligenter, atque examini supposita cum talis reperta sit, ut Nostra approbatione confirmari possit, Nos nulla amplius mora interposita per apostolicas has literas nota facimus ea omnia, quae a Nobis constituta, concessaque sunt ad religionis bonum, internaeque Galliarum tranquillitatis conservationem consequendam, atque ad properandam illam tamdiu optatam pacem, ac unitatem, qua Ecclesia sancta in Domino gaudeat, atque laetetur.

§ 11. Atque illa in primis a Gallicano regimine solemnis facta est declaratio, nimirum recognoscere se religionem catholicam, apostolicam, Romanam eam esse religionem, quam longe maxima Gallorum civium pars profitetur. Neque vero haud dissimili modo Nos ipsi recognovimus ex catholico cultu in Gallia constituto, nec non ex particulari eius professione, quam faciunt reipublicae consules, eamdem religionem maximam utilitatem, maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari.

§ 22. Cum vero tum clericorum institutioni, tum episcoporum consilio, suaeque ecclesiae administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem episcopi unum habeant in cathedrali ecclesia capitulum, unumque seminarium in sua quisque dioecesi, quamvis gubernium ad dotationis obligationem non esse adstringat.

§ 23. Quamvis maxime desideraretur a Nobis, ut templa omnia iterum sacris ministeriis exercendis catholicis redderentur, cum tamen id perfici non posse videamus, satis habuimus, quod omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, aliaque non alienata cultui necessaria episcoporum dispositioni tradantur.

§ 82. Decernentes, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 11, p. 208-212].

477.

Pius VII, breve ad Archiep. Moguntin., 8 oct. 1803.

1. Etsi Fraternitatis tuae literas die 16 Aprilis proxime elapsi ad Nos scriptas iam pridem acceperimus, tamen iis hactenus respondere minime licuit tum propter multas easque gravissimas Apostolatus Nostri curas, quarum pondere in his praesertim temporum perturbationibus undique premimur, tum etiam propter magnitudinem gravitatemque rerum, quas in iisdem contineri perspeximus. Quum enim exortas isthic quasdam non leves de matrimoniis referas quaestiones, ac de iis Nostrum exquiras Apostolicum iudicium, quo certam ac tutam regulam omnes unanimi sensu teneant, ut maturius in re tanti momenti deliberare possemus, adhibitis in consilium nonnullis Ven. Fratribus S. R. E. Cardinalibus, eorumque non minus, quam aliquorum theologica scientia praestantium virorum exquisitis suffragiis easdem coram Nobis examinandas curavimus. Ceterum religionem zelumque Tuum imprimis, Tuamque in hanc S. Sedem observantiam effusis ac plane debitis prosequimur laudibus, quod ex veteri more, institutoque maiorum hanc Petri cathedram consulendam esse censueris, non ignarus, antiquis regulis sancitum fuisse, ut quidquid, quamvis in remotis et longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum esset, nisi ad notitiam almae sedis nostrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quam fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de naturali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas mundi regiones puritatis incorruptae manarent fidei sacramenta salutis.

2. Atque ut ad rem accedamus, illud primo Nobis in praedictis Tuis literis significasti Electorem Palatinum die 8 Novemb. anni proxime elapsi Monachii pro tota sua ditione dedisse mandatum, quo protestantium matrimoniorum dissolutionem, acatholicorum conventuum sententia decretam, ubique tamquam validam habendam esse, nullumque impedimentum parti ita solutae, si Catholico vel Catholicae nubere velit, interponendum esse; tum vero a Marchione Badensi idem quoque mandatum decreto diei 31 Ianuarii currentis anni adoptatum fuisse tam pro terris Palatinatus inferioris ad tractum Rheni, quam pro reliqua tota sua provincia et ditione, ea tamen apposita conditione, Parochum Catholicum, ut secundis his nuptiis intersit, si suae religionis principiis id sibi vetitum iudicaverit, neutiquam esse cogendum, sed illas inire cupientibus liberum esse, sibi per acatholicum ministrum copulationem procurandi, atque ita coniunctos potestate civili, quin eorum conscientiae foro sese ullo modo immisceat, quantum ad effectus civiles fovendos tuendosque esse perinde, ac si coram parocho catholico copulati fuissent; tum denique in eadem Badensi ditione ad istam Wormatiensem dioecesim pertinente exinde iam iterato contigisse, ut attentata per sententiam protestantici Consistorii matrimonialis vinculi solutione partibusque in libertatem ad alia transeundi vota dimissis harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum catholica parte inire contenderit, atque sacerdotalem bene-

dictionem desuper expetierit. Porro, ut addebas, parochi anxio animo haerentes postulant opportune instrui a Te atque edoceri, quomodo in relatis similibusque casibus se gerere debeant.

3. Quaerunt propterea primo: an tuta conscientia secundis illis nuptiis interesse possint? Secundo: an si hae coram ministro acatholico contrahantur, partem catholicam ad poenitentiae sacramentum accedentem absolvere, ad S. Eucharistiam admittere, prolemqne inde nascituram etiam quantum ad ecclesiasticos effectus ut legitimam habere licite possint? De his autem concludebas ad Nos scribere voluisse, ut controversiae omnes facilius et tutius iudicio Nostro praeciderentur tum in ista dioecesi, tum in aliis quoque dioecesibus, atque ditionibus ad quas memoratas leges extendi contingeret, atque ut norma seu regula quaedam generalis praefigeretur, cuius ope Episcopi uniformi congruoque sensu de secundi matrimonii valore iudicium ferre, et parochi confessariique omnem hac super re conscientiarum perturbationem amovere et privatam publicamque quietem tueri possint ac valeant.

4. Ut ergo super praedictis ex Nostro Apostolicae sollicitudinis ministerio Tibi opportune et cumulate respondeamus, duo hic praemittenda esse duximus, quae sane totius rei sunt veluti prima capita, quaeque ubi praesertim agitur de matrimoniis tum Catholicorum cum haereticis, tum haereticorum inter se vel ineundis vel dissolvendis, semper prae oculis haberi debent.

5. Atque horum primum est, Catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam Catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis demonstrare, nisi abunde sufficerent ea, quae hac de re immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV praedecessor Noster scripsit tum in encyclicis literis ad Poloniae regni Primatem, Archiepiscopos et Episcopos,[1] tum in praeclaro suo opere de Synodo Dioecesana. Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem eadem connubia tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione approbationis et consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas, quemadmodum haud ita pridem fel. rec. Pontifex Pius VI Episcopis Vratislaviensi, Rosnaviensi,[2] et Scepusiano rescripserat.

6. Alterum vero est, sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculi attentatur dissolutio nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse... Quaerebas, quid agendum sit a parochis catholicis, cum aliquis ex coniugibus per sententiam Consistorii acatholici solutus a priori matrimonio ac suae libertati restitutus, si velit cum catholico aut catholica nubere, possitne parochus his nuptiis assistere et benedictionem nuptialem impertiri, quod bis tentatum fuisse in ipsa dioecesi narrabas? At

[1] Cf. N. 387.

[2] S. C. C., *Rosnavien.*, 20 aug. 1780. – Roskovány, De Matrimoniis mixtis, tom. II, p. 539-542.

Tu ipse ea, qua praestas, sapientia vides, Ven. Frater, gravissimum commissuros scelus, suumque sacrum ministerium proditurus esse eos parochos, qui has nuptias sua praesentia probarent suaque benedictione firmarent. Neque enim illae nuptiae dicendae sunt, sed potius adulterina connubia. Perstat enim immotumque manet impedimentum ligaminis ex vinculo prioris matrimonii, quod per sententiam acatholici consistorii relaxare ac dissolvi non potuit, quo durante ac persistente impedimento, si vir foeminae coniungitur, adulterium est. Quapropter suavibus verbis ac blandis et efficaci sermone potius a parocho adhortandus est coniux ille, ne tantum facinus committat, ac ne contra Dei legem peccet, quam Idem ab ipso mundi primordio tulit inquiens: « quod Deus coniunxit, homo non separet ». Quodsi propositi tenax morigerum se parochi monitis praebere renuat, et turpi adulterio cum coniuge acatholica copuletur, sitque aleae ac periculi plenum ipsique religioni fortasse noxium ulterius obsistere et contra niti: silere quidem et tolerare tam immane facinus parochus poterit, nunquam vero vel copulationi interesse, multo minus benedictionem impertiri. Iubeat, increpet, minetur laica potestas: « obedire magis Deo oportet, quam hominibus ». Sacerdos Dei (verbis utimur divi Cypriani) Evangelium tenens et Christi praecepta custodiens occidi potest, vinci non potest...

7. Ad plenam propositae abs Te quaestionis explanationem restat nunc declarandum, an ii coniuges catholicae religionis cultores, qui sola acatholici consistorii authoritate excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris poenitentes veniam humiliter petant, possint ad Sacramentorum participationem admitti? Sed nulla in hac re potest esse dubitatio, siquidem veros poenitentiae fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo coniuge separentur, si prior vivat adhuc; sin vero decesserit et uterque coniux sit catholicus, Episcopus statuat, quid factu opus fuerit, ut rite sancteque matrimonium contrahi possit; sed si catholicus alter ex coniugibus fuerit, qui cum acatholico velit nuptias inire, vel in eo casu, quo vinculum prioris sui matrimonii per duplicem sententiam iudicis ecclesiastici rite ac legitime dissolutum fuerit, vel in altero, quod per mortem alterius coniugis primum matrimonium suapte natura disruptum ac discissum: tunc caute et maxima adhibita diligentia se gerant Episcopi. Huiusmodi enim matrimonia inter unam partem haereticam et alteram catholicam cum Ecclesia semper detestata fuerit, et severissimis legibus interdixerit eo vel maxime, quod plerumque subest grave periculum pervertendi et abstrahendi a fide coniugem catholicum, et anceps ac dubia sit educatio prolis utriusque sexus in religione catholica, christiana caritate ac suavitate quantum fieri poterit, avertant Episcopi ac reiiciant talia coniugia. Quodsi periculum perversionis coniugis removeatur, et prolis educatio catholica in tuto sit, iis adhibitis conditionibus, quas Benedictus XIV in supra memoratis literis ad Primatem et Episcopos Poloniae diligenter servari praescripsit, Tuque, Ven. Frater, aut Episcopi Tui suffraganei a Nobis petierint aliquo in casu ex urgentissima causa dispensari, non recusabimus vestris precibus assentiri, si id religionis bonum et animarum salus postulare videatur.

[Roskovány, De Matrimoniis mixtis, tom. II, p. 86-90].

478.

Pius VII, const. *Iamdiu*, 19 apr. 1816.[1]

§ 1. Iamdiu ad Nos perlatum fuerat complures Presbyteros, in Neapolitano praesertim regno degentes, id sibi arrogare voluisse, ut Altare portatile, seu Oratorium privatum in aedibus suae habitationis erigerent, non ex aliquo speciali Apostolico indulto sibi personaliter concesso, sed dumtaxat ex eo quod nomen ipsi dederint Confraternitati in Cappella Sanctae Mariae Virginis Campi Sancti de Urbe erectae, asserentes tale privilegium Confratribus huius Confraternitatis, qui Praelati aut Presbyteri essent, ac etiam Cappellanis a rec. mem. Leone PP. X Praedecessore Nostro concessum fuisse. Hoc quoque addunt, quod licet per successivam Sacri Concilii Tridentini talia privilegia abrogantis adprobationem a memorato Leone factum idem privilegium abrogatum remanserit, hoc tamen revixisse ex eo tempore, quo rec. mem. Pius PP. IV Praedecessor itidem Noster, ut Confratres Ecclesiasticos ad Cappellam praedictam frequentandam et socialia pia opera ibi exercenda alacriores redderet, idem privilegium confirmavit. Quamquam vero patet nihil horum operum a praedictis Ecclesiasticis domicilium extra Urbem habentibus expleri minime posse, idem tamen privilegium sibi postulant, non alia de causa, nisi quia ipsorum nomina in Confratrum Catalogo fuerint abnotata; quasi id non solis iis, qui re ipsa Confratres essent, sed etiam pro aliis, qui a longe nomen dedissent, sit concessum. Quamobrem iure quidem optimo Fraternitates et Discretiones Vestrae horum postulationibus obstiterunt et obstant. Haec iamdiu, ut diximus, ad Nos fuerant perlata; verum ob temporum iniquitatem et superventam rerum omnium eversionem, abusum huiusmodi radicitus tollere nequivimus. Nunc autem, pace divinitus restituta, eo citius illum eruendum arbitramur, quo callidius nonnulli ad superandam vestram repugnantiam, per publica etiam scripta contenderunt, ut accepimus, abusum eumdem ex diuturniore Nostro silentio adprobatum remanere.

§ 2. Nos igitur dictorum Praedecessorum Literas Apostolicas desuper expeditas praesentibus pro insertis habentes, privilegium huiusmodi Altaris portatilis, seu Oratorii privati, licet pro Ecclesiasticis Confratribus tantum, non autem pro simpliciter adscriptis concessum, et respective confirmatum Auctoritate Apostolica, tenore praesentium abolemus et abrogamus; et Oratoria privata (si quae ubique fuerint taliter erecta) supprimimus. Ne autem hinc perantiquam Confraternitatem, in qua haud obscuri nominis Viri floruerunt, minoris facere videamur, neque Ecclesiasticorum Confratrum zelus quidquam ibi detrimenti capiat, imo potius augeatur, eisdem Ecclesiasticis, nempe Curiae Nostrae Romanae Praelatis, Presbyteris et Cappellanis nunc,

[1] Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, et prioribus iurisdictionem quasi episcopalem in Italia, et adiacentibus insulis exercentibus.

et pro tempore existentibus Confratribus eiusdem Confraternitatis (minime vero in eorum Catalogo simpliciter adscriptis) ut ipsi, postquam ex iurato suorum Guardianorum testimonio constare fecerint Dilecto Filio Nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, se per quinquennium aut saltem per triennium Functionibus Socialibus iuxta Confraternitatis Statuta fieri consuetis assidue adfuisse, in privato domus suae habitationis in eadem dumtaxat Urbe Nostra existente Oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ipsum Vicarium prius visitando et approbando, ac de eiusdem Vicarii licentia eius arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum Saecularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in sua, consanguineorum, et affinium secum insimul in eadem domo habitantium praesentia (ita tamen, ut hi consanguinei et affines Missam huiusmodi dumtaxat audire, numquam vero celebrari facere valeant), celebrari facere libere et licite possint, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 14, p. 20, 21].

479.

Pius VII, const. *Ecclesiam*, 13 sept. 1821.

§ 1. Ecclesiam a Iesu Christo Servatore Nostro super firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit numquam portas inferi praevalituras, tot saepe, ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa, et quae transire non potest promissio intercessisset, metuendum videretur, ne ipsa illorum aut vi, aut artibus, aut calliditate circumventa, penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab apostolis praenuntiatum, quo[1] *venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*. Nec enim quemquam latet quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius, qui id praecipue curant, ut deceptis per philosophiam, et inanem fallaciam[2] fidelibus, et ab Ecclesiae doctrina avulsis, ipsam Ecclesiam, irrito licet conatu, labefactent, et evertant. Quod ut facilius assequerentur eorum plerique occultos coetus clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum spera-

[1] In epist. b. Iudae ap., v. 18.
[2] Coloss., cap. 2, v. 8.

bant, ut plurimos in suae coniurationis et sceleris societatem liberius pertraherent.

§ 2. Iampridem sancta haec Sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit, et consilia, quae clam ab iis essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem, patefecit. Iampridem omnium excitavit diligentiam ut caverent ne his sectis id conari liceret quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis apostolicae studiis non eum exitum respondisse quem ipsa spectabat, et scelestos homines nunquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quae Nosmetipsi perspeximus. Imo homines quorum superbia ascendit semper, novas etiam secretas societates inire ausi sunt.

§ 3. Commemorari hoc loco debet societas nuper orta, et longe lateque in Italia aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen, sententiarum et facinorum communione, et foedere quodam inito una est, et *Carbonariorum* plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam, et mirificum quoddam studium in Catholicam religionem, et in Iesu Christi Servatoris Nostri personam, et doctrinam, quem etiam societatis suae rectorem, et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt quam iacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

§ 4. Sane severissimum illud iusiurandum quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo unquam tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertinent superiores; clandestina illa praeterea, et illegitima conventicula, quae more a pluribus haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cuiuscumque religionis, et sectae in suam societatem, etsi caetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

§ 5. Verum coniecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis iudicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum cathechismi, et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent cui antea adheserant, eius errores et fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, *Carbonarios* id praecipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent religionem, quam colat, proprio ingenio, et ex suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius; ut Iesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant; ut Ecclesiae sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur), et ipsa religionis catholicae mysteria contemnant, atque Sedem hanc apostolicam evertant, in quam, quoniam in ea apostolicae cathedrae semper viguit principatus,[1] singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quaeque, ac perniciosa moliuntur.

§ 6. Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt quae *Carbonariorum* societas tradit de moribus praecepta, quamvis confidenter iactet se a suis sectatoribus exigere, ut charitatem ac omne virtutum genus excolant et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet: docet licere eos interficere qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint; et licet apostolorum princeps Petrus praecipiat, ut Christiani[2] *omni humanae creaturae propter Deum subiecti sint, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis, etc.*, iubeatque Paulus Apostolus,[3] ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ea tamen societas docet integrum esse seditionibus excitatis reges, caeterosque imperantes, quos per summam iniuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

§ 7. Haec aliaque huius societatis dogmata et praecepta sunt; ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a *Carbonariis* commissa, quae adeo gravem honestis piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur qui speculatores domus Israel, quae est sancta Ecclesia, constituti sumus, et qui pro pastorali Nostro munere cavere debemus ne Dominicus grex Nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII et Benedicti XIV praedecessorum Nostrorum, quorum alter quarto Kalendas maias anni millesimi septingentesimi tricesimi octavi constitutione *In eminenti*,[4] alter decimo quinto kalendas iunias anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi, constitutione *Providas*[5] damnarunt et prohibuerunt societates *dei liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alio quocumque nomine pro regionum et idiomatum varietate appellatas, quarum societatum fortasse propago, vel certe imitatio haec *Carbonariorum* societas existimanda est. Et quamvis iam duobus edictis per Nostram status secretariam propositis hanc societatem graviter Nos prohibuerimus, memoratos tamen praedecessores Nostros sequentes, graves poenas in hanc societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, praesertim cum *Carbonarii* passim contendant se duabus illis Clementis XII et Benedicti XIV constitutionibus non comprehendi, nec sententiis et poenis in illis latis subiici.

§ 8. Audita igitur selecta congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium et de eius consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam societatem *Carbonariorum*, aut alio quocumque nomine appellatam, eius coetus, conventus, collectiones, aggregationes, conventicula

[1] S. Aug., ep. 43.
[2] Ep. 1, cap. 2, v. 13.
[3] Rom., cap. 3, v. 14.
[4] Cf. N. 299.
[5] Cf. N. 412.

damnanda et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura constitutione damnamus, et prohibemus.

§ 9. Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive laicis, sive clericis tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictam societatem *Carbonariorum,* aut alias nuncupatam, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus, vel alibi receptare atque occultare, illi et cuicumque eius gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe aut indirecte, per se, vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut huiusmodi societati, aut cuicumque eiusdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet iuvent, ac foveant, sed omnino ab eadem societate, eiusque coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

§ 10. Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare episcopis, vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus quae commemorata sunt, se inquinasse.

§ 11. Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes *Carbonariorum,* ut aiunt, catechismos, et libros, quibus a *Carbonariis* describuntur quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos sive manuscriptos; et quibuscumque fidelibus, sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae, prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquos legere aut retinere, ac mandamus ut illos vel locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos eosdem recipiendi ius pertinet, omnino tradant.

§ 12. Volumus autem, etc.

§ 13. Nulli ergo hominum, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 15, p. 446-448].

480.

Pius VII, litt. ap. *Non sine magno,* 24 aug. 1822. [1]

§ 1. Non sine magno animi nostri moerore intelleximus, Philadelphiensem Ecclesiam assiduis iamdiu dissidiis et contentionibus ita agitari, ut schismata orta sint, pravae diffusae doctrinae, ac tota ipsa ecclesia in summa rerum omnium perturbatione versetur; idque duabus praesertim ex causis, nempe ex insana presbyteri Guilelmi Hogan arrogantia nefariisque ausis, tum etiam ex potestatis abusu quorumdam, qui temporalia ecclesiae bona administrant. Pervenit enim ad aures nostras perditissimum istum presbyterum Hogan, spretis atque subversis ecclesiae legibus, in iudicem se erexisse Praesulis sui, nec dubitasse illius famam pluribus famosisque libellis dilacerare, fideles a legitimo suo Pastore avertere, Episcoporum concilium ad deponendum eumdem Antistitem advocare per literas, in quibus ipse tamquam supereminens apostolicam iis benedictionem audet impertiri, denique in possessionem cathedralis ecclesiae, expulso Episcopo, sese intrudere. Non illum bonorum querelae, non destitutio facultatum, non excommunicationis poena eidem iuste ab Episcopo illata ab incepto cursu deterrere potuerunt, sed spretis omnibus, sacramenta ministrare, parochialia omnia munia exercere, et sacrosancta mysteria sacrilego ac nefario scelere quotidie celebrare non erubescit, reus palam effectus Corporis et Sanguinis Domini. Execrabilia sane sunt haec.

§ 2. Quod vero et Nos et universam Ecclesiam summa non modo admiratione sed etiam indignatione afficit, illud profecto est, quod presbyter iste in tam manifesto legum omnium contemptu invenire potuerit non paucos sectatores, superbiae et contumaciae suae vindices et fautores, qui ei potius (posthabita ac spreta Episcopi auctoritate) quam legitimo suo Pastori adhaerere maluerint, cui etiam subsidia ad vitae sustentationem denegare non dubitarunt. Gravissima quidem haec est iniuria non modo Episcopo, sed etiam nobis et Apostolicae huic Sedi illata, ac signum defectionis ab Ecclesiae catholicae unitate, dum datum iis a S. Sede Pastorem ignominiose reiiciunt, et improbum hominem, qui ab ipsius Ecclesiae communione rescissus est, impie sequuntur, minime intelligentes, non eos tantum reos esse qui mala operantur, sed etiam eos, qui eisdem assensum suum praebent, quique vel per se vel per alios auxilium, consilium vel favorem iisdem praestare minime reformidant. Ignorant ne ii, quod Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ex quo consequitur, Episcopos esse gregis Christi pastores? Satis autem perspectum est, quod non grex pastorem ducit, sed pastor gregem. Ignorant ne, hierarchicum ordinem ita in Ecclesia esse institutum, ut presbyteri Episcopis, Episcopi supremo Christi Vicario subesse debeant, ita ut presbyter

[1] Venerabilibus fratribus Ambrosio Marechal Archiepiscopo Baltimorensi, eiusque suffraganeis Episcopis, ac dilectis filiis temporalibus ecclesiarum administratoribus, ac fidelibus universis foederatarum Americae provinciarum.

ab Episcopo, non Episcopus a presbytero sit iudicandus? Quod si fieret, totius Ecclesiae inverteretur ordo ac disciplina. Ignorant ne, non laicorum esse in ecclesiasticis iudiciis sese immiscere, quae Episcopis reservata sunt; propterea que illos nullam in causa presbyteri Hogan habere partem, sed tantum Episcopo obtemperare debuisse? Ignorant ne denique acta omnia, quae ille sacrilege ac temere exercet, nulla prorsus atque irrita esse? Hisce autem perspectis omnibus probe, divina opitulante gratia, futurum speramus, ut, qui inscitia vel errore eidem adhaeserant, et malis illius artibus seducti sunt, agnita veritate ad rectam semitam redire festinent, et ab impio homine in posterum diligenter cavere, ne, illum sectantes, participes fiant delictorum eius, ac non effugiant iustum iudicium Dei.

§ 3. Alterum est quod assiduam praebet dissidiis et contentionibus causam, non solum Philadelphiae, sed etiam in pluribus aliis foederatis Americae provinciis, immodicum scilicet atque effraenatum ius, quod aeditui sive temporalium Ecclesiae bonorum administratores sibi vindicare praesumunt independenter omnino ab Episcopis. Id quidem nisi moderatione aliqua limitetur, perpetua esse poterit abusuum et discordiarum origo. Itaque memorare debent aeditui, bona quae ad divinum cultum, nec non ad Ecclesiae eiusque ministrorum sustentationem oblata sunt, in Ecclesiae potestatem transire; sicut autem Episcopi ex ordinatione divina sunt qui praesunt Ecclesiae, ita ipsi non possunt ab eorumdem bonorum cura, dispositione ac vigilantia excludi. Quare Sacra Tridentina Synodus expresse mandavit, administratores fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis ad reddendam Ordinario rationem administrationis teneri, addens (Sess. 22, Cap. 9, *De Reform.*) quod, etiamsi ex praecipua aliqua loci constitutione administrationis ratio reddenda sit aliis ad id deputatis, tamen cum iis adhibendus etiam sit Ordinarius. Quare si aeditui concordi animo cum Episcopo temporalia Ecclesiae administraverint, omnia pacifice et secundum ordinem fient.

§ 4. Novum autem ac plane inauditum est in Ecclesia illud quod aliquando istic accidisse accepimus, nempe aedituos et laicos sibi ius arrogasse constituendi pastores legitimis facultatibus destitutos, saepe etiam censuris obnoxios, ut nuper cum Hogan factum fuisse patet, illos etiam pro arbitrio amovendi atque subsidia praestandi cui ipsi maluerint. Si ita acta sunt, uti fuit nobis nunciatum, quo pacto tolerari posset tam magna legum non ecclesiasticarum modo, sed divinarum etiam subversio? Ita enim non Episcopi praeessent Ecclesiae, sed laici; pastor subditus gregi suo effectus esset, et laici homines potestatem illam, quae Episcopis divinitus data est, sibi usurpare conarentur. At qui volunt in sinu s. matris Ecclesiae manere et sempiternae suae saluti consulere, universalis Ecclesiae leges religiose servare tenentur, et, sicuti civili potestati in iis quae temporalia sunt obtemperandum est, ita etiam in iis quae spiritualia sunt Ecclesiae leges a fidelibus servari debent; neque spiritualia cum temporalibus confundenda.

§ 5. Quare ad vitanda dissidia ac perturbationes, quae ex incircumscripta aedituorum auctoritate saepe exoriuntur, regulas et instructiones quasdam vobis, ven. Fratres, pro aedituorum delectu ac moderamine transmittendas curavimus,[1] quibus non dubitamus aedituos se plane conformaturos, quibusque servatis merito fore confidimus, ut omnia rite componantur, et pristina pax et tranquillitas in istis regionibus reflorescat. Hortamur itaque et obsecramus in Domino primum satis perspectam pastorum sollicitudinem, ut ipsi omni studio dent operam evellendis abusibus et stabiliendae ecclesiasticae disciplinae, opportune importune instantes, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia et doctrina; deinde monemus etiam et adhortamur per viscera Salvatoris nostri Iesu Christi ecclesiarum aedituos ceterosque fideles, ut traditos sibi a S. Sede pastores eo quo decet obsequio, honore et obedientia prosequantur, illos tamquam patres atque animarum suarum directores agnoscere, illorum monitis facile praebere aures, iis necessaria vitae subsidia suppeditare, non alios sanctuarii ministros excipere, nisi qui ab iisdem probati sint, quidquid denique illi ad rectum ordinem ac disciplinam instaurandam, quidquid ad restituendam pacem conferre posse iudicaverint, aequo promptoque animo amplecti velint, ut non sint schismata et omnes idem sapiant, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes (Philipp., 2, 2). Et quoniam sub florentissimo isto faustoque regimine catholicis datum est, sanctae suae religionis cultum libere posse exercere, luceat vestra fides ac pietas coram omnibus, ita ut non modo fidelibus, sed etiam iis, qui foris sunt, aedificationi et exemplo esse possitis, Deo ac patriae fideliter servientes. Quod dum divinae gratiae auxilio sedulo libenterque vos praestituros esse confidimus, apostolicam vobis omnibus benedictionem peramanter in Domino impertimur.

[Ius Pontif. de Prop. Fide, pars. I, vol. IV, p. 620-622].

481.

Leo XII, const. *Quo graviora*, 13 mart. 1825.

§ 1. Quo graviora mala Christi Dei, et servatoris nostri gregi imminent, eo maiorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in beato Petro apostolorum principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias, quas christiani nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam, easque tum fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices praedecessores Nostri vigilias boni pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis sectas extremum Ecclesiae exitium minitantes prohibendas et penitus delendas curarunt. Nec ex annalium ecclesia-

[1] S. C. de Prop. Fide, litt. 27 iul. 1822. – Ius. Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. IV, p. 621, 622, nota (1).

sticorum vetustate tantum erui potest pontificiae huius sollicitudinis memoria. Quae Nostra et patrum Nostrorum aetate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se obiicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII praedecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de' Liberi Muratori* sive *des Francs Maçons*, sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicae Ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta constitutione cui initium *In eminenti* edita quarto kalendas maias anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo, cuius tenor is est, qui subiicitur.

Omittitur insertio huius constitutionis, quia eam habes supra, in N. 299.

§ 3. Haec tamen recolendae memoriae Benedicto XIV itidem praedecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum latam in Clementis dudum mortui literis excommunicationis poenam iam evanuisse, quod Benedictus eas literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum pontificum leges obsolescere, nisi a successoribus expresse approbentur, et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus edita nova constitutione cuius initium *Providas*, decimo quinto kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, qua Clementis constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut aiunt specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti constitutio.

Omittitur insertio huius constitutionis, quia habetur supra, in N. 412.

§ 5. Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti haec decreta fecissent, quanti tum Ecclesiae tum reipublicae salus postulabat. Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus beati Petri successoribus non modo Ecclesiae universae pastores, et magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum, quae imminent, indices suscipere se debere. Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede apostolica fuerant patefacta, iam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam iudicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quae nunquam friguerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quae caeterarum princeps in Italia, aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos, acerrime Catholicam religionem, et supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio regimine, illa irrepserat una cum exteris hominibus eius invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius septimus, cui Nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit

edita idibus septembribus anno millesimo octingentesimo vicesimo primo constitutione, cuius initium *Ecclesiam a Iesu Christo*. Huius etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est eiusmodi.

Omittitur insertio istius constitutionis, quia habetur supra, in N. 479.

§ 7. Non nullo post editam hanc a Pio VII constitutionem ad supremam beati Petri cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est, quae *Universitaria* dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus iuvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, eiusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.

§ 8. Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consentaneos suos inflammatae, et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere, vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

§ 9. Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata, et praecepta; eius dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

§ 10. Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a Nobis sunt clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libris, quos de religione et republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: codices et statuta quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quae iam memoravimus, et quae ad legitimos principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas.

§ 11. Quae cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis iactare possit se apostolica sententia Nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, et etiam motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris socie-

tates occultas omnes tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur in praedecessorum Nostrorum literis in hac Nostra constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus.

§ 12. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut huiusmodi societatibus, aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, earum coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

§ 13. Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare episcopis, vel caeteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

§ 14. Praecipue vero iusiurandum illud impium plane, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur nemini patefacturos, quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea superioribus sive ecclesiasticis, sive laicis patefaciunt, omnino damnamus, et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est iusiurandum quod in *iustitia* pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad iniustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem societatem moderantur ius habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare? Rectissime patres concilii Lateranensis III inquiunt can. 3: « Non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quae contra utilitatem ecclesiasticam, et Ssmorum patrum veniunt instituta ». [1] Et intoleranda est eorum ex his homi-

[1] C. 1, X, *de his, quae fiunt a maiori parte capituli*, III, 11.

nibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam et in publicis scriptis dicant, *non est Deus*, audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.

§ 15. Haec a Nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram, venerabiles fratres catholici patriarchae, primates, archiepiscopi, et episcopi, operam non postulamus modo sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos non parcentes gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam vos. Illud tenete a vobis maxima ex parte pendere hominum vobis commissorum in religione, et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus, « qui mali sunt », eoque tempore, quo plures « non sustinent sanam doctrinam », perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos iure suscipiunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum eius. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant vobis auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut vos verbis alloquamur praedecessoris Nostri Clementis XIII, in sua epistola encyclica ad patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos universos Ecclesiae Catholicae diei decimae quartae septembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi octavi: « Repleti simus, obsecro, fortitudine spiritus Domini iudicio et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare greges Nostros patiamur fieri in rapinam, et oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de episcopatus vigore; et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus ». [1]

§ 16. Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium, carissimi in Christo filii Nostri catholici principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cuius in dignitate successores, et nominis licet indigni haeredes sumus, ad Leonem imperatorem scribens usus est: « Debeo incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata restituas ». Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro imperio subiectorum incolumitatem, sectae illae a vobis

[1] *A quo die*, § 18. - Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 27-33.

coercendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore, cum societatis salute ita coniuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus religionis, quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut religionem, aut regiam ullam potestatem superesse.

§ 17. Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum eius eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant Nostram, et episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda iura, tum ex iis, quae propria sunt apostolicae huius cathedrae et « Ecclesiae principalis », tum ex iis, quae ad episcopos pertinent, qui in Nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes, quae nostro imperio subiiciuntur, si forte perspiciant everti terminos quos de rebus sacris Christus et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducuntur ad politici etiam regiminis formam immutandam et destruendam.

§ 18. Vos etiam omnes, o dilecti filii, qui Catholicam religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex coniunctione cum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiae et societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis iam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum ave iubet Ioannes in secunda sua epistola, cap. 10, et quos primogenitos diaboli appellare maiores Nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil vel praedicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione iurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum societatum vim, et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud apostoli ad Rom., cap. 1: « qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus ».

§ 19. Postremo eos, qui cum iam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Eius enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare iustos, sed peccatores, et se pastori aequiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Iesu Christi filii eius misericordia et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Iesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi patris, qui filios prodigos iamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has apostolicas literas in regione, in quam morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quos sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum, in quibus degunt ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit, (quod Deus misericordiarum pater avertat) ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas desserat, et vero resipiscat, eo elapso continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem iuramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris successoribus, aut ab iis, qui a Sede apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

§ 20. Volumus autem, etc.

§ 21. Nulli ergo hominum, etc.

[Bull. Rom. Cont., tom. 16, p. 345-355].

482.

Pius VIII, litt. ap. *Litteris altero*, 25 mart. 1830. [1]

Litteris altero abhinc anno ad Leonem XII gl. me. Praedecessorem Nostrum datis, diligenter, Venerabiles Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen, propterea quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur: simulque Sacerdotibus inter-

[1] Ad Archiepiscopum Coloniensem, et Episcopos Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem.

dictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has vestras, quas eae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati Nostrae inscrutabili Deo iudicio reservatum est ea Vobis responsa reddere, quae Praedecessor Noster praebere, morte praeventus, non potuit. Siquidem Sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia praetermittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum Nos recreant, videlicet Vestrum pariter et Sacerdotum, qui sub Vobis sunt, pro doctrina Ecclesiae tuenda servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII literis demonstrastis, ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo Vobis fuit, ut Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus Vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus, non modo Vos rescriptis hisce Nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem Vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius venientes, haud Nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum Vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis, et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quodsi Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas, et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam, ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, Venerabiles Fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur, quandoquidem exploratum est, catholicas personas seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam, gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, Nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas, illa a Vobis aut a parochis Vestrarum dioecesium fieri assentiremur per quae, si non verbis, factis tamen ipsae indiscriminatim approbarentur. Quare Nos summopere commendantes zelum illum Vestrum, quo catholicos Vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus adlaborastis, enixe Vos in Do-

mino exhortamur, ut posthac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina: horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Iuxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eamdem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae religionis dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo expectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda, eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint, quae illis obstent, impedimenta canonica. Quodsi nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona, censuris in illam nominatim expressis, corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant: sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda, praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut, audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio, actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus, et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala, quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis; itemque, ut catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum; denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi, malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25 Martii 1830) in Vestris dioecesibus contrahi contingat non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, [1] si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur, prout Nos auctoritate Nostra Apo-

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

stolica, matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere *in charitate Dei et patientia Christi*, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Post haec supervacaneum ducimus, Venerabiles Fratres, Vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicae religioni creetur invidia, quandoquidem Fraternitates Vestras id probe nosse compertum Nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos Sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod Vos ab his, in quibus estis, angustiis penitus eximere non potuerimus. Sed nolite deficere animo. Ipse Serenissimus Rex, qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit, factoque ipso aliis occasionibus comprobavit, non patietur (ut plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa vestra officia directe afficit, Vos diutius exagitari, sed anxietatibus Vestris pro sua clementia commotus, et Nostris pariter votis obsecundans, Vobis remittet, ut Religionis Catholicae regulas hac etiam in re servare ac exequi libere valeatis. Quod ut feliciter eveniat, a Deo, in cuius manibus corda sunt regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus Nos facimus, et Vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea praecipuae, qua Vos amplectimur, caritatis testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam Fraternitatibus Vestris, nec non omni Clero ac fideli populo Vestris curis concredito peramanter impertimur.

[Roskovány, De Matrimoniis mixtis, tom. II, p. 234-239].

483.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Inter gravissimas*, 3 febr. 1832.[1]

§ 1. Inter gravissimas quibus undique premimur sollicitudines in suprema Ecclesiae specula positi infirmitatis Nostrae memores saepe ad te Nostros convertimus oculos, ut tibi, novaeque isti archiepiscopali sedi in omnibus

[1] Venerabili Fratri Antonio Nurigian archiepiscopo primati Armeno Constantinopolitano.

praesto simus, quibus Armeni catholici nuper summi imperantis benignitate ab inimicorum suorum manibus erepti in puritate fidei, et christianae charitatis exercitio constantes ita in salutis viam dirigantur, ut bona eorum conversatio decus Ecclesiae sit et ornamentum, et errantes vereantur nihil habentes malum dicere de nobis. Non te latet hoc tantum bonum, Dei opitulante gratia, episcoporum exemplo, vigilantia et laboribus promoveri, horum enim est doctrina, opportunitate et veritate infirma confirmare, disrupta consolidare, depravata convertere, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendere, et speramus, te his omnibus implendis non defuturum. Sed non una est eademque omnium opinio, quapropter, quamvis delationibus, quae ad Nos pervenerunt, faciles aures minime praebuerimus, opportunum tamen censemus et benevolentiae, qua te etiam in minoribus constituti prosequuti sumus, et paterni amoris quo catholicas omnes ecclesias amplectimur, nova tibi hodie documenta praebere.

§ 2. Hinc est, quod apostolico, quo fungimur officio, zelum tuum excitamus, ut cures ne inter oves tibi commissas abusus introducantur, contentiones, oriantur, aut displicentiae causae interveniant, quibus si locus fiat partium exardescunt studia, et christiana frigescit charitas, ac propterea persuasum tibi etiam esse debet in praesentibus tuae novae sedis adiunctis malignos homines fortasse inter catholicos quoque non defuturos, qui inde occasionem possent arripere te criminandi, fovendique suis clamoribus insidias haereticorum, de quibus dubitari non potest, quin studia omnia convertant, ut in summo imperante eos destruant erga te, Iacobum Valle, et catholicos Armenos, clementiae sensus, ex quibus tot tantaque in vos bona derivarunt. His quidem incommodis difficilior fiet aditus, donec summus imperans, perspectas habeat virtutes tuas, et sacerdotis Iacobi Valle, in quem omnem contulit praefecturae nationalis honorem, cum te ut nationis Armenae catholicae archiepiscopum primatem agnoscere recusavit, animum Nostrum recreat ac reficit audire vos apud eum magnam nominis existimationem esse consequutos. Ut hanc autem uterque vestrum conservet omnis adhibenda cura est, ne exterioris apparatus magnificentia videamini ea quaerere quae mundi sunt, non sine magno ovium tibi commissarum incommodo.

§ 3. Memineritis hoc archiepiscopi maximum onus esse, ut spirituali suarum ovium saluti prospiciat, quare ne quaeras ut magnum apud te habeas ecclesiasticorum numerum, quorum honori detraheretur si vilioribus mancipentur officiis, aut in criminalibus praesertim iudiciis eae committerentur partes gerendae, quae ecclesiasticae lenitati minime conveniunt, sed iis utere pro uniuscuiusque idoneitate, ut nulla ex paroeciis quae a tua iurisdictione pendent suo careat pastore. Quousque autem tua iurisdictio extendatur, non ignoras; scis enim te minime posse aut exercere, aut Iacobo Valle alias communicare facultates praeter eas quibus gaudes sacrorum canonum, et Apostolicae Sedis auctoritate.

§ 4. Prae oculis habe quibus limitibus tua iurisdictio circumscripta fuerit a fel. rec. Pio VIII praedecessore Nostro literis apostolicis datis die sexta iulii anno millesimo octingentesimo trigesimo pro erectione novi archie-

piscopatus metropolitani primatialis Constantinopolitani pro Armenis catholicis,[1] aliisque literis datis eadem die pro tua in archiepiscopum electione, et perspicies iurisdictionem tuam ad eos tantum Armenos catholicos extendi, qui tui archiepiscopatus erectionis tempore ad provincias Othomanico imperio subiectas pertinebant, quique destituti pastore Armeno catholico venerabilis fratris archiepiscopi Sardiensis, et vicarii apostolici patriarchalis latini ritus iurisdictioni suberant. Inter hos autem neutiquam recensendi sunt Armeni catholici, qui iam a catholicis sui ritus episcopis regebantur, neque ii, qui cum exterarum nationum sint, Constantinopoli francorum nomine appellantur, multoque minus ii, qui incolunt provincias ab Othomanico imperio disiunctas, inter quos recensendi sunt Armeni Georgiani, atque hi omnes etiam nunc sunt sub eius ordinarii iurisdictione, a quo regebantur antequam nova institueretur archiepiscopalis cathedra Armena, cui nulla prorsus tradita potestas est in eos, qui ad alias quascumque Catholicorum nationes ab Armena diversas pertineant.

§ 5. His omnibus exceptis copiosus tibi remanet grex pascendus opere et sermone, et quoniam in Christiana Ecclesia nihil sanctius, nihil sublimius sit missae sacrificio, summas mereris laudes, quoties adniteris, ut in eo peragendo is ritus adhibeatur, qui tantae rei maiestati respondeat, ille scilicet ritus, qui ab hac Sancta Sede iam probatus est, et in liturgia typis Congregationis fidei propagandae praepositae praescriptus, qua omnia quae ad solemnem missarum celebrationem pertinent ordinantur. Attamen si solemni missarum celebratione vi persequutionum inter Armenos catholicos impedita quaedam laudabiles consuetudines iamdiu sint invectae prout illae sunt, quarum vi sacerdotes Armeni catholici sacrum celebrantes initium ducere solent a crucis signo, et post consecrationis verba sacrosanctum Iesu Christi corpus, et sanguinem sub speciebus panis, et vini genibus innixi adorare, minime expedire censemus eas e medio tollere, nam qui id agere conaretur, scandali potius quam aedificationis causam praeberet. Quare ea regula omnino servanda est, qua statuitur inconsulta Sede Apostolica in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caeremonias, quae liturgiis ab eadem Sede probatis, magis conformes esse videntur, nisi ex gravissimis causis, et accedente Sedis Apostolicae auctoritate. Hoc autem apud Armenos catholicos accurate servandum peculiaris quoque ratio suadet, cum enim in veteri Armena sacrorum disciplina solemnis tantum missae celebratio permitteretur pro ea dumtaxat caeremoniae praescriptae reperiuntur.

§ 6. Armeni autem catholici persecutionibus exagitati aliquantulum ab ea disciplina recesserunt, et solemni missarum celebratione persecutionibus impedita, sacrum in aedibus etiam privatis peragere consueverunt. Haec vero consuetudo celebrandi nempe sacrum in privatis aedibus, etsi certis legibus circumscribenda videatur, ne id sine iusta et gravi causa fiat, tamen tolerari poterit, quousque pro Armenis catholicis publicae adstructae fuerint ecclesiae, in quibus proprio ritu sacra fiant a sacerdotibus Armenis catholicis, nec his adimenda est libertas divinum opus peragendi in ecclesiis latinis sacrarum vestium apparatu proprium ad ritum accommodato (nisi forte ob urgentem necessitatem et vestium proprii ritus defectum ad tempus, et in peculiaribus causis legis huius rigorem relaxari contingat) ne quis foris sunt arbitrentur, Armenos catholicos ab ea fidei unitate recedere, quam nuper tam strenue professi sunt in rerum omnium, et vitae ipsius discrimine. Una est Christi Ecclesia, una catholicorum omnium fides, unum baptismum, unum est omnium Nostrum caput Christus Iesus, qui beatissimo Petro apostolo, cui Nos, quamvis indigni, successimus plenam tradidit potestatem universam Ecclesiam regendi et gubernandi. Aequum igitur est, ut sacerdotibus Armenis haec via pateat, qua facilius catholicorum Armenorum animos in sancta religione profitenda, et in beatissimi Petri devotione confirment.

[1] Bull. Rom. Cont., tom. 18, p. 113, 114.

§ 7. Haec quae pietatem fovent nemini possunt occasionem praebere transeundi a proprio ritu ad alium quemcumque, quamvis ab Apostolica Sede probatum, norunt enim omnes id vetitum apostolicis constitutionibus, nisi forte cuidam facultas fiat ex Apostolicae Sedis indulto. Paterno amore complecti volentes orphanos qui a patre Armeno, et matre graeco-latina nati ob excitatam in Armenos persecutionem latinis hominibus educandi traditi fuere, eos simili gratia dignos iudicamus, quare illos in latini ritus exercitio manere posse decernimus, nullamque molestiam eis inferendam esse praecipimus. Praeterea quum pastoralis sollicitudo in recta praesertim sacramentorum administratione procuranda, Nos magnopere premat, non mediocri animi Nostri acritudine accepimus, isthic Poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta privatis in domibus crebro ministrari; ad arcendos itaque abusus omnes, qui inde oriri facile possunt, tuum zelum vel maxime excitamus ut hanc rem maturo examine perpendas, collatisque cum venerabili fratre archiepiscopo Sardiensi vicario apostolico patriarchali consiliis, provideas, diligenterque caveas, ne id unicuique indiscriminatim permittatur, sed facultates huiusmodi iis tantum sacerdotibus concedantur, qui ea praediti sint pietate, quae omnem abigat suspicionem, et in favorem eorum laicorum qui non solum bene morati sint, sed etiam locum habeant ad sacra mysteria rite obeunda aptum, et a profanis disiunctum usibus, ubi sacrum ministerium absque ullo profanationis periculo possit exerceri.

§ 8. Tuam etiam pastoralem vigilantiam adhibe, ne in baptismatis administratione, aut in matrimonii benedictione ritus aliquis indecens, aut contrarius ecclesiasticis legibus inducatur; haec enim Apostolica Sedes nunquam perferet et patietur, ut ex abusu in sacramentis administrandis ii habeantur mores, qui haereticam pravitatem aut corruptionem redoleant, vel christianae modestiae, aut ecclesiasticae dignitati repugnent.

§ 9. Dolemus quoque et angimur haereticorum exemplo taxas fuisse impositas a catholicis persolvendas cum infantes lustralibus aquis sunt abluendi, et matrimonia sunt benedicenda, quod cum Ecclesiae Catholicae disciplinae et praxi omnino adversetur, tuam in mentem revocamus id nequaquam fas esse, et tantum permitti modicam taxam in funeribus iuxta diversas hominum conditiones praefiniendam, semper tamen charitati consentaneam,

quae postulat, ut vere pauperes, sine ullo emolumento humentur et precibus catholico rituali praescriptis iuventur. Hac ratione non solum clerus Armenus catholicus ab omni avaritiae labe, quae servitus est idolorum, erit immunis, verum etiam haereticos, ad Catholicam complectendam religionem facilius alliciet.

§ 10. Demum quum te, venerabilis frater, paterno sane amore prosequamur, vehementer hortamur, et in ista ecclesia tuae fidei concredita ordinanda fidente animo Nos consulas, sciasque Nos in re tanti momenti, et quae Nostram auget sollicitudinem, tibi non defuturos, ac propterea pro certo habe, Nos praedecessorum Nostrorum vestigiis insistere, qui etsi cuilibet ad hanc Apostolicam Sedem aditum patere voluerint, gravissimasque poenas contra eos decreverint id impedientes, semper tamen omni diligentia usi sunt, ne faciles delationibus praeberent aures, probe noscentes, has plerumque originem ducere a malitia criminosorum hominum legum severitatem fastidientium. Quare positum est in more Romanorum Pontificum, ut si coercenda facinora ad eos deducantur, nihil omittant eorum, quae ad veritatem detegendam pertinent, eosdemque accusatos episcopos, aut superiores ecclesiasticos viros interrogent, quo facilius ac tutius ipsi per se significare possint, quae ad verum rerum statum cognoscendum conducunt. Hisce animi Nostri sensibus, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, tibi patefactis, tibi, venerabilis frater, gregique tuae curae concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 107-109].

484.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Summo iugiter*, 27 maii 1832.[1]

§ 1. Summo iugiter studio advigilavit Apostolica Sedes, ut Ecclesiae canones, qui nuptias catholicorum cum haereticis severe prohibent, religiose custodirentur. Et quamvis ad graviora evitanda scandala quandoque in aliquibus locis necesse fuerit illicita huiusmodi matrimonia tolerare, non tamen praetermiserunt Romani Pontifices, omni qua possent, ratione providere, ut tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiae illae praeseferant, quantique propterea sceleris reus si catholicus vir aut mulier, qui canonicas ea de re sanctiones violare praesumpserit. Quodsi interdum Romani ipsi Pontifices sanctissimum idem canonicum interdictum relaxarunt in peculiaribus casibus, id sane graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus consueverunt adiicere conditionem expressam de praemittendis matrimonio debitis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset,

[1] Ad episcopos Bavariae.

quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus in sanctitate religionis catholicae omnino educaretur.

§ 2. Itaque Nos, qui licet immerentes, supremam Petri cathedram, Deo ita disponente, tenemus, prae oculis habentes rationem illam a praedecessoribus nostris sanctissime initam, non potuimus, venerabiles fratres, non contristari vehementer ob allatos e vestris dioecesibus (uti ex aliis diversis locis) plures certosque nuncios, ex quibus intelleximus, inveniri isthic nonnullos, qui apud populum curis vestris concreditum fovere omni ope nituntur omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque ad eam facilius promovendam opiniones disseminant catholicae veritati contrarias, scilicet ipsi, ut accepimus, affirmare audent, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere, non modo non impetrata Ecclesiae dispensatione (quae iuxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolica Sede imploranda est), sed praetermissis etiam debitis, quas supra memoravimus, cautelis, illa praesertim, quae est de prole universa catholice educanda; quin imo eo res devenit, ut iidem mixta illa connubia tunc etiam probanda esse contendant, cum haeretica pars habeat priorem alium coniugem adhuc viventem, a quo divortio discesserit; ad haec et graves poenarum minas adhiberi curarunt, quibus inducantur animarum pastores, ut mixtas nuptias in Ecclesia coram catholico populo proclament et postea assistant actui, quo illae contrahantur, vel saltem contracturis dimissoriales, quemadmodum appellant, literas concedant; denique nec desunt ex ipsorum illorum numero, qui sibi aliisque persuadere conantur, non in catholica solum religione salvari hominem, sed eos quoque, qui haeretici sint atque in haeresi moriantur, ad aeternam vitam posse pertingere.

§ 3. Nonnulla tamen sunt, venerabiles fratres, quae moerorem levant a Nobis inde conceptum; constantia videlicet maximae partis Bavarici populi in retinenda puritate catholicae fidei atque in sincero erga ecclesiasticam auctoritatem obsequio; itemque firmitas istius cleri fere universi in sui ministerii partibus ad canonum normam obeundis; praesertim vero eximium pastoralis muneris implendi studium, quo vos, venerabiles fratres, animari novimus, ut quamvis circa rationem, in hoc mixtarum nuptiarum negotio seu in quibusdam eius rei capitibus, tenendam non eadem omnium vestrum sententia sit, cunctis tamen deliberatum fixumque est, observare Apostolicam hanc Sedem, eiusque ductu custodire concreditos vobis greges, nec reformidare pericula, si qua pro salute ovium adeunda fuerint.

§ 4. Adsumus itaque Nostris hisce litteris, venerabiles fratres, ad confirmandas pro munere apostolici Nostri ministerii fraternitates vestras, ut in re, de qua agitur, irreformabiles praedicare doctrinas fidei et tueri custodiam canonum maiori usque alacritate pergatis, atque ut, Nostra vobis patefacta sententia, perfectior deinde inter vos omnes et cum Sancta hac Sede consensio sit. Sed antea abstinere non possumus quin communicemus vobiscum praeconceptam a Nobis spem, ut carissimus in Christo filius Noster Ludovicus Bavariae rex illustris, intelligens ex concordi Nostra vestrumque omnium voce veram praesentis causae indolem, pro avito, quod cum sanguine hausit,

catholicae religionis studio adesse Nobis vobisque velit praevalido patrocinio suo, ut mala, quae ex ipsa illa causa rei catholicae imminent, avertantur, atque adeo sanctissima Nostra religio in toto Bavariae regno sarta tectaque habeatur, catholicique antistites ac sacrorum ministri in suis gerendis muneribus plena libertate fruantur, quemadmodum et in conventione cum hac Sede Apostolica anno millesimo octingentesimo decimo septimo inita cautum est.[1]

§ 5. Porro ad rem venientes, initium, ut par est, faciamus ab iis quae fidem spectant, sine qua impossibile est placere Deo, et quam, ut supra monuimus, nonnulli in discrimen adducere conantur ad libertatem matrimonii mixti latius inducendam. Ignotum vobis non est, venerabiles fratres, quam impenso constantique studio maiores Nostri inculcaverint eum ipsum, quem illi negare audent, fidei articulum, qui est de catholicae fidei atque unitatis necessitate ad consequendam salutem. Quo spectant verba illa celeberrimi apostolorum discipuli S. Ignatii martyris in epistola ad Philadelphios: « Ne erretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur ». S. Augustinus autem aliique Africae episcopi in Cirtensi concilio anno quadringentesimo decimo secundo congregati id ipsum ita fusius explicabant: « Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum ». Et praetermissis aliis, quae prope innumera sunt antiquorum Patrum locis, laudabimus gloriosum illum praedecessorem Nostrum sanctum Gregorium M. qui expresse testatur, eam ipsam esse catholicae Ecclesiae doctrinam. Ait enim: « Sancta universalis Ecclesia praedicat, Deum veraciter nisi intra se coli non posse, asserens, quod omnes qui extra ipsam sunt, minime salvabuntur ». Extant praeterea solemnes ipsius Ecclesiae actus quibus dogma idem annunciatum est. Ita in decreto fidei, quod edidit Noster itidem praedecessor Innocentius III cum oecumenica synodo Lateranensi IV, haec habentur: « Una vero fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur ». Denique idem etiam dogma expresse indicatum habetur in fidei professionibus ab Apostolica Sede propositis, tum in illa videlicet qua omnes ecclesiae latinae utuntur,[2] tum in aliis duabus, quarum altera a Graecis,[3] altera a ceteris orientalibus catholicis adhibetur. Haec ex plurimis selecta testimonia non eo recensuimus animo, venerabiles fratres, ut vos quasi eum fidei articulum ignorantes edoceremus. Absit a Nobis ut tam absurdam et contumeliosam de fraternitatibus vestris suspicionem habeamus. Sed tanta Nos sollicitudo tenet ob gravissimum iuxta ac exploratissimum dogma tam insigni a quibusdam audacia impugnatum, ut continere calamum non potuerimus a veritate illa pluribus inculcanda.

§ 6. Eia igitur, fratres venerabiles, assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei, totisque animorum viribus gliscentem errorem eradicare contendite. Sic agite, sicque agant ductu vestro ceteri, qui sub vobis sunt, animarum curatores, ut fidelis Bavariae populus excitetur ad catholicam fidem atque unitatem, tamquam ad unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque adeo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tuendae necessitas ubi fuerit impressa in cunctis Bavarorum fidelium animis alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabimini a nuptiarum foedere cum haereticis coniungendo; aut si aliqua interdum gravis causa interveniat, quae mixtas huiusmodi nuptias suadere videatur, ut illas non aliter contrahant, nisi impetrata Ecclesiae dispensatione et conditionibus, quae, ut supra diximus, praescribi ab illa solent, religiose servatis. Vestrum scilicet officium est, ut fideles mixta illa connubia inire cupientes (uti et eorum genitores, aliive, sub quorum cura sunt) edoceantur sedulo, quaenam circa eam rem canonum sententia sit, graviterque moneantur, ne eos in perniciem animarum suarum perfringere audeant. Quare si res ita postulet, revocare in illorum memoriam oportebit notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia vitare iubemur, uti et praeceptum aliud eiusdem legis, quo parentibus iniungitur, filios educare in disciplina et correptione Domini (Eph., VI, 4), ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui unice in catholica religione est. Hinc adhortabimini fideles illos, ut serio perpendant, quantam supremo numini iniuriam faciant et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. Atque ut gravitas periculi eiusmodi luculentius appareat, commemorabitis iisdem saluberrima illa Apostolorum, Patrum canonumque monita, quae sunt de periculosa cum haereticis familiari conversatione evitanda.

§ 7. At vero si nonnunquam contigerit, quod Deus avertat, ut monita et adhortationes huiusmodi in irritum cadant et catholicus aliquis vir recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita, seu non impetrata Ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa, tunc sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus litteris concedendis. Vestrum autem est, venerabiles fratres, admonere parochos ac rite ab iisdem exigere, ut ab omni huiusmodi actu se abstineant. Enimvero animarum curator, qui se aliter gereret, in praesentibus praesertim Bavariae adiunctis, approbare quodammodo illicitas illas nuptias facto suo videretur, et illarum libertatem animarum saluti, imo et fidei causae perniciosam sua ipse opera foveret.

§ 8. Post haec vix est, ut aliqua addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars acatholica habeat viventem adhuc priorem coniugem, a quo divortio seiuncta fuerit. Nostis, venerabiles fratres, quanta ex divino iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nuptiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, irritae omnino fuissent propter

[1] Raccolta di Concordati, p. 591-597.
[2] Cf. N. 108.
[3] Cf. N. 146.

aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haeretica parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.

§ 9. Haec sunt, venerabiles fratres, quae vobis circa rem de qua agitur significanda censuimus. Interea non desistimus Deum O. M. fervidis precibus sollicitare, ut vos et inclytum omnem Bavariae clerum virtute induat ex alto, atque una cum fideli isto populo dextra sua tegat et brachio sancto suo defendat. Maximae autem, qua fraternitates vestras in Domino prosequimur, caritatis pignus sit apostolica benedictio, quam memoratis quoque vestrarum dioecesium clericis laicisque fidelibus dispertiendam, vobis peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 140-142].

485.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832.[1]

§ 1. Mirari vos arbitramur, quod ab imposita Nostrae humilitati Ecclesiae universae procuratione nondum literas ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus invecta, et benevolentia in vos Nostra postulasset. Erat id quidem Nobis maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor Nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare fratres in persona beati Petri iussi fuimus.[2] Verum probe nostis, quanam malorum aerumnarumque procella primis pontificatus Nostri momentis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disiectis perduellibus, praesenti Nos eripuit periculo, atque, turbulentissima sedata tempestate, dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel; sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostrae huic obiecit voluntati.

§ 2. Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna, impensaeque Nostrae benignitatis indulgentia non deliniri, sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem ingenti licet cum moerore, ex collata Nobis divinitus auctoritate, virga compescere;[3] ex quo, prout iam probe coniicere potestis, operosior in dies instantia Nostra quotidiana facta est.

Ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos orbis catholici.

[2] Luc., 22, 23.

[3] 1 Corinth., 4, 21.

§ 3. Ast cum, quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, iam possessionem pontificatus in Lateranensi basilica ex more institutoque maiorum adiverimus, omni demum abiecta cunctatione, ad vos properamus, venerabiles fratres, testemque Nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de virginis sanctissimae in coelum Assumptae triumpho solemnia festa peragimus, ut quam patronam ac sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, ipsa et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia, mentemque Nostram coelesti afflatu suo in ea inducat consilia, quae Christiano gregi futura sint quammaxime salutaria.

§ 4. Moerentes quidem animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos, sicut triticum, filios electionis.[1] *Vere luxit, et defluxit terra... infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.*[2]

§ 5. Loquimur, venerabiles fratres, quae vestris ipsis oculis conspicitis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim, magnamque necessitatem possidet, divini cultus maiestas, ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina, erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non iura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec Nostra beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque iuribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam iniuriam odio populorum subiicitur, in turpem redacta servitutem. Debita episcopis obedientia infringitur, eorumque iura conculcantur. Personant horrendum in modum academiae ac gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur Catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte iam et propalam infertur. Institutis enim exemploque praeceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro freno religionis sanctissimae proiecto, per quam unam regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegium, flagitiosum, ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione confluxit.

§ 6. Haec, venerabiles fratres, et alia complura, et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset, ac vos probe nostis, in

[1] Luc., 22, 53.

[2] Isaiae, 24, 5.

dolore esse Nos iubent, acerbo sane ac diuturno, quos in Cathedra principis apostolorum constitutos zelus universae domus Dei comedat prae caeteris, opus est. Verum cum eo Nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare dumtaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur; ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, venerabiles fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos Nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat periucunda. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est, oves in ea dumtaxat pabula compellere, quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit, charissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel, abiecta cura gregis, otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem Nostram, seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

§ 7. Id porro apprime praestabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis, et doctrinae, illud assidue revolventes animo, *universalem Ecclesiam quacumque novitate pulsari,*[1] atque ex sancti Agathonis Pontificis, monito[2] *nihil de iis, quae sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adiici, sed ea et verbis, et sensibus illibata esse custodienda.* Immota inde consistet firmitas unitatis, quae hac beati Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesia omnes venerandae communionis iura dimanant, ibi universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium.[3] Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel iura sanctae huius Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsa coniunctionem, qua una eaedem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sincerae studium inculcate, inclamantes cum sancto Cypriano[4] *falso confidere se esse in Ecclesia, qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia.*

§ 8. In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui *plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit,* uti patres Florentini concilii diserte declararunt.[5] Est autem singulorum episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint, oportet, episcopis, quos *uti animae parentes susci-*

[1] S. Caelest. PP., ep. 21, ad episc. Galliar.
[2] S. Agatho PP., ep. ad imp., apud Labb. tom. 11, pag. 235 ed. Mansi.
[3] S. Innocent. PP., ep. 11, apud Coust.
[4] S. Cypr., de unitate eccles.
[5] Conc. Flor., sess. 25 in definit. apud Labb., tom. 18, col. 527, edit. Venet.

piendos ab ipsis esse, monet Hieronymus:[1] nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere *sine sententia episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur.*[2] Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

§ 9. Nefas porro esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et iurium Ecclesiae, ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subiectam.

§ 10. Cum autem, ut Tridentinorum patrum verbis utamur, constet Ecclesiam *eruditam fuisse a Christo Iesu, eiusque apostolis, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri,*[3] absurdum plane est, ac maxime in eam iniuriosum, *restaurationem ac regenerationem* quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati, et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut *recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta,* illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut quae divina res est, *humana fiat Ecclesia.*[4] Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex sancti Leonis testimonio *canonum dispensationem esse creditam,* ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis, *de paternarum regulis sanctionum* quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit sanctus Gelasius,[5] *decreta canonum librare, decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, temperentur.*

§ 11. Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam adversus foedissimam in clericalem coelibatum coniurationem, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis Nostri aevi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum praescripto, omni ope contendatis.

[1] S. Hieron., ep. ad Nepot., a. 1, 24.
[2] Ex can. ap. 38, apud Labb., tom. 1, pag. 38, edit. Mansi.
[3] Conc. Trid., sess. 13, dec. *de Eucharist.*, in prooem.
[4] S. Cypr., ep. 52, edit. Baluz.
[5] S. Gelasius PP., in ep. ad episcop. Lucaniae.

§ 12. Honorabile deinde christianorum connubium, quod *sacramentum magnum* nuncupavit Paulus *in Christo et Ecclesia,*[1] communes Nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili eiusdem vinculo minus recte sentiatur, vel tentetur induci. Impense id iam commendarat suis ad vos litteris felicis recordationis praedecessor Noster Pius VIII.[2] Adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indidisse perpetuam vitae societatem, nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiae proinde subiici, praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum exequutione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur, ac iusta consociatio. Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis, conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse coniugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iungantur, quin de sacramento, ac de mysteriis, quae illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

§ 13. Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente apostolo,[3] *unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma,* extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, *esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt,*[4] seque infeliciter dispergere, qui cum ipso non colligunt, ideoque *absque dubio in aeternum esse perituros, nisi teneant Catholicam fidem, eamque integram, inviolatamque servaverint.*[5] Hieronymum audiant; qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: *Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est.*[6] Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus. Opportune enim responderet Augustinus:[7] *Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod praecisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?*

§ 14. Atque ex hoc putidissimo *indifferentismi* fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet *libertatem conscientiae.* Cui quidem pestilentissimo errori

[1] Ad Hebr., 13, 4.
[2] Cf. N. 482.
[3] Ad Ephes., 4, 5.
[4] Luc., 11, 23.
[5] Symbol. s. Athanasii.
[6] S. Hier., ep. 57.
[7] S. Aug., in psal. contra part. Donat.

viam sternit plena illa, atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae, et civilis rei labem late grassatur, dictantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. *At quae peior mors animae, quam libertas erroris!* inquiebat Augustinus.[1] Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente iam in praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus *puteum abyssi,*[2] e quo vidit Ioannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque, ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

§ 15. Huc spectat deterrima illa, ac numquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, venerabiles fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque, et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, et quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique iure improbatum, patrari data opera malum certum ac maius, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi, comportarique, imo et obbibi debere, sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat?

§ 16. Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse.[3] Satis sit, leges in concilio Lateranensi V in eam rem datas perlegere, et constitutionem, quae deinceps a Leone X fel. rec. praedecessore Nostro fuit edita, ne *id quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat.*[4] Id quidem et Tridentinis patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito salubberrimo decreto de indice librorum, quibus impura doctrina contineretur, conficiendo.[5] *Pugnandum est acriter,* inquit Clemens XIII fel. rec. praede-

[1] S. Aug., ep. 166.
[2] Apocalyps., 9, 3.
[3] Act. apost., 19.
[4] Act. conc. Lateranens. V, sess. 10, ubi refertur const. Leonis X (Cf. N. 68). Legenda est anterior constitutio Alexandri VI, *Inter multiplices,* in qua multa ad rem.
[5] Concil. Trid., sess. 18 et 25.

cessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis literis,[1] *pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant.* Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine, qua semper sancta haec apostolica Sede suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque apostolicae Sedi iniuriosa, et fecunda malorum in Christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis, et onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

§ 17. Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, *non esse,* iuxta apostoli monitum, *potestatem nisi a Deo: quae autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*[2] Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare conantur.

§ 18. Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres Christiani, saevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de imperatoribus, ac de imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur religioni non contraria, accurate promptequeperficiendis, sed et constantia, et effuso etiam in praeliis sanguine luculentissime comprobasse. *Milites Christiani,* ait sanctus Augustinus[3] *servierunt imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam Domino temporali.* Haec quidem sibi ob oculos proposuerat sanctus Mauritius martyr invictus, legionis Thebanae primicerius, quando, uti sanctus Eucherius refert, haec respondit imperatori:[4] *Milites sumus, imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei... Et nunc non nos haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit: tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidi satius volumus.* Quae quidem veterum Christianorum in principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano,[5] tunc temporis Christianis non defuisse vim numerorum, et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. *Externi sumus,* inquit ipse, *et vestra omnia implevimus, urbes, insulas,*

[1] Lit. Clem. XIII, *Christianae,* 25 nov. 1766. — Cf. N. 461.
[2] Ad Rom., 13, 2.
[3] S. Aug., in psalt., 124, n. 7.
[4] S. Eucher. apud Ruinart., *Act. SS. MM., de Ss. Maurit. et soc.,* 4.
[5] Tertull., in *Apologet.,* cap. 37.

castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum... Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tamen libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore dominationem vestram tot qualimcumque amissio civium, immo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram... quaesissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quam cives vobis remansissent: nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum.

§ 19. Praeclara haec immobilis subiectionis in principes exempla, quae ex sanctissimis Christianae religionis praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam, et improbitatem condemnant, qui proiecta, effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes, toti in eo sunt, ut iura quaeque principatuum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta, consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorumque huiusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes, ac dedecora fuere, merito idcirco ab apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, *liberos se esse ab omnibus,* quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosiora quaelibet audacissime aggrediuntur.

§ 20. Neque laetiora et religioni, et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris.

§ 21. At ad caeteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam praecipuo angimur, accessere consociationes quaedam, statique coetus, quibus, quasi agmine facto cum cuiuscumque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis, seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

§ 22. Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, venerabiles fratres, ut induti scutum fidei contendatis praeliari strenue praelia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro muro contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt justitiam. Adsciti, ut sitis cultores navi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas, et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores, auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse sapientiae ducem, emendatoremque sapien-

tium,[1] ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum.[2] Superbi, seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis ratione confidere, quae naturae humanae conditione debilis est, et infirma.

§ 23. Ceterum communibus hisce votis pro rei et sacrae, et publicae incolumitate carissimi in Christo filii Nostri viri principes sua faveant ope, et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, *si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona.* Positi quasi parentes, et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: *rex regnum, et Dominus dominantium.*

§ 24. Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad sanctissimam Virginem Mariam, quae sola universas haereses interemit, Nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei Nostrae.[3] Suo ipsa patrocinio in tanta Dominici gregis necessitate studiis, consiliis, actionibusque Nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab apostolorum principe Petro, et ab eius coapostolo Paulo humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est. Hac iucunda spe freti, confidimus, auctorem consummatoremque fidei Iesum Christum consolaturum tandem fore Nos omnes in tribulationibus, quae invenerunt Nos nimis, coelestisque auxilii auspicem apostolicam benedictionem, vobis, venerabiles fratres, et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 169-174].

486.

Gregorius XVI, ep. *Quo ex tuis litteris*, 24 iul. 1833.[4]

Quo ex tuis litteris, die quarta proximi mensis iunii ad Nos datis, fuerimus dolore affecti, satis verbis complecti non possumus. Siquidem nos omnino non latebant tum novitates quas in istis regionibus incauti quidam deceptique tuae dioecesis ecclesiastici viri, contra vigentem disciplinam sunt moliti, et conventus eum in finem, te licet interdicente, ab ipsis celebrati; tum erroneae pravaeque doctrinae a parocho Aloysio Fuchs in suo sermone quem primum ad populum habuit, deinde auctum typis edidit, traditae pro-

[1] Sap., 7, 15.
[2] S. Irenaeus, lib. 14, cap. 10.
[3] Ex s. Bernardo, Serm. de Nat. B. M. V. § 7.
[4] Venerabili fratri Episcopo Curiensi et Sangallensi.

pugnataeque; tum demum patrocinium praefati parochi ac pessimae eius causae a capitulo rurali Uznacensi, cuius ille est membrum, palam impudenterque susceptum. Haec omnia acerbissima quidem Nobis iam ex parte innotuerant. At ea opinione quam de tuae pastoralis sollicitudinis vi et efficacia semel mente concepimus, quaeque maxima est, iure optimo freti ac simul pro certo habentes, nihil studii nihilque industriae in re tam gravi pro tua voluntate omissum iri, facile te consecuturum fore speravimus, ut infelix parochus eiusque fautores et asseclae, ad saniora consilia adducti, errores suos prorsus exprobrarent, omnem perniciosae novitatis spiritum exuerent seque tuae legitimae auctoritati ultro libenterque subiicerent. Verum frustratam fuisse spem Nostram persuasum iam inviti summopere ac plane moerentes habemus. Tuis enim supra memoratis literis aperte Nobis declaratum est, non modo parochum Aloysium Fuchs paternis tuis admonitionibus, quibus in rectam viam revocare illum studuisti, haudquaquam paruisse, teque pro gravissimo officii tui munere adductum fuisse, sive ad eius falsam perversamque doctrinam lato decreto damnandam, sive ad eum ordinaria tua auctoritate, ea, quam sacri canones praescribunt, ratione coercendum, verum etiam tam parochum ipsum quam Uznacense capitulum a tua sententia ad tribunal illegitimum omnino et improprium ausos fuisse provocare, ac tandem qua factis, qua novis evulgatis libellis eo rem perduxisse, ut tu cunctandum amplius non esse existimans, gliscenti in dies adversus fidei puritatem disciplinaeque sanctitatem malo avertendo sedulo intentus, universum negotium ad Nos deferendum deque eo supremum apostolicae Nostrae auctoritatis iudicium expostulandum censueris. Hoc tu, venerabilis frater, consilium capiens illud profecto egisti quod et ratio primatus honoris ac iurisdictionis, Romanis Pontificibus divinitus concessi exigit, et universalis Ecclesiae disciplina ac perpetua praxis statuit. Sane maiores causas ceu illae maximae sunt, quae ad fidem, disciplinam rectamque gubernationem et statum universae Ecclesiae pertinent a primis usque saeculis ab Apostolicam Sedem deferri consuevisse omnis qua late patet ecclesiastica historia demonstrat. Atque ut antiquiora eaque certissima hanc in rem monumenta praetermittamus, praeclarissimum certe est testimonium, quod sanctae huic Sedi inferioribus temporibus dedit clerus Gallicanus. Is namque ad Innocentium X praedecessorem Nostrum scribens, ita literas suas est exorsus: *Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulat. Aequissimae huic legi obsequentes, de gravissimo religionis negotio Sanctitati Tuae scribendum esse censuimus.* Nos itaque, qui Deo volente in hac Petri Cathedra, meritis omnino imparibus constituti, centrumque catholicae unitatis effecti, alacriter ad salutem dominici gregis vigilemus atque in id omni ope ac studio contendamus oportet, ut sacrum fidei depositum ab omni religionis hostium nefario ausu sartum intemeratumque sit, utque nihil universali Ecclesiae disciplinae eiusque divinae constitutioni adversum inducatur, nedum pastoralem sollicitudinem animique constantiam, qua tu, venerabilis frater, temerariis parochi Fuchs atque ipsius fautorum machinationibus obstitisti vehementer commendamus omnemque tuam in eiusmodi negotio rationem

ratam habemus ac probamus, sed etiam iis, quae te ad eiusdem parochi cohibendam puniendamque in errore pertinaciam acta sancitatque sunt, robur Nostrae apostolicae auctoritatis adiungimus. Caeterum, absoluto libelli a Fuchsio editi aliorumque nonnullorum eiusdem generis examine, peritis in theologicis disciplinis viris demandato et per Nos ipsos instituendo, supremum de eius doctrina iudicium, quod a Nobis expectas aliorumque similium proferendum reservamus. Quamquam cum eo falsitatem pravitatemque suam sponte prodat, longiori non sit opus disquisitione, ut Nostra etiam huiusque Sanctae Sedis solemni sententia damnetur. Interea quo ardentiori zelo in religionis commissique tibi gregis bonum polles et quo maior est tua erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem observantia, eo te fidentius adhortamur ut optime coeptis inhaerens praelium Domini, fortiter praeliari adversus miseros istos Ecclesiae catholicae filios non desinas, quos amantissimae matris utero errare et falsa in eam ipsam loqui non pudet. Nos quidem homines hos infeliciter deceptos dolemus; futurum tamen non desperamus ut conscientiae stimulis vexati divinaque voce, quae in eorum cordibus clamare haud cessat, perculsi, ad bonam frugem revertantur damnaque exempli perversitate populo ac reliquo tuae dioeceseos clero illata quanto ocius satagant reparare; atque in id te quoque, venerabilis frater, omnem operam industriamque tuam collaturum confidimus. Hic autem non possumus, quin te moneamus ut horum hominum considerata pervicacia pravaque voluntate nullis ipsorum conatibus ad dioecesanam synodum cogendam flecti fraternitatem tuam sinas eamque ad aliud tempus consulto differas. Quod enim ecclesiastica lege sancte sapienterque constitutum est, id ob praesentem istarum rerum ac personarum conditionem posset in perniciem et in gravioris seditionis occasionem converti. Nec dissimili ratione expedire putamus, ut his in circumstantiis eorum votis de novo rituali libro omnibus istis ecclesiis concedendo facilem te praebeas. Si quid hac in re optimum factu existimamus ac vehementer cupimus, illud profecto est, ut eum ordinem eumque ritualem librum inducendum isthuc cures, quem Romana haec Ecclesia caeterarum omnium magistra adhibet. At si hoc opportunum non esse arbitreris, eum librum eumque ordinem servari volumus, quo tua hactenus dioecesis usa est, nihilque novi Nobis saltem inconsultis statui. Fiducia iure freti studii tui in his Nostris monitis suasionibusque perficiendis, apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, gregique tuo peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 277-279].

487.

Gregorius XVI, litt. ap. *Cum in Ecclesia*, 17 sept. 1833.

§ 1. Cum in Ecclesia, Paulo apostolo monente, oporteat haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant; ab eius usque primordiis surrexerunt viri loquentes perversa, qui se e christianis haud esse inde demonstrantes, quod cum iis non permanserint, ac in id omnino intenti, ut abducerent

discipulos post se, falsas doctrinas evulgare, sanctorum dogmatum veritatem imminuere, fidei integritatem corrumpere non dubitarunt. Atque adeo infensum fuit bellum tum a primis iis, tum a novis, qui semper in dies erupe-runt, hostibus, eidem Ecclesiae illatum, ut nisi dexter ille adfuisset, qui adversus eam superbas inferorum portas minime praevalituras promisit, supremum prope exitium ipsa pertimescere debuisset. Verum quod omni aetate ab Ecclesia condita, et longe lateque inter nefarios adversariorum impetus diffusa, id maxime factum est Nostra, quae miserrimum illud tempus esse videtur, quo plures sanam doctrinam non sustinentes, et a veritate auditum avertentes, ad fabulas turpiter se fore conversuros laudatus apostolus Timotheo discipulo suo iam pridem praedixit. Profecto quibus errorum commentis, quibus opinionum monstris, quibus perversae philosophiae institutionibus, non unum vel alterum dogma, sed integram fere Catholicam fidem vaferrimi homines oppugnent, et quo pacto, qua virium contentione, qua impudentia palam, aperteque in eam signa conferant, nemo est, qui ignoret. Et quoniam falsarum omnium, quas ipsi temere tuendas suscipiunt, propositionum putidissimi rivuli possent, uti inquiebat Hieronymus, uno Ecclesiae sole siccari; hinc tanto lumini rebelles effecti, infallibilem eiusdem Ecclesiae auctoritatem quaqua versus aggrediuntur, ac huius praecipue apostolicae cathedrae, in qua veneranda ecclesiasticae unitatis firmitas viget, divina iura infringere omni ope, ac studio adnituntur.

§ 3. Ex horum numero permulti sunt maxime in vastissimis Germaniae regionibus, qui in quamdam veluti societatem coacti, et conventus agere, consultationes habere, deque Ecclesia pro temporum ratione, ut ipsi aiunt, reformanda pertractare haud veriti, ex eo etiam perniciosiores existunt, quod religionis zelum simulantes, pietatis studium praeseferentes, Ecclesiae regenerationem, restaurationemque confingentes, incautis illudant. Ea autem est caeca huiuscemodi hominum temeritas, ut pravissimis suarum opinionum documentis errores, tot Romanorum Pontificum, conciliorumque notissimis decretis iam ante damnatos instaurare non reformident. Sane ii non clanculum, et occulte, neque per multas ambages, sed manifeste omnino, qua voce, qua scriptis, atque etiam e suggestu passim tradunt, audacterque defendunt: « Omnes episcopos, utpote apostolorum successores, parem, ac supremam Ecclesiae regendae potestatem a Christo accepisse, eamque non in solo Romano Pontifice, sed in toto episcopatu residere: voluisse imo Christum Ecclesiam reipublicae more administrari, ita ut omnes, ne dum inferioris ordinis clerici, sed etiam laici iure gaudeant suffragii: omnem ideo potestatem universo fidelium coetui in episcopos, atque in ipsum Romanum Pontificem derivandam, immediate fuisse concessam: in praesenti Ecclesiae disciplina multa esse tum inutilia, tum periculosa, et noxia, quae pro temporum indole oportet immutari. Indulgentias nil aliud esse, nisi partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti, remissionem: eas ad poenas temporarias divinae iustitiae debitas, et in hac, vel altera vita luendas referri posse, aut defunctis prodesse, neque ex Scriptura, neque ex traditione demonstrari: illarum usum veram poenitentiam retardare, et evertere, ac spiritualibus fidelium commodis prorsus adversari; thesaurum ex Christi meritis, Sanctorumque

satisfactionibus conflatum, antiquis incognitum, nuperis temporibus fuisse invectum: hodiernam Ecclesiae in sacramento poenitentiae administrando disciplinam, nedum frustraneam, sed et perniciosam esse, tamque salutaris instituti virtuti, et efficaciae detrahere: legem caelibatus in ignominiam, dedecus, et detrimentum cleri vergere, ipsique naturae esse contrariam: characterem, qui in ordinatione imprimitur, inter scholasticorum placita esse adnumerandum; atque eum, qui semel fuit sacerdos, rursus laicum fieri posse, saltem auctoritate Ecclesiae, cuius nomine peculiares episcopos intelligunt: alia demum multa de stipendiis missarum, de quotidiana earum celebratione, de pluribus pro uno, eodemque defuncto sacrificiis, de privata synaxi, de sacris ritibus, de cultu beatae Mariae Virginis, de piis sodalitatibus, de publicis supplicationibus asserunt, quae singillatim pudet percensere ».

§ 3. Porro impios hosce adversus sanam doctrinam hostium conatus nihil omnino facit Catholica Christi Ecclesia, nequidquam sibi obesse posse iure optimo rata: Ea quippe, ut ait Augustinus, contra omnes haereses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest, tamque firmum habet robur, tam inexpugnabili muro circumdatur, ut quisquis contra illum arietet, ipse confringatur, quemadmodum penes hunc murum Ecclesiae ictibus perculsi veteres, recentesque haeretici fractis viribus ceciderunt. Atque haec Nobis fuit causa, cur a falsis hodiernorum reformatorum doctrinis, quas mox indicavimus, merita censura notandis hactenus abstinuerimus; praesertim cum nil novi afferrent, erroresque tamdiu protritos, ac pluries proscriptos obtruderent, atque adeo earum pravitas esset manifesta, ut sponte sua se prodens cuiusquam catholici hominis contemptum subire, et vel ipsam indignationem concitare deberet. Ast cum novatores seditionis materiam summo studio quaerentes, in id omnes fraudis, fallaciaeque nervos intendere acceperimus, ut editis, evulgatisque undique libellis, qui ipsa molis levitate, et procaci, qua conscripti sunt, licentia ad legendum alliciunt, imperitos, incautosque decipiant, et in pravas suas opiniones abducant: cumque perniciosos eos libellos late per universam Germaniam circumferri, eorumque numerum in dies succrescere noverimus, Nos, quorum proprium officium est, vineam Domini infestis huiusmodi vepribus in ea nascentibus purgare, fideique unitatem, et integritatem, quantum in Nobis est, Deo semper opitulante, tueri, ac servare, cunctandum amplius non esse censentes, eoque spectantes, ut fideles curae Nostrae concrediti profanas novitates devitent, et huic Cathedrae, in qua Christus, ut s. Augustinus loquitur, doctrinam posuit veritatis, firmius adhaereant, nonnullos ex praedictis libellis, qui communiores sunt, et prae indoctorum manibus facilius possunt versari, primum accuratissimo examini subiiciendos, dein apostolica censura perstringendos, damnandosque decrevimus. Ii vero sunt, qui sequuntur.

I.

§ 4. « Ohne Christus kein Heil für die Menschheit in Kirche und Staat. Eine Rede, gehalten zu Rappertsvill, die 3-ten Sonntag nach Ostern, 1832. Von Professor Aloys Fuchs. Mit Beilagen und dem Suspensionsact. St. Gallen, 1833. Gedruckt und zu haben im Bureau des Freimuthigen ».

II.

« Sind Reformen in der Katholischen Kirche nothwendig? Auf welchem Wege sind dieselben zu bewirken, und welche Hindernisse stehen etwa entgegen? Beantwortet in der Pastoral-conferenz zu Offenburg, am 24-ten juli 1832. Offenburg, in der Friedrich Braunschen Buchhandlung 1832 ».

« Zweite Auflage, vermehrt durch eine bescheidene, aber freimüthige Beleuchtung, etc., und einige Beilagen. Herausgegeben von F. L. Mersy. Offenburg bei Friedrich Braun, 1833 ».

III.

« Die katholische Kirche im neunzehnten Jahrhunderte und die zeitgemässe Umgestaltung ihrer äusseren Verfassung, etc. Herausgegeben von G. L. C. Kopp, Mainz, bei Florian Kupferberg, 1830 ».

IV.

« Der Kampf zwischen Papstthum und Katholicismus in fünfzehnten Jahrhunderte. Zurich, gedruckt bei David Burkli, 1832 ». Dissertatio iam inde ab anno 1816 inserta libro, cui titulus: « Schwizerisches Museum. Jahrgang 1816. Erstes Heft. Aarau. Heinrich, Remigius Sauertaender, pag. 75=125 ».

V.

« Die stellung des Römischen Stuhls gegenüber dem Geiste des neunxehnten Jahrhunderts, oder, Betrachtungen über seine neuesten Hirtenbriefe. Dum caput aegrotat, caetera membra dolent. Zürich, bei Orell Fufsli und Comp., 1833, I und II Auflage ».

§ 5. Auditis itaque consultationibus acceptisque suffragiis plurium in facultate theologica magistrorum, deque consilio, et sententia venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ex congregatione Ecclesiasticis Negotiis curandis praeposita, nec non re omni per Nos ipsos serio, et mature perpensa motu-proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos omnes libellos tamquam continentes propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in Sanctam Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, ecclesiasticum regimen, ac divinam Ecclesiae constitutionem evertentes, schismati faventes, in haeresim inducentes, schismaticas, haereticas, iamdiu in Luthero, Baio, Richerio, Eybelio, Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia damnatas, [1] reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis, et damnatis perpetuo haberi volumus, et mandamus.

§ 6. Praecipimus propterea, ne quisquam ex fidelibus cuiuscumque gradus, conditionis, et dignitatis sit, libellos praefatos sive typis impressos, sive manu conscriptos, vel in Germanico originali idiomate, vel in quamcumque

[1] Cf. N. 76, 124, 472, 473, 475.

aliam linguam translatos legere, retinere, aut denuo imprimere, seu imprimi facere audeat, sub poena suspensionis a divinis quoad clericos, quoad vero laicos sub poena excommunicationis maioris ipso facto, absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, ac respective relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto dumtaxat, quoad excommunicationem supradictam, mortis articulo, quo nimirum cuilibet confessario ab huiusmodi censura, ut praefertur, incursa fas erit absolvere.

§ 7. Mandamus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus, et singulis cuiuscumque gradus, conditionis, et dignitatis, qua clericis, qua laicis, ut quatenus praedicti libelli, vel in originali, vel in alio quocumque idiomate impressi, aut etiam manuscripti ad eorum manus pervenerint, statim deferre illos teneantur ordinariis, sub iisdem suspensionis a divinis ac respective excommunicationis superius comminatis poenis.

§ 8. Non modo autem memoratos libellos, sed alios quoscumque sive scripto exaratos, sive typis editos, vel forsan exarandos, et edendos, in quibus eadem erronea doctrina aut integre, aut ex parte renovetur, ac defendatur, sub eisdem poenis eademque apostolica auctoritate, harum litterarum tenore proscribimus, ac damnamus, illosque legi, imprimi, et retineri omnino prohibemus.

§ 9. Atque ut eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, etc.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 299-301].

488.

Gregorius XVI, ep. *Maiori certo*, 13 dec. 1833.[1]

Maiori certo solatio affici non possumus, quam cum eos qui in partem sollicitudinis Nostrae sunt vocati, pastorali zelo flagrare acriterque ad spirituale commissarum sibi ovium bonum novimus vigilare. Licet porro praecipuam fraternitatum vestrarum virtutem satis iam multa declarassent eaque de causa iure Nobis laetari liceret, conceptam tamen animo Nostro opinionem confirmarunt Nostrumque gaudium abunde auxerunt obsequentissimae literae, quas die decima quarta proxime elapsi mensis ad Nos dedistis et quibus nedum vestrum de catholica in Belgio constituenda et a vobis tantum regenda studiorum universitate consilium significastis, sed etiam expositis commodis, quae tum animarum salus, tum religio ipsa inde possunt accipere, apostolica Nostra auctoritate probare illud voluistis. Hanc vos rationem sequuti, id egistis, quod ab antiquis temporibus consuetudo induxit quodque debita huic Sanctae Sedi reverentia et observantia merito exigit. Cum enim ad Romanos Pontifices pro concredito ipsis apostolici officii munere maxime pertineat catholicam fidem tueri sanctaeque eius doctrinae

[1] Venerabilibus fratribus Engelberto archiepiscopo Mechliniensi eiusque suffraganeis in Belgio, episcopis.

depositum integrum ac intemeratum custodire: eorum quoque esse debet sacrarum disciplinarum, quae publice in universitatibus traduntur, institutionem moderari. Atque haec causa fuit, cur catholici etiam principes, cum de eiusdem academiis seu universitatibus studiorum statuendis cogitarunt, Apostolicam Sedem consulendam eiusque auctoritatem exquirendam duxerint. Hinc celebriores illustrioresque Europae universitates nonnisi ex sententia et assensu Romanorum Pontificum fuisse constitutas, gravissimae illarum historiae amplissimae testantur. Nobis itaque, quibus persuasum est ex recte comparatis studiorum universitatibus plurimum emolumenti in christianam rempublicam dimanare, iucundius nihil accidere potest quam ut vobis gratificemur et ad litterarum praesertim sacrarum praesidium et incrementum supremae Nostrae auctoritatis robur adiiciamus; atque hinc sapientissimum, quod una simul inivistis consilium, adprobamus vestramque ea de re sollicitudinem summa laude ac commendatione prosequimur. Eo autem libentius vestris votis annuimus, quo certius vestra industria, opera et cura futurum confidimus, ut quotquot ad istam universitatem convenient bene morati iuvenes, non scientia quae inflat, sed scientia quae cum caritate aedificat, non sapientia huius saeculi, sed sapientia, cuius initium timor Domini est, imbuantur. At illud probe intelligitis, venerabiles fratres, memoratam mox universitatem ita quidem constitui oportere, ut nihil prorsus derogetur iuribus, quae singulis episcopis circa clericorum in suis dioecesanis seminariis institutionem eorumque in litteris et disciplinis maxime theologicis eruditionem Tridentini patres adiudicarunt. Agite igitur, et ille a quo omne datum optimum ac omne donum perfectum est, dexter vobis propitiusque adsit, ut quae salubriter cogitatis, feliciter possitis implere. Interim apostolicam benedictionem paternae Nostrae charitatis et benevolentiae testimonium erga fraternitates vestras peramanter vobis impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 327].

489.

Gregorius XVI, allocut. *Cum pro pastorali*, 1 aug. 1834.

1. Cum pro pastorali Nostra sollicitudine gravissime illa ferremus, quae vobis ex hoc ipso loco die trigesima septembris anni proximi facta Olyssipone per gubernium illic mense iulio eiusdem anni exeunte constitutum dolentes exposuimus;[1] nihil magis optabamus, quam ut aliquid tandem nuntiare in coetu vestro Nobis liceret, quod ad Nostrum vestrosque animos doloris Nostri participes aliqua saltem ex parte consolandos pertineret. Neque vero temere sperare posse Nobis videbamur, non plane irritum futurum optatum Nostrum, qui facta illa tantopere questi eramus, tamque diuturna patientia bonum aliquem expostulationum Nostrarum exitum expectavimus. At quantum absit, ut aliquid huc afferre possimus spei votisque Nostris consentaneum, ex iis probe intelligitis, quae per idem illud gubernium, aucta

[1] *Grave admodum.* - Acta Greg. XVI, vol. I, p. 303, 304.

in dies improborum audacia et conscelerato impetu Catholicae religionis penitus delendae, patrata deinceps fuisse et assidue patrari notum est iam nimium et apud omnes pervulgatum. Itaque vos iterum, venerabiles fratres, in partem cogimur vocare doloris Nostri eo etiam maioris, quo maiores in dies dolendi causae extiterunt. Dici enim vix potest quam vehementer angamur, cernentes animo Ecclesiam illam deplorantem res sacras maxime verendas, bonaque sua vel attributa aerario, vel publice divendita, templa populorum frequentia et pietate insignia qua clausa, qua hostiliter occupata, praeclarissimos quosque ministros suos iniuriosissime tractatos, ac partim expulsos, partim in oras asperrimas amandatos, sanctissima ac saluberrima instituta inique sublata, aliaque eius generis vix credibilia planeque tetterrima: quae dum patitur eo etiam caret solatio, ut aliquem habeat qui sibi tantis in aerumnis Nostro nomine, vel consilio, vel auctoritate praesto esse possit; illo quoque, ut scitis, e Lusitaniae finibus violenter expulso, cui pronuntius Noster et ipse inde per vim migraturus vices suas agendas commiserat.

2. Verum etsi miserrima haec sunt, et Nobis una cum afflicta Lusitana Ecclesia iure meritoque lamentanda; illa tamen praesertim Nos cogunt uberius lacrymari, quae nedum rerum et personarum sacrarum contemptum, atque iniuriam habent in Sedem apostolicam: sed eo referuntur, ut iura veneranda unius propria potestatis ecclesiasticae invadantur, divina ipsa Ecclesiae labefactetur constitutio, nihilque tam sanctum sit ac religiosum, quod profanis manibus non violatum subversumque relinquatur. Huc profecto spectat illegitima illa novi tribunalis institutio, cuius sit generalem, ut vocant, rerum ecclesiasticarum reformationem inducere; huc beneficiorum etiam parochialium concessiones laicae auctoritatis nomine passim factae, nulla necessitatis ratione habita canonicae institutionis; huc censurae per idem illud tribunal iis nequiter inflictae, qui collata ab laicis iurisdictione ecclesiastica uti recusaverint; huc indictum experimentum ad episcopalem sedem Portugallensem assequendam; huc profana lex, qua ecclesiarum praepositis iniunctum est, ne quem nisi a gubernio probatum, factaque ipsi ab eo facultate, sacros ordines exercere sinant et sacramenta administrare; huc alia illa lex, qua amplissima Ecclesia Olyssiponensis titulo insignis beatae Mariae virginis in coelum Assumptae e patriarchatus honore deiicitur, ad quem eam Ssmus praedecessor Noster Clemens XI, Regi Ioanni V, de christiana republica optime merito gratificaturus evexerat; huc demum illa, qua omnia indiscriminatim coenobia, collegia, hospitia regularium supprimuntur, bonaque eorum nationi adiudicantur: quae quidem lex eo etiam iniquior est acriusque reprehendenda, quod ad incautos decipiendos fallacissimo simulatarum causarum obtentu fuerit obvoluta. Loquimur nempe, venerabiles fratres, de relatione eidem legi praemissa, quae talia habet falso criminoseque dicta, quibus nihil religiosis familiis contumeliosius, nihil magis erroneum, et minime dubiis ecclesiasticae historiae monumentis magis adversum ab homine quovis pessime in religionem et sacra instituta animato proferri potuisse videatur.

3. Porro in tanta tamque atroci rei Catholicae clade, quo simus animo, quantisque premamur angustiis, satis explicare verbis non possumus. Ex anu

enim parte admodum durum Nobis est severe agere, et gravius quidpiam in aliquem decernere; ex altera vero parte statum intuentes religionis, frustra bonis pastoribus contra obnitentibus, iam prorsus in eo ipso regno deformatum, ubi olim pietas, sanctitas disciplinae, devota beati Petri cathedrae fides, et in eius successores observantia in exemplum florebant; eo iam rem adductam intelligimus, ut satis non sit illata Ecclesiae mala deplorare; nisi ad ea penitus tollenda curam omnem operamque impendamus. Absit vero, ut affectio aut ratio aliqua humana magis apud Nos valeat, quam officium; absit, ut proditae Ecclesiae libertatis, desertaeque turpiter Dei et religionis causae crimine arguamur; absit, ut alicuius licet gravissimae dimicationis aut instantis periculi metus ab iis Nos consiliis deterreat, quae et Sanctae huius Sedis dignitati, et Ecclesiae defensioni magis consentanea iudicemus. Immo vero sanctissime profitemur, beatos Nos cum apostolis existimaturos, si quid pati propter iustitiam oportebit. Hac ex alto virtute, ut confidimus, induti, vocem pastoralem rursus tollimus, partesque Nostras apostolica libertate instamus implere. Itaque nedum decreta omnia a praedicto gubernio in religionis, Ecclesiae, ac Sedis Apostolicae iurium et auctoritatis detrimentum prolata iterum reprobamus, damnamus, irrita prorsus et nulla declaramus; sed eos omnes, quorum nomine, opera, aut iussu edita illa fuerunt, gravissime admonemus, ut etiam atque etiam reputent poenas et censuras, quae ab apostolicis constitutionibus sacrorumque conciliorum canonibus maxime Tridentini (Sess. 22, cap. 11) adversus rerum sacrarum praedatores et profanatores, ecclesiasticae potestatis ac libertatis violatores, et Ecclesiae Sanctaeque Sedis iurium usurpatores sunt constitutae.

4. Caeterum nisi post haec ab ausis in ecclesiasticam potestatem atque immunitatem cessetur, damnaque innumera Ecclesiae et orbi Catholico universo exempli pravitate illata reparentur; illud palam edicimus, Nos muneri non defuturos officii Nostri, minimeque dubitaturos, quin severius in tantorum malorum auctores agamus, armisque in eos animadvertamus, quae sacro ministerio Nostro fuerunt divinitus attributa. Utinam vero asperrima animo Nostro his utendi armis necessitas avertatur! Utinam Domini, cuius legatione fungimur vocibus dociles illi praebeant aures, quorum opera tot tantisque oppressa malis ingemiscit Ecclesia, neque expectent dum experiantur, quam iratus ex patre factus iudex in eos insurgat, qui templum sanctum suum ausi sint polluere. Meminerint, ut est praeclare dictum a s. Cypriano, non posse Deum habere patrem, qui Ecclesiam noluerint habere matrem; se autem nihil minus habere, quam Ecclesiam matrem, quae gremium suum tot ipsorum ictibus vulneratum dolenter ostendit. Moveat eos, si quis pietatis sensus reliquus in ipsis sit, parentis moestissimae aspectus, quae tamen adhuc ulnas tendit filios exceptura, quorum una eam potest poenitentia consolari, unae eius vulneribus lacrimae mederi possunt. Nos autem simul, venerabiles fratres, patrem misericordiarum et Deum totius consolationis supplicibus vobis obtestemur, ut illos in viam veritatis et iustitiae, a qua tam longe aberrarunt, dignetur reducere; aut quidquid ipsis iusto sapientiae suae iudicio fieri velit, ut ostendat faciem suam super sanctuarium suum, quod desertum est. Adiuvet patrocinio sua vota haec Nostra beatissimus apostolorum prin-

ceps, ut idem benignissimus Deus, quemadmodum ipsum vinculis mirabiliter solvit, atque ab omni ereptum hostium expectatione liberum dedit abire; cuius rei memoriae sacrum diem celebramus; ita et Nos, licet indignos tantae auctoritatis haeredes, Ecclesiamque suam, nexibus abruptis, quibus nefaria impiorum hominum conspiratione constringimur, eorumque consiliis penitus disiectis, in eam plane vindicet libertatem, qua ipse nos liberavit.

[Acta Greg. XVI, vol. I, p. 445, 446].

490.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Commissum divinitus*, 17 maii 1835.[1]

§ 1. Commissum divinitus humilitati Nostrae apostolici officii munus omnino postulat, ut assidue ad custodiam gregis Domini vigilantes, illuc praesertim studia et cogitationes omnes intendamus, opem quoad possumus allaturi, ubi aeterna ovium salus, ac ipsa catholica religio periclitari videatur. Multa autem inimicos homines callide, neque irrito conatu in istis regionibus moliri, quae in apertam christiani gregis perniciem, reique catholicae detrimentum vergant, nos minime ignoramus atque adeo vehementissime dolemus. Quem quidem dolorem illud etiam exasperat, quod ii, ad incautos decipiendos, haud quaquam se fidei integritati detrahere velle profiteantur, idque unum sibi propositum esse simulent, ut scilicet iurium ad potestatem laicam pertinentium, indemnitati consulant: hoc tamen fallacissimo rationis publicae obtentu erroneas ac pravas, quas sequuntur doctrinas, qua insinuare lateque propagare, qua constabilire et quodammodo sancire enitantur: hinc conventus indicere, consultationes habere, certamque normam audent conflare, qua saecularis potestatis in ecclesiasticis negotiis partes temere declarentur ac definiantur. Intelligitis iam venerabiles fratres, dilecti filii, de iis nos loqui, quae mense ianuario elapsi anni in urbe Bada Pagi Argoviensis nefarie gesta vel potius perpetrata sunt; quaeque vos ipsos acerbissimo confecerunt moerore, anxiosque adhuc et sollicitos habent. Dissimulare quidem non possumus adduci non initio nequivisse, ut crederemus laicos homines non alia mente simul in statum locum convenisse nisi ut res, quae religionem respiciunt, pertractarent, eoque progredi voluisse, ut non solum de pluribus ecclesiasticae unius potestatis propriis iure veluti suo deliberarent, sed suscepta insuper consilia confirmanda, et vi legis munienda, iis offerrent, qui in foederatis istis ditionibus civilium rerum summam administrant. At rem certam nimis exploratamque Nobis fecerunt ipsa memorati conventus acta, quae nuper Gynopedii (Frawenfeld) typis edita sunt, quaeque tum nomina virorum, qui delecti conventui adfuerunt, tum sermones ab nonnullis ex iis in pluribus sessionibus prolatos, tum demum confectos ibidem articulos integre exhibent. Perhorruimus vero sive sermones sive articulos hosce perlegentes, et eiusmodi in iis contineri principia, easque inde in

[1] Ad Episcopos et universum Clerum Helvetiae.

catholicam Ecclesiam induci novitates intelleximus, quae utpote illius doctrinae ac disciplinae repugnantes, aperteque ad perniciem animarum pertinentes, ferri nullo modo possunt.

§ 2. Profecto qui omnia sapientissime fecit, ac providentissima ordinatione disposuit, is voluit ut multo magis in ecclesia sua vigeret ordo et alii quidem praeessent atque imperarent, alii subessent et parerent. Habet propterea Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem non magisterii solum, ut res fidei et morum doceat ac definiat, sacrasque literas absque ullo erroris periculo interpretetur; verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios, in tradita doctrina contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium ac Dei cultum attinent: quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum criminis faciat. Atque haec docendi iubendique potestas in iis quae religionis sunt a Christo Sponsae suae tributa non modo ita eius pastorum ac praesulum propria est, ut ad civilis reipublicae magistratus nullo pacto possit pertinere, sed insuper libera omnino et terrenae cuiquam dominationi minime obnoxia. Neque enim saeculi principibus, bene vero apostolis eorumque in officio successoribus revelatae doctrinae depositum commisit Christus, hisque tantum dixit *qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* Neque ex placito laicae potestatis, sed, ea etiam invita, evangelium annuntiaverunt, ecclesiam propagarunt, disciplinam statuerunt iidem apostoli: quin imo cum principes synagogae silentium ipsis ausi fuissent indicere, Petrus et Ioannes, evangelica usi libertate, responderunt: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate.* Nonnisi igitur laesa fide, planeque perturbata divina Ecclesiae constitutione, naturaque regiminis, fieri potest ut ulla in eam saeculi dominetur potestas, aut eius doctrinam moderetur, vel impediat quominus leges ad sacrum ministerium, divinum cultum, et spirituale fidelium commodum spectantes ferat ac promulget. Firma haec sunt, immobilia et veterum, quoquot fuerunt, patrum auctoritate ac traditione suffulta. *Ne te rebus misceas ecclesiasticis,* ad imperatorem Constantinum scribebat Osius Cordubensis episcopus, *nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* Norunt id etiam ac palam fateri gloriosum sibi duxerunt christiani principes, inter quos magnus ille Basilius imperator ita in octava synodo loquutus est: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere. Hoc investigare et quaerere Patriarcharum, Pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.*

§ 3. Atqui tamen longe aliter in Badensi conventu deliberatum est, quique inde prodierunt articuli sanam de potestate ecclesiastica doctrinam labefactant, Ecclesiamque ipsam in probrosam adducunt iniustamque servitutem:

ea siquidem vel in dogmaticis decretis evulgandis potestatis laicae arbitrio subiicitur, et quas de disciplina tulerit leges, omni vi effectuque carituras edicitur, nisi ex saecularis auctoritatis consensu fuerint promulgatae: addito etiam proposito de poenis adversus eos qui secus fecerint statuendis. Quid? eidem civili potestati libera datur facultas synodorum, quas dioecesanas dicimus, celebrationi singulis vicibus vel annuendi, vel adversandi, in ipsasque synodos inspiciendi; seminariis praesidendi, rationemque interni eorum regiminis a sacris praesulibus statutam confirmandi; clericos, facto scientiae periculo, ecclesiasticis muneribus deputandi; religiosam ac moralem populi institutionem regendi; omnia demum quae externam, ut aiunt, Ecclesiae disciplinam respiciunt, quamquam spiritualis indolis ac naturae sint, atque ad Dei cultum et animarum salutem referantur, moderandi.

§ 4. Nihil vero est quod magis Ecclesiae proprium, eiusque pastoribus arctius reservatum voluerit Christus, quam sacramentorum abs se institutorum dispensatio, cuius quae sit ratio servanda, ad eos solummodo pertinet iudicare, quos ille operis sui administros in terris constituit. Nefas proinde, si in sanctissimo eo munere aliquid sibi civilis potestas vindicet; nefas si circa illud quidpiam statuat, aut sacrorum ministris praecipiat; nefas si quid legibus suis adnitatur adversus regulas de divinis mysteriis christiano populo impertiendis sive scripto consignatas, sive voce traditas et ad nos usque ab Ecclesiae primordiis transmissas. *Nosti,* inquiebat S. Gelasius Praedecessor Noster, in sua ad Anastasium imperatorem epistola, *nosti, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis: inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi potestatem.* Attamen, quod incredibile prorsus ac portenti loco esse videtur, eo usque in Badensi conventu progressum est, ut vel in ipsam sacramenta dispensandi rationem saeculari auctoritati ius et officium fuerit attributum. Huc sane spectant, qui ibidem de magno in Christo et Ecclesia matrimonii sacramento temerario ausu conscripti sunt, articuli: huc favor apertissime decretus mixtis nuptiis contrahendis: huc necessitas parochis catholicis imposita iisdem nuptiis benedicendi, omni religionis inter coniuges discrimine prorsus neglecto; huc demum severae poenarum comminationes adversus eos adhibitae, qui id facere detrectaverint. Quae quidem omnia non ea tantum de causa sunt merito exprobranda, quod civilis potestas de sacramenti divinitus instituti celebratione leges ferat, sacrisque pastoribus tanta in re audeat imperare; sed ex eo etiam acrius sunt reprehendenda, quod absurdissimam impiamque *indifferentismi,* ut vocant, opinionem foveant, immo illi necessario innitantur; ac praeterea catholicae veritati doctrinaeque Ecclesiae manifestissime adversentur, quae mixta connubia tum ob flagitiosam in rebus sacris communionem, tum ob grave catholici coniugis perversionis periculum, pravamque nasciturae sobolis institutionem, detestata perpetuo est semperque interdixit; nec unquam ea ineundi liberam tribuit facultatem, nisi adiectis conditionibus, quae deformitatis et periculi causas ab ipsis arcerent.

§ 5. Quam autem Christus Ecclesiae suae contulit administrandae religionis, christianaeque societatis regendae summam et civili minime obnoxiam potestatem, eam, ut apostolus, ad Ephesios scribens, disertissime docet, in bonum unitatis instituit. At quae esset hac unitas nisi unus toti Ecclesiae fuisset praepositus, qui illam tueretur et custodiret, quique omnia eiusdem Ecclesiae membra una fidei professione coniungeret, uno caritatis et communionis vinculo copularet? Illud omnino divini sapientia legislatoris postulabat ut visibili corpori visibile caput praeficeret, quo scilicet *constituto, schismatis tolleretur occasio.* Quamobrem licet Episcopis omnibus, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, communis sit dignitas, et in his quae sunt ordinis, aequa potestas, non est tamen omnium unus in hierarchia gradus, aut par iurisdictionis amplitudo. *Siquidem et inter beatissimos Apostolos,* verbis utimur S. Leonis Magni, *in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut ceteris praeemineret... quia ita evangelici muneris sacramentum voluit Dominus ad apostolorum officium pertinere, ut in beato Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocarit.* Quod ergo uni ex omnibus apostolis Petro concessit, cum claves Regni Coelorum illi promisit, et agnos ac oves pascendi, confirmandique fratres munus demandavit, id in commodum Ecclesiae suae usque ad consummationem saeculi permansurae patere voluit ad successores Petri, quos aequali iure eidem Ecclesiae praeposuit. Haec semper fuit catholicorum omnium concors et firma sententia; hoc fidei dogma est, Romanum Pontificem beati Petri apostolorum principis successorem primatum non solum honoris sed auctoritatis etiam ac iurisdictionis in universa Ecclesia obtinere, atque adeo ipsos episcopos illi esse subiectos. Sanctae idcirco Petri Sedi, Romanae nempe Ecclesiae, ut idem S. Leo pergit, *ita omnem per orbem Ecclesiam necesse est consociari, et tamquam ad catholicae unitatis et communionis ecclesiasticae centrum concurrere, ut exsortem se mysterii intelligat esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere. Quicumque,* subdit S. Hieronymus, *extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in hac Noe Arca non fuerit, perivit regnante diluvio:* et sicut qui cum Christo non colligit, ita quisquis non colligit cum eius Vicario plane dispergit. Quomodo autem cum Christi Vicario colligat is, qui sacram illius auctoritatem pessumdet, iuraque infringat, quibus propterea ipse potitur quod caput Ecclesiae centrumque unitatis est, quod primatum obtinet ordinis ac iurisdictionis, quod plenam pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam divinitus traditam habet potestatem? At, illacrymantes quidem dicimus, id quoque ausum in Badensi conventu est. Romanus Pontifex tantum, non quilibet episcopus, potest proprio ac nativo iure dies ab Ecclesia festis celebrandis, servandisque ieiuniis constitutos transferre, sacrique audiendi praeceptum abrogare: quemadmodum et in Constitutione *Auctorem fidei,* a Pio VI sa. me. praedecessore Nostro die vigesima octava augusti anni millesimi septingentesimi nonagesimi quarti, edita, fuit adversus Pistorienses aperte definitum.[1] Contraria tamen sunt, quae in Badensibus articu-

[1] Prop. 74, damn. – Cf. N. 475.

lis continentur, quaeque ex eo etiam sunt perniciosiora, quod circa eiusmodi caput, utpote disciplinam attingens ius civili potestati fuerit indiscriminatim assertum atque expresse reservatum. Nec minus Romanis Pontificibus peculiare ius inest, regulares familias ab episcoporum iurisdictione eximendi, sibique subiiciendi: quo iure ab antiquissimis temporibus ut illi certissime sunt. Atqui huic etiam iuri manifestissime detrahunt Badensis conventus articuli. Sane, nec facta mentione veniae ab Apostolica Sede necessario implorandae et obtinendae, statutum est, ut ab saeculari potestate ea suscipiantur consilia, quibus, abolita Coenobiorum quae sunt in Helvetia, exemptione, ordinariae episcoporum auctoritati regulares familiae subdantur. Quibus et illa sunt adiungenda quae de iuribus episcoporum, qua latissime patent, exercendis sancita sunt, quaeque si penitus considerentur et ad principia referantur ex quibus confecti in eodem conventu articuli dimanant, innuere videntur, episcoporum iurisdictionem iustis licet de causis, non posse aut non debere suprema Romani Pontificis auctoritate coerceri, ac quibusdam limitibus quandoque circumscribi. Nec praetereunda quae sive de metropolitanae sedis erectione, sive de nonnullis ex istis dioecesibus alteri cathedrali ecclesiae extra fines Helveticos positae coniungendis, tractata ac proposita sunt. Quamquam enim ea in re Apostolicae Sedis iurium aliqua fuerit habita ratio, non ea tamen haec esse intelligitur, quam vis et natura divini primatus postulabat: ibi namque perinde actum est ac si liberum omnino esset civili potestati de gravissimis iis capitibus, ea, iure suo, constituere, quae spiritualibus populi necessitatibus censeat expedire. Mittimus alia multa, quae taedet singillatim recensere: quae tamen non leviorem inferunt sanctae huic Petri Cathedrae iniuriam, eiusque dignitatem auctoritatemque imminuunt, violant, contemnunt.

§ 6. Haec cum ita sint, in tanta et tam aperta sanae doctrinae iurisque ecclesiastici perturbatione, in tanto et tam gravi rei catholicae in istis regionibus discrimine, Nostrarum partium fuisset, habito vix Badensi conventu, vocem de monte hoc sancto tollere, quique in illo concinnati sunt, articulos palam arguere, reprehendere, damnare. Nec alia profecto de causa Nostrum de ipsorum pravitate iudicium hactenus distulimus, nisi quod futurum sperabamus, ut non modo rati non haberentur, sed reiicerentur prorsus ac improbarentur ab iis, qui civilibus administrandis negotiis istic praesunt. At cum res maxima ex parte ad votum non successerit, quin imo dolentes summopere acceperimus latas alicubi fuisse leges, quibus iidem articuli confirmantur ac publica sanctione muniuntur: cumque magistri et doctoris universalis personam, meritis licet imparibus, gerentes, illud sedulo cavere debeamus, ne quis ex ratione Nostra in errorem misere inducatur, saepiusque memoratos Badensis conventus articulos Ecclesiae doctrinae ac disciplinae minime repugnantes existimet; cunctari et silere diutius non posse probe intelleximus. Ut autem ex Sanctae huius Sedis instituto res gravissimi momenti quam consultissime ageretur, eos ipsos articulos accuratissimo examini subiici voluimus. Auditis itaque consiliis, acceptisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ex Congregationis Ecclesiasticis Negotiis curandis praeposita, nec non re omni per Nos serio

ac mature perpensa, Motu Proprio et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos Badensis conventus articulos ceu continentes assertiones, attenta praesertim sententiarum complexione, falsas, temerarias, erroneas, Sanctae Sedis iuribus derogantes, Ecclesiae regimen ac divinam eius constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium saeculari dominationi subiicientes, ex damnatis principiis dimanantes, haeresim sapientes, schismaticos, reprobamus, damnamus et tamquam reprobatos ac damnatos perpetuo habendos decernimus.

§ 7. Quod quidem dum pro apostolici officii munere palam ducimus significandum, id reliquum esse videtur, ut vos paterno affectu alloquamur, qui in partem illius procurationis estis adsciti, cuius plenitudinem Nobis omnino immerentibus pastorum princeps tradidit. Quantis, venerabiles fratres, tot inter mala quibus catholica ecclesia, miserrimis hisce temporibus, fere ubique oppressa ingemiscit, cor Nostrum prematur angustiis; quantamque potissimum ex iis, quae recens istic in eius perniciem tentata audacissime sunt, ceperimus tristitiam, satis vobis coniicere licet, nec adeo necesse est ut pluribus explicemus. Haud sane dissimulamus dolori Nostro non exiguum levamen attulisse, quae de vestra in catholica re tuenda, gregisque fidei vestrae concrediti salute curanda nuntiata identidem fuerunt. Idcirco Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, qui Nos eiusmodi tribulationi obnoxios consolatur in vobis, benedicimus ex animo. Verum non quod opus esse arbitremur, sed quod periculi gravitas id exposcit, non possumus quin vestri in religionem zeli constantiam excitemus, atque ut quo acriores sunt hostium impetus, eo impensiori studio Dei et Ecclesiae causam agatis, vehementissime adhortemur. Ad vos maxime pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id quod positum est, sanctissimumque fidei depositum intemeratum custodire ac tueri. Sed est et aliud depositum, quod firmissime defendere et integrum servare debetis, sacrarum scilicet Ecclesiae legum, quibus disciplinam suam ipsa constituit, eiusque praeterea ac huius Apostolicae Sedis iurium, quibus Christi Sponsa terribilis ut castrorum acies ordinata consurgit. Agite ergo, venerabiles fratres, pro loco, quem tenetis, pro dignitate qua insigniti estis, pro potestate quam accepistis, pro sacramento quo in solemni inauguratione vos ipsos obligastis. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei; arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina; atque ita demum pro catholica religione, pro divina Ecclesiae potestate ac legibus, pro Petri cathedra, eiusque dignitate ac iuribus laborate atque contendite, *ut non solum qui recti sunt incolumes perseverent, sed etiam ut qui seductione decepti sunt, ab errore revocentur.*

§ 8. Atque ut huiusmodi curis ac laboribus per venerabiles fratres Nostros suscipiendis, optatissimus exitus respondeat, vos etiam compellamus, quotquot sub illis estis sacrorum ministri, animarum curatores, verbi divini praecones. Vestrum omnino est una cum iis voluntate coniungi, uno eodemque studio inflammari, una animorum consensione in id conspirare, ut fidelis populus ab omni ingruentium malorum contagione errorisque periculo sit prorsus immunis. Satagite, dilecti filii, ut omnes unum et idem sentiant, doctrinis variis et peregrinis nullo modo se sinant abduci, profanas novitates devitent,

fidem catholicam quam cautissime teneant, Ecclesiae potestati et auctoritati perpetuo subsint, atque huic Cathedrae, quam Redemptor fortis Iacob posuit in columnam ferream et in murum aeneum adversus religionis hostes, firmius in dies adhaereant et consocientur. Quos autem in Christi et Ecclesiae lege erudiendos susceperitis, illo simul gravissimo praecepto imbuendos curate, seculi etiam potestati esse parendum, latisque ab ipsa legibus de his, quae ad civilis reipublicae bonum spectant, non solum propter iram, sed et propter conscientiam esse obsequendum, nec licere unquam ab fide illi debita turpiter deficere. Cum ita populorum animi fuerint opera vestra instituti, tum optime et civium tranquillitati et Ecclesiae utilitati, quae separari invicem nequeunt, consuletis.

§ 9. Perficiat vota haec Nostra benignissimus Deus, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum; idemque bonorum, quae isti catholici gregis parti cupidissime expectamus, auspicem velit esse apostolicam benedictionem Nostram, quam vobis venerabilibus fratribus et dominis fratribus cum fideli populo communicandam amantissime impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. II, p. 32-36].

491.

Gregorius XVI, ep. *Accepimus*, 8 febr. 1836.[1]

1. Accepimus benevolo plane animo, ven. frater, literas tuas die vigesima decembris proximi ad Nos datas, quibus significasti, supremum pagi Solodurensis consilium articulos Badensis conventus ab hac Apostolica Sede semel et iterum damnatos[2] prorsus reprobasse ac reiecisse. Quantam ex hoc ceperimus laetitiam, satis per te poteris coniicere. Atque eo iucundius inde fuimus, affecti, quo firmius, ex tuo iudicio, sperare licet, eiusmodi exemplo excitatum Bernense gubernium non absimili ratione se fore gesturum. Quod quidem ut et ipse, quantum industria et auctoritate vales, impense cures etiam atque etiam commendamus. Hanc porro occasionem nacti, non possumus, ven. frater, quin alia sane gravissima tractemus.

2. In ea namque expositione quam, post collationes tecum habitas pro componendis dissidiis cum Argoviensi gubernio, publici iuris fecerunt viri ad id per Lucernense consilium deputati, illud additur: factam a te parocho Filisbacensi facultatem proclamandi, dimissa stola, matrimonium inter homines diversae religionis contrahendum, licet pars acatholica alteri coniugi, utcumque divisa ab ipso, foret alligata. Equidem non dissimulamus, ven. frater, persuasum Nobis esse, non omnia, quae tibi in praedicta expositione adiudicantur, ita se habere quemadmodum in ea reservantur, pluraque ex iis alio prorsus sensu a te prolata censere. At cum in epistola, quam die trigesima praeteriti mensis octobris ad memoratos viros per Lucernense

[1] Ad Episcopum Basileensem.
[2] Cf. N. 490.

consilium delectos misisti, quaeque ab ipsis edita est, promptum te paratumque exhibeas ad conventionem ineundam cum iis, qui in pagis intra tuae dioeceseos fines existentibus civiles res administrant, quo scilicet dissidiis inter laicam et ecclesiasticam potestatem omnis in posterum via praecludatur; hinc supervacaneum non erit mentem Nostram circa istiusmodi negotium tibi declarare.

3. Notum itaque fraternitati tuae sit ratam a Nobis haberi non posse facultatem, si forte per te parocho Filisbacensi concessa fuisset, proclamandi matrimonium inter homines diversae religionis, licet pars acatholica alteri coniugi, utcumque divisa ab ipso, foret alligata. Cum enim matrimonium, si semel valide contractum et consummatum fuerit, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, quam synodus Trident. sess. XXIV, can. 7, confirmavit, solvi inter christianos, quoad vinculum, omnino nequeat: non modo illicitum sed et invalidum quoque foret matrimonium, quod catholicus vir aut mulier cum acatholico, altero huius coniuge adhuc sospite, iniret. Nefas autem esse matrimonio illicito atque invalido operam praestare, nemo unus ignorat. Atque id per proclamationes fieri declaravit pluries Apostolica haec Sedes ac praesertim fel. rec. praedecessor Noster Pius VI in suis literis ad card. archiepiscopum Mechliniensem die decima tertia iulii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo datis.[1] Nec vero res inde potest honestari quod parochus stolam dimittat in matrimonio proclamando: natura siquidem actus satis aliunde constituitur per loci, temporis, personae ac finis circumstantias. Mittimus matrimonio superius memorato obstitisse impedimentum mixtae religionis, atque adeo sine venia Sedis Apostolicae et conditionibus, quae ab ea solent praescribi, contrahi nullo pacto potuisse.

4. Habes in his, ven. frater, quae sit super negotiis huiusmodi mens Nostra; a qua te nullatenus discessurum fore confidimus. Atque hac de te ipso fiducia freti apostolicam benedictionem tibi gregique pastorali sollicitudini tuae commisso peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. II, p. 97, 98].

492.

Gregorius XVI, allocut. *Officii memores*, 5 iul. 1839.

Offici memores tuendorum Ecclesiae iurium, quod Nobis, licet immerentibus, divinitus cum supremo pontificatu impositum est, reclamavimus hoc ipso in loco, quarto idus decembris anni millesimi octingentesimi trigesimi septimi,[2] contra vim illatam venerabili fratri Clementi Augusto archiepiscopo Coloniensi, qui scilicet Borussici gubernii iussu, sub custodia militis procul a dilecto grege non aliam ob causam relegatus fuit, nisi quod in mixtarum nuptiarum negotio Ecclesiae catholicae regulas, quae cum ipsa

[1] Cf. N. 471.
[2] Allocut. *Dum intima*. – Cf. Acta Greg. XVI, vol. II, p. 237, 238.

eius doctrina coniunctae sunt, perfringere recusaverat. Rursus deinde idibus septembris anni proximi, apostolicam vocem in consessu vestro attollere coacti fuimus[1] ob alia, quae in eodem Borussiae regno contra iura et libertatem Ecclesiae gesta fuerant, occasione praesertim ven. fratris Martini archiep. Gnesnensis et Posnaniensis, qui in ipsa mixtorum connubiorum causa sacerdotibus suarum dioecesium in memoriam revocaverat catholicam doctrinam, et cohaerentis canonum disciplinae custodiam inculcaverat. Interea vero non praetermisimus agere, prout antea, cum regio guberuio, et missis ad illud per eius administrum seu negotiorum gestorem iteratis expostulationibus, Ecclesiae causam tueri. Sperabamus equidem serenissimum regem melioribus utentem consiliis denique permissurum, ut praedictus Coloniensis archiepiscopus rediret ad ecclesiam suam, atque ut idem ipse, nec non et memoratus archiepiscopus Gnesnensis ac Posnaniensis ceterique catholici antistites illius regni, in omnibus quae religionis sunt, pastorali auctoritate sua, Apostolicae Sedis ductu, libere fruerentur. Sed contra accidit; factum est enim ut ecclesiasticae libertatis oppressio novis subinde actibus urgeretur, et in negotio illo archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis res eo porro devenit, ut idem ven. frater, ob suam in disciplina doctrinaque Ecclesiae catholicae servanda constantiam, a laicis magistratibus, nullum in eiusmodi personam et causam ius habentibus, iudiciali sententia condemnaretur. Decreverunt regii iudices ea de re inde a postremis diebus mensis februarii huius anni; verum reclamare antehac noluimus, quia sententia eadem nondum archiepiscopo denunciata fuerat, atque hinc tota illa causa in suspenso adhuc esse videbatur, Nosque ipsi non satis noveramus quidnam a iudicibus pronunciatum fuisset. Sed facta est tandem ea denunciatio sub finem mensis aprilis, postquam idem archiepiscopus regis literis accersitus, Berolinum se contulisset; ac re subinde evulgata, Nos integram quoque ipsius sententiae vim ex certissimis nuntiis huc allatis rescivimus. Intelleximus scilicet, archiepiscopum trium omnino delictorum apud memoratos iudices accusatum, in illa ipsa sententia liberatum prorsus fuisse, tum a crimine laesae maiestatis, tum a crimine excitati ad seditionem populi; de quo quidem utroque vix credibile est, ut prudentissimus ille ac mansuetus antistes in suspicionem venire potuerit. Ita ex tribus delictis eidem imputatis non aliud supererat, nisi quod in mixtorum connubiorum causa, civiles status Borussici leges (leges nimirum regulis Ecclesiae contrarias) violasse arguebatur. Atque huius delicti nomine iidem iudices archiepiscopum ipsum non modo ad solvendas processus expensas atque ut detineretur per sex menses in munito aliquo castro condemnarunt, sed etiam inhabilem declararunt ad munia et officia quaelibet in regno Borussiae obeunda, et infando praeterea ausu eumdem a pastorali et metropotitano munere deposuerunt. Verba desunt, venerabiles fratres, quibus explicare satis valeamus moerorem acerbissimum, quem ex eius rei cognitione hausimus; sed vobis difficile non erit vim Nostri doloris ex ea, quam ipsi vos experimini, molestia coniicere. Enimvero non agitur tantum de sacra episcopi persona per traductionem ad laicos iudices utcumque violata; verum et causa ob quam iudicatus, et poena quae irrogata illi est, longe graviorem divini Ecclesiae iuris invasionem demonstrat. Nimirum si poenam illam spectetis, archiepiscopus non temporalibus tantum incommodis multatus, sed de suo etiam in utraque dioecesi et circa Culmensem suffraganeam ecclesiam officio depositus legitur, quasi scilicet sacra potestas, quam episcopi a Spiritu Sancto per ministerium Nostrum accipiunt, auctoritate possit saecularis magistratus auferri. Si autem ad poenae causam respiciatis, violatio illa civilium de mixto matrimonio legum, ob quam archiepiscopum condemnare voluerunt, non spectabat ullo modo ad civiles nuptiarum eiusmodi effectus, quos ille minime attigerat, quin et se nihil prorsus de iis edicere velle declaraverat; sed tantum ut gravissimis pastoralis muneris obligationibus satisfaceret; atque adeo iustis compulsus conscientiae stimulis, clerum suae utriusque dioeceseos, datis ad eos literis, allocutus fuerat de sanctitate matrimonii et de religiosis obligationibus catholicorum coniugum, imprimis de prole universa ex divinae legis praescripto ad veram fidem educanda, et de cautionibus ab Ecclesia statutis, ut obligationes eaedem serventur; atque hinc sacerdotes, indicta etiam a sacro ministerio suspensione, graviter admonuerat officii sui, ut catholicis suae quisque paroeciae, eadem illa Dei et Ecclesiae praecepta, opportune inculcarent; et quoties catholicus aliquis matrimonium mixtum absque memoratis cautionibus, in suam scilicet futuraeque prolis spiritualem perniciem, inire nihilominus vellet, ut caverent saltem, sacerdotes ipsi, ne tales nuptias catholico ritu coniungerent, aut illis assensum suum quoquo modo praeberent. Iam vero si catholico antistiti liberum in Borussia non sit tueri sanctitatem matrimonii, quod magnum in Christo et in Ecclesia sacramentum est, nec sacerdotes districte admonere de ratione, quam tenere illos oportet, ut sacrilegum facinus catholicorum illicitas coram Deo et Ecclesia nuptias inire volentium paternis instructionibus et adhortationibus impediant, aut certe ut illorum peccatum suo ipsi facto non approbent; si haec igitur quae (ut repetere iterum iuvat) non civiles ullos matrimonii effectus, sed tantum catholicam hoc in genere doctrinam fidei ac morum, et cohaerentes canonum sanctiones respiciunt, libera episcopis in eodem regno non sint, quae tandem erit libertas illa, quam serenissimus rex catholicae religioni in ditione sua diversis occasionibus repromisit? Haec Nos ut primum cognovimus, statim subiit animum cogitatio gravissimae obligationis, qua violatum adeo hac in causa catholicae religionis Ecclesiaeque sanctae ius defendere obstringimur. Quare post fusas ad Deum supplices preces et rem universam coram eo mature perpensam, nonnullis etiam ex vestro amplissimo ordine sapientibus et prudentibus viris ad deliberationem adhibitis, hodie tandem exequimur, quae ex unanimi eorumdem consilio facienda censuimus. Et primo quidem expostulationes, quas supra memoravimus, a Nobis hoc ipso in loco factas, ac subinde in publicum editas, enixius nunc in frequenti huius diei consessu iterantes, reclamamus pariter contra reliqua omnia, quae sive in causa illa archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis, sive aliis quibusque occasionibus in catholicae religionis detrimentum et contra Ecclesiae Sanctaeque huius Sedis iura, in Borussiae regno quomodolibet gesta sunt. Deinde querimur nominatim ac vehementer expostulamus de

[1] Allocut. *Cuncta provide.* – Cf. Acta Greg. XVI, vol. II, p. 277-279.

sententia illa, qua praedicti laici iudices sacram memorati archiepiscopi personam, in religionis praesertim causa iudicare et ecclesiastica etiam depositionis poena multare ausi sunt; et auctoritate Nostra apostolica declaramus, atque decernimus, eumdem venerabilem fratrem Martinum esse adhuc verum unicumque archiepiscopum ecclesiarum Gnesnae ac Posnaniae, et ex ea sententia, utpote canonico ac divino ipso iure irrita, nullum ius amisisse; atque hinc ab ecclesia quidem Culmensi in iis quae metropolitanae iurisdictionis sunt; in cunctis vero quae ad religionem et episcopalem auctoritatem pertinent, ab utroque grege suarum dioecesium omnimodam illi, prout antea, obedientiam deberi. Immo antistitem ipsum ob suum religionis studium et invictam episcopalis animi constantiam plurimis merito prosequimur laudibus, eique impense gratulamur, quod dignus habitus est *pro nomine Iesu contumeliam pati.* Iam vero mens Nobis erat hanc reclamationem aliquo etiam novo improbationis Nostrae documento confirmare, quod ipsa rei gravitas exposcere videbatur; quum praesertim irritum usque modo cesserint praecedentes aliae expostulationes tum in causa illa Coloniensis archiepiscopi, qui procul adhuc a sede sua detinetur, tum in ipso hoc negocio archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis. Verum ne in festinatione potius ducti quam longanimitate pacatoque consilio usi videamur; et ex iustitia ipsa causae Nostrae adhuc sperantes, ulteriore illa improbantis animi significatione supersedemus. Atque hanc nacti occasionem, profitemur etiam ac palam edicimus, Nos ad ipsam huius diei expostulationem, uti et ad alias, quas antea fecimus, aegre admodum ac reluctante pene animo devenisse, sola scilicet religionis causa et Nostri implendi muneris necessitate compulsos. Itaque nihil optamus magis, quam ut, reditu ad ecclesias suas antistiti utrique permisso, et impedimentis, quibus exercitium ecclesiasticae potestatis constrictum nunc est, tandem in toto Borussiae regno cessantibus, omnis in posterum dissensionis causa tollatur. Et bona equidem, ut supra innuimus, spe sustentamur fore, ut felix huiusmodi eventus diu expectandus non sit. Enimvero si rex serenissimus, excelsa qua est mente, totam rei causam penitius attenderit, facile recognoscet in iis, quae ab utroque archiepiscopo gesta sunt, nihil haberi quod ad religionis negotia non pertineat; ac probe insuper intelliget quam periculosum civili etiam ordini futurum esset, si catholici suae ditionis magno numero inducerentur ad S. Matris Ecclesiae regulas maxime in tam gravi re contemnendas; nam iidem ipsi ad contumaciam assuescentes, subinde maiori admodum facilitate civiles leges violarent. Ceterum ad civilia ipsa negotia quod attinet, et si nemo iam nisi per manifestam iniuriam de mente Nostra dubitare posset, tamen palam rursus hic protestamur et declaramus, nos in solemni hoc actu non aliud habuisse propositum quam religionis Ecclesiaeque iura tueri, non autem ut de rebus civilibus, quae regii iuris sunt, quidquam vel minime attingeremus. Hinc etiam cunctos in Borussico regno Ecclesiae filios apostolica auctoritate admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ut in his quidem quae supra de matrimonio et de consequentibus coniugum obligationibus diximus, ac generatim in omnibus quae ad fidem et mores pertinent, quaeve sacrorum canonum disciplina statuuntur, obedienter adhaereant S. Matri Ecclesiae; neque ullius unquam temporalis emolumenti spe aut detrimenti metu, ab

eiusdem communione et obsequio abduci se sinant; verum aliis in rebus, quae civilis sunt ordinis, obtemperent fideliter iussionibus serenissimi regis, et avertant omnino aures suas a fallaciis turbulentorum hominum seditiosa docentium, atque adeo maiestati suae iuxta Pauli apostoli monitum subditi sint, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ita praeceptis obedient Divini pastorum Principis, qui reddenda docuit, *quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo;* et obmutescere illos facient qui de catholicorum fidelitate apud regiam maiestatem detrahere audeant. Haec sunt, quae in gravissimo quod explicavimus negotio, vobiscum, venerabiles fratres, hunc in locum congregatis communicanda censuimus. De reliquo ne intermittamus, venn. fratres, misericordiarum Patrem in gemitu et lacrymis per merita Iesu Christi suppliciter obsecrare, ut memoratis archiepiscopis, nec non praesulibus ceteris et omni Borussiae clero fidelique populo perseverantem tribuat in voluntate sua famulatum, atque ut serenissimum regem ad praestandam subditis suis plenam catholicae religionis libertatem inclinet; denique ut quae inibi adversus Ecclesiae ius cogitata gestaque sunt, in eiusdem bonum convertat.

[Acta Greg. XVI, vol. II, p. 341-343].

493.

Gregorius XVI, ep. *Dolorem*, 30 nov. 1839.[1]

1. Dolorem, quo iamdiu afficimur ob viros quosdam ecclesiasticos istius regionis amatores novarum rerum, et in salutaris disciplinae subversionem conspirantes, levaverunt aliquantulum, ven. frater, tuae illae literae, quas die decima ianuarii huius anni ad Nos dederas. In his enim, aliis respondens praecedentibus literis Nostris, certiores Nos fecisti pastoralis zeli, quo impedire nitebaris, ne ullum haberent effectum quae iidem illi machinati fuerant, sive in coetu Bondorfiensi, sive in frequentiori conventu, una cum aliis quibusdam vicinarum dioecesium eiusdem indolis clericis Schafusiae habito; atque adeo professus es, te officii tui memorem ita esse animo comparatum, ut velles, si opus foret, vitam ipsam pro Ecclesia et pro animarum salute profundere. Hinc praestolabamur subinde alios a te nuntios, ex quibus pleniorem tuarum curarum exitum cognosceremus. Sed ecce recens alia supervenit acerbissimae molestiae causa, quum perlatum ad Nos fuerit de nonnullis canonicis pluribusque parochis et sacerdotibus, qui pompam acatholicorum novum templum in urbe ista inaugurantium longo agmine prosecuti sunt. Haud sane agebatur, ven. frater, de civili aliqua celebritate, nullo modo ad religionem spectante, in quam catholicus clerus in obsequium principis ac testandae ceteris civilis concordiae causa conveniret. Sed dicata est acatholico cultui amplior aedes, quam protestantes ex demolitione antiqui catholicorum templi magnifico opere construxerunt, ut porro in ea prote-

[1] Venerabili fratri Antonio Ignatio archiepiscopo Friburgensi.

stantium ministri acatholicos ritus splendidius exerceant, et maiore populi frequentia haeresim doceant, catholicam veritatem impugnent; ac proinde tota illa solemnitas pertinuisse conspicitur ad novum erroris triumphum celebrandum. Haec eo minus expectanda Nobis erant, quod te, ven. frater, nosse arbitramur, qualibus olim literis Pius Papa VIII glor. mem. praecessor Noster antistitem reprehenderit decessorem tuum, qui praestantibus eiusdem templi auspicalem lapidem figentibus adstare cum suo clero non recusaverat. Scimus fraternitatem tuam, huic nunc absoluti templi celebritati non adfuisse, nec suspicari nullo modo volumus factum esse tuo iussu, ut tam conspicuus cleri tui numerus ad illam accederet, sed tamen ex iis, quae relata ad Nos sunt, dubitare vix possumus quin aliqui saltem illorum, te antea consulto, id egerint. Omnino autem tuum erat praecavere, ne fieret, aut certe corripere pro tuo munere qui talia egerant, factumque ipsum in reparationem scandali palam improbare. Maximum enim ea ex re scandalum proficisci debuit, quum sacerdotes catholici, acatholicum cultum, peculiari huiusmodi honore, prosequentes, eundem una cum erroribus, quibus innititur, facto ipso approbasse videantur. Profecto non aliud volunt protestantium ministri, nisi ut catholico clero, ad hanc agendi rationem adducto, extenuetur inde in populo fideli, memoria illius dogmatis, quod est de catholicae fidei et unitatis necessitate, ad obtinendam salutem; atque hinc ipsis facilius contingat plures allicere, ut ab angusta semita catholicae veritatis ad latam erroris et perditionis viam misere declinent. Nunc igitur grave tibi non sit, ven. frater, ut in memoriam tuam revocemus quae in libro Apocalypsis (cap. II, vers. 14 et seqq.) scripta leguntur Christi nomine ad Episcopum Pergami. Nam si is reprehensus et poenitentiam agere iussus est, eo quod non obstiterat ita uti debuerat, in dioecesi sua, haereticis Nicolaitis, facile hinc intelliges quid de antistite dicendum sit qui vel catholicum suum clerum ad protestantium pompam solemnemque novi eorum templi dedicationem convenire aut permiserit, aut quemadmodum oportebat non prohibuerit. Haec autem quae pro supremi apostolatus officio ad te scribimus, non ita velimus accipias, quasi indicium aliquod abalienati a te animi Nostri; quum imo diligamus fraternitatem tuam intimo caritatis affectu, et nihil optemus magis quam, ut animum sumas catholico archiepiscopo dignum, vigilesque impensius et labores in omnibus sicut bonus miles Christi Iesu, atque ita de catholica fide ac de gregis salute bene semper merearis, ut cum venerit deinde divinus pastorum Princeps, immarcescibilem percipias gloriae coronam.

2. Iamvero Nostrae eiusdem in te benevolentiae novum documentum habebis in adiuncto heic rescripto Nostrae Poenitentiariae, ex cuius scilicet lectione cognosces quemadmodum a Nobis obsecundatum est tuis precibus, quibus facultatem postulaveras nedum sanandi matrimonia illa quae istic viduatae ecclesiae tempore inter propinquos perperam[1] suspicaris, sed etiam dispensandi ad certum casuum numerum, super proximis propinquitatis gradibus, pro nuptiis in posterum contrahendis. Quam facultatem ut tibi, ven. frater, concederemus, id Nos potissimum induxit, quod memoratis in pre-

[1] Videtur aliquid deesse: forsan verbum *inita*.

cibus indicare visus, facilius inde futurum ut catholicos tuae dioeceseos avertere valeas a nuptiarum foedere in suam ac nasciturae prolis spiritualem perniciem cum acatholicis coniungendo. Ac bonam equidem spe sustentamur fore ut circa mixta eadem connubia sanam doctrinam et custodiam canonum et institutorum Sanctae huius Sedis firmiter tuearis. Praesertim vero si quis vir aut mulier catholica nuptias huiusmodi contrahere velit, non impetrata Ecclesiae venia, aut non adhibitis antea idoneis cautionibus, quibus observatio religiosarum suarum obligationum, ac nominatim educatio catholica omnium filiorum utriusque sexus in tuto ponatur; hoc in casu tuum omnino esse memineris, ut eidem matrimonio totis viribus te opponas, et nihil prorsus vel ipse facias, vel a clero tuo fieri permittas, quo illud probare videamini. Sed plura de his ediximus tum in aliis Nostris literis, maxime autem in literis datis ad archiepiscopos et Episcopos Bavariae,[1] tum etiam in allocutionibus tertia iam vice ad cardinales in consistorio habitis,[2] quae postea in publicum editae sunt.

3. Insuper hanc scribendi ad te occasionem nacti, temperare Nobis non possumus, quin alia quaedam indicemus, quae peculiarem a fraternitate tua vigilantiam exposcunt; scilicet ipsi illi, quos supra memoravimus, presbyteri, novarum rerum studiosi, parvipendere sacros ritus, et laudabiles Ecclesiae consuetudines reprehendere non verentur, ac nihil intentatum relinquunt, quo te, ven. frater, adducant ad novum edendum ritualem librum, qui eorum placitis satisfaciat. Tu igitur officii tui memor, tuere constanter instituta maiorum, nec permittas unquam ut clerus iste recedat ulla ex parte ab iis quae statuta sunt in rituali libro S. Romanae Ecclesiae, aut a ceteris quae addita forsan illis fuerint in alio, si apud vos vigeat, rituali qui antiquus sit et canonica auctoritate approbatus. Confidimus equidem, ven. frater, ut Nostris hisce monitis obedienter attendas; et quoniam aliquid iam hoc in genere immutatum intelleximus, hortamur atque obtestamur te in Domino vehementer, ut inolescentem novitatem coercere atque emendare non differas. Ex ipsa illa, qua nonnulli e tuo clero agitantur novandi libidine, metuendum profecto est, ne in suis etiam ad populum instructionibus, et in pueris ad christianam doctrinam informandis, novum aliquem suspectae notae librum adhibeant. Itaque ad eiusmodi periculum avertendum, cave ne cesses, ven. frater, commendare lectionem catechismi Romani, qui ad parochorum praesertim usum ex Conc. Trid. decreto conscriptus, ac subinde S. Pii V decessoris Nostri iussu editus fuit, et in quo, ut verbis utamur Clementis XIII praecessoris Nostri, encycl. *In dominico agro*, 14 iun. 1761,[3] *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium* habetur.

[1] Cf. N. 484.

[2] Cf. Allocut. *Dum intima*, 10 dec. 1837. - Acta Greg. XIV, vol. II, p. 237, 238. - Allocut. *Cuncta provide*, 13 sept. 1838. - Acta Greg. XVI, vol. II, p. 277-279. - Allocut. *Officii memores*, 5 iul 1839. - Cf. N. 492.

[3] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 134-136.

4. Omni pariter nisu providere te oportet, ut sive in maioribus sive in minoribus puerorum scholis fidei iuventuti nihil tradatur quod veritati catholicae non conveniat. Imprimis vero summae tibi erit curae ut clericorum institutio viris commendetur morum integritate ac sanioris doctrinae laude praestantibus; quorum scilicet opera iunior idem clerus, te iugiter invigilante, ad pietatem et litteras ita informetur, ut sperare merito liceat futuros eo ex numero sacerdotes, qui verbo populis exemploque praeluceant.

5. Ad extremum, nota tibi esse non dubitamus quae de aliis etiam gravissimi momenti rebus scripta fuerunt a Pio VIII fel. rec. decessore Nostro litteris ad archiepiscopum praecessorem tuum et suffraganeos episcopos datis die trigesima iun. millesimo octingentesimo trigesimo, ac fusius postea a Nobis ipsis in aliis ad eosdem litteris die quarta octobris millesimo octingentesimo trigesimo tertio, nec non in pluribus epistolis, quas sive eadem die, sive aliis temporibus dedimus ad ipsum praecessorem tuum speciatim. Nunc igitur dum Nostrae huic ad te epistolae celerem praestolamur responsum, exposcimus simul a fraternitate tua ut de praesenti sacrarum istic rerum statu, in ceteris etiam quae praecedentibus illis litteris significata fuerunt, atque in omnibus universim quae ad divinarum et ecclesiasticarum legum custodiam pertinent, facias Nos certiores.

6. Interea Deum humillime oramus, ut te creditumque fidei tuae gregem, uberrimis augeat suae clementiae donis; quorum auspicem apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, atque illi peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. II, p. 385, 386].

494.

Gregorius XVI, litt. ap. *In supremo*, 3 dec. 1839.

In supremo apostolatus fastigio constituti, et nullis licet suffragantibus meritis gerentes vicem Iesu Christi Dei Filii, qui propter nimiam charitatem suam homo factus, mori etiam pro mundi redemptione dignatus est, ad Nostram pastoralem sollicitudinem pertinere animadvertimus, ut fideles ab inhumano nigritarum seu aliorum quorumcumque hominum mercatu avertere penitus studeamus.

Sane cum primum diffundi coepit Evangelii lux, senserunt alleviari primum apud christianos conditionem suam miseri illi, qui tanto tunc numero, bellorum praesertim occasione, in servitutem durissimam deveniebant. Inspirati enim a Divino Spiritu Apostoli, servos quidem ipsos docebant obedire dominis carnalibus sicut Christo, et facere voluntatem Dei ex animo; dominis vero praecipiebant ut bene erga servos agerent, ut quod iustum est et aequum, eis praestarent ac remitterent minas, scientes quia illorum et ipsorum Dominus et in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.[1] Universim vero cum sincera erga omnes charitas Evangelii lege summopere commendaretur,

[1] Ad Ephes., VI, 5 seqq.; ad Coloss., III, 22 seqq., IV, 1.

et Christus Dominus declarasset habiturum se tamquam factum aut denegatum sibi ipsi, quidquid benignitatis et misericordiae minimis et indigentibus praestitum aut negatum fuisset,[1] facile inde contigit nedum ut christiani servos suos praesertim christianos veluti fratrum loco haberent,[2] sed etiam ut proniores essent ad illos, qui mererentur libertate donandos; quod quidem occasione imprimis paschalium solemnium fieri consuevisse indicat Gregorius Nyssenus.[3] Nec defuerunt qui ardentiore charitate excitati *se ipsos in vincula coniecerunt, ut alios redimerent*, quorum multos se novisse testatur apostolicus vir idemque sanctissimae recordationis praecessor noster Clemens I.[4] Igitur progressu temporis ethnicarum superstitionum caligine plenius dissipata, et rudiorum quoque populorum moribus fidei per charitatem operantis beneficio mitigatis, res eo tandem devenit ut iam a pluribus saeculis nulli apud plurimas christianorum gentes servi habeantur. Verum, dolentes admodum dicimus, fuerunt subinde ex ipso fidelium numero, qui sordidioris lucri cupidine turpiter obcaecati, in dissitis remotisque terris indos, nigritas, miserosve alios in servitutem redigere, seu instituto ampliatoque commercio eorum qui captivi facti ab aliis fuerant, indignum horum facinus iuvare non dubitarent.

Haud sane praetermiserunt plures glor. mem. Romani Pontifices praecessores nostri reprehendere graviter pro suo munere illorum rationem utpote spirituali ipsorum saluti noxiam, et christiano nomini probrosam; ex qua etiam illud consequi pervidebant, ut infidelium gentes ad veram Nostram religionem odio habendam magis magisque obfirmarentur. Quo spectant apostolicae literae Pauli III die vigesima nona maii millesimo quingentesimo trigesimo septimo sub piscatoris annulo datae ad cardinalem archiepiscopum Toletanum, et aliae deinceps eisdem ampliores ab Urbano VIII datae die vigesima secunda apr. millesimo sexcentesimo trigesimo nono ad collectorem iurium Camerae Apostolicae in Portugallia; quibus in litteris ii nominatim gravissime coercentur, qui occidentales Indos *in servitutem redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam, quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari* auderent seu praesumerent.[5] Has memoratorum Pontificum sanctiones confirmavit postmodum et renovavit Benedictus XIV novis Apostolicis Litteris ad Antistites Brasiliae et aliarum quarumdam regionum datis die vigesima decembris millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quibus

[1] Matth., XXV, 35 seqq.

[2] Lactantius, Divin. Institution. Lib. V, c. 16, tom. VI, Bibl. veterum patrum Venetiis a Gallandio edit., pag. 318.

[3] De Resurrect. Domini orat. III, tom. III, pag. 420 operum edit. Parisiensis, anni 1638.

[4] Ad Corinth., ep. I, cap. 55, tom. I, bibl. Gallandii, pag. 35.

[5] *Commissum Nobis.* – Cf. Bull. Rom., tom. 6, II, p. 183, 184.

eumdem in finem ipsorum Praesulum sollicitudinem excitavit.[1] Antea quoque alius his antiquior praecessor Noster Pius II, quum sua aetate Lusitanorum imperium in Guineam nigritarum regionem proferretur, litteras dedit die septima octobris millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo ad Episcopum Rubicensem eo profecturum; in quibus nedum Antistiti ipsi opportunas ad sacrum ministerium inibi cum maiori fructu exercendum facultates impertitus fuit, sed eadem occasione graviter in christianos illos animadvertit, qui neophytos in servitutem abstrahebant.[2] Et nostris etiam temporibus Pius VII eodem quo sui decessores religionis et charitatis spiritu inductus, officia sua apud potentes viros sedulo interposuit, ut nigritarum commercium tandem inter christianos omnino cessaret.

Hae quidem Praedecessorum Nostrorum sanctiones et curae profuerunt, Deo bene iuvante, non parum indis aliisque praedictis a crudelitate invadentium seu mercatorum christianorum cupiditate tutandis, non ita tamen, ut Sancta haec Sedes de pleno suorum in id studiorum exitu laetari posset; quum immo commercium nigritarum, etsi nonnulla ex parte imminutum, adhuc tamen a christianis pluribus exerceatur. Quare nos tantum huiusmodi probrum a cunctis christianorum finibus avertere cupientes, ac re universa, nonnullis etiam venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, mature perpensa, Praedecessorum Nostrorum insistentes vestigiis, auctoritate Apostolica, omnes cuiuscumque conditionis christifideles admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ne quis audeat in posterum vexare aut spoliare suis bonis aut in servitutem redigere, vel aliis talia in eos patrantibus auxilium aut favorem praestare, seu exercere inhumanum illud commercium quo nigritate, tamquam si non homines sed pura putaque animantia forent, in servitutem utcumque redacti, sine ullo discrimine contra iustitiae et humanitatis iura emuntur, venduntur, ac durissimis interdum laboribus exantlandis devoventur, et insuper lucri spe primis nigritarum occupatoribus per commercium idem proposita, dissidia etiam et perpetua quodammodo in illorum regionibus praelia foventur. Enimvero Nos praedicta omnia tamquam christiano nomine prorsus indigna, auctoritate Apostolica reprobamus; eademque auctoritate districte prohibemus atque interdicimus, ne quis ecclesiasticus aut laicus ipsum illud nigritarum commercium veluti licitum sub quovis obtentu aut quaesito colore tueri, aut aliter contra ea quae Nostris hisce Apostolicis literis monuimus praedicare seu quomodolibet publice vel privatim docere praesumat.

Ut autem eaedem hae Nostrae literae omnibus facilius innotescant, etc. [Acta Greg. XVI, vol. II. p. 387, 388].

[1] Cf. N. 321.
[2] Apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad ann. 1462, n. 42.

495.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Probe nostis*, 18 sept. 1840.[1]

1. Probe nostis, venerabiles fratres, quantis undique calamitatibus tristissimo hoc tempore urgeatur, et quam miserandum in modum catholica vexetur Ecclesia; nec ignoratis quanta omnis generis errorum colluvione effrenataque errantium audacia religio sancta oppugnetur, et quali astutia quibusque fraudibus haeretici atque increduli homines connitantur fidelium corda mentesque pervertere. Nostis uno verbo, nullum prope esse laboris ac moliminum genus, quod ad inconcussum sanctae civitatis aedificium ex imis, si fieri posset, sedibus evellendum non insumatur. Enimvero, ut caetera praetereamus, nonne, proh dolor! videre cogimur longe lateque vaferrimos veritatis hostes impune diffundi, eosque nedum religionem irrisionibus, Ecclesiam contumeliis catholicosque insultationibus et contumeliis lacessere, verum et urbes atque oppida invadere, erroris et impietatis scholas instituere, ac venena doctrinarum suarum, pravo etiam scientiarum naturalium recentiumque inventorum usu ad occultiorem fallaciam comparata, typis evulgare; imo et in pauperum penetrare tuguria, rura percurrere et se se in infimae plebis agricolarumque familiaritatem insinuare? Ita scilicet nihil intentatum relinquunt, quo tum vernaculis corruptisque bibliis, tum pestiferis ephemeridibus, aliisque parvae molis libellis, tum captiosis alloquiis, tum simulata charitate, tum denique pecuniarum largitione vel ipsum rudem populum, maxime iuventutem ad suas sectas alliciant, atque ad deserendam inducant catholicam fidem.

2. Facta innuimus, venerabiles fratres, quae non modo vobis comperta sunt, sed quorum testes vos ipsi estis; qui dolentes quidem et pro pastorali officio minime silentes, tolerare cogimini in vestris dioecesibus memoratos haeresum et incredulitatis propagatores procacesque praecones, qui gradientes interdum sub vestimentis ovium, intrinsecus autem lupi rapaces, gregi insidiari eumdemque dilacerare non cessant. Quid plura? Nulla pene iam extat in universo orbe vel barbara regio, ad quam notissimae haereticorum et incredulorum centrales societates, nullis parcentes sumptibus, suos non mittant excursores et emissarios, qui aut per insidias, aut palam coacto agmine ac perfricata fronte, catholicae religioni eiusque pastoribus et ministris indicentes bellum, fideles ab Ecclesiae gremio divellant, eiusque aditum infidelibus intercludant.

3. Coniici hinc facile potest, quantis Nos propterea in angustiis diu noctuque versemur, qui cura totius Christi ovilis et omnium ecclesiarum sollicitudine onerati, divino pastorum Principi de cunctis rationem reddere debemus. Easdem vero communium nobis vobisque molestiarum causas idcirco nostris hisce litteris commemorandas censuimus, venerabiles fratres, ut animo

[1] Ad omnes Patriarchas, etc.

intentius recogitetis, quantum Ecclesiae intersit, sacros antistites universos, geminatis studii iunctisque laboribus atque omni contentione adniti, ut tot frementium religionis hostium reprimantur impetus telaque retundantur, et contra callidas, quibus persaepe utuntur, blanditias praemoneantur munianturque fideles. Quod Nos, ut scitis, praestare quavis opportunitate curavimus, nec desistemus: sicut et vos hactenus praestitisse non ignoramus, et impensiori usque studio praestituros confidimus.

4. Ceterum ut in mediis quoque difficultatibus non deficiamus animo, « cavere nos oportet, venerabiles fratres, ne illas umquam extimescamus, quasi propriis viribus superandas; cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac, si sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans praedicatores evangelii et sacramentorum ministros, *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* et iterum: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis; sed confidite; ego vici mundum.* Quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa ».[1]

5. Divinae autem promissionis fructus, qui numquam in Ecclesiae defuerunt, nec defuturi sunt, quis non videt nostra etiam hac aetate manifestissimos? Iidem profecto evidenter apparent in insuperabili Ecclesiae firmitate inter tot inimicorum aggressiones, in religionis inter tot perturbationes ac pericula dilatatione, et in consolatione, qua propterea *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Dum enim ex parte plorandum Nobis est super iactura quam aliquibus in regionibus passa est et patitur religio catholica, Nobis laetandum est ex alia de crebris triumphis, quos etiam inibi, ob invictam catholicorum Pastorumque constantiam passim reportasse noscitur et reportare: quemadmodum et magno gaudio perfruimur ob felices illius inter tot obstacula mirosque profectus, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, perspiciant oppressiones et vexationes, quibus exagitatur Ecclesia, non raro eius gloriae, ac fidelibus in catholica religione magis magisque confirmandis inservire.

6. Verum ut de apostolicis missionibus loquamur: quam laetandi causam Nobis non praebent et universae Ecclesiae uberes earumdem missionum fructus fideique progressus in America, in Indiis atque in aliis infidelium praesertim terris? Haud enim ignoratis, venerabiles fratres, nostris quoque temporibus late illis in partibus diffundi virorum apostolicorum numerum indefessumque zelum, qui non pecuniarum copia, non armorum apparatu suffulti, sed fidei tantum clypeo muniti, nedum voce et scriptis, privatim et publice *praelia Domini* contra haereses et incredulitatem, et quidem prospero successu *praeliari* non reformidant; verum etiam charitatis ardore incensi nullaque deterriti itinerum asperitate aut gravitate laborum, terra marique conquirunt sedentes in tenebris et umbra mortis, ut eos ad lumen et vitam evocent catholicae religionis. Hinc ad quaecumque discrimina intrepidi per barbarorum sylvas cavernasque magno animo permeant, illosque christiana

[1] Ita iisdem fere verbis S. Leo M. in epistola ad Rusticum Narbonensem.

paulatim suavitate delinitos, ad veram fidem veramque virtutem informant, ac tandem per lavacrum regenerationis a diaboli servitute eripiunt atque in libertatem vindicant filiorum adoptionis Dei.

7. Non possumus autem sine lacrymis tum doloris, immanitatem execrantes persecutorum et carnificum, tum consolationis heroicam suspicientes confessorum fidei constantiam, gloriosa hic commemorare recentium martyrum gesta in remotissimis Orientis plagis, quorum equidem laudes consistoriali haud ita pridem allocutione celebravimus. Fumant adhuc Tunquini et Cocincinae regiones plurium sacrorum antistitum et presbyterorum fideliumque incolarum sanguine, qui christianorum martyrum, quibus prisca praesertim aetas inclaruit, exempla renovantes, impavido in tormentis animo mortem crudelissimam pro Christo in fidei testimonium oppetierunt. Qui itaque praeclarior Ecclesiae ac religionis triumphus; quae maior eam persequentium confusio, quam facto comprobatas videre nostris etiam hisce diebus, divinas perpetuae protectionis et adiutorii promissiones, unde fit quod *nullo*, ut verbis utamur S. Leonis, *crudelitatis genere destrui possit sacramento crucis Christi fundata religio?*[1]

8. Hactenus memorata consolatoria quidem sunt, venerabiles fratres, et gloriosa catholicae religioni; sed et alia non desunt, quae in tantis quibus premitur tribulationibus solantur Ecclesiam: piae nempe Institutiones, quae in bonum religionis et christianae societatis succrescunt, quarum nonnullae adiumento sunt et subsidio sacris ipsis missionibus apostolicis. Sane quis vere catholicus non laetetur omnipotentis Dei providentiam considerans, qui Ecclesiae suae, iuxta promissiones, perpetuo protector assistens, novas pro opportunitate temporum ac locorum aliarumque circumstantiarum in ea suscitat societates, quae sub eiusdem Ecclesiae auctoritate, suo unaquaeque modo in charitatis officia, in instructionem fidelium atque in dilatationem fidei suum coniunctis viribus studium atque operam conferunt?

9. Iucundum inter alias catholico orbi, ipsis stupentibus acatholicis, spectaculum offerunt tot illae ac tam late diffusae piarum foeminarum sodalitates, quae sub regulis S. Vincentii a Paulo, vel probatis aliis institutis consociatae christianarumque virtutum splendore, conspicuae, totas se alacresque devovent aut mulieribus a perditionis via retrahendis, aut puellis ad religionem solidamque pietatem atque ad labores conditionis suae proprios informandis, aut proximorum aerumnis omni ope sublevandis, quin vel naturali sexus infirmitate, vel cuiusvis periculi metu retardentur.

10. Nec minori Nos bonosque omnes gaudio perfundunt alii illi fidelium coetus, qui in multis praesertim illustrioribus civitatibus novi identidem coalescunt; et quorum scopus ac studium est perversis libris vel sua vel aliorum utilia opera, errorum monstris puritatem doctrinae, iniuriis conviciisque christianam opponere mansuetudinem et caritatem.

11. Quid denique, nisi magna cum laude, dicendum de celebri illa societate, quae non solum in catholicis regionibus, sed etiam in acatholicorum et infidelium terris nova semper obtinet incrementa, quaeque fidelibus omnibus

[1] In Natali Apostolorum Petri et Pauli Serm. 82, al. 80.

cuiuscumque conditionis facilem viam modumque aperit, ut de apostolicis missionibus bene mereantur ac de spiritualibus illarum bonis participes et ipsi fiant? Iam intelligitis sermonem hic esse de notissima societate sub titulo *Propagationis Fidei.*

12. Communicatis modo vobiscum, venerabiles fratres, et angoribus quibus ob iacturas conficimur, et consolationibus quibus sustentamur ob catholicae religionis triumphos, restat nunc, ut pariter Vobis communicemus sollicitudinem, quae Nos urget pro maiori societatum tam bene de religione merentium prosperitate. Vos igitur impense hortamur in Domino, ut eas in vestrarum dioecesium finibus fovere, tueri, atque augere studeatis.

13. Imprimis autem vobis summopere commendamus memoratam Societatem *Propagationis Fidei,* quae inde ab anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi urbe, primum instituta mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est. Nec minori profecto commendatione reliquas huiuscemodi Sodalitates prosequimur, quae Vindobonae aut alibi conflatae, diverso licet nomine distinguantur, in idem tamen opus Propagationis Fidei, religiosissimo etiam catholicorum principum favore sustentatum, aequa animorum contentione conspirant. Magnum sane opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis precibus a quolibet sodalium ad Deum effusis sustinetur, augetur, invalescit; quodque apostolicis operariis sustentandis, christianaeque caritatis operibus erga neophytos exercendis, necnon fidelibus ab impetu persecutionum liberandis inductum, bonorum omnium admiratione atque amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari divinae providentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi sponsam lacessunt, nihil illi opportunius contingere poterat, quam ut desiderio propagandae catholicae veritatis Christifideles inflammati iunctis studiis collataque ope omnes Christo lucrifacere conniterentur.

14. Quare Nos in suprema, licet indigni, Ecclesiae specula constituti, nullam praetermisimus opportunitatem, quominus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes et pronam Nostram in tam praeclarum opus voluntatem disertissime testaremur, et fidelium in id caritatem congruis acueremus incitamentis. Et vos igitur, venerabiles fratres, qui in partem vocati estis sollicitudinis Nostrae, sedulo agite, ut tantum illud opus ampliora quotidie penes commissum cuique gregem incrementa accipiat. *Canite tuba in Sion,* paternisque monitis et suasionibus curate, ut qui pientissimae societati nondum sese comites adiunxerunt, illam perlibenter ingrediantur; qui vero eidem sese addixerint, in proposito perseverent.

15. Hoc sane tempus est, « quo per totum mundum saeviente diabolo acies debet christiana confligere »;[1] atque adeo tempus hoc est omni studio providendi, ut plorantibus, orantibus, ac pro fide laborantibus sacerdotibus sancta hac sese coniungant conspiratione fideles. In spem autem firmissimam erigimur fore, ut Deus qui Ecclesiam suam in tanto religionis discrimine et in tam duro ac diuturno cum hostibus certamine omnipotentiae suae dextera sustentare non desinit, fideliumque constantia, caritate ac devotione laetificat, multiplicatis pastorum atque ovium precibus piisque operibus propitiatus eidem tandem optatam tranquillitatem ac pacem misericorditer largiatur.

[1] Ex verbis S. Leonis M., Serm. 49, al. 48, cap. III.

16. Interea vobis, venerabiles fratres, et creditis vestrae curae clericis laicisque fidelibus universis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 83-86].

496.

Gregorius XVI, allocut. *Afflictas,* 1 mart. 1841.

1. Afflictas in Hispania religionis res, et plura contra Ecclesiae ius decreta inibi ac gesta lamentati fuimus in consessu vestro,[1] quinque ante annos, venerabiles fratres; et Nostram illam orationem publici iuris fecimus, ut Matritense gubernium excitare ad saniora consilia conniteremur; aut certe, ut Nostrae super iis quae contigerant, apostolicae improbationis solemne aliquod documentum extaret. Abstinuimus post id temporis a severioribus aliis publicisque expostulationibus; non quod cessatum in Hispania fuerit ab Ecclesia novis iniuriis afficienda, sed videbamus reclamationes venerabilium fratrum eius regni antistitum, bonum identidem aliqua ex parte habuisse exitum; atque ideo Nos pariter Ecclesiae causam, mitioribus quibusque modis, tueri perreximus, ea interim spe sustentati, ut progressu temporis, ex longanimitate hac Nostra, facilior Nobis aperiretur via ad sanandas illic contritiones Israel, sacrasque res, sin minus in splendorem pristinum, ast saltem in satis honestam conditionem restituendas. Sed contra omnino accidit ac Nobis pollicebamur, venerabiles fratres; quum Matritense gubernium post provincias, quae nuper ei non parebant, in suam ditionem receptas, ex pacatiore ipso suarum rerum statu, maiores sumpsisse animos videatur ad sacra ecclesiarum Hispaniae Sanctaeque huius Sedis iura conculcanda. Eo inter alia spectat, quod laicis magistratibus nuper mandatum est, ut caveant, ne suo unquam frustrentur effectu decreta illa, quibus episcopi inde ab anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto prohibiti fuerant, ne quemquam, nisi raris quibusdam in casibus, ad sacros ordines promoverent.[2] Item decretum aliud,[3] quo praecedentes sanctiones de coenobiis virorum pene universis cum suo patrimonio occupandis, ad ea etiam pertinere declarantur, quae in memoratis provinciis modo ad suam dominationem adiectis salva perstiterant. Ac ne ipsis quidem parcitur sacris aedibus: cum alio decreto[4] statutum sit, ut sine mora ad hastam vendantur

[1] Allocut. *Sextus iam,* 1 febr. 1836. - Cf. Acta Greg. XVI, vol. II, p. 93, 94.
[2] Decret. 10 decembris 1840.
[3] 6 et 13 decembris 1840.
[4] 9 decembris 1840.

templa omnia coenobiis adiuncta; iis tantum exceptis in quibus divina adhuc officia celebrentur; quae sane vix in aliquo celebrari possunt, postquam sacrae ipsae aedes, una cum coenobiis, tota sua dote spoliatae sunt. Accessit his decretum novissime editum [1] de lege proximis comitiis proponenda, ut saecularis item clerus, qui iamdiu permagna suorum proventuum parte privatus fuerat, ab omni tandem ecclesiasticorum bonorum possessione deiiciatur, atque una cum religiosis viris ad mercenariam veluti conditionem adductus, precario vivat stipendio, quod ipsis a gubernio promittitur.

2. Ceterum quibus oculis gubernii praesides clerum respiciant, apparuit insuper ex edicto illo, [2] quo haud ita pridem in patriam redire permissi sunt, qui civilis belli occasione exulaverant. Scilicet in eo edicto ecclesiastici homines universim leguntur excepit. Et tamen explorata res est, multos eorum virtute ac sana doctrina spectatos ex Hispaniae finibus per id temporis pulsos fuisse, non quod revera in contentione illa alterius partis causam iuvarent, sed quod Ecclesiae causam contra gubernii ausus strenue tuebantur.

3. Verum, dolentes dicimus, non deest in Hispania parvus quidam sacerdotum numerus, qui benevolentiam sibi a Matritensi gubernio conciliarunt; ii nimirum, qui obliti ordinis officiique sui, conspirare cum illo in oppressionem Ecclesiae non dubitarunt; quive ad nutum gubernii eiusdem, dioeceses regunt, quorum episcopi defuncti sunt, aut exulare coacti. Eo in numero fuit presbyter quidam e metropolitano capitulo Hispalensi, qui iamdiu in Malacensem episcopum a gubernio nominatus fuerat, atque ad eius voluntatem in vicarium capitularem electus. Is porro ob pravas quasdam doctrinas, quae ex publicis suis sermonibus scriptisve innotuerant, cum in gravem venisset suspicionem haereseos, a Malacensi eodem capitulo ad tribunal Hispalensis archiepiscopi delatus est; et primum quidem gubernio ipso ad postulationem eius tribunalis annuente, in urbem Hispalim amandatus. Sed postea cum laicos provinciae iudices appellasset, tantum non modo ab his, sed a supremis gubernii praesidibus iniit gratiam, ut eum a memorato tribunali ecclesiastico sub illatae violentiae ac iurisdictionis non competentis obtentu subtraxerint, atque ad Malacensis ecclesiae regimen restituerint; ea, in decreto in id facto, apposita pene irrisoria clausula, ut praecipue de haeresi causae nihil inde praeiudicatum haberetur. Adversus hanc sacri iuris in doctrinali re immanem adeo violationem reclamavit literis ad gubernium missis die vigesima mensis novembris proximi dilectus filius Ioseph Ramirez de Arellano, nuntiaturae Nostrae Hispaniarum in spiritualibus vicesgerens; quemadmodum et literis aliis datis die quinta et die decima septima mensis eiusdem reclamaverat, tum ob nonnullos iudices tribunalis eiusdem nuntiaturae seu rotae ecclesiasticae, quos laicus urbis magistratus a suo gerendo officio suspenderat; tum ob venerabilem fratrem episcopum Cacerensem et plures ecclesiasticos viros huc illuc vexatos, pulsos aut ab officio deiectos, aliis etiam in eorum locum saecularium magistratuum violentia suffectis; tum ob novam Matriti parochiarum circumscriptionem, quam laica item potestas usurpare

[1] 21 ianuarii 1841.
[2] 30 novembris 1840.

sibi visa fuerat. At vero tantum abfuit, venerabiles fratres, ut gubernium a suscepta ecclesiastici iuris invasione dimoveretur, quin potius iisdem reclamationibus, ac postrema praesertim quae de Hispalensis presbyteri negotio erat, indignatum contra ipsum nuntiaturae Nostrae vicesgerentem desaevire institit. Rem nostis iam plurimis nunciis divulgatam, cuius et documenta extant a gubernio ipso edita; ut satis sit illam hoc loco paucis detestari.

4. Ut primum gubernii praesides novissimam illam reclamationem acceperunt, statim de re universa sententiam rogarunt supremi laicorum tribunalis; idque ipsum vicesgerenti Ramirez renunciantes significarunt, ut interim ab alia quavis cum ipsis communicatione abstineret. Deinceps vero sub decembris finem ex tribunalis consilio decreverunt, ut idem dilectus filius Ioseph Ramirez a vicesgerentis nuntiaturae munere cessaret, cessaretque pariter apostolicum rotae tribunal; insuper ut praedictum supremum laicorum tribunal nova quamcitius consolatione referret de ratione, quam porro teneri oporteat ab Hispanis civibus ad negotia persequenda, de quibus rota illa cognoscebat; nec non ad gratias, quae a nuntiatura concedebantur, posthac pariter obtinendas, quin pro his preces Romam mittere opus sit: denique ut ipse Ramirez quasi gubernii dignitatem iniustis, inobsequentibus, nec permissis sibi reclamationibus offendisset, occupatione multaretur redituum quorumcumque ei aut ab aerario, aut ab Ecclesia obvenientium et statim extra fines Hispaniarum deduceretur. Omnia hinc, ut mandata fuerant, militari manu consummata sunt; ac tota rei series kalendis ianuar. ab ipso, uti diximus, gubernio, in publicum edita bonorum catholicorum animos contristavit.

5. Supervacaneum arbitramur ea hic perstringere, quae contra Ecclesiae ius, perperam affirmata leguntur in sententia illa seu consultatione supremi tribunalis a gubernio approbata. Ex ipsa vero manifestum est, tribunal guberniique praesides in dilectum filium Ramirez eo consilio severius egisse, ut alios a similibus reclamationibus deterrerent. Atque hinc probe perspicitis, venerabiles fratres, qualis futura sit Ecclesiae conditio in Hispaniae regno, si ne literis quidem ad gubernium datis liberum fuerit contra ea reclamare, quae adversus Ecclesiae ius a laica ipsa potestate perpetrantur. Vae autem Nobis, si in tanta inibi commotione sacrarum rerum et oppressione ecclesiasticae libertatis non opponamus murum pro domo Israel, sed gemitus Nostros intra secretae expostulationis limites ulterius contineamus. Urget Nos etiam studium quo tenemur, paternae caritatis erga catholicam Hispanorum gentem de Ecclesia et de Sancta hac Sede bene admodum meritam, quam ex memorata rerum ecclesiasticarum perturbatione in religionis periculum adductam conspicimus.

6. Igitur attollimus iterum in hoc consessu vestro apostolicam vocem, venerabiles fratres, et testes invocando coelum et terram, de omnibus quae in Hispania contra Ecclesiae ius gesta sunt, hodieque geruntur, etiam atque etiam vehementer expostulamus. Querimur nominatim de usurpato a laicis qualicumque iudicio in rebus quomodolibet respicientibus fidei doctrinam, quam ex mandato Christi Iesu Domini dominorum et Regis regum, et potestate saeculi frustra contradicente, ipso apostolorum aevo in Hispaniis

annuntiatam postmodum sacri pastores inibi sub auctoritate ac ductu Apostolicae huius Sedis dilatarunt ulterius strenueque in magna publicarum rerum varietate tutati sunt, atque ad Nostra haec tempora incorruptam custodierunt. Querimur violatam supremi Nostri apostolatus dignitatem in persona vicesgerentis nuntiaturae Nostrae, necnon in tribunali rotae illic Sanctae huius Sedis indulgentia constituto, ecclesiasticis causis, in quibus ad Sedem ipsam appellatum fuerit, cognoscendis: quarum quidem appellationum ius suo primatui cohaerens Romanus Pontifex vel primis Ecclesiae saeculis in Hispania exercuit,[1] quarum etiam cognitionem legatis suis in Hispaniam euntibus identidem in peculiaribus causis delegavit.[2] Querimur de pluribus venn. fratribus a suo cuiusque grege divulsis, in quo eos Spiritus Sanctus posuerat episcopos regere Ecclesiam Dei, ac de illorum vicariis a demandata sibi procuratione saepius prohibitis; nec non de canonicis vacantium ecclesiarum temere inductis, aut aperta etiam vi adactis, ut munus vicarii capitularis viro a gubernio in episcopum nominato deferrent, contra sanctiones concilii Lugdunensis II,[3] aliis subinde constitutionibus, et recenti memoria notissimis Pii VII decessoris Nostri literis[4] confirmatas. Querimur religiosos viros e coenobiis depulsos, in quae evangelicae perfectionis consilia sequuturi sese receperant; et saecularem pariter clerum multimodis afflictum, in rebus quoque ad sacrum munus suum pertinentibus divexatum. Querimur Ecclesiae patrimonium maxima iam ex parte usurpatum; perinde ac si pertinuerit illud ad publicam nationis potestatem, et immaculata Christi Sponsa non habeat ex nativo iure suo facultatem acquirendi possidendique bona temporalia; atque adeo uti invasores alieni iuris reprehendendi fuerint maiores Nostri, qui bona eiusmodi sub ethnicis etiam principibus possederunt, et ubi decretis ab his editis ablata Ecclesiae fuerant, illorum restitutionem tamquam ex iustitiae lege sibi debitam a succedentibus imperatoribus acceperunt.[5] Querimur decreta actusque ceteros, quibus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta[6] contemnitur; et infando ausu impetitur sacra potestas ad religionis negotia pertinens, quam Ecclesia a divino suo conditore plenam accepit, et in media etiam saecularium principum contradictione libero prorsus iure exercendam. Querimur templa Domini Sabaoth,

[1] Ita S. Stephanus PP. appellationem suscepit Basilidis Asturicensis et Martialis Emeritensis de qua S. Cyprianus epist. 68 iuxta edit. Balutii et Maurin.

[2] Ita in causa presbyteri cuiusdam et duorum episcoporum, de qua extat S. Gregorii Magni epist. 45, libri 13 ad Ioannem defensorem.

[3] C. 5, *de electione et electi potestate*, I, 6, in VI.

[4] 5 novembris 1810 ad cardinalem Maury, 2 decembris 1810 ad Averardum Corboli, ecclesiae Florentinae vicarium capitularem, et 18 decembris 1810 ad Paulum d'Astros, vicarium capitularem ecclesiae Parisiensis.

[5] Ex constitutione imperatoris Constantini apud Eusebium lib. 10, H. E., cap. 5 et apud Lactantium seu Lucium Caecilium de Mortib. persec. cap. 48. Vide etiam constitutionem eiusdem Constantini apud Eusebium de vita Constantini, lib. 2, cap. 39.

[6] Concilium Tridentin., sess. 25, c. 20, de Reform.

sanctorum imagines, supellectilem, ornamenta et sacratiora ipsa tremendi sacrificii instrumenta, in profanum usum conversa. Querimur denique nefarios libros huc illuc in catholico regno magistratibus haud semper ignaris disseminatos, et ipsos interdum haereticae pravitatis magistros, a simplicium fide corrumpenda non interdictos; atque hinc crescente improborum licentia, functiones divini cultus nonnunquam derisione, tumultu, blasphemiis et sacerdotum caedibus impune foedatos.

7. Iuxta haec igitur pro sollicitudine omnium ecclesiarum, qua Deo auctore distringimur, omnia et singula, quae sive in his, sive aliis in rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus a Matritensi gubernio, seu ab inferioribus quibusque magistratibus, decreta, gesta, seu quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra apostolica, reprobamus, et decreta ipsa cum omnibus inde consecutis, eadem auctoritate, cassamus, abrogamus, et irrita prorsus nulliusque roboris fuisse ac fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores, qui filiorum Ecclesiae catholicae nomine gloriantur, obtestamur atque obsecramus in Domino, ut aperiant tandem aliquando oculos super vulnera eidem beneficentissimae Matri illata; insuper et meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas apostolicae constitutionis et oecumenicorum conciliorum decreta contra invasores iurium Ecclesiae facto ipso incurrendas infligunt, atque adeo misereantur suae quisque animae huiusmodi *vinculis invisibilibus constrictae,*[1] ac recogitantes *quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet,*[2] *serio considerent summum futuri eiusdem iudicii praeiudicium esse, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnes sancti commercii relegetur.*[3]

8. Interea venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Hispaniarum vehementer in Domino gratulamur pastorale studium, quo sive permanerent in suis dioecesibus, sive inde discedere compulsi, omnes ferme sollicitam dedere operam tuendae, quoad per eos fieri potuit, Ecclesiae causae, nec destiterunt seu voce seu literis, tum per seipsos tum saltem per alios admonere gregem officii sui, eumdemque adversus circumstantia religionis pericula praemunire. Debito etiam laudum praeconio prosequimur reliquum fidelem clerum, quod labores in id suos conferre pro viribus non praetermiserit. Collaudamus pariter catholicum ipsum populum, cuius pars longe maxima in veteri sua erga episcopos et inferiores pastores canonice institutos reverentia perseverat. Hinc vero firmiorem erigimur in spem fore, ut dives in misericordia Dominus nuper vineam illam suam propitiatus respiciat. Vos interim pergite ut certe facitis, venn. fratres, una Nobiscum assiduas pro illis orationes et supplicationes Deo per Iesum Christum offerre, atque invocare clementissimum interventum Immaculatae Deiparae Virginis Hispaniarum patronae, nec non beatos Coelites, qui in ea regione vixerunt, ut quemadmodum ipsi olim virtute, doctrina, laboribus aut fuso etiam in

[1] Ex S. Gregorio Nysseno in oratione adversus eos qui castigat. aegre fuerunt, tom. 3, opp. edit. Morelli, pag. 314.

[2] Sapientiae, VII, 6.

[3] Ex Tertulliano, Apologetici, cap. 39.

fidei testimonium sanguine, patriam illam suam sanctificarunt et illustrarunt, ita nunc praesidio adsint et pia ad Dominum deprecatione implorent popularibus suis misericordiam et gratiam in auxilio opportuno, et omnes quibus premuntur, calamitates et pericula potenter avertant.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 109-112].

497.

Gregorius XVI, litt. ap. *Quas vestro*, 30 apr. 1841.[1]

1. Quas vestro et communi istius Regni Antistitum nomine ad Nos per ven. Fratrem Iosephum Episcopum Csanadiensem misistis, obsequentissimae literae partim moeroris, partim laetitiae causa Nobis extiterunt. Et sane, cum pro Apostolici muneris officio sacrae doctrinae et disciplinae integritati cavere studiosissime debeamus, non possumus non moleste ferre quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV in Encyclicis Literis ad Poloniae Regni Episcopos,[2] atque in celebratissimo opere quod de *Synodo Dioecesana* inscriptum est. Quod si alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur, id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas; quemadmodum in data ad Archiep. Moguntinum die 8 Octobris 1803 epistola fel. rec. Pius VII, Decessoris sui ad Episcopos Vratislaviensem, Rosnaviensem, Scepusiensem responsiones commemorans, sapienter animadvertit.[3]

2. Hinc etiam accidit, ut, si aliquid de canonum severitate remittens haec Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis, aegreque admodum fecerit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex his coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa divina et naturali lege fundantur,

[1] Venerabilibus fratribus praesulibus Hungariae.
[2] Cf. N. 387.
[3] Cf. N. 477.

in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit.

3. Iam vero ex praedictis vestris literis comperimus, per istius Regni dioeceses abusum communiter inolevisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea intelligitis, Vener. Fratres, quam graviter exinde affici debuerimus, maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceremus omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimi illius Regni fines, quod antea catholicae fidei gloria tantopere praestabat. Nec sane dissimulamus, Nos sanctissimi, quo fungimur, muneris partes minime fuisse praetermissuros, si scilicet res pridem innotuisset. Hanc autem silentii Nostri causam ex eo etiam vobis pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias isthic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis, quae ex Sanctae huius Sedis instituto servari consueverunt.

4. Inter haec tamen non parum solatii Nobis allatum est, quod uno tempore de ingruenti malo certiores facti, didicerimus pariter adhibita per vos collegasque vestros studia ad illud opportune medendum. Et superabundavit quidem gaudio cor Nostrum, cum noverimus, quo coniunctim zelo inflammemini, ut catholicae fidei puritas illaesa usque permaneat; quaque unanimiter hanc Apostolicam Sedem, veritatis ducem et magistram, observantia ac devotione prosequamini, ad illius nutum crediti vobis pastoralis officii rationem sedulo dirigentes. Ubi enim docti Nostris in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, perpendistis, praxim, quae isthic invaluerat, Ecclesiae principiis ac legibus penitus adversari, ac proinde sine gravi periculo tolerari per vos diutius non posse: minime dubitastis communi consilio atque opera eidem tollendae, ut par erat, insistere, parati etiam fortiter sustinere pericula, si quae forent, pro aeterna vestra gregisque salute obeunda. Ad Nostram autem laetitiam complendam accesserunt uberes fructus, qui ex vestris curis illico dimanarunt. Neque etiam ignoramus, quam fideliter parochi, et reliquus clerus vestris ea de re monitis praeceptisque fuerint obsequuti, ita ut, illegitima consuetudine iam passim sublata, primaevae Sacrorum Canonum disciplinae consultum sit. Itaque gratulamur Vobis maiorem in modum, vener. fratres, et gratias agentes Deo, qui vosmetipsos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine induit ex alto, hortari ac vehementius etiam excitare non desistimus, ut pari firmitate atque constantia pergatis catholicae Ecclesiae causam propugnare, ne pravus usus uspiam reviviscat, et si quod adhuc superest, illius germen funditus eradicetur.

5. Interim vero non potuimus non attente respicere ad ea omnia, quae in memoratis vestris literis addebatis, exponentes nimirum gravissimas circumstantiarum difficultates, unde permoti ac propemodum coacti tolerandum censuistis, ut siquando catholicus vir aut mulier, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris Pastoribus, in contrahendis mixtis ma-

trimoniis citra necessarias cautiones sententia persistat, nec aliunde res absque maiori catholicae religionis discrimine valeat impediri: tum parochi matrimonio ipsi passive tantum intersint, ab omni religioso ritu et a quovis approbationis indicio prorsus abstinendo. Qua quidem providentiae forma, dum propositum Vobis erat praesenti necessitati prudenter occurrere, arduum huiusmodi negotium ad Nos quamprimum deferendum statuistis, assensum in id Nostrum impetraturi, quem ex urgenti causarum concursu praesumi tunc quodammodo posse arbitrabamini. Et reapse Nos, qui, ceteroquin sanctissimis catholicae doctrinae institutis integre retinendis iugiter intenti, nequaquam omittimus calamitosis istarum regionum circumstantiis, ortisque inde vestris angustiis pro tradita Nobis potestate subvenire, quin susceptam per vos consilii rationem improbemus, petitioni vestrae ducimus indulgendum. Idque facimus congruenter ad ea, quae et Nos ipsi, Praedecessorum Nostrorum exemplo, circa aliarum ditionum loca haud ita pridem tolerantes admisimus; et iam ante alter illorum, sanctae nempe memoriae Pius VI pro aliqua ipsiusmet Hungarici Regni dioecesi pluries declaraverat. Is namque in responsione, quam tum an. 1782 Vindobonae degens, tum subsequenti post suum in Urbem reditum dandam mandavit Episcopo Scepusiensi, quamque huius successori an. 1795 iterari iussit, ita de mixtis connubiis in iis temporum adiunctis agens mentem suam aperuit: « Quaecumque scilicet de hac re « latae essent leges, oportere, ut Episcopus et parochi studiose et prudenter « curent, ne huiusmodi matrimonia fiant, et, si contrahantur, ut proles uni« versa in catholica religione educetur: quoties vero, ipsis invitis, secus fuerit « factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertienda, eorumque « praesentia, si necessitas urgeat, sit tantummodo materialis, neque actibus « et declarationibus coniungatur, quae confirment vel adprobent prolem aliter « quam in religione catholica posse educari ».

6. Si quidem igitur, Venerabiles Fratres, in regni istius dioecesibus ex temporum, locorum, ac personarum conditione quandoque contingat, ut matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo, in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque (verbis utimur gloriosae memoriae Pii VII in supranunciata epistola ad Archiepiscopum Moguntinum) in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur: tunc parochus catholicus aliusve sacerdos eius vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri *testis*, ut aiunt, *qualificati* seu *auctorizabilis*, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

7. His tamen in circumstantiis, uti idem Decessor Noster apposite commendabat, haud impari, imo maiori etiam conatu et studio per Episcopos et parochos elaborandum est, ut a catholica parte perversionis periculum quoad fieri poterit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori modo fas erit, cautum sit, atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

8. Ceterum intime dolentes, quod haec tolerantiae ratio erga Regnum, professione catholicae religionis insigne, fuerit ineunda, sincerissime coram Deo profitemur, Nos ad ipsam unica de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obveniant. Idcirco vos, Venerabiles Fratres, cunctosque collegas vestros per viscera Iesu Christi, cuius personam, immerentes utique, gerimus in terris, tota animi contentione obtestamur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeatis, quod implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censueritis respondere. Atque illud una simul satagite, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos fiat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae, qua sancta mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. His vestrum aliorumque sodalium antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges, ad connubia eadem pertinentes, commemorare, accuratamque earum custodiam iniungere. Haec omnia ex spectata vestra religione, fide et in hanc b. Petri Cathedram reverentia, Nobis certissime pollicentes, caelestis auxilii auspicem et paternae Nostrae caritatis testem apostolicam benedictionem vobis universisque collegis vestris, cum proprio cuiusque grege communicandam, peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 122-124].

498.

Gregorius XVI, ep. *Dudum*, 22 aug. 1841. [1]

1. Dudum Nos sollicitos habent, quae istic contra Ecclesiae ius atque in tuam, ven. frater, tuaeque dignitatis iniuriam gesta comperimus. Quae quidem eo acerbiora cordi Nostro acciderunt, quod in sacrae rei detrimentum conspirasse intelleximus, nonnullos e catholico populo, qui ob munia sibi demandata antecellere aliis in officio debuissent. Scilicet laici quidam viri, cum non aliud unquam ius habuerint, quam quod ex concessione antistitis ad ecclesiae aedituos pertineret, insurgere ausi sunt adversus auctoritatem tuam, et decretum contemnere a te postea editum, de pecuniis ob sacramentorum administrationem non exigendis; atque adeo contra sanctiones canonum, immo contra ipsam Christi Domini ordinationem usurpare sibi rerum divinarum regimen contenderunt. Qui enim cum Nostram Propagandae Fidei congregationem contra te frustra sollicitassent, huius quoque auctoritate contempta, non sunt veriti appellare per summum nefas ad laicos eosdemque

[1] Venerabili fratri Henrico episcopo Heliopolitano Gibraltariae vicario apostolico.

acatholicos magistratus; quorum porro interventu, tu ipse, ven. frater, in carcerem coniectus fuisti, et ad initia usque mensis proximi ibidem detentus.

2. Haec cum ita contigerint, illud sollicitudini omnium ecclesiarum et supremo, quo fungimur, apostolatus officio Nos debere sentimus, ut e fastigio S. huius Sedis vocem attollentes, illatam sacro ordini ac rei catholicae contumeliam, Nostris hisce literis, palam reclamemus. Quare auctoritate Nostra apostolica solemniter declaramus, memoratos aedituos violasse et conculcasse libertatem sacrae potestatis, et in sanctissima eius iura invasisse. Itaque illos utpote manifestae reos audaciae, dignissimos se exhibuisse decernimus, in quos ad canonum normam graviter animadvertatur. Interim admonemus ipsos atque obtestamur in Domino, ut meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quae apostolicis constitutionibus et conciliorum oecumenicorum decretis in omnes, qui talia audent, statutae ita sunt, ut facto ipso contrahantur. Et quoniam eius in terris vicem gerimus qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil equidem optamus magis, quam ut iidem peccatum suum detestantes, ad obsequium et obedientiam fraternitatis tuae sincero animo redeant.

3. Iam vero ad eorum munus quod attinet, neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate episcopi, nihilque ab aedituis ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab antistite demandatum. Quod vero pertinet ad sacramentorum administrationem, erit tibi curae, ut fideles, qui sub te sunt, sedulo admoneas, divina eiusmodi munera nullam omnino temporalis pretii aestimationem recipere; sed a Dei ministris, qui ea gratis acceperunt, gratis pariter esse dispensanda: nec posse istic ullam ad tramites canonum (cap. *Ad apostolicam*, 42, de simonia) probabilem consuetudinem obtendi, ad pecuniae quidpiam alicuius sacramenti occasione, alio titulo postulandum, quando id a te atque a congregatione Propagandae Fidei ex accepta a Nobis potestate, ad tuendam sacramentorum sanctitatem iure meritoque vetitum est.

4. Ceterum ea Nos cogitatio consolatur, quod sub inclyto gubernio serenissimae ac potentissimae Anglorum reginae haud certe metuendum est, ne ulterior tibi molestia inferatur, frausque fiat sancitae iamdiu Ultraiectino foedere catholicae religionis apud vos libertati: quum praesertim in florentissimo etiam Britannico regno pro aequitate maiestatis suae catholici eorumque antistites libero sanctissimae Nostrae religionis exercitio fruantur.

5. Denique, ven. frater, tuam istam vigilantiam, zelum et eximiam animi firmitatem meritissimis laudibus honestamus, hortamurque in Domino, ut posthac pariter religionis causam non minori sedulitate constantiaque sustinere pergas. Nos autem, licet indigni, non desistimus Deo per Iesum Christum humillime supplicare, ut adsit tibi semper propitius in abundantia gratiae, atque in parte ista suae vineae, tuis rigata sudoribus, adaugeat iustitiae fruges et tranquilla omnia faciat. Ac Nostrae in te et fidelem, cui praees, clerum et populum studiosissimae caritatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam tibi, ven. frater, atque illis peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 169, 170].

499.

Gregorius XVI, ep. *Officium*, 16 febr. 1842.[1]

Officium perlibenter accepimus, quod natalitiis sollemniis recurrentibus, novoque exordiente anno, tuae ad Nos literae detulerunt. Grati autem piis votis, quae pro incolumitate Nostra, prosperoque apostolicae Nostrae sollicitudinis cursu suscepisti, et Nos vicissim oramus atque obsecramus Dominum, ut te, venerabilis frater, uberioribus cumulet caelestis gratiae donis, quae in traditas quoque curae tuae oves copiosa descendat. Aequi autem bonique facias, ven. frater, si ut Nostro satisfaciamus muneri, hac ipsa familiari epistola graviter querimur de iis, quae in tua dioecesi acta sunt, cum nuper acatholica princeps serenissima regina vidua ab hominibus demigravit. Aequum sane erat ut Bavari defunctam reginam civilibus, eiusque dignitati congruis honoribus prosequerentur. Sed Nobis sermo hic est de catholicis ritibus in eius funere adhibitis: habemusque ob oculos tuas literas, quas die decima nona novembris ea de re ad parochos dederas. Vix autem possumus explicare verbis, quantum concepimus animo dolorem cum ex earundem lectione cognosceremus, iussisse te, ut publicae illae supplicationes, *quae pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis*,[2] institutae ab Ecclesia sunt, haberentur istic pro muliere principe quae in haeresi, ut manifestissime vixerat, ita et diem obiit supremum. Nec quidquam ad id refert, si potuerit eadem in extremis vitae momentis, occulto Dei miserantis beneficio, illuminari ad poenitentiam. Etenim secretiora haec divinae gratiae mysteria ad exterius ecclesiasticae potestatis iudicium minime pertinent: atque hinc veteri iuxta[3] ac nova[4] Ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines, in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur. Atqui satis tibi non fuit catholicos ritus hac occasione praescribere; sed iussisti etiam ut in funebri defunctae laudatione sacer orator eam commendaret speciatim piis fidelium precibus, ac vetuisti ne quidquam porro adiiceret ad differentiam inter illud funus et catholicorum funera explicandam. Immo in tuarum literarum exordio non es veritus de illius morte ita loqui, ut ipsam a Deo evocatam diceres ex hoc saeculo in vitam aeternam. Non videmus equidem quo-

[1] Venerabili fratri Petro episcopo Augustano (Augustam Vindelicorum).

[2] Ex Augustino, lib. de cura pro mortuis, cap. 4, seu n. 6 (tom. VI, edit. Maurin.).

[3] V. Greg. III in cap. 3, epist. I ad Bonifacium Germanorum apostolum (apud Gratianum can. *Pro obeuntibus* 21, C. XIII, q. 2); accuratius autem apud Hartzheim, Concilior. Germaniae, tom. I, pag. 39; cap. *Sicut* 8, de Hereticis, ex conc. Later. III, Alexand. IV, cap. 2, eod. tit. in sexto.

[4] Martinus V cum Concilio Constantiensi in constitutione *Inter cunctas*, 22 februarii 1418, vers. *et si tales*, tom. V, Concilior. German., pag. 82 (Cf. N. 43, § 8) Synodus Augustana anni 1567, part. 3, cap. 15, tom. VII, Concil. Germ., pag. 195 concilium Salisbungense an. 1569, const. 51, cap. 9 (ibidem, pag. 358); Rituale Rom., tit. *de Exequiis*, cap. 2, n. 2.

modo id a te fidenter adeo nullaque adiuncta declaratione affirmatum componi possit cum catholico dogmate de necessitate verae catholicae fidei ad obtinendam salutem; cum eo, inquimus, dogmate, quod inter praecipuos articulos in formulas professionis fidei relatum [1] Nos quoque in encyclica epistola ad Bavariae antistites tuendum commendavimus [2] tanquam antidotum contra grassantem indifferentismi pestem, hoc praesertim tempore necessarium. Haec non ideo scribimus, ven. frater, quasi eamdem Ecclesiae doctrinam ignorari a te vel minimum suspicemur; sed episcopum, ut probe nosti, ea semper et loqui et iubere et agere opus est, quae gregi suo in aedificationem futura sint non in destructionem.

Plane autem non dubitamus, quin hac adhortatione Nostra excitatus, scandalum, quod fidelibus ex tua epistola et funere illo obvenit, idoneis deinde occasionibus, prout res retulerit, et prudentia suggesserit, reparare adnitaris; tuasque fideles oves pro loco ac tempore opportunis modis praemunire non negligas adversus inanem fallaciam magistrorum auribus prurientium, qui hominem a vera fide et unitate catholica alienum, ad aeternam vitam, etsi ita obierit, pervenire posse commiscuntur. Hunc in finem, atque ad pericula similium funerum deinceps avertendum, erit quoque tui muneris, ut Nostram hanc epistolam caute deponas in tabulario tuo episcopali, atque ibidem asservandam cures in memoriam posteritatis. Praestolamur ex animo occasionem aliquam ut te, ven. frater, iucundioribus literis loquamur. Interim cave, ne dubites de Nostra in te ardentissima caritate; cuius immo non aliud nunc praebere potuimus luculentius documentum, quam ut Nostra de facto illo tuo significata sententia hortaremur, te ad pastorale munus in salutem tuam gregisque tui, maiori in dies cautione ac sedulitate gerendum. Denique Nostrae eiusdem in te benevolentiae pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, et cum vere omnis prosperitatis voto coniunctam tipi ipsi, ven. frater, et omnibus quibus praees, clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 194, 200].

500.

Gregorius XVI, ep. *Litteras accepimus*, 9 iul. 1842. [3]

Litteras accepimus, quibus, dilecte fili, certiores Nos facis, in coenobio isto regia dudum pietate instaurato servari fideliter, quoad fieri potest, constitutiones congregationis Benedictino-Bavaricae, approbatas ab Innocentio XI

[1] V. Professionem Fidei, qua Latinae Ecclesiae utuntur (Cf. N. 108); nec non eam qua utuntur Graeci Catholici ex formula praescripta a Gregorio XIII (constit. *Sanctissimus* 51, Bullarii Rom., nov. edit., tom. IV, part. 3, p. 312. - Cf. N. 146); eam denique qua utuntur alii Catholici Orientales ex constit. Urbani VIII (ap. Bened. XIV, constit. *Nuper* 78, Bullar. eiusd. Pontif., tom. 1. - Cf. N. 335).

[2] Haec epistola ad archiepiscopos et episcopos regni Bavariae data est die 27 maii 1832. - Cf. N. 484.

[3] Dilecto filio religioso viro Ruperto Leiss praesidi monachorum Schyrensium Ord. S. Benedicti.

gl. mem. decessore Nostro inde ab anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto; atque hinc a Nobis supplex exposcis, ut illas iterum confirmare velimus. Significas insuper carissimum in Christo filium Nostrum Bavariae regem in restituendo vobis coenobium apposuisse conditionem, ut monachi in sua ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso, cum moriretur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum, itemque pro regina coniuge, ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis, tum in cuiusque obitu, tum in diebus anniversariis qui usque ad subsequentis mortem intercedent. Addis autem, te quidem, dilecte fili, iam tum praesensisse difficultatem ex eo facile obventuram, quod serenissima regis uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cuiusdam prudentis, ut putabas, viri consilio, induxisse animum, ut conditionem illam acciperes ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium missae in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim. Verum cum nuper in morte acatholicae item mulieris serenissimae reginae viduae non leves circa eius funus in toto regno dissensiones extiterint, tum esse duxisti referre ad Nos de conditione illa ac de ratione a te monachisque tuis eo in casu tenenda sententiam Nostram exposcere. Nos igitur sanctissimis insistentes Ecclesiae regulis respondemus intentionem illam offerendi divinum sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandam publici funeris causam, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est et in eius obitus aut annua die celebratur; atque hinc Nos ipsi etsi te, dilecte fili, tuosque monachos paterna caritate prosequamur, ea tamen quae ad coenobium istud eiusque res pertinent non antea probaturi et confirmaturi erimus, quam conditio illa incaute a vobis suscepta, ad sola catholicorum principum funera restringatur. Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando. Age igitur, dilecte fili, impende tuam omnem industriam atque operam, quo serenissimus rex pro pietate sua id omnino annuat; ac subinde Nos paratissimos invenies, ut quantum cum Domino poterimus, auctoritate Nostra apostolica, vobis rebusque vestris faveamus. Interea si ante rem cum sua maiestate compositam contingat, quod Deus avertat, reginam serenissimam extra veram catholicam fidem supremum diem obire; multa tibi monachisque tuis firmitate animi prudentiaque opus est, ut vos quidem gravissimum illud Ecclesiae Sanctae interdictum minime violetis, et pius rex intelligat haudquaquam fieri posse, ut salvis religionis officiis, eidem ea in re morem geratis. Ceterum perge, ut certe facis, dilecte fili, attendere cum Dei gratia tibi et monachis tuis, quo vigeat in coenobio isto floreatque in dies magis religionis studium, sanctitas morum, disciplinae custodia. Ita Deo semper placebitis, cui vos probastis, et exemplo laboribusque vestris bene istic de re catholica merebimini, ac maiorem vobis conciliabitis a rege clementissimo benevolentiam, denique reviviscentis in Bavaria Benedictini instituti nomen apud catholicum populum amplificabitis, et qui etiam ex adverso sunt verebuntur, nihil habentes modum dicere de vobis. Nos autem non praetermittimus Patri misericordiarum per Iesum Christum

unigenitum suum humillime supplicare, ut fausta vobis et salutaria cuncta largiatur. Ac superni huius praesidii auspicem, Nostraeque testem studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, religiose vir, monachisque sodalibus intimo cordis affectu impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 222, 223].

501.

Gregorius XVI, ep. *Allatum isthinc*, 12 oct. 1843.[1]

Allatum isthinc ad Nos est exemplum mandati, die nona septembris a fraternitate tua editi, super presbyteris Societatis Iesu, ad excipiendas confessiones in metropolitana tua Urbe sacramentales fidelium approbatis; quod quidem intimo perlegentes doloris sensu, vix Nobismetipsis persuadere poteramus, te dixisse ac statuisse quae inibi habentur, quaeque licet aliter ipse putaveris, et congrua minime sunt canonicis sanctionibus, et hoc praesertim tempore cessura erunt in sacrae rei detrimentum. Cave tamen existimes, ven. frater, Nos hinc minori te prosequi caritatis studio, cuius imo non aliud nunc praebere tibi possemus luculentius documentum, quam ut Nostris hisce literis ea de re tecum loquamur. Ac primum fraternitatem tuam considerare volumus, decretum Concilii Tridentini sess. 23, c. 15, de ref., de confessionibus saecularium personarum a nullo vel regulari presbytero nisi post acceptam episcopi approbationem excipiendis, et recentiores in eamdem sententiam Romanorum Pontificum constitutiones non eo spectare, ut episcopus datum inde sibi putet arbitrium adiiciendi approbationi suae limites inutiles, aut etiam regularium confessariorum ordini iniuriosos, qualis sane praefinitio illa est, qua iidem confessarii audire prohibeantur in ecclesia sua. Deinde ad poenitentium causam quod attinet, legimus in mandato tuo discrimen positum inter homines ecclesiasticos et laicos, et circa hos solummodo, sive feminae sint sive viri statutum, ne presbyteri Soc. Iesu extra destinatam unicuique parochialem ecclesiam et alia quaedam definita loca sacramentales eorum confessiones auscultent. Atqui Nostra hac aetate atque in urbe ista praesertim magnus est laicorum imprimis virorum numerus, quos nimius pudor vel derisionum metus a sacramentorum usu retrahit adhuc in praesens, aut alias retraxit. Hi autem, si iustam non habeant libertatem seu confessarii, cui plane confidunt, seu loci et temporis, quo illum adeant, eligendi, longe inde difficilius adduci poterunt ad eluendas per sacramentum Poenitentiae animi sordes, divinamque subinde communionem salubriter accipiendam, aut ab assumpto iam more utriusque sacramenti rite ac saepius suscipiendi, facile admodum recedent. Ita igitur ex inconsultissima eadem praescriptione mandati tui non leve animarum periculum consequetur. Tuum vero est, ven. frater, videre, qualem eius rei excusationem habiturus sis apud divinum iudicem, qui rationem ab episcopis

[1] Dilecto filio Nostro Dionysio D'Affre archiepiscopo Parisiensi.

reposcet vel unius creditarum cuique ovium, si non propria tantum sed pastoris etiam culpa perierit. Post haec fatemur, ignorare Nos quare illud nominatim statueris circa solos confessarios e Soc. Iesu; et qua porro auctoritate, quave ex causa iisdem insuper interdixeris, ne recedant ab urbe ista aut in eam veniant, nisi te ante mensem consulto. Novimus tamen, hanc societatem, utpote de catholica re bene merentem, apud prudentiores et ferventiores catholicos, atque adeo apud hanc S. Sedem magno in pretio esse; ipsam vero male audisse apud homines aut incredulos, aut sacrae Ecclesiae auctoritati parum amicos, qui posthac nomine fraternitatis tuae gloriari poterunt, ut suis contra illam calumniis fidem concilient. De reliquo, persuasum habemus, te, ven. frater, mandatum illud haud mala edidisse mente, sed aliqua potius utilitatis specie deceptum, non perspexisse animo, quanta inde damna consequerentur. Firmam igitur erigimur in spem fore, ut hac accepta epistola, Nostraque de mandato eodem sententia perspecta, revocare illud festines. Ita et scandalum tolles quod exinde iam venerat, et insigne Nobis documentum praebebis sincerae tuae erga Romanum Pontificem reverentiae germanaeque humilitatis, qua nihil potius esse debet christiano antistiti suas omnes spes in eo collocanti, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Nec vero timendum est, ut ea propter quidquam amittas apud prudentes quosque bonosque viros, qui norunt sapientis esse mutare consilium, et eo vel magis observabunt personam ac dignitatem tuam, quo te promptiorem viderint in tua omni ratione, ad gloriam divini nominis atque ad spiritualem gregis utilitatem accommodanda. Interea Nostrae in te voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 293, 294].

502.

Gregorius XVI, ep. encycl. *Inter praecipuas*, 5 maii 1844.[1]

1. Inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum societates biblicae, quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine, in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus,[2] et *garrulae anui*, et *deliro seni*, et *sophistae verboso*, et *universis*, si modo legere

[1] Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis.

[2] Epist. *ad Paulinum*, § VII, quae est epistola LIII, tom. I, Op. S. Hieron., edit. Vallarsii.

norint, cuiusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum: immo quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

2. Sed vos quidem minime latet, venerabiles fratres, quorsum haec societatum earumdem molimina pertineant. Probe enim nostis consignatum in sacris ipsis literis monitum Petri Apostolorum principis, qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illis *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* statimque adiicit: *vos igitur fratres, praescientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.*[1] Hinc et perspectum vobis est vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent.[2] Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia, vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam ut in eorumdem versionibus per societates biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia, vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino interest, si homines biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur: dummodo assuescant paullatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium subimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

3. Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam Sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima documenta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo in primis pertinent decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum Episcopis mandatum est, ut *sacras Scripturas divinamque legem* frequentius per dioecesim annuntiandam curarent,[3] sed ampliata insuper Lateranensis Concilii[4] institutione, provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppidorum non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae.[5] De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum, atque etiam ad populum

[1] II Petri, III, 16, 17.

[2] Tertullianus, lib. *De praescriptionibus adversus haereticos*, cap. 37, 38.

[3] Sess. 24, c. 4, *de ref.*

[4] Conc. Later. anni 1215 sub Innocentio III, cap. XI, quod in corpus iuris relatum est cap. 4, *de magistris.*

[5] Trid., sess. 5, c. 1, *de ref.*

publice habendis actum est in plurimis Synodis provincialibus,[1] necnon in Romano Concilio anni 1725,[2] in quod Benedictus XIII fel. rec. praecessor Noster nedum sacros antistites Romanae provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis, ceterisque locorum Ordinariis Sanctae huic sedi nullo medio subditis convocaverat.[3] Idem praeterea Summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in Apostolicis literis, quas pro Italia nominatim insulisque adiacentibus dedit.[4] Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre[5] consuevistis, ex responsis per Nostram Congregationem Concilii ad decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum Sancta eadem Sedes et gratulari Episcopis soleat si praebendatos theologos habeant in publicis sacrarum litterarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit.

4. Ceterum ad translata in vulgares linguas biblia quod attinet, multis iam abhinc saeculis contigerat, ut diversis in locis sacri antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint, ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita et cautiones adhibitae ab Innocentio III gl. me. decessore Nostro circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu, et legendarum Scripturarum causa secreto habitos in Metensi dioecesi:[6] necnon et peculiares vulgarium bibliorum interdictiones, quas sive in Galliis paulo post,[7] sive in Hispania ante saeculum XVI[8] latas invenimus. Sed ampliore postmodum providentia opus fuit, cum lutherani calvinianique acatholici, incommutabilem fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant, ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum literarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus, quarum quidem exemplis multiplicandis, et citissime divulgandis inventae nuper typographicae

[1] In Conc. Mediol. an. 1565, part. I, tit. 5, *De praeb. theol.*, Mediol. V, an. 1579, part. III, tit. 5, *quae ad beneficior. collat. attin.*. Aquensi, a. 1585, tit. *De canonicis*, et aliis plurib.

[2] Tit. I, cap. 6 seqq.

[3] In literis indictionis Conc. 24 decembris 1724.

[4] Const. *Pastoralis officii*, XIV kal. iunii an. 1725. - Cf. N. 289.

[5] Ex constit. Sixti V, *Romanus Pontifex*, XIII kal. Ianuarii an. 1585 (Cf. N. 156), et const. Bened. XIV, *Quod sancta Sardicensis synodus*, IX kal. Decembris an. 1740 (Cf. N. 303), tom. I, Bullar. eiusdem Pont., et ex instructione, quae extat in Append. ad dict. tom. I.

[6] In tribus literis datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et Capitulum, necnon ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, et de Crista, quae sunt epistolae 141, 142, lib. II; et epist. 235, lib. III, in edit. Balutii.

[7] In Conc. Tolosano an. 1229, can. 14.

[8] Ex testimonio cardinalis Pacecco in Conc. Tridentino (apud Pallavicinum, *Storia del Concilio di Trento*, lib. VI, cap. 12).

artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae a patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae, et a Pio IV fel. mem. praedecessore nostro [1] approbatae, Indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut biblia vulgari sermone edita non aliis permitterentur, nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur. [2] Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica Sede approbatae,* aut *cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint. [3]

5. Non defuere interim novi ex Iansenii schola sectarii, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeconomiam mutuato a lutheranis calvinianisque stilo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore, atque ubique locorum utilis et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Iansenianorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in solemnibus iudiciis, quae toto plaudente catholico orbe contra illorum doctrinas tulerunt bini rec. mem. Summi Pontifices, nimirum Clemens XI in constitutione *Unigenitus* anni 1713, [4] et Pius VI in constitutione *Auctorem fidei* anni 1794. [5]

6. Ita igitur antequam instituerentur societates biblicae, iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas litteras ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VII glor. rec. praecessor noster, qui societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere auctibus comperit, haud sane abstinuit opponere se illarum conatibus tum per Apostolicos suos nuntios, tum per epistolas et per decreta a diversis Cardinalium S. R. E. Congregationibus edita, [6] tum suis duabus pontificiis litteris quas ad Gnesnensem, [1] atque ad Mohiloviensem [2] Archiepiscopos dedit. Subinde Leo XII fel. mem. decessor Noster ipsa illa biblicorum sociorum molimina persecutus est in encyclicis litteris ad omnes catholici orbis antistites datis die 5 maii anni 1824, [3] idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record. praecessor noster Pius VII in encyclica epistola edita die 24 maii anni 1829. [4] Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem Apostolicam sollicitudinem Nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus Scripturarum translationibus regulae in fidelium memoriam revocarentur. [5]

7. Est autem cur vobis summopere gratulemur, venerabiles fratres, quod excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis decessorum Nostrorum literis confirmati haudquaquam neglexistis commonere, ubi opus fuit, catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur. Ex hisce autem episcoporum studiis cum Supremae huius Petri Sedis sollicitudine conspirantibus, benedicente Domino factum est, ut incauti quidam catholici homines, qui biblicis societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude, ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

8. Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad christiani nominis professionem utcumque inducendis, per lectionem sacrorum codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis, seu excursoribus a se destinatis per illorum regiones distribui, ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus christianum nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propagare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta catholicis sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex Sanctae huius Sedis missione pergentes, nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute

[1] In const. *Dominici gregis,* 24 martii 1564. — Cf. N. 105, 426.

[2] In regulis Indicis III et IV.

[3] In addition. ad dictam regulam IV ex decreto S. Congregationis Indicis, 17 iunii 1757.

[4] In proscriptione propositionum Quesnelli a n. 79 ad 85. — Cf. N. 270.

[5] In damnatione propos. Pseudo-Synodi Pistoriensis n. 67. — Cf. N. 475.

[6] Imprimis per epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum datam 3 augusti 1816 et per decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Congregatione Indicis, 23 iunii 1817. Hoc decreto generali prohibitum fuit opus cui titulus: « *Historia succinta delle operazioni della Compagnia biblica britannica e straniere, coll'indice delle materie concernenti la medesima: " Chi è da Dio le parole di Dio ascolta* „ (Giov., VII, 12), Napoli, presso Agnello Nobile, libraio-stampatore, strada Santabrigida n. 27, 1817. *Decreto eodem* (23 iunii 1817), et versiones omnes bibliorum quavis vulgari lingua, nisi fuerint ab apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris iuxta decretum S. Congr. Indicis, 17 iunii 1757 » Datum Romae, die 12 iulii 1817.

[1] Die 29 iunii 1816.— Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. IV, p. 544, 545.

[2] Die 4 septembris 1817.

[3] *Ubi primum.* — Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 16, p. 45-49.

[4] *Traditi.* — Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 18, p. 17-20.

[5] Quae regulae prostant in monito adiecto ad decretum Congregationis Indicis, 7 ianuarii 1836, quod hic tradimus: « Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi quin saluberrimae de ea re leges serventur; cumque inde pertimescendum sit ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanctiori divini eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas, nisi *quae fuerint ab apostolica Sede approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris* (ex decreto S. Congregationis Indicis, 17 iunii 1757, in addit. ad reg. Ind.), iis praeterea omnino insistendum quae per regulam quartam Indicis et deinceps ex mandato s. m. Clementis VII in eam causam praestituta fuerunt ».

atque in testimonium fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

9. Iam vero inter sectarios illos sua ita expectatione frustratos, et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis bibliis edendis nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum, Nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus, plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque idus iunias inivisse novam societatem *Foederis Christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium sodalitiis amplificandam; quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a pluribus retro saeculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in orbe processerit, quin factum fuerit ab Alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a decessoribus Nostris potestate permanentibus, derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti e suo fonte politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte incensos, vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum, vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur: itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri, libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae Sanctaeque huius Sedis obsequio abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubigné conscriptam, et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futurum sit, vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares sodalium quorumdam coetus librorum delectui destinatos, videlicet ut nunquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

10. Haec ut primum relata ad Nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum catholicae unitatis centrum, incolumitati religionis sanctissimae a sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum

minime sit, ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est, non ideo tamen cessare Nos licet ab illius auctoritate tuenda; et ipso insuper supremi Apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a Nobis divinus pastorum Princeps ob succrescentia in Dominico agro zizania, si quae ab inimico homine Nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem quae Nostra hinc culpa perierint.

11. Itaque nonnullis S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus hanc ad vos omnes dare epistolam, venerabiles fratres, qua et cunctas supradictas societates biblicas dudum a nostris decessoribus reprobatas Apostolica rursus auctoritate condemnamus; et Nostri pariter supremi Apostolatus iudicio reprobamus nominatim et condemnamus memoratam novam societatem *Christiani Foederis* superiore anno Neo-Eboraci constitutam, et alia eiusdem generis sodalitia, si quae iam ei accesserint aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere praesumpserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate Apostolica super memoratas praescriptiones iamdiu editas super editione, divulgatione, lectione et retentione librorum Sacrae Scripturae in vulgares linguas translatorum: de aliis vero cuiusque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum Nostrorum decretis, quae Indici prohibitorum librorum praeposita habentur; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui nominatim in eumdem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

12. Vobis autem, venerabiles fratres, utpote in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut Apostolicum iudicium, et mandata haec Nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta societate *Foederis Christiani*, ceterisque eidem auxiliantibus, nec non ab aliis biblicis societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit tum biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnatosve libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere, ut fideles ipsi monitis et auctoritate vestra *edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant.*[1] Interim instate quotidie magis, venerabiles fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros ecclesiasticos ei muneri idoneos; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus Sacrae Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur, et sub nullo umquam obtentu divi-

[1] Ex mandato Leonis XII edito a Congr. Indicis, 26 martii 1825.

nas ipsas litteras contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni pastoris proprium est non modo tueri ac enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile; ita et vestri Nostrique muneris erit omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, noxiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant: nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

13. Ceterum, venerabiles fratres, contra insidias et molimina sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem in primis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine, qui ecclesias regunt in Italia sitas, aut aliis in locis, ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confiniis, aut ubicumque emporia portusque extant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad effectum adducere consilia sua, hinc et episcopos potissimum eorumdem locorum alacri constantique studio Nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus, adiuvante Dominio, dissipandis.

14. Has autem Nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium potestatum imprimis potentissimorum Italiae principum tum pro singulari suo studio religionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos principes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi sodales *Foederis Christiani:* qui licet sese alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis; ex vindicato tamen unicuique de plebe bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda quam vocant libertate conscientiae, politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

15. Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus nostras ad Deum, venerabiles fratres, eique nostram, totiusque gregis, et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum pecum humilitate commendemus; invocata etiam deprecatione piissima Petri Apostolorum Principis, aliorumque Sanctorum, ac praesertim Beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

16. Ad extremum, Nostrae pignus ardentissimae caritatis, Apostolicam benedictionem vobis omnibus, venerabiles fratres, et concreditis curae vestrae clericis, laicisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 332-336].

503.

Gregorius XVI, ep. *Non sine gravi*, 23 maii 1846. [1]

1. Non sine gravi animi Nostri moerore iam noscebamus, ven. frater, quae tuis literis die quarta proximi mensis martii ad Nos datis dolenter significas, de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque civilis potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos, seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis, se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniiciunt, contra naturalem divinamque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit Ecclesia et haec Apostolica Sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas iure suo exigit, cum ob graves aliquas causas ea coniugia aegre admodum sinit, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut proles utriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educari debeat. Quamobrem, ven. frater, meritis te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod, pro episcopalis tui ministerii officio, in tanti momenti rem curas cogitationesque merito converteris, Ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam, ius libertatemque tueri, vindicare studueris, ac pastorali robore et constantia exortos abusus de medio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, mandare non destiteris, ut in huiusmodi nuptiis Ecclesiae regulas a Nobis et praedecessoribus Nostris tanto studio inculcatas, religiosissime servent.

2. Et quidem, quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec Apostolica Sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos ineuntur, impetrata eiusdem Sedis venia atque adhibitis cautionibus ab illa praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur, benedicendi matrimoniis mixtis initis cum Ecclesiae venia et praedictis cautionibus, numquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus, nulla accedente Ecclesiae venia, nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia

[1] Venerabili fratri episcopo Friburgensi.

filios suos avertere consuevit ab iisdem coniugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita aut non tam graviter illicita existimarent ea coniugia, quae sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent.

3. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in decessoris Nostri Pii VIII ad diversos archiepiscopos et episcopos literis sive instructionibus, aut eius aut Nostro iussu editis, [1] consignata fuisse cognoscis, ven. frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum antistites, qui hanc Apostolicam Sedem consuluerant, illae instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit, illarum non sequi sententiam. Enim vero non agitur hic de aliqua nova lege a Nostro praedecessore aut a Nobis inducta, quum uterque Nostrum eo potius spectaverit, ut, pro locorum adiunctis, emolliremus, quoad fieri potest, disciplinae severitatem, et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis, sanae doctrinae deposito custodiendo, ac matrimonii sanctitati, catholicae religionis incolumitati et animarum saluti tuendae necessaria iudicavimus. Itaque, etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annunciant Ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescebant, usus proscribunt. Atque huc pertinet quae hac de re a Nobis indicata fuerunt in pluribus allocutionibus ad venn. fratres Nostros S. R. E. cardinales in consistorio quarto id. decembris millesimo octingentesimo trigesimo septimo, [2] idibus septembris millesimo octingentesimo trigesimo octavo [3] et postridie nonis iulii millesimo octingentesimo trigesimo nono [4] habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus.

4. Haec tuis commemoratis literis rescribenda censuimus, ven. frater, ut alacriori usque studio et firmitate omnes boni pastoris partes implere, atque in tanti momenti negotio Ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum relinquas, quod ad tui gregis salutem procurandam pertinere posse cognoveris. Nos quidem pro officii Nostri munere, quantum cum Domino poterimus, haud omittemus omnem operam adhibere, ut sacrae istic res, Deo bene iuvante, in meliorem conditionem adducantur. Interim vero, dum tibi de pastorali tua sollicitudine vehementer gratulamur, Nostrae in te praecipue benevolentiae testem ac caelestium omnium munerum auspicem, apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam,

[1] Cf. N. 482; 484; 490; 493; 497; Secret. Status, instr. 27 mart. 1830. - Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 473, nota (1); instr. 12 sept. 1834; instr. 30 apr. 1841; 22 maii 1841. - Cf. Acta Greg. XVI, vol. I, p. 459-461; vol. III, p. 125, 126; p. 132-134.

[2] Allocut. *Dum intima.* - Cf. Acta Greg. XVI, vol. II, p. 237, 238.

[3] Allocut. *Cuncta provide.* - Cf. Acta Greg. XVI, vol. II, p. 277-279.

[4] Cf. N. 492.

tibi ipsi, venerabilis frater, et omnibus tuae ecclesiae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

[Acta Greg. XVI, vol. III, p. 537, 538].

504.

Pius IX, ep. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846. [1]

1. Qui pluribus iam abhinc annis una Vobiscum, Venerabiles Fratres, episcopale munus plenum laboris, plenum sollicitudinis pro viribus obire, ac Dominici gregis partem curae Nostrae commissam pascere nitebamur in montibus Israel, in rivis, et pascuis uberrimis, ecce ob mortem clarissimi Praedecessoris Nostri Gregorii XVI, cuius certe memoriam, atque illustria, et gloriosa facta aureis notis inscripta in Ecclesiae fastis semper admirabitur posteritas, praeter omnem opinionem, cogitationemque Nostram, arcano divinae Providentiae consilio, ad Summum Pontificatum non sine maxima animi Nostri perturbatione evecti fuimus. Etenim si semper grave admodum et periculosum Apostolici ministerii onus merito est habitum, atque habendum, hisce quidem difficillimis christianae reipublicae temporibus vel maxime formidandum. Itaque infirmitatis Nostrae probe conscii, et gravissima supremi Apostolatus officia in tanta praesertim rerum vicissitudine considerantes, tristitiae et lacrimis Nos plane tradidissemus, nisi omnem spem poneremus in Deo salutari Nostro, qui numquam derelinquit sperantes in Eo, quique, ut potentiae suae virtutem ostendat, ad suam regendam Ecclesiam infirmiora identidem adhibet, quo magis magisque omnes cognoscant Deum ipsum esse, qui Ecclesiam admirabili sua providentia gubernat, atque tuetur. Illa etiam consolatio Nos vehementer sustentat, quod in animarum salute procuranda Vos socios et adiutores habeamus, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, omni cura et studio ministerium vestrum implere, ac bonum certamen certare contenditis. Hinc ubi primum in sublimi hac Principis Apostolorum Cathedra, licet immerentes, collocati in persona Beati Petri gravissimum munus ab ipso aeterno Pastorum Principe divinitus tributum accepimus pascendi, ac regendi non solum agnos, universum scilicet Christianum populum, verum etiam oves, hoc est Antistites, nihil certe Nobis potius, nihil optabilius fuit, quam ut intimo caritatis affectu Vos omnes alloqueremur. Quamobrem vix dum ex more institutoque Decessorum Nostrorum in nostra Lateranensi Basilica Summi pontificatus possessionem suscepimus, nulla interposita mora has ad Vos Litteras damus, ut eximiam vestram excitemus pietatem, quo maiore usque alacritate, vigilantia, contentione custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, atque episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Iesu, strenue opponatis murum pro Domo Israel.

[1] Ad omnes Patriarchas Primates Archiepiscopos et Episcopos.

2. Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria inter se societate coniuncti sanam non sustinentes doctrinam, atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta a tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere, et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo, et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, iustitiae, honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, iura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem, civilemque societatem convellere, labefactare, immo, si fieri umquam posset, funditus evertere commoliuntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* [1] palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse, et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum eiurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant, atque incautos praesertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat, *qui Stoicum, et Platonicum, et*

[1] Apocalyps., XIII, 6.

Dialecticum Christianismum protulerunt. [1] Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci, aut perfici umquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat. [2] Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere, firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

3. Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse,* [3] ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens, ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis salutares proferens Christi leges, ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cuiusque generis hostibus omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae, ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum eiusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta, atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.

4. Atque hinc plane apparet in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audeant, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quae verum legitimumque coelestis suae revelationis

[1] Tertull., de Praescript., cap. VIII.
[2] Ad Rom., XIII, 1.
[3] S. Ioann. Chrysost., Homil. I, in Isai.

sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei, et morum *infallibili* iudicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quae quidem viva, et *infallibilis* auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiae Caput, Principem et Pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in eius Cathedra collocatos, et eiusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis heredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia, [1] ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur, [2] et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet, [3] ac praestat quaerentibus fidei veritatem, [4] idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana Beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra [5] fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas Sacerdotalis exorta, [6] haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas, [7] in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus, [8] ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles, [9] cum qua quicumque non colligit, spargit. [10] Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis Cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes numquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subiicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi iniuriam inferre non reformidant, qui caelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

5. Iam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus huius saeculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque leges acerrime oppugnare, et tum sacrae, tum civilis potestatis iura conculcare conantur. Huc spectant nefariae molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum. Huc clandestinae illae sectae e tenebris ad rei tum sacrae, tum publicae exitium et vastitatem emersae, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris iterato anathemate damnatae suis Apostolicis Litteris, [1] quas Nos Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus, et diligentissime servari mandamus. Hoc volunt vaferrimae Biblicae Societates, quae veterem haereticorum artem renovantes, divinarum Scripturarum libros contra sanctissimas Ecclesiae regulas vulgaribus quibusque linguis translatos, ac perversis saepe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero, ingentique expensa omnibus cuiusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant, ut divina traditione, Patrum doctrina, et catholicae Ecclesiae auctoritate reiecta, omnes eloquia Domini privato suo iudicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos elabantur errores. Quas Societates Suorum Decessorum exempla aemulans recol. mem. Gregorius XVI, in cuius locum meritis licet imparibus suffecti sumus, suis Apostolicis Litteris reprobavit, [2] et Nos pariter damnatas esse volumus. Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cuiuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cuiusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla umquam esse posset participatio iustitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial. Huc spectat foedissima contra sacrum clericorum caelibatum conspiratio, quae a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriae dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur; huc perversa in philosophicis praesertim disciplinis docendi ratio, quae improvidam iuventutem miserandum in modum decipit, corrumpit, eique fel draconis in calice Babylonis propinat; huc infanda, ac vel ipsi naturali iuri maxime adversa de *Communismo*, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium iura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur; huc tenebricosissimae eorum insidiae, qui in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinae specie humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt. Huc denique, ut cetera, quae Vobis apprime nota ac perspecta sunt, omittamus, teterrima tot undique volantium, et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciae et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes, animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta. Ex hac undique serpentium errorum colluvie, atque effrenata cogitandi, loquendi, scribendique licentia mores in deterius prolapsi, sanctissima

[1] S. Ambros., in Psal. 40.
[2] Concil. Chalced., Act. 2.
[3] Synod. Ephes., Act. 3.
[4] S. Pet. Chrysol., Epist. ad Eutich.
[5] Concil. Trid., Sess. VII, de Baptis.
[6] S. Cyprian., Epist. 55, ad Cornel. Pontif.
[7] Litter. Synod. Ioan. Constantinop. ad Hormisd. Pontif. et Sozom., Histor. Lib. 3, Cap. 8.
[8] S. August., Epist. 162.
[9] S. Irenaeus, Lib. 3, contra haereses, cap. 3.
[10] S. Hieronym., Epist. ad Damas. Pontif.

[1] Clemens XII, Const. *In eminenti*, Bened. XIV, Const. *Providas*, Pius VII, Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, Leo XII, Const. *Quo graviora*. – Cf. N. 299, 412, 479, 481.
[2] Gregor. XVI, in Litteris Eucyclicis ad omnes Episcopos, quarum initium *Inter praecipuas machinationes*. – Cf. N. 502.

Christi spreta religio, divini cultus improbata maiestas, huius Apostolicae Sedis divexata potestas, Ecclesiae oppugnata atque in turpem servitutem redacta auctoritas, Episcoporum iura conculcata, matrimonii sanctitas violata, cuiusque potestatis regimen labefactatum, ac tot alia tum christianae, tum civilis reipublicae damna, quae communibus lacrimis una Vobiscum flere cogimur, Venerabiles Fratres.

6. In tanta igitur religionis, rerum ac temporum vicissitudine de universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, pro Apostolici Nostri ministerii officio nihil certe inausum, nihilque intentatum relinquemus, quo cunctae christianae familiae bono totis viribus consulamus. Verum praeclaram quoque vestram pietatem, virtutem, prudentiam summopere in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut caelesti ope freti una Nobiscum Dei, Eiusque Sanctae Ecclesiae causam pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, impavide defendatis. Vobis acriter pugnandum esse intelligitis, cum minime ignoretis quibus quantisque intemerata Christi Iesu Sponsa vulneribus afficiatur, quantoque acerrimorum hostium impetu divexetur. Atque in primis optime noscitis, vestri muneris esse catholicam fidem episcopali robore tueri, defendere, ac summa cura vigilare, ut grex Vobis commissus in ea stabilis et immotus persistat, *quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.*[1] In hanc igitur fidem tuendam, atque servanda pro pastorali vestra sollicitudine diligenter incumbite, neque umquam desinite omnes in ea instruere, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, nihil umquam omnino dissimulantes ac ferentes, quod eiusdem fidei puritatem vel minimum violare posse videatur. Neque minori animi firmitate in omnibus fovete unionem cum Catholica Ecclesia, extra quam nulla est salus, et obedientiam erga hanc Petri Cathedram, cui tamquam firmissimo fundamento tota sanctissimae nostrae religionis moles innititur. Pari vero constantia sanctissimas Ecclesiae leges custodiendas curate, quibus profecto virtus, religio, pietas summopere vigent et florent. Cum autem *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare,*[2] illud obsecrantes monemus, ut omni ope et opera multiformes inimicorum hominum insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fideli populo detegere, eumque a pestiferis libris diligenter avertere, atque assidue exhortari velitis, ut impiorum sectas, et societates fugiens tamquam a facie colubri, ea omnia studiosissime devitet, quae fidei, religionis, morumque integritati adversantur. Qua de re numquam omnino sit, ut cessetis praedicare Evangelium, quo christiana plebs magis in dies sanctissimis christianae legis praeceptionibus erudita crescat in scientia Dei, declinet a malo, et faciat bonum, atque ambulet in viis Domini. Et quoniam nostis Vos pro Christo legatione fungi, qui se mitem et humilem corde est professus, quique non venit vocare iustos, sed peccatores, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius; quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis et iustitiae

[1] Ex symbolo *Quicumque.*
[2] S. Leo, Serm. VIII, cap. 4.

semita aberrantes inveneritis, haud omittite eos in spiritu lenitatis et mansuetudinis paternis monitis, et consiliis corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, cum *saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas.*[1] Illud etiam totis viribus praestare contendite, Venerabiles Fratres, ut fideles caritatem sectentur, pacem inquirant, et quae caritatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissensionibus, inimicitiis, aemulationibus, simultatibus penitus extinctis, omnes se mutua caritate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimes sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Iesu Domino Nostro. Debitam erga Principes, et potestates obedientiam ac subiectionem christiano populo inculcare satagite, edocentes iuxta Apostoli monitum[2] non esse potestatem nisi a Deo, eosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, atque idcirco praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine umquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur.

7. Verum cum *nihil sit, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt,*[3] et cuiusmodi sunt Sacerdotes, eiusmodi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspicitis, Venerabiles Fratres, summa cura et studio Vobis esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitae integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum praescripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur. Quapropter, veluti praeclare scitis, Vobis summopere cavendum, ne cuipiam, iuxta Apostoli praeceptum, cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu, et sapientiae laude spectati, vestris dioecesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quae Clericis vetita, et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinae, *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate,*[4] cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianae religionis institutionem fingant, excitent, atque inflamment. *Melius enim profecto est,* ut sapientissime monet immortalis memoriae Benedictus XIV Decessor Noster, *pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri.*[5] Neque vero ignoratis, maiori diligentia Vobis in illorum praecipue mores, et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacra-

[1] Concil. Trident., Sess. XIII, Cap. 1, de Reform.
[2] Ad Roman., XII, 1, 2.
[3] Concil. Trid., Sess. XXII, Cap. 1, de Reform.
[4] Ad Timoth., IV, 12.
[5] Bened. XIV in Epist. Encycl. ad omnes Episcopos cuius initium *Ubi primum.* – Cf. N. 304.

mentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, iuvare, eamque ad omnia religionis instituta, ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum Parochis officii sui ignaris, vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et Christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi, atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi. Ne autem Dei sermo, *qui vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* [1] ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat, eiusdem divini verbi praeconibus inculcare, praecipere numquam desinite, Venerabiles Fratres, ut gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exerceant, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes, sanctissimae nostrae religionis dogmata, praecepta iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annuncient, peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et caelestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastorali vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitate, ut serio cogitantes ministerium, quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant, domus Dei decorem summopere diligant, atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et Canonicas horas ex Ecclesiae praecepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare, et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.

8. Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiae ministros nonnisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitae cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare Vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, sollertia, industria clericorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto [2] instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare, eaque optimis moderatoribus, et magistris instruere, ac intentissimo studio continenter advigilare, ut inibi iuniores clerici in timore Domini, et ecclesiastica disciplina sancte, religioseque educentur, et sacris potissimum scientiis iuxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis, et Ecclesiae traditionibus, et sanctorum Patrum scriptis, sacrisque caeremoniis, ritibus sedulo, ac penitus excolantur, quo habere possitis navos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu praediti, ac studiis recte instituti valeant in tempore dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue proeliari proelia Domini. Porro cum Vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem, et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in iustitia, et sanctitate. Neque Vos pigeat si in Cleri institutione et disciplina paulo diutius immorati sumus. Etenim minime ignoratis multos existere, qui errorum varietatem, inconstantiam, mutabilitatemque pertaesi, ac sanctissimam nostram religionem profitendi necessitatem sentientes, ad ipsius religionis doctrinam, praecepta, instituta eo facilius, Deo bene iuvante, amplectenda colenda adducentur, quo maiori Clerum pietatis, integritatis, sapientiae laude, ac virtutum omnium exemplo, et splendore ceteris antecellere conspexerint.

9. Ceterum, Fratres Carissimi, non dubitamus, quin Vos omnes ardenti erga Deum et homines caritate incensi, summo in Ecclesiam amore inflammati, angelicis pene virtutibus instructi, episcopali fortitudine, prudentia muniti, uno eodemque sanctae voluntatis desiderio animati, Apostolorum vestigia sectantes, et Christum Iesum Pastorum omnium exemplar, pro quo legatione fungimini, imitantes, quemadmodum decet Episcopos, concordissimis studiis facti forma gregis ex animo, sanctitatis vestrae splendore clerum populumque fidelem illuminantes, atque induti viscera misericordiae, et condolentes iis, qui ignorant et errant, devias ac pereuntes oves evangelici Pastoris exemplo amanter quaerere, persequi, ac paterno affectu vestris humeris imponere, ad ovile reducere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus parcere umquam velitis, quo omnia pastoralis muneris officia religiosissime obire, ac omnes dilectas Nobis oves pretiosissimo Christi sanguine redemptas, et curae vestrae commissas a rapacium luporum rabie, impetu, insidiis defendere, easque ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et qua opere, qua verbo, qua exemplo ad aeternae salutis portum deducere valeatis. In maiori igitur Dei et Ecclesiae gloria procuranda viriliter agite, Venerabiles Fratres, et omni alacritate, sollicitudine, vigilantia in hoc simul elaborate, ut omnibus erroribus penitus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, fides, religio, pietas, virtus maiora in dies ubique incrementa suscipiant, cunctique fideles abiicientes opera tenebrarum, sicut filii lucis ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque inter maximas angustias, difficultates, pericula, quae a gravissimo episcopali vestro ministerio hisce praesertim temporibus abesse non possunt, nolite umquam terreri, sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis Eius, *qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans,*

[1] Ad Hebr., IV, 12.
[2] Concil. Trid., Sess. XXIII, Cap. 18, de Reform.

volentes comprobat, adiuvat dimicantes, vincentes coronat. [1] Cum autem Nobis nihil gratius, nihil iucundius, nihil optabilius quam Vos omnes, quos diligimus in visceribus Christi Iesu, omni affectu, consilio, opera iuvare, atque una Vobiscum in Dei gloriam et catholicam fidem tuendam, propagandam toto pectore incumbere, et animas salvas facere, pro quibus vitam ipsam, si opus fuerit, profundere parati sumus, venite, Fratres, obtestamur, et obsecramus, venite magno animo, magnaque fiducia ad hanc Beatissimi Apostolorum Principis Sedem, Catholicae unitatis centrum, atque Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus, ac tota eiusdem nominis auctoritas emersit, venite ad Nos quotiescumque Nostrae, et eiusdem Sedis auctoritatis ope, auxilio, praesidio Vos indigere noveritis.

10. In eam porro spem erigimur fore, ut Carissimi in Christo Filii Nostri Viri Principes eorum pietate, et religione in memoriam revocantes *regiam potestatem sibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam,* [2] et Nos *cum Ecclesiae causam, tum eorum regni agere, et salutis, ut provinciarum suarum quieto iure potiantur,* [3] communibus nostris votis, consiliis, studiis sua ope et auctoritate faveant, atque ipsius Ecclesiae libertatem incolumitatemque defendant, ut *et Christi dextera eorum defendatur imperium.* [4]

11. Quae omnia ut prospere, feliciterque ex sententia succedant, adeamus cum fiducia, Venerabiles Fratres, ad thronum gratiae, atque unanimes in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis enixis precibus sine intermissione obsecremus, ut per merita Unigeniti Filii Sui infirmitatem nostram omnium caelestium Charismatum copia cumulare dignetur, atque omnipotenti sua virtute expugnet impugnantes nos, et ubique augeat fidem, pietatem, devotionem, pacem, quo Ecclesia sua sancta, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, ac fiat unum ovile, et unus pastor. Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces nostras, et nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata, et spes fidissima ac maxima fiducia est, cuius patrocinio nihil apud Deum validius, nihil praesentius. Invocemus quoque Apostolorum Principem, cui Christus ipse tradidit claves regni caelorum, quemque Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere numquam poterunt, et Coapostolum eius Paulum, atque omnes Sanctos coelites, qui iam coronati possident palmam, ut desideratam divinae propitiationis abundantiam universo christiano populo impetrent.

12. Denique coelestium omnium munerum auspicem, et potissimae Nostrae in Vos caritatis testem, accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et omnibus

[1] S. Cyprian., Epist. 77 ad Nemesianum et ceteros martyres.
[2] S. Leo, Epist. 156 alias 125 ad Leonem Augustum.
[3] S. Leo, Epist. 43 alias 34 ad Theodosium Augustum.
[4] Idem ibid.

Clericis, Laicisque Fidelibus curae vestrae concreditis amantissime impertimur.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 4-24].

505.

Pius IX, litt. ap. *Quum illud,* 1 iun. 1847. [1]

Quum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas Nostras libenter intendimus. Iam vero praeter Indultum testandi de propriis bonis, quod Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientis, *De benignitate Sedis Apostolicae,* iisdem per alias similes Literas in forma Brevis, quarum initium, *Cum fel. rec. Urbanus VIII,* facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicuius Ecclesiae seu Cappellae vel Loci Pii, non obstante Constitutione Urbani VIII, *Aequum est,* edita die 19 Iulii anno 1642, [2] qua sacra Cardinalium utensilia Pontificio Sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula, « *quoad Ecclesias Cathedrales, Metropolitanas, aut Patriarchales, quibus praefueris, seu quas alias ex concessione vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu Commendam obtinueris, dispositione Constitutionis fel. rec. Pii PP. V anno 1567, tertio Kalendas Septembris anno secundo* », [3] saepe saepius dubia exorta sint circa interpretationem et vim huiusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevi *De benignitate Sedis Apostolicae,* praefatae S. Pii V Constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adiecta clausula eam vim haberet, quam verba praeseferunt. His quoque accedebat quod nonnulli Sacrorum Canonum Interpretes doceant, Cardinales utpote qui in memorata S. Pii V Constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, Ven. Frater Noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis Episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI Praedecessore Nostro, ut rem certo definiret atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis Literis S. Pii V Praedecessoris

[1] Quibus aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium et Episcoporum utensilia declarantur.
[2] Cf. N. 225.
[3] *Romani Pontificis.* – Cf. N. 123.

Nostri comprehendantur, ac statueret, quaenam sacra ornamenta et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium Pontificium ex memorata Constitutione Urbani VIII, et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius* sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad Ecclesias Cathedrales ex superius citata S. Pii V Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive sive simultanee plures Ecclesias, gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati Decessoris Nostri bo. me. Gregorii XVI locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec quae sequuntur auctoritate Nostra Apostolica decernimus et mandamus.

1° Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitutione S. Pii V incipiente *Romani Pontificis,* exceptis tamen Cardinalibus Episcopis Suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius,* qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata Constitutione *Aequum est* Urbani VIII Praedecessoris Nostri, ad Pontificium Sacrarium spectabunt.

2° Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constitutioni S. Pii V cuius initium *Romani Pontificis Providentia,* in Literis in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicae,* apponi solitis, in altero Brevi quod incipit *Cum fel. rec. Urbanus VIII,* auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, eiusque loco substituantur ea, quae sequuntur: « *Quod si Ecclesiis Abbatialibus, Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, Te vehementer hortumur, prout iam Benedictus XIV Praedecessor Noster in sua Constitutione incipiente " Inter arduas ,,* [1] *Cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas Ecclesias prae oculis habeas, ceterisque praeferas* ». Quae vero hoc in articulo praescripsimus ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium Literarum publicationem enunciatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis Indultis expressa essent.

3° Sacra utensilia quae vigore Constitutionis S. Pii V incipientis *Romani Pontificis,* Ecclesiis Cathedralibus debentur, haec esse edicimus: Mitras scilicet, Planetas, Pluvialia, Tunicellas, Dalmaticas, Sandalia, Chirothecas, Albas cum cingulis, lineos Amictus et his similia; item Missalia, Gradualia, Libros cantus firmi et musicae, Libros pontificales, alterum cui titulus Canon Missae; item Calices, Patenas, Pixides, Ostensoria, Thuribula, Vas aquae benedictae cum Aspersorio, Pelvim cum Urceo, Vasa sacrorum Oleorum et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, Palmatorias, Icones pacis, Cruces Archiepiscopales, Candelabra cum Cruce pro Altaris usu, Baculum Pastoralem, Faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta,

[1] Cf. N. 396.

sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis Annulis et Crucibus pectoralibus etiam cum sacris Reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica Inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae reditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia reditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium Sacelli Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae redituum, quibus comparata fuerit, et praeter ea quae in Constitutione Urbani VIII incipiente *Aequum est* in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, Sandalia, Chirothecas, Lineos Amictus, Albas cum cingulis, item Pixides, Ostensoria, Vas aquae benedictae cum aspersorio, Vasa sacrorum Oleorum, ut urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem Baculum Pastoralem, Faldistorium, Palmatorias, Icones pacis, Thuribulum et his similia, exceptis Annulis et Crucibus pectoralibus, etiam cum sacris Reliquiis.

4° Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter Ecclesias Cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, iuxta Constitutionem S. Pii V incipientem *Romani Pontificis.*

5° Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus vel pluribus Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et Cathedralem Ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis Ecclesiis Cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam Episcopalem Mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis Cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.

6° Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad Ecclesiam Cathedralem tantum spectabunt illius Dioecesis, ex cuius Episcopalis Mensae proventibus fuerint acquisita. - Haec volumus et mandamus, decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque ad quos spectant seu spectabunt, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et extraordinarios iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis

editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 637-642].

506.

Pius IX, allocut. *Ubi primum*, 17 dec. 1847.

Ubi primum nullis certe Nostris meritis, sed inscrutabili Dei iudicio in hac principis Apostolorum Cathedra collocati catholicae Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, Apostolicae Nostrae sollicitudinis curas in Hispaniam convertimus, quemadmodum optime noscitis, Venerabiles Fratres. Hinc intimo Nostri cordis dolore considerantes gravissima damna, quibus ob tristes rerum vicissitudines magna illa et inclyta Dominici gregis portio premebatur, divitem in misericordia Deum assiduis enixisque precibus humiliter obsecrare numquam destitimus, ut afflictis illis Ecclesiis opem afferre, easque a misero in quo versabantur statu revocare dignaretur. Atque pro Apostolici Nostri ministerii debito, et singulari paternae caritatis affectu, quo illustrem illam nationem prosequimur, nihil certe Nobis potius fuit, quam ut sanctissimae nostrae Religionis negotia ibi componere studeremus. Cum autem felicis recordationis Gregorius XVI Praedecessor Noster incepisset suis instruere Pastoribus nonnullas illius Regni Dioeceses in dissitis transmarinis regionibus sitas, in id peculiares Nostras curas intendimus, ut aliis pluribus ipsius Regni vacantibus Ecclesiis in continenti etiam positis novos valeremus dare Antistites eo munere dignos, atque ita perficere quod idem Decessor Noster morte praeventus absolvere minime potuerat. Quamobrem Venerabilem Fratrem Ioannem Archiepiscopum Tessalonicensem virum integritate, doctrina, prudentia, ac rerum gerendarum peritia praestantem cum Nostris ad Carissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Elisabeth Reginam Catholicam Litteris, atque opportunis facultatibus et instructionibus in Hispaniam misimus, ut quidquid ad sanandas inibi contritiones Israel, atque ad catholicae Religionis bonum promovendum conduceret, omni studio curaret, atque inter alia efficeret ut viduatas illic Ecclesias idoneis Pastoribus concrederemus. Itaque clementissimo misericordiarum Patre votis studiisque Nostris opitulante evenit, ut summa animi Nostri consolatione nonnullos, veluti nostis, in illis regionibus Antistites iam constituere potuerimus, atque in praesentia multas alias Hispaniarum Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias diu vacantes canonico suorum Pastorum regimini et procurationi tradere, atque ita divini Nominis gloriae, catholicae Religionis bono, ac spirituali illarum dilectarum ovium saluti consulere valeamus. Quod quidem futurum confidimus, cum ex relatione commemorati Venerabilis Fratris Delegati Nostri, atque ex actis maturo examine ab ipso confectis agnoverimus, viros ipsis Dioecesibus regendis ac moderandis destinatos eas habere dotes, quae ad pastorale munus rite utiliterque obeundum requiruntur. In eam autem spem erigimur fore, ut quamprimum aliarum

illius Regni Ecclesiarum viduitati prospicere possimus, utque rebus iam nunc in meliorem conditionem vergentibus, et favente etiam Catholica Maiestate Sua in aliis porro atque aliis religionis negotiis, in quae idem Venerabilis Frater Delegatus Noster studiosissime incumbit, vota et consilia Nostra felicem dante Domino exitum assequantur.

Alia etiam longe amplissima sub alio magno Principe regio est, in qua catholicae Religionis res diuturnis gravioribusque calamitatibus afflictae ipsum recolendae memoriae Decessorem Nostrum multos per annos sollicitum habuerant, et praecipuas Nostras curas sibi pariter vindicarunt. Equidem optavissemus hoc ipso die Vos certiores facere de bono exitu, quem aliqua ex parte Nostras ipsas curas habuisse confidebamus. Non defuere autem quidam ephemeridum scriptores, qui id ipsum feliciter evenisse affirmarint. Nos tamen nihil adhuc annuntiare Vobis possumus nisi firmam spem, qua sustentamur fore, ut omnipotens et misericors Deus propitius respiciat super Ecclesiae suae filios tantis inibi tribulationibus conflictatos, et sollicitudini benedicat, qua statum catholicae Religionis in meliorem illic conditionem adducere connitimur.

Nunc porro Vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, summam admirationem, qua intime affecti fuimus, ubi scriptum a quodam viro ecclesiastica Dignitate insignito elucubratum, typisque editum ad Nos pervenit. Namque idem vir in huiusmodi scripto de quibusdam loquens doctrinis, quas Ecclesiarum regionis suae traditiones appellat, et quibus huius Apostolicae Sedis iura coarctare intenditur, haud erubuit asserere, traditiones ipsas a Nobis in pretio haberi. Absit enimvero, Venerabiles Fratres, ut mens aut cogitatio Nobis unquam fuerit vel minimum declinare a Maiorum institutis, aut abstinere ab huius Sanctae Sedis auctoritate sarta tecta conservanda, atque tuenda. Habemus equidem in pretio peculiares traditiones; sed eas tantum, quae a Catholicae Ecclesiae sensu non discrepent, praesertim vero illas reveremur ac firmissime tuemur, quae cum aliarum Ecclesiarum traditione, atque in primis cum hac sancta Romana Ecclesia plane congruant, ad quam, ut S. Irenaei verbis utamur, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.*[1]

At aliud insuper est, quod animum Nostrum vehementer angit et urget. Ignotum certe Vobis non est, Venerabiles Fratres, multos huiusmodi Catholicae veritatis in id praesertim nostris temporibus conatus suos intendere, ut monstruosa quaeque opinionum portenta aequiparare doctrinae Christi, aut cum ea commiscere vellent, atque ita impium illud de cuiuslibet religionis *indifferentia* systema magis magisque propagare commoliuntur. Novissime autem, horrendum dictu! inventi aliqui sunt qui eam nomini, et Apostolicae dignitati Nostrae contumeliam imposuerunt, uti Nos veluti participes stultitiae suae, et memorati nequissimi systematis fautores traducere non dubitarint. Hi nimirum ex consiliis, a Religionis Catholicae sanctitate haud certe

[1] S. Iren., Contra haereses lib. 3, cap. 3.

alienis, quae in negotiis quibusdam ad civilem pontificiae Ditionis procurationem spectantibus benigne ineunda duximus publicae commoditati et prosperitati ampliandae, atque ex venia nonnullis eiusdem Ditionis hominibus initio ipso Pontificatus Nostri clementer impertita, coniicere voluerunt, Nos ita benevole sentire de quocumque hominum genere, ut nedum Ecclesiae filios, sed ceteros etiam utut a Catholica unitate alieni permaneant, esse pariter in salutis via, atque ad aeternam vitam pervenire posse arbitremur. Desunt Nobis prae horrore verba ad novam hanc contra Nos, et tam atrocem iniuriam detestandam. Amamus equidem intimo cordis affectu homines universos, non aliter tamen quam in caritate Dei, et Domini Nostri Iesu Christi, qui venit quaerere, et salvum facere quod perierat, qui pro omnibus mortuus est, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; qui misit proinde discipulos suos in mundum universum praedicare evangelium omni creaturae, denuntians eos, qui crediderint et baptizati fuerint, salvos fore, qui vero non crediderint condemnatum iri. Veniant igitur qui salvi fieri volunt ad columnam et firmamentum veritatis, quod Ecclesia est, veniant scilicet ad veram Christi Ecclesiam, quae in suis Episcopis summoque omnium capite Romano Pontifice successionem habet Apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam, quae nihil unquam potius habuit quam ut praedicaret, atque omni ope custodiret ac tueretur doctrinam ex Christi mandato ab Apostolis annunciatam; quae inde ab Apostolorum aetate in mediis omne genus difficultatibus crevit, et per totum orbem miraculorum splendore inclyta, martyrum sanguine amplificata, Confessorum et Virginum nobilitata virtutibus, Patrum testimoniis scriptisque sapientissimis corroborata viguit, vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulget. Nos qui licet indigni, praesidemus in suprema hac Petri Apostoli Cathedra, in qua Christus Dominus eiusdem Ecclesiae suae fundamentum posuit, nullis ullo unquam tempore curis laboribusque abstinebimus, ut per ipsius Christi gratiam eos qui ignorant, et errant ad unicam hanc veritatis et salutis viam adducamus. Meminerint autem quicumque ex adverso sunt, transiturum quidem coelum et terram, sed nihil praeterire unquam posse ex verbis Christi, neque in doctrina commutari, quam a Christo Ecclesia Catholica custodiendam, tuendam et praedicandam accepit.

Post haec haud possumus, quin Vobis, Venerabiles Fratres, loquamur de doloris acerbitate, qua confecti fuimus, propterea quod paucis ante diebus in hac alma Urbe Nostra catholicae religionis arce et centro nonnulli paucissimi illi quidem homines prope delirantes reperiri potuerint, qui vel ipsum humanitatis sensum subiicientes cum maximo aliorum ipsius Urbis civium fremitu et indignatione minime exhorruerunt palam publiceque triumphare in luctuosissimo intestino bello nuper inter Helvetios excitato. Quod fatale sane bellum Nos intimo corde ingemiscimus, tum ob effusum illius nationis sanguinem, fraternamque caedem, et atroces, diuturnas, funestasque discordias, odia, dissidia, quae ex civilibus potissimum bellis in populo redundare solent, tum ob detrimenta, quae inde catholicae rei obvenisse accepimus, et obventura adhuc timemus, tum denique ob deploranda sacrilegia in primo conflictu commissa, quae commemorare animus refugit.

Ceterum dum haec lamentamur, humillimas Deo totius consolationis agimus gratias, qui in multitudine misericordiae suae non desinit Nos consolari in omni tribulatione Nostra. Etenim inter tantas angustias non leve certe Nobis solatium afferunt et prosperi sacrarum Missionum eventus, et strenui evangelicorum Ministrorum labores, qui apostolico zelo incensi, gravissima quaeque pericula atque discrimina invicte despicientes, in remotissimis regionibus populos ab errorum tenebris, morumque feritate ad catholicae veritatis lumen, omnemque virtutis et humanitatis cultum traducere, ac pro Dei gloria et animarum salute fortiter pugnare non desinunt, et pientissima ac plane eximia catholicorum populorum studia, qui Nostris desideriis mirifice obsecundantes non levia afflictae pauperum Hibernorum genti subsidia praebere haud intermiserunt, quique tum largitionibus ad Nos etiam missis, tum assiduis ad Deum precibus omnem opem conferre non cessant, ut sanctissima Christi fides atque doctrina longe lateque ubique gentium, ubique terrarum felici faustoque progressu magis magisque propagetur. Quae praeclara opera omni certe laudum praeconio digna dum peculiari gratissimi animi Nostri testificatione prosequimur, a clementissimo bonorum omnium largitore Deo humiliter poscimus, ut fidelibus suis uberem pro illis retribuat in aeternitate mercedem.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae Vobis hodierno die significanda iudicavimus. Cum autem hanc Nostram Allocutionem in publicum emittere censuerimus, hac occasione sermonem Nostrum ad alios quoque Venerabiles Fratres, universi catholici Orbis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, toto cordis affectu convertimus, eosque omnes et singulos obsecramus, atque hortamur in Domino ut stabili inter se concordia et caritate coniuncti, atque arctissimo fidei et observantiae vinculo Nobis et huic Petri Cathedrae obstricti, perfecti sint in eodem sensu et in eadem sententia, atque humanis quibusque sepositis rationibus, et solum Deum ob oculos habentes, Eiusque auxilium iugibus, fervidisque precibus implorantes, nihil vigilantiae, nihil laboris unquam praetermittant, ut episcopali fortitudine, constantia, prudentia praelientur praelia Domini, et maiori usque alacritate dilectas oves eorum curae commissas ab venenatis pascuis avertant, ad salutaria propellant, easque nunquam patiantur decipi doctrinis variis et peregrinis, sed strenue a rapacium luporum insidiis, et impetu defendant, itemque errantes in omni bonitate, patientia, et doctrina ad veritatis et iustitiae semitam reducere contendant, ut et illi divina auxiliante gratia occurrant in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei, atque ita fiant nobiscum unum ovile et unus pastor.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 70-77].

507.

Pius IX, allocut. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849.

1. Quibus quantisque malorum procellis summo cum animi Nostri dolore Pontificia Nostra ditio, omnisque fere Italia miserandum in modum iactetur ac perturbetur, nemo certe ignorat, Venerabiles Fratres. Atque utinam homi-

nes tristissimis hisce rerum vicibus edocti aliquando intelligant, nihil ipsis perniciosius esse posse, quam a veritatis, iustitiae, honestatis et religionis semitis deflectere, ac nequissimis impiorum consiliis acquiescere, eorumque insidiis, fraudibus et erroribus decipi atque irretiri! Equidem universus terrarum orbis probe noscit, atque testatur, quae quantaque fuerit paterni atque amantissimi animi Nostri cura sollicitudo in vera solidaque Pontificiae Nostrae ditionis populorum utilitate, tranquillitate, prosperitate procuranda, et quis tantae Nostrae indulgentiae et amoris fructus extiterit. Quibus quidem verbis callidissimos tantorum malorum artifices dumtaxat damnamus, quin ullam maximae populorum parti culpam tribuere velimus. Verumtamen deplorare cogimur, multos etiam e populo ita misere fuisse deceptos, ut aures suas a Nostris vocibus ac monitis avertentes, illas fallacibus quorumdam magistrorum doctrinis praebuerint, qui relinquentes *iter rectum, et per vias tenebrosas* ambulantes [1] eo unice spectabant, ut imperitorum praesertim animos mentesque magnificis falsisque promissis in fraudem et in errorem inducerent, ac plane compellerent. Omnes profecto norunt, quibus laudum praeconiis fuerit ubique concelebrata memoranda illa et amplissima venia a Nobis ad familiarum pacem, tranquillitatem, felicitatemque procurandam concessa. Ac neminem latet, plures ea venia donatos non solum suam mentem vel minimum haud immutasse, quemadmodum sperabamus, verum etiam eorum consiliis et molitionibus acrius in dies insistentes nihil unquam inausum nihilque intentatum reliquisse, ut civilem Romani Pontificis Principatum, eiusque regimen, uti iamdiu machinabantur, labefactarent et funditus everterent, ac simul acerrimum sanctissimae nostrae religioni bellum inferrent. Ut autem id facilius consequi possent, nihil antiquius habuere, quam multitudines in primis convocare, inflammare, easque assiduis magnisque motibus agitare, quos vel Nostrarum concessionum praetextu continenter fovere, et in dies augere summopere studebant. Hinc concessiones in ipso Nostri Pontificatus initio a Nobis ultro ac libenter datae non solum optatos fructus haud emittere, sed ne radices quidem agere unquam potuere, cum peritissimi fraudum architecti iisdem concessionibus ad novas concitandas agitationes abuterentur. Atque in hoc vestro consessu, Venerabiles Fratres, facta ipsa vel leviter attingere, ac raptim commemorare ea sane mente censuimus, ut omnes bonae voluntatis homines clare aperteque cognoscant, quid Dei et humani generis hostes velint, quid optent, quidque ipsis in animo semper fixum destinatumque sit.

2. Pro singulari Nostro in subditos affectu dolebamus, ac vehementer angebamur, Venerabiles Fratres, cum assiduos illos populares motus tum publicae tranquillitati et ordini, tum privatae familiarum quieti ac paci tantopere adversos videremus, nec proferre poteramus crebras illas pecuniarias collectas, quae variis nominibus non sine levi civium incommodo et dispendio postulabantur. Itaque mense Aprili anno 1847 per publicum Edictum Nostri Cardinalis a publicis negotiis omnes monere haud omisimus, ut ab eiusmodi popularibus conventibus et largitionibus sese abstinerent, atque ad propria

[1] Prov., c. 2, v. 13.

pertractanda negotia animum mentemque denuo converterent, omnemque in Nobis fiduciam collocarent, ac pro certo haberent, paternas Nostras curas cogitationesque ad publica commoda comparanda unice esse conversas, quemadmodum iam pluribus ac luculentissimis argumentis ostenderamus. Verum salutaria haec Nostra monita, quibus tantos populares motus compescere, et populos ipsos ad quietis et tranquillitatis studia revocare nitebamur, pravis quorumdam hominum desideriis et machinationibus vehementer adversabantur. Itaque indefessi agitationum auctores, qui iam alteri ordinationi iussu Nostro ab eodem Cardinali ad rectam utilemque populi educationem promovendam editae obstiterant, vix dum monita illa Nostra noverunt, haud destitere contra ipsa ubique inclamare, et acriori usque studio incautas multitudines commovere, eisque callidissime insinuare ac persuadere, ne illi tranquillitati a Nobis tantopere exoptatae se unquam dare vellent, cum insidiosum in ea lateret consilium, ut populi quodammodo indormirent, atque ita in posterum duro servitutis iugo facilius opprimi possent. Atque ex eo tempore plurima scripta typis quoque edita, atque acerbissimis quibusque contumeliis, conviciis minisque plenissima ad Nos missa fuere, quae oblivione sempiterna obruimus, flammisque tradidimus. Ut autem inimici homines fidem aliquam facerent falsis periculis, quae in populum impendere clamitabant, haud reformidarunt mentitae cuiusdam coniurationis, ab ipsis apposite excogitatae, rumorem ac metum in vulgus spargere, ac turpissimo mendacio vociferari, eiusmodi coniurationem initam esse ad urbem Romam civili bello, caedibus ac funeribus funestandam, ut novis institutionibus penitus sublatis atque deletis, pristina gubernandi forma iterum revivisceret. Sed huius falsissimae coniurationis praetextu inimici homines eo spectabant, ut populi contemptum, invidiam, furorem contra quosdam lectissimos quoque viros virtute, religione praestantes, et ecclesiastica etiam dignitate insignes nefarie commoverent atque excitarent. Probe nostis, in hoc rerum aestu civicam militiam fuisse propositam, ac tanta celeritate collectam, ut rectae illius istitutioni et disciplinae consuli minime potuerit.

3. Ubi primum ad publicae administrationis prosperitatem magis magisque procurandam opportunum fore censuimus Status Consultationem instituere, inimici homines occasionem exinde statim arripuere, ut nova Gubernio vulnera imponerent ac simul efficerent, ut huiusmodi institutio, quae publicis populorum rationibus magnae utilitati esse poterat, in damnum ac perniciem cederet. Et quoniam eorum opinio impune iam invaluerat, ea institutione et Pontificii regiminis indolem ac naturam immutari, et Nostram auctoritatem Consultorum iudicio subiici, idcirco eo ipso die quo illa Status Consultatio inaugurata fuit, haud omisimus turbulentos quosdam homines, qui Consultores comitabantur, gravibus severisque verbis serio monere, eisque verum huius institutionis finem clare aperteque manifestare. Verum perturbatores nunquam desinebant deceptam populi partem maiore usque impetu sollicitare, et quo facilius asseclarum numerum habere et augere possent, tum in Pontificia Nostra ditione, tum apud exteras quoque gentes insigni prorsus impudentia atque audacia evulgabant, eorum opinionibus et consiliis Nos plane assentire. Memineritis, Venerabiles Fratres, quibus verbis in Nostra

Consistoriali Allocutione die 4 mensis Octobris anno 1847 ad Vos habita [1] universos populos serio commonere et exhortari haud omiserimus, ut ab eiusmodi veteratorum fraude studiosissime caverent. Interim vero pervicaces insidiarum et agitationum auctores, ut turbas metusque continenter alerent et excitarent, mense Ianuario superioris anni incautorum animos inani externi belli rumore territabant, atque in vulgus spargebant, bellum idem internis conspirationibus et malitiosa Gubernantium inertia foveri ac sustentatum iri. Nos ad tranquillandos animos, et insidiantium fallacias refellendas, nulla quidem interposita mora, die 10 Februarii ipsius anni voces eiusmodi omnino falsas et absurdas esse declaravimus illis Nostris verbis, quae omnes probe cognoscunt. Atque in eo tempore carissimis Nostris subditis, quod nunc Deo bene iuvante eveniet, praenuntiavimus, futurum scilicet, ut innumerabiles filii ad communis omnium fidelium Patris domum, ad Ecclesiae nempe Statum propugnandum convolarent, si arctissima illa grati animi vincula, quibus Italiae Principes, populique intime inter se obstringi debebant, dissoluta fuissent, ac populi ipsi suorum Principum sapientiam, eorumque iurium sanctitatem vereri, ac totis viribus tueri et defendere neglexissent.

4. Etsi vero Nostra illa verba nuper commemorata tranquillitatem brevi quidem temporis spatio iis omnibus attulere, quorum voluntas continuae adversabatur perturbationi, nihil tamen valuere apud infensissimos Ecclesiae, et humanae societatis hostes, qui novas iam turbas, novos tumultus concitaverant. Siquidem calumniis insistentes, quae ab ipsis eorumve similibus contra Religiosos Viros divino ministerio addictos, et bene de Ecclesia meritos disseminatae fuerant, populares iras omni impetu adversus illos excitarunt atque inflammarunt. Neque ignoratis, Venerabiles Fratres, nihil valuisse Nostra verba ad populum die 10 Martii superioris anni habita, quibus Religiosam illam familiam ab exilio et dispersione eripere magnopere studebamus.

5. Cum inter haec notissimae illae rerum publicarum conversiones in Italia et Europa evenirent, Nos iterum Apostolicam Nostram attollentes vocem die 30 Martii eiusdem anni haud omisimus universos populos etiam atque etiam monere hortari, ut et catholicae Ecclesiae libertatem vereri, et civilis societatis ordinem tegere, et omnium iura tueri, et sanctissimae nostrae Religionis praecepta exequi, et in primis christianam in omnes caritatem exercere omnino studerent, quandoquidem si haec ipsi agere neglexissent, pro certo haberent, quod Deus ostenderet, se populorum dominatorem esse.

6. Iam vero quisque vestrum plane noscit quomodo in Italiam Constitutionarii regiminis forma fuerit invecta, et quomodo Statutum a Nobis die 14 Martii superioris anni Nostris subditis concessum in lucem prodierit. Cum autem implacabiles publicae tranquillitatis et ordinis hostes nihil antiquius haberent, quam omnia contra Pontificium Gubernium conari, et populum assiduis motibus, suspicionibus exagitare, tum qua scriptis in lucem editis, qua Circulis, qua Societatibus et aliis quibusque artibus nunquam

[1] *Quisque vestrum.* – Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 64-69.

intermittebant Gubernium atrociter calumniari, eique inertiae, doli et fraudis notam inurere, licet Gubernium ipsum omni cura et studio in id incumberet, ut Statutum tantopere exoptatum maiore, qua fieri posset, vulgaretur celeritate. Atque in universo terrarum orbi manifestare volumus eo ipso tempore homines illos in suo constantes proposito subvertendi Pontificiam ditionem, totamque Italiam, Nobis proposuisse non iam Constitutionis, sed Reipublicae proclamationem, veluti unicum tum Nostrae, tum Ecclesiae Status incolumitatis perfugium atque praesidium. Subit adhuc nocturna illa hora, et versantur Nobis ante oculos quidam homines, qui a fraudum architectis misere illusi ac decepti illorum ea in re causam agere, atque eamdem reipublicae proclamationem Nobis proponere non dubitabant. Quod quidem, praeter innumera alia et gravissima argumenta, magis magisque demonstrat, novarum institutionum petitiones et progressum ab huiusmodi hominibus tantopere praedicatum eo unice spectare, ut assiduae foveantur agitationes, ut omnia iustitiae, virtutis, honestatis, religionis principia usquequaque penitus tollantur, atque horrendum et luctuosissimum, ac vel ipsi naturali rationi et iuri maxime adversum, *Socialismi,* vel etiam *Communismi,* uti appellant, systema cum maximo totius humanae societatis detrimento et exitio quaquaversus inducatur, propagetur, ac longe lateque dominetur.

7. Sed quamvis haec teterrima conspiratio, vel potius haec diuturna conspirationum series clara esset et manifesta, tamen, Deo sic permittente, multis illorum fuit ignota, quibus communis tranquillitas tot sane de causis cordi summopere esse debeat. Atque etsi indefessi turbarum moderatores gravissimam de se suspicionem darent, tamen non defuere quidam bonae voluntatis homines, qui amicam illis manum praebuere, ea forsitan spe freti fore, ut eos ad moderationis et iustitiae semitam reducere possent.

8. Interim belli clamor per universam Italiam extemplo pervasit, quo Pontificiae Nostrae ditionis subditorum pars commota atque abrepta ad arma convolavit, ac Nostrae voluntati obsistens eiusdem Pontificiae ditionis fines praetergredi voluit. Nostis, Venerabiles Fratres, quomodo debitas tum Summi Pontificis, tum Supremi Principis partes obeuntes iniustis illorum desideriis obstiterimus, qui Nos ad illud bellum gerendum pertrahere volebant, quique postulabant, ut inexpertam iuventutem subitario modo collectam, ac militaris artis peritia et disciplina nunquam excultam, et idoneis ductoribus bellicisque subsidiis destitutam ad pugnam, id est ad certam caedem compelleremus. Atque id a Nobis expetebatur qui licet immerentes inscrutabili Divinae providentiae consilio ad Apostolicae Dignitatis fastigium evecti, ac vicariam Christi Iesu hic in terris operam gerentes a Deo, qui est auctor pacis, et amator caritatis, missionem accepimus, ut omnes populos, gentes, nationes pari paterni amoris studio prosequentes, omnium saluti totis viribus consulamus, et non iam ut homines ad clades mortemque impellamus. Quod si quicumque Princeps nonnisi iustis de causis bellum aggredi nunquam potest, ecquis tam consilii, et rationis expers unquam erit, qui plane non videat, catholicum orbem merito atque optimo iure longe maiorem iustitiam, gravioresque causas a Romano Pontifice requirere, si Pontificem ipsum alicui bellum indicere et inferre conspiciat? Quamobrem Nostra Allocutione die 29

Aprilis superiori anno ad Vos habita[1] palam publiceque declaravimus, Nos ab illo bello omnino esse alienos. Atque eodem tempore insidiosissimum profecto munus tum voce, tum scripto Nobis oblatum, ac non solum Personae Nostrae vel maxime iniuriosum, verum etiam Italiae perniciosissimum repudiavimus, reiecimus, ut scilicet Italicae cuiusdam Reipublicae regimine praesidere vellemus. Equidem singulari Dei miseratione gravissimum loquendi, monendi, hortandique munus a Deo ipso Nobis impositum implendum curavimus, atque adeo confidimus, Nobis illud Isaiae improperari non posse: *Vae mihi quia tacui.* Utinam vero paternis Nostris vocibus, monitis, hortationibus suas Nostri omnes filii praebuissent aures!

9. Memineritis, Venerabiles Fratres, qui clamores, quique tumultus a turbulentissimae factionis hominibus excitati fuere post Allocutionem a Nobis nunc commemoratam, et quomodo civile Ministerium Nobis fuerit impositum Nostris quidem consiliis, ac principiis, et Apostolicae Sedis iuribus summopere adversum. Nos quidem iam inde infelicem Italici belli exitum futurum animo prospeximus, dum unus ex illis Ministris asserere non dubitabat, bellum idem, Nobis licet invitis ac reluctantibus, et absque Pontificia benedictione, esse duraturum. Qui quidem Minister gravissimam Apostolicae Sedi inferens iniuriam haud extimuit proponere civilem Romani Pontificis Principatum a spirituali eiusdem potestate omnino esse separandum. Atque idem ipse haud multo post ea de Nobis palam asserere non dubitavit, quibus Summum Pontificem ab humani generis consortio eiiceret quodammodo et dissociaret. Iustus et misericors Dominus voluit Nos humiliare sub potenti manu Eius, cum permiserit, ut plures per menses veritas ex una parte, mendacium ex altera acerrimo inter se dimicarent certamine, cui attulit finem novi Ministerii electio, quod postea alteri locum cessit, in quo ingenii laus cum peculiari tum publici Ordinis tutandi, tum legum observandarum studio erat coniuncta. Verum effraenata pravarum cupiditatum licentia et audacia in dies caput altius extollens longe grassabatur, ac Dei hominumque hostes diuturna ac saeva dominandi, diripiendi ac destruendi siti incensi nihil iam aliud optabant, quam iura quaeque divina et humana subvertere, ut eorum desideria possent explere. Hinc machinationes iamdiu comparatae palam publiceque emicuere, et viae humano sanguine respersae, et sacrilegia nunquam satis deploranda commissa, et inaudita prorsus violentia in Nostris ipsis Quirinalibus Aedibus infando ausu Nobis illata. Quocirca tantis oppressi angustiis cum ne dum Principis, sed ne Pontificis quidem partes libere obire possemus, non sine maxima animi Nostri amaritudine a Sede Nostra discedere debuimus. Quae luctuosissima facta in publicis Nostris protestationibus enarrata hoc loco iterum recensere praeterimus, ne funesta illorum recordatione communis noster recrudescat dolor. Ubi vero seditiosi homines Nostras illas noverunt protestationes, maiore furentes audacia, et omnia omnibus minitantes nulli neque fraudis, neque doli, neque violentiae generi perpecerunt, ut bonis omnibus iam pavore prostratis maiorem usque terrorem iniicerent. Ac postquam novam illam Gubernii formam ab ipsis *Giunta di Stato* appellatam invexere, ac penitus sustulerunt duo Consilia a Nobis instituta, totis viribus elaborarunt, ut novum cogeretur Consilium, quod *Constituentis Romanae* nomine nuncupare voluerunt. Refugit quidem animus, ac dicere reformidat quibus quantisque fraudibus ipsi usi fuerint, ut eiusmodi rem ad exitum perducerent. Hic vero haud possumus, quin meritas maiori Pontificiae ditionis Magistratuum parti laudes tribuamus, qui proprii honoris et officiis memores munere se abdicare maluerunt, quam ullo modo manum operi admovere, quo eorum Princeps et amantissimus Pater legitimo suo civili Principatu spoliabatur. Illud tamdem consilium fuit coactum, et quidam Romanus Advocatus vel in ipso suae primae orationis exordio ad congregatos habitae, omnibus clare aperteque declaravit, quid ipse cunctique alii sui socii horribili agitationis auctores sentirent, quid vellent et quo spectarent. *Lex,* ut ille inquiebat, *moralis progressus* est *imperiosa et inexorabilis,* ac simul addebat, sibi, ceterisque iamdiu in animo fixum esse, temporale Apostolicae Sedis dominium ac regimen funditus evertere, licet modis omnibus eorum desideriis a Nobis fuisset obsecundatum. Quam declarationem in hoc vestro consessu commemorare voluimus, ut omnes intelligant pravam huiusmodi voluntatem non coniectura, aut suspicione aliqua a Nobis turbarum auctoribus fuisse attributam, sed eam universo terrarum orbi palam publiceque ab illis ipsis manifestam, quos vel ipse pudor ab eadem proferenda declaratione revocare debuisset. Non liberiores igitur institutiones, non utiliorem publicae administrationis procurationem, non providas cuiusque generis ordinationes huiusmodi homines cupiebant, sed civilem Apostolicae Sedis principatum, potestatemque impetere, convellere ac destruere omnino volebant. Ac eiusmodi consilium, quantum in ipsis fuit, ad exitum deduxerunt illo *Romanae,* uti vocant, *Constituentis* decreto die 9 Februarii huius anni edito, quo nescimus, an maiori iniustitia contra iura Romanae Ecclesiae, adiunctamque illis Apostolici obeundi muneris libertatem, vel maiori subditorum Pontificiae ditionis damno et calamitate, Romanos Pontifices a temporali Gubernio tum iure tum facto decidisse declararunt. Non levi quidem moerore ob tam tristia facta confecti fuimus, Venerabiles Fratres, atque illud in primis vel maxime dolemus, quod Urbs Roma Catholicae veritatis et unitatis centrum, virtutis ac sanctitatis magistra per impiorum ad eam quotidie confluentium hominum operam, omnibus gentibus, populis, nationibus tantorum malorum auctrix appareat. Verumtamen in tanto animi Nostri dolore pergratum Nobis est, posse affirmare, longe maximam tum Romani Populi, tum aliorum Pontificiae Nostrae ditionis populorum partem Nobis, et Apostolicae Sedi, constanter addictam a nefariis illis machinationibus abhorruisse, licet tot tristium eventuum spectatrix extiterit. Summae quoque consolationi Nobis fuit Episcoporum, et Cleri Pontificiae Nostrae ditionis sollicitudo, qui in mediis periculis, et omne genus difficultatibus ministerii et officii sui partes obire non destiterunt, ut populos ipsos qua voce, qua exemplo a motibus illis, nefariisque factionis consiliis averterent.

10. Nos certe in tanto rerum certamine atque discrimine nihil intentatum reliquimus, ut publicae tranquillitati et ordini consuleremus. Multo enim tempore antequam tristissima illa Novembris facta evenirent, omni studio

[1] *Non semel.* - Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 92-98.

curavimus, ut Helvetiorum copiae Apostolicae Sedis servitio addictae, atque in Nostris Provinciis degentes in urbem deducerentur, quae tamen res contra Nostram voluntatem ad exitum minime fuit perducta eorum opera, qui mense Maio Ministrorum munere fungebantur. Neque id solum, verum etiam ante illud tempus, nec non et postea tum publico praesertim Romae ordini tuendo, tum inimicorum hominum audaciae comprimendae curas Nostras convertimus ad alia militum praesidia comparanda, quae, Deo ita permittente, ob rerum ac temporum vicissitudines Nobis defuere. Tandem post ipsa luctuosissima Novembris facta haud omisimus Nostris Litteris die quinta Ianuarii datis omnibus indigenis Nostris militibus etiam atque etiam inculcare, ut religionis et militaris honoris memores iuratam suo Principi fidem custodirent, ac sedulam impenderent operam, quo ubique tum publica tranquillitas, tum debita erga legitimum Gubernium obedientia ac devotio servaretur. Neque id tantum, verum etiam Helvetiorum copias Romam petere iussimus, quae huic Nostrae voluntati haudquaquam obsequutae sunt, cum praesertim supremus illarum Ductor in hac re haud recte atque honorifice se gesserit.

11. Atque interim factionis moderatores maiore in dies audacia et impetu opus urgentes tum Nostram Personam, tum alios qui Nostro adhaerent lateri horrendis cuiusque generis calumniis et contumeliis lacerare non intermittebant; ac vel ipsis Sacrosancti Evangelii verbis et sententiis nefarie abuti non dubitabant, ut in vestimentis ovium, cum intrinsecus sint lupi rapaces, imperitam multitudinem ad prava quaeque eorum consilia et molimina pertraherent, atque incautorum mentes falsis doctrinis imbuerent. Subditi vero temporali Apostolicae Sedis ditioni, et Nobis immobili fide addicti merito atque optimo iure a Nobis exposcebant, ut eos a tot gravissimis, quibus undique premebantur, angustiis, periculis, calamitatibus et iacturis eriperemus. Et quoniam nonnulli ex ipsis reperiuntur qui Nos veluti causam (innocuam licet) tantarum perturbationum suspiciunt, idcirco isti animadvertant velimus, Nos quidem ut primum ad Supremam Apostolicam Sedem evecti fuimus, paternas Nostras curas et consilia, quemadmodum supra declaravimus, eo certe intendisse, ut Pontificiae Nostrae ditionis populos omni studio, in meliorem conditionem adduceremus, sed inimicorum ac turbulentorum hominum opera factum esse, ut consilia illa Nostra in irritum cederent, contra vero factiosis ipsis, Deo permittente, contigisse, ut ad exitum perducere possent quae a longo ante tempore moliri ac tentare omnibus quibusque malitiae artibus nunquam destiterant. Itaque id ipsum, quod iam alias ediximus, hic iterum repetimus, in tam gravi scilicet ac luctuosa tempestate, qua universus fere terrarum orbis tantopere iactatur, Dei manum esse agnoscendam, Eiusque vocem audiendam, qui eiusmodi flagellis hominum peccata et iniquitates punire solet, ut ipsi ad iustitiae semitas redire festinent. Hanc igitur vocem audiant qui erraverunt a veritate, et derelinquentes vias suas convertantur ad Dominum; audiant etiam illi, qui in hoc tristissimo rerum statu magis de privatis propriis commodis quam de Ecclesiae bono, et rei catholicae prosperitate solliciti sunt, ac meminerint nihil prodesse homini si *mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur;* audiant et pii Ecclesiae filii, ac praestolantes in patientia salutare Dei, et maiore usque studio emundantes conscientias suas ab omni inquinamento peccati, miserationes Domini implorare, Eique magis magisque placere, ac iugiter famulari contendant.

12. Atque inter haec Nostra ardentissima desideria haud possumus eos non monere speciatim, et redarguere, qui decreto illi, quo Romanus Pontifex omni civilis sui imperii honore ac dignitate est spoliatus, plaudunt, ac decretum idem ad ipsius Ecclesiae libertatem felicitatemque procurandam vel maxime conducere asserunt. Hic autem palam publiceque profitemur, nulla Nos dominandi cupiditate, nullo temporalis Principatus desiderio haec loqui, quandoquidem Nostra indoles et ingenium a quavis dominatione profecto est alienum. Verumtamen officii Nostri ratio postulat, ut in civili Apostolicae Sedis Principatu tuendo iura possessionesque Sanctae Romanae Ecclesiae, atque eiusdem Sedis libertatem, quae cum totius Ecclesiae libertate et utilitate est coniuncta, totis viribus defendamus. Et quidem homines, qui commemorato plaudentes decreto tam falsa et absurda affirmant, vel ignorant, vel ignorare simulant, singulari prorsus Divinae providentiae consilio factum esse, ut Romano Imperio in plura regna, variasque ditiones diviso, Romanus Pontifex, cui a Christo Domino totius Ecclesiae regimen et cura fuit commissa, civilem Principatum hac sane de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam regendam, eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad Supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur. Namque omnibus compertum est, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam, et observantiam esse praestitura Romano Pontifici, si illum alicuius Principis, vel Gubernii dominio subiectum, ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi, et regna vehementer suspicari, ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis, vel Gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc praetextu saepius refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quanam fiducia, et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cuiusvis Principis, aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, praesertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam Ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum?

13. Interea nemo non videt quibus quantisque vulneribus in ipsis Pontificiae ditionis regionibus immaculata Christi Sponsa nunc afficiatur, quibus vinculis, qua turpissima servitute magis magisque opprimatur, quantisque angustiis visibile illius Caput obruatur. Ecquis enim ignorat, Nobis communicationem cum Urbe Roma, illiusque Nobis carissimo Clero, et universo Pontificiae ditionis Episcopatu, caeterisque fidelibus ita esse praepeditam, ut ne epistolas quidem, de ecclesiasticis licet ac spiritualibus negotiis agentes, vel mittere, vel accipere libere possimus? Quis nescit, Urbem Romam principem catholicae Ecclesiae Sedem in praesentia proh dolor! silvam frementium bestiarum esse factam, cum ea omnium nationum hominibus redundet, qui vel apostatae, vel haeretici, vel *Communismi,* uti dicunt, aut *Socialismi*

magistri, ac summo contra catholicam veritatem odio animati tum voce, tum scriptis, tum aliis quibusque modis omnigenos pestiferos errores docere, disseminare, omniumque mentes et animos pervertere conantur, ut in Urbe ipsa, si fieri unquam posset, catholicae religionis sanctitas et irreformabilis fidei regula depravetur? Cui iam notum, auditumque non est, in Pontificia ditione Ecclesiae bona, reditus, possessiones ausu temerario et sacrilego occupatas, augustissima templa suis ornamentis nudata, religiosa Coenobia in profanos usus conversa, Virgines Deo sacras vexatas, lectissimos, atque integerrimos Ecclesiasticos, Religiososque viros crudeliter insectatos, in vincula coniectos, et occisos, sacros clarissimos Antistites vel ipsa Cardinalitia dignitate insignes a propriis gregibus dire avulsos, et in carcerem abreptos? Atque haec tanta facinora contra Ecclesiam, eiusque iura, libertatem admittuntur tum in Pontificiae ditionis locis, tum alibi, ubi homines illi, vel eorum similes dominantur, eo scilicet tempore, quo iidem ipsi libertatem ubique proclamant, ac sibi in votis esse confingunt, ut suprema Summi Pontificis potestas a quovis prorsus vinculo expedita omni libertate fruatur.

14. Iam porro neminem latet in qua tristissima ac deploranda conditione carissimi Nostri versentur Subditi eorumdem hominum opera, qui tanta adversus Ecclesiam flagitia committunt. Publicum enim aerarium dissipatum exhaustum, commercium intermissum ac pene extinctum, ingentes pecuniae summae optimatibus viris aliisque impositae, privatorum bona ab illis, qui se populorum rectores et effraenatarum cohortium ductores appellant, direpta, bonorum omnium tremefacta libertas, eorumque tranquillitas in summum discrimen adducta, ac vita ipsa sicarii pugioni subiecta, et alia maxima et gravissima mala ac damna, quibus continenter cives tantopere affliguntur atque terrentur. Haec scilicet sunt illius prosperitatis initia, quam Summi Pontificatus osores Pontificiae Ditionis populis annunciant atque promittunt.

15. In magno igitur et incredibili dolore, quo ob tantas tum Ecclesiae, tum Pontificiae Nostrae ditionis populorum calamitates intime excruciabamur, probe noscentes officii Nostri rationem omnino postulare, ut ad calamitates ipsas amovendas ac propulsandas omnia conaremur, iam inde a die quarta Decembris proximi superioris anni omnium Principum, et Nationum opem, auxiliumque implorare, et exposcere haud omisimus. Ac Nobis temperare non possumus, quin Vobiscum, Venerabiles Fratres, nunc communicemus singularem illam consolationem, qua affecti fuimus, cum iidem Principes et populi, etiam illi qui catholicae unitatis vinculo [1] Nobis voluntatem luculentis sane modis testari ac declarare studuerint. Quod quidem dum acerbissimum animi Nostri dolorem mirifice lenit atque solatur, magis magisque demonstrat quomodo Deus Ecclesiae suae Sanctae semper propitius adsistat. Atque in eam spem erigimur fore, ut omnes intelligant, gravissima illa mala, quibus in hac tanta temporum asperitate populi, ac regna vexantur, ex sanctissimae nostrae religionis contemptu suam duxisse originem, nec aliunde solatium ac remedium habere posse, quam ex divina Christi doctrina, Eiusque Sancta Ecclesia, quae virtutum omnium foecunda parens et altrix

[1] Addenda videntur quaedam verba, forsitan: *destituti sunt.*

atque expultrix vitiorum, dum homines ad omnem veritatem ac iustitiam instituit, eosque mutua caritate constringit, publico civili societatis bono, et ordini mirandum in modum consulit ac prospicit.

16. Postquam vero omnium Principum opem imploravimus, ab Austria, quae Pontificiae Nostrae ditioni ad Septentrionem finitima est, auxilium eo sane libentius efflagitavimus, quod ipsa non solum temporali Apostolicae Sedis dominio tuendo egregiam suam semper operam navaverit, verum etiam quod nunc ea profecto spes affulgeat fore, ut ab illo Imperio iuxta ardentissima Nostra desideria, iustissimasque Nostras postulationes notissima quaedam eliminentur principia ab Apostolica Sede perpetuo improbata, ac propterea inibi Ecclesia in suam restituatur libertatem cum maximo illorum fidelium bono atque utilitate. Quod quidem dum non mediocri animi Nostri consolatione significamus, plane non dubitamus, quin id Vobis non leve afferat gaudium.

17. Idem auxilium a Gallica Natione expostulavimus, quam singulari paterni animi Nostri benevolentia et affectu prosequimur, cum illius Nationis Clerus Populusque fidelis omnibus quibusque filialis devotionis et observantiae significationibus Nostras calamitates et angustias lenire ac solari studuerit.

18. Hispaniae quoque opem invocavimus, quae de Nostris angustiis vehementer anxia atque sollicita alias catholicas Nationes primum excitavit, ut filiali quodam foedere inter se initio communem fidelium Patrem ac Supremum Ecclesiae Pastorem in propriam Sedem reducere contenderent.

19. Hanc denique opem ab utriusque Siciliae Regno efflagitavimus, in quo hospitamur apud illius Regem, qui in veram solidamque suorum populorum felicitatem promovendam totis viribus incumbens tanta religione ac pietate refulget, ut suis ipsis populis exemplo esse possit. Etsi vero nullis verbis exprimere possimus, quanta cura et studio idem Princeps eximiam suam filialem in Nos devotionem omnium officiorum genere, et egregiis factis assidue testari, et confirmare laetatur, tamen praeclara eiusdem Principis in Nos merita nulla unquam delebit oblivio. Neque taciti ullo modo praeterire possumus pietatis, amoris et obsequii significationes, quibus eiusdem Regni Clerus et Populus Nos prosequi nunquam destitit, ex quo Regnum ipsum attigimus.

20. Quamobrem in eam spem erigimur fore, ut, Deo bene iuvante, catholicae illae gentes Ecclesiae, eiusque Summi Pontificis communis omnium fidelium Patris causam prae oculis habentes ad civilem Apostolicae Sedis Principatum vindicandum, ad pacem et tranquillitatem subditis Nostris restituendam quamprimum accurrere properent, ac futurum confidimus, ut Sanctissimae Nostrae religionis et civilis societatis hostes ab Urbe Roma, totoque Ecclesiae Statu amoveantur. Atque id ubi contigerit, omni certe vigilantia, studio, contentione a Nobis erit curandum, ut illi omnes errores, et gravissima propulsentur scandala, quae cum bonis omnibus tam vehementer dolere debuimus. Atque in primis vel maxime allaborandum, ut hominum mentes ac voluntates impiorum fallaciis, insidiis et fraudibus miserandum in modum deceptae collustrentur sempiternae veritatis lumine, quo homines

ipsi funestissimos errorum et vitiorum fructus agnoscant, atque ad virtutis, iustitiae et religionis semitas amplectendas excitentur et inflammentur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, horrenda illa omnigena opinionum monstra, quae ex abyssi puteo ad exitium et vastitatem emersa longe iam lateque cum maximo religionis, civilisque societatis detrimento invaluere, ac debacchantur. Quas perversas pestiferasque doctrinas inimici homines seu voce, seu scriptis, seu publicis spectaculis in vulgus disseminare nunquam intermittunt, ut effraenata cuiusque impietatis, cupiditatis, libidinis licentia magis in dies augeatur et propagetur. Hinc porro illae omnes calamitates, exitia et luctus, quibus humanum genus, ac universus fere terrarum orbis tantopere est funestatus et funestatur. Neque ignoratis cuiusmodi bellum contra sactissimam Nostram religionem in ipsa quoque Italia nunc geratur, quibusque fraudibus et machinationibus teterrimi ipsius religionis, et civilis societatis hostes imperitorum praesertim animos a fidei sanctitate, sanaque doctrina avertere, eosque aestuantibus incredulitatis fluctibus demergere, atque ad gravissima quaeque peragenda facinora compellere conentur. Atque ut facilius eorum consilia ad exitum perducere, et horribiles cuiusque seditionis et perturbationis motus excitare ac fovere possint haereticorum hominum vestigiis inhaerentes, suprema Ecclesiae auctoritate omnino despecta, plane non dubitant Sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato proprio, pravoque sensu invocare, interpretari, invertere, detorquere, ac per summam impietatem sanctissimo Christi nomine nefarie abuti non reformidant. Neque eos pudet palam publiceque asserere, tum cuiusque sanctissimi iuramenti violationem, tum quamlibet scelestam flagitiosamque actionem sempiternae legi repugnantem non solum haud esse improbandam, verum etiam omnino licitam, summisque laudibus efferendam, quando id pro patriae amore, ut ipsi dicunt, agatur. Quo impio ac praepostero argumentandi genere ab eiusmodi hominibus omnis prorsus honestas, virtus, iustitia penitus tollitur, atque nefanda ipsius latronis et sicarii agendi ratio per inauditam impudentiam defenditur et commendatur.

21. Ad ceteras innumeras fraudes, quibus catholicae Ecclesiae inimici continenter utuntur, ut incautos praesertim et imperitos ab ipsius Ecclesiae sinu avellant et abripiant, acerrimae etiam, ac turpissimae accedunt calumniae, quas in personam Nostram intendere et comminisci non erubescunt. Nos quidem nullis licet Nostris meritis Illius hic in terris vicariam gerentes operam, *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur,* acerbissima quaeque convicia in omni patientia, ac silentio perferre, et pro persequentibus, et calumniantibus Nos orare numquam omisimus. Verum cum debitores simus sapientibus, et insipientibus, omniumque saluti consulere debeamus, haud possumus, quin ad praecavendam praesertim infirmorum offensionem, in hoc vestro Consessu a Nobis reiiciamus falsissimam illam, et omnium teterrima calumniam, quae contra Personam humilitatis Nostrae per recentissimas quasdam ephemerides est evulgata. Etsi vero incredibili horrore affecti fuimus ubi illud commentum legimus, quo inimici homines Nobis, et Apostolicae Sedi grave vulnus inferre commoliuntur, tamen nullo modo vereri possumus, ne eiusmodi turpissima mendacia vel

leviter offendere queant supremam illam veritatis Cathedram, et Nos, qui nullo meritorum suffragio in ea collocati sumus. Et quidem singulari Dei misericordia divinis illis Nostri Redemptoris verbis uti possemus *Ego palam loquutus sum mundo... et in occulto loquutus sum nihil.* Atque hic, Venerabiles Fratres, opportunum ducimus ea ipsa iterum dicere et inculcare, quae in Nostra praesertim Allocutione ad vos die 17 Decembris anno 1847 habita[1] declaravimus, inimicos scilicet homines, quo facilius veram germanamque catholicae religionis doctrinam corrumpere, aliosque decipere, et in errorem inducere queant, omnia comminisci, omnia moliri, omnia conari, ut vel ipsa Apostolica Sedes eorum stultitiae particeps et fautrix quodammodo appareat. Nemini autem ignotum est, quae tenebricosissimae, aeque ac perniciosissimae societates, et sectae a fabricatoribus mendacii, et perversorum dogmatum cultoribus fuerint variis temporibus coactae, et institutae, ac variis nominibus appellatae, quo eorum deliramenta, systemata, molimina in aliorum animos totius instillarent, incautorum corda corrumperent, ac latissimam quibusque sceleribus impune patrandis viam munirent. Quas abominabiles perditionis sectas non solum animarum saluti, verum etiam civilis societatis bono et tranquillitati vel maxime infestas, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris damnatas Nos ipsi iugiter detestati sumus, ac Nostris Encyclicis Litteris die 9 Novembris anno 1846 ad universos Catholicae Ecclesiae Antistites datis[2] condemnavimus, et nunc pariter suprema Nostra Apostolica auctoritate iterum damnamus, prohibemus, atque proscribimus.

22. At hac Nostra Allocutione haud sane voluimus vel omnes errores enumerare, quibus populi misere decepti ad tantas impelluntur ruinas, vel singulas percensere machinationes, quibus inimici homines, et catholicae religionis perniciem moliri, et arcem Sion usquequaque impetere, et invadere contendunt. Quae hactenus dolenter commemoravimus satis superque ostendunt ex perversis grassantibus doctrinis, atque ex iustitiae et religionis contemptu eas oriri calamitates et exitia, quibus nationes, et gentes tantopere iactantur. Ut igitur tanta amoveantur damna, nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus, neque vigiliis est parcendum, quo tot perversis doctrinis radicitus evulsis, omnes intelligant, veram solidamque felicitatem virtutis, iustitiae, ac religionis exercitio inniti. Itaque et Nobis, et Vobis, atque aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis summa cura, studio, contentione in primis est allaborandum, ut fideles populi ab venenatis pascuis amoti, atque ad salutaria deducti, ac magis in dies enutriti verbis fidei et insidiantium hominum fraudes et fallacias agnoscant, devitent, ac plane intelligentes, timorem Domini bonorum omnium esse fontem, et peccata atque iniquitates provocare Dei flagella, studeant omni cura declinare a malo, et facere bonum. Quocirca inter tantas angustias non levi certe laetitia perfundimur, cum noscamus quanta animi firmitate et constantia Venerabiles Fratres catholici orbis Antistites Nobis, et Petri Cathedrae firmiter addicti una cum obsequente sibi Clero ad Ecclesiae

[1] Cf. N. 506.
[2] Cf. N. 504.

causam tuendam, eiusque libertatem propugnandam strenue connitantur, et qua Sacerdotali cura et studio omnem impendant operam, qua et bonos magis magisque in bonitate confirment, et errantes ad iustitiae semitas reducant, et pervicaces religionis hostes tum voce, tum scriptis redarguant atque refellant. Dum autem has meritas debitasque laudes ipsis Venerabilibus Fratribus tribuere laetamur, eisdem animos addimus, ut divino auxilio freti pergant alacriori usque zelo ministerium suum implere, ac praeliari praelia Domini, et exaltare vocem in sapientia et fortitudine ad evangelizandam Ierusalem, ad sanandas contritiones Israel. Iuxta haec non desinant adire cum fiducia ad thronum gratiae, ac publicis privatisque precibus insistere, et fidelibus populis sedulo inculcare, ut omnes ubique poenitentiam agant, quo misericordiam a Deo consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno. Nec vero intermittant viros ingenio, sanaque doctrina praestantes hortari, ut ipsi quoque sub eorum, et Apostolicae Sedis ductu populorum mentes illustrare, et serpentium errorum tenebras dissipare studeant.

23. Hic etiam Carissimos in Christo Filios Nostros Populorum Principes, et Rectores obtestamur in Domino, atque ab ipsis exposcimus, ut serio ac sedulo considerantes quae et quanta damna et tot errorum ac vitiorum colluvie in civilem societatem redundent, omni cura, studio, consilio in id potissimum incumbere velint, ut virtus, iustitia, religio ubique dominentur, ac maiora in dies incrementa suscipiant. Atque universi populi, gentes, nationes earumque Moderatores assidue ac diligenter cogitent et meditentur, omnia bona in iustitiae exercitio consistere, omnia vero mala ex iniquitate prodire. Siquidem *iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*[1]

24. Antequam autem dicendi finem faciamus, haud possumus, quin gratissimi animi Nostri sensus illis omnibus carissimis atque amantissimis filiis palam publiceque testemur, qui de Nostris calamitatibus vehementer solliciti singulari prorsus erga Nos pietatis affectu suas Nobis oblationes mittere voluerunt. Etsi vero piae huius largitiones non leve Nobis afferant solatium, tamen fateri debemus, paternum cor Nostrum non mediocri angi angustia, summopere timeamus, ne in tristissima hac rerum publicarum conditione iidem carissimi filii suae in Nos caritati nimium indulgentes, largitiones ipsas proprio etiam incommodo ac detrimento facere velint.

25. Denique, Venerabiles Fratres, Nos quidem investigabilibus sapientiae Dei consiliis, quibus gloriam suam operatur, plane acquiescentes; dum in humilitate cordis Nostri maximas Deo agimus gratias, quod Nos dignos habuerit pro nomine Iesu contumeliam pati, et aliqua ex parte conformes fieri imagini Passionis Eius, parati sumus in omni fide, spe, patientia, et mansuetudine acerbissimos quosque labores, aerumnas perferre, atque ipsam animam Nostram pro Ecclesia ponere, si per Nostrum sanguinem ipsius Ecclesiae calamitatibus consulere possemus. Interim vero, Venerabiles Fratres, ne intermittamus dies noctesque assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum humiliter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti

[1] Prov., c. 14, v. 34.

Filii sui omnipotenti sua dextera Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus iactatur procellis, eripiat, utque divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustret, et in multitudine misericordiae suae omnium praevaricantium corda expugnet, quo cunctis ubique erroribus depulsis, cunctisque amotis adversitatibus, omnes veritatis, et iustitiae lucem adspiciant, agnoscant, atque occurrant in unitatem fidei, et agnitionis Domini Nostri Iesu Christi. Atque ab Ipso, qui facit pacem in sublimibus, quique est pax Nostra, suppliciter etiam exposcere nunquam desinamus, ut malis omnibus, quibus christiana respublica vexatur, penitus avulsis, optatissimam ubique pacem et tranquillitatem facere velit. Ut vero facilius annuat Deus precibus nostris suffragatores apud Eum adhibeamus, atque in primis Sanctissimam immaculatam Virginem Mariam, quae Dei mater et nostra, quaeque mater misericordiae, quod quaerit invenit, et frustrari non potest. Suffragia quoque imploremus Beati Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum coelitum, qui iam facti amici Dei cum ipso regnant in coelis, ut clementissimus Dominus, eorum intervenientibus meritis ac precibus, fidelem populum ab iracundiae suae terroribus liberet, semperque protegat, ac divinae suae propitiationis abundantia laetificet.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 167-194].

508.

Pius IX, ep. *Nostis et Nobiscum*, 5 dec. 1849.[1]

1. Nostis et Nobiscum una conspicitis, Venerabiles Fratres, quanta nuper perversitate invaluerint perditi quidam veritatis, iustitiae et honestatis cuiusque inimici, qui sive per fraudem, omnisque generis insidias, sive palam et tanquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, effraenatam cogitandi, loquendi et impia quaeque audiendi licentiam quaquaversus diffundere contendunt inter fideles Italiae populos, et catholicam Religionem in Italia ipsa labefactare, ac si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Apparuit tota diabolici eorum consilii ratio tum aliis nonnullis in locis, tum in alma praesertim Urbe, Supremi Pontificatus Nostri Sede, in qua, Nobis abire inde coactis, liberius, paucis licet mensibus, debacchati sunt; ubi divinis humanisque rebus nefario ausu commiscendis, eo tandem illorum furor pervenit, ut spectatissimi Urbani Cleri, et Praesulum sacra inibi iussu Nostro impavide curantium turbata opera et auctoritate despecta, vel ipsi interdum miseri aegroti cum morte colluctantes, cunctis destituti religionis subsidiis, animam inter procacis alicuius meretricis illecebras emittere cogebantur.

2. Iam vero etsi deinceps Romana eadem Urbs, et aliae Pontificiae Ditionis provinciae, Deo miserante, per Catholicarum Nationum arma civili Nostro regimini restitutae fuerint, ac bellorum tumultus in aliis pariter

[1] Ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae.

regionibus Italiae cessaverit, non destitere tamen nec sane desistunt improbi illi Dei hominumque hostes a nefando suo opere, sin minus per apertam vim, aliis certe fraudulentis nec semper occultis modis urgendo. Verum infirmitati Nostrae supremam totius Dominici gregis curam in tanta temporum difficultate sustinenti, et peculiaribus huiusmodi Ecclesiarum Italiae periculis vehementer afflictae, non levis inter aerumnas consolatio est ex pastorali Vestro studio, Venerabiles Fratres, cuius multa Nobis documenta, et in medio praeteritae tempestatis turbine non defuerant, et nova in dies clarioraque obveniunt. Ipsa autem rei gravitas urget Nos, ut pro debito apostolici officii Fraternitatibus Vestris, in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, acriores sermone atque hortationibus Nostris addamus stimulos ad praelianda constanter una Nobiscum praelia Domini, atque ad ea omnia concordibus animis providenda ac praestanda, quibus, Deo benedicente, et damna reparentur quaecumque Religioni sanctissimae per Italiam illata iam sint, et imminentia in posterum pericula propulsentur.

3. Inter multiplices fraudes, quibus praedicti Ecclesiae hostes uti consueverunt ad Italorum animos a Fide catholica abalienandos, asserere etiam, et quaquaversus clamitare non erubescunt, catholicam Religionem Italae Gentis gloriae, magnitudini et prosperitati adversari ac propterea opus esse, ut illius loco Protestantium placita et conventicula inducantur, constituantur et propagentur, quo Italia pristinum veterum temporum, scilicet ethnicorum, splendorem iterum acquirere possit. In quo sane illorum commento haud facile quis existimaverit, num detestanda magis et vesanae impietatis malitia, vel impudentia mentientis improbitatis.

4. Etenim spirituale emolumentum ut de potestate tenebrarum in Dei lumen translati et iustificati Gratia Christi heredes simus secundum spem vitae aeternae, hoc scilicet animarum emolumentum, a catholicae Religionis sanctitate dimanans, eius profecto est pretii, ut quaecumque huius mundi gloria et faustitas in comparatione illius plane in nihilum esset computanda. « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero « suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro « anima sua? »[1] At vero tantum porro abest, ut temporalia illa detrimenta Italorum Genti ob verae Fidei professionem acciderint, ut immo Religioni catholicae in acceptis referre illa debeat si Romano labante Imperio non in eam conditionem deciderit, in quam Assyrii et Chaldaei, Medi, Persaeque et Macedones Populi, multos antea dominati per annos commutata deinceps temporum vice, dilapsi fuerant. Etenim nemo prudens ignorat, per sanctissimam Christi Religionem effectum esse, ut Italia non solum a tot ac tantis, quibus obruebatur, errorum tenebris fuerit erepta, verum etiam ut inter antiqui illius imperii ruinas, et barbarorum tota Europa grassantium incursiones, ad eam nihilominus gloriam et magnitudinem prae caeteris totius mundi nationibus se provectam conspiceret, ut per sacram Petri cathedram singulari Dei beneficio in ipsa collocatam latius atque solidius praesideret religione divina, quam praefuerat olim dominatione terrena.

[1] Matthaei, XVI, 26.

5. Atque ex ipso hoc Apostolicae habendae Sedis singulari privilegio, et ex Religione catholica firmiores exinde in Italiae Populis radices obtinente alia porro permulta, eademque insignia beneficia profecta sunt. Siquidem sanctissima Christi Religio verae sapientiae magistra, humanitatis vindex, ac virtutum omnium foecunda parens, avertit quidem Italorum ab infelicis illius gloriae splendore, quam illorum maiores in perpetuo bellorum tumultu, in exterorum oppressione, atque in longe maximo hominum numero, ex eo quod vigebat iure belli, ad durissimam captivitatem redigendo posuerant, sed una simul Italos ipsos Catholicae veritatis luce collustratos ad sectandam iustitiam et misericordiam, atque adeo ad praeclara etiam pietatis in Deum, et beneficentiae erga homines aemulanda opera excitavit. Hinc in praecipuis Italiae urbibus admirari est, sacra templa, et alia Christianorum temporum monumenta, haudquaquam per cruentos labores hominum sub captivitate gementium, sed ingenuo vivificae caritatis studio confecta, et pia cuiusque generis instituta, quae sive ad Religionis exercitia, sive ad educationem iuventutis, et litteras, artes, disciplinas rite excolendas, sive ad miserorum aegritudines et indigentias sublevandas comparata sunt. Haec igitur divina Religio, in qua tot quidem nominibus Italiae salus, felicitas et gloria continetur, haec scilicet Religio illa est; quam ab Italiae populis reiiciendam inclamant? Lacrimas cohibere non possumus, Venerabiles Fratres, dum conspicimus aliquos nunc Italos reperiri, improbos adeo, misereque illusos, ut pravis impiorum hominum plaudentes doctrinis in tantam Italiae perniciem conspirare cum ipsis non reformidant.

6. Sed vero ignotum vobis non est, Venerabiles Fratres, praecipuos illos huius scelestissimae machinationis architectos eo tandem spectare, ut populos omni perversarum doctrinarum vento agitatos, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque ad nefaria novi *Socialismi* et *Communismi* systemata traducant. Norunt autem et longo multorum saeculorum experimento comprobatum vident, nullam sibi consensionem sperari posse cum Ecclesia catholica, quae scilicet in custodiendo divinae revelationis deposito nihil unquam detrahi patitur propositis Fidei veritatibus, nihil illis per nova hominum commenta admisceri. Idcirco consilium inierunt de Italis populis traducendis ad protestantium placita et conventicula; in quibus ut illos decipiant, non aliud esse dictitant, quam diversam verae eiusdem christianae Religionis formam, in qua, aeque ac in Ecclesia catholica, Deo placere datum sit. Interea minime ignorant, profuturum summopere impiae suae causae principium illud quod in protestantium placitis praecipuum est, de Sacris scilicet Scripturis privato uniuscuiusque iudicio intelligendis. Exinde enim facilius sibi fore confidunt, ut primo quidem Sacris ipsis Litteris perperam interpretatis abutantur ad errores suos, quasi Dei nomine, diffundendos; subinde autem ut homines superbissima illa de divinis rebus iudicandi licentia inflatos propellant ad communia ipsa iusti, honestique principia in dubium revocanda.

7. Absit tamen, Venerabiles Fratres, ut Italia, ex qua, ob Sedem Apostolici Magisterii Romae constitutam, nationes aliae incorruptos salutaris doctrinae latices haurire solitae sunt, fiat illis in posterum lapis offensionis

et petra scandali; absit, ut dilecta haec Dominicae Vineae pars in direptionem cedat omnium bestiarum agri; absit ut Itali Populi, venefico Babylonici calicis haustu demendati, parricidalia contra matrem Ecclesiam arma suscipiant. Nobis quidem, uti et Vobis, in haec tanti periculi tempora occulto Dei iudicio reservatis, cavendum omnino est, ne fraudes atque impetus hominum contra Italiae Fidem conspirantium extimescamus, nostris quasi viribus superandos; cum nostrum consilium et fortitudo sit Christus, et sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus.[1] Agite igitur, Venerabiles Fratres, advigilate impensius super creditum gregem, eumque a rapacium luporum insidiis et aggressionibus tueri contendite. Communicate invicem consilia, pergite, ut iam instituistis, coetus habere inter Vos, ut malorum initiis, et praecipuis pro locorum diversitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis, sub auctoritate ac ductu Sanctae huius Sedis promptiora illis remedia comparare valeatis, atque ita una Nobiscum concordissimis animis, totoque pastoralis studii robore curas laboresque Vestros, Deo adiuvante, in id conferatis, ut omnes hostium Ecclesiae impetus, artes, insidiae, molimina irrita fiant.

8. Ea vero ut in irritum cadant, satagendum omnino est, ne populus de Christiana Doctrina, ac de Lege Domini parum instructus, et diuturna in multis grassantium vitiorum licentia hebetatus, paratas sibi insidias, et propositorum errorum pravitatem agnoscere vix possit. A vestra igitur pastorali sollicitudine vehementer exposcimus, Venerabiles Fratres, ut nunquam intermittatis omnem adhibere operam, quo crediti Vobis fideles sanctissima Religionis nostrae dogmata ac praecepta, pro cuiusque captu, diligenter edoceantur, simulque moneantur, et excitentur omnimodis ad vitam moresque suos ad illorum normam componendos. Inflammate in eum finem Ecclesiasticorum hominum zelum, illorum praesertim, quibus animarum cura demandata est, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, et habentes ob oculos Tridentini Concilii praescripta[2] maiori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianae plebis instructionem incumbant, et sacra eloquia, ac salutis monita in omnium cordibus inserere studeant, annunciando ipsis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant.

9. Speciatim vero procurandum est, ut fideles ipsi impressum in animis habeant, alteque defixum dogma illud sanctissimae nostrae Religionis, quod est de necessitate catholicae Fidei ad obtinendam salutem.[3] Hunc in finem summopere conducet, ut in publicis orationibus fideles laici una cum Clero agant identidem peculiares Deo gratias pro inaestimabili catholicae Religionis

[1] Ex S. Leone Magno, Epist. ad Rusticum Narbonensem.

[2] Sess. V, cap. 2; Sess. XXIV, cap. 4 et 7, *de Ref.*

[3] Hoc dogma a Christo acceptum, et inculcatum a Patribus atque a Conciliis, habetur etiam in Formulis Professionis Fidei, tum in ea scilicet, quae apud Latinos, tum in ea, quae apud Graecos, tum in alia, quae apud ceteros Orientales Catholicos in usu est. – Cf. N. 108, 146, 335.

beneficio, quo ipsos omnes clementissime donavit, atque ab eodem Misericordiarum Patre suppliciter petant, ut eiusdem Religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur.

10. Interea Vobis certe peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive a Fraternitatibus Vestris suscipiant Sacramentum Confirmationis, per quod summo Dei beneficio specialis gratiae robur confertur ad Fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam. Nec porro ignoratis, eumdem in finem prodesse, ut ipsi a peccatorum sordibus, per sinceram illorum detestationem, et Sacramentum Poenitentiae expiati, saepius devote percipiant sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo spiritualem esse constat animarum cibum et antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur, atque adeo symbolum unius illius corporis, cuius Christus caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.[1]

11. Equidem non dubitamus, quin Parochi, eorumque adiutores et Sacerdotes alii, qui certis diebus, ieiuniorum praesertim tempore, ad praedicationis ministerium destinari consueverunt, auxiliarem Vobis operam sedulo in his omnibus sint praestituri. Attamen illorum operae adiungere interdum oportet extraordinaria subsidia Spiritualium Exercitiorum, et Sacrarum Missionum, quas, ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles benedicente Domino esse constat tum fovendae bonorum pietati, tum peccatoribus, et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificet, et uberioribus coelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis constantius abhorreat.

12. Ceterum in his omnibus Vestrae, ac Sacerdotibus Vobis auxiliantium curae eo inter alia spectabunt, ut fideles maiorem horrorem concipiant illorum scelerum, quae cum aliorum scandalo patrantur. Nostis enim, quantum diversis in locis excreverit eorum numerus, qui Sanctos Caelites, vel ipsum quoque Sacramentum Dei Nomen palam blasphemare audent, aut in concubinatu vivere dignoscuntur cum incestu interdum coniuncto, aut Festis diebus servilia opera apertis etiam officinis exercent, aut Ecclesiae praecepta de ieiuniis ciborumque delectu pluribus quoque adstantibus contemnunt, aut alia diversa crimina simili modo committere non erubescunt. Meminerit igitur, Vobis instantibus, fidelis populus, et serio consideret magnam peccatorum huiusmodi gravitatem et severissimas poenas, quibus illorum auctores plectendi erunt tum pro reatu cuiusque criminis proprio tum pro spirituali periculo, in quod fratres suos pravi sui exempli contagione induxerunt. Scriptum est enim: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit.*[2]

13. Inter diversa insidiarum genera, quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque Societatis inimici populos seducere annituntur, illud certe in prae-

[1] Ex Trid., Sess. XIII, Decr. *de SS. Euchar. Sacramento,* Cap. 2.

[2] Matthaei XVIII.

cipuis est, quod nefariis consiliis suis iamdiu paratum in novae Artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque in eo toti sunt, ut impios libellos et Ephemerides ac Pagellas mendacii, calumniarum, et seductionis plenas edere in vulgus, ac multiplicare quotidie non intermittant. Immo et praesidio usi Societatum Biblicarum, quae a Sancta hac Sede iamdudum damnatae sunt,[1] Sacra etiam Biblia praeter Ecclesiae regulas[2] in vulgarem linguam translata, atque adeo corrupta, et in pravum sensum infando ausu detorta diffundere, illorumque lectionem sub Religionis obtentu fideli plebi commendare non verentur. Hinc pro sapientia Vestra optime intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta Vobis vigilantia, et sollicitudine adlaborandum sit, ut fideles oves a pestifera illorum lectione prorsus abhorreant; atque ut de divinis nominatim Litteris meminerint, neminem hominum id sibi arrogare posse, ut suae prudentiae innixus illas ad suos sensus contorquere praesumat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia; cui quidem soli a Christo Domino mandatum est, ut Fidei depositum custodiat, ac de vero divinorum eloquiorum sensu, et interpretatione iudicet.[3]

14. Ad ipsam vero pravorum Librorum contagionem comprimendam perutile erit, Venerabiles Fratres, ut quicumque penes Vos sint insignis, sanaeque doctrinae Viri alia parva item molis scripta, a Vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem Fidei, ac salutarem populi instructionem. Ac Vestrae hinc curae erit, ut eadem scripta, ubi et alii incorruptae pariter doctrinae, probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum ac personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur.

15. Omnes autem, qui una Vobiscum in defensionem Fidei allaborant, eo speciatim spectabunt, ut pietatem, venerationem, atque observantiam erga supremam hanc Petri Sedem, qua Vos, Venerabiles Fratres, tantopere excellitis, in vestrorum fidelium animis insinuent, tueantur, alteque defigant. Meminerint scilicet fideles populi, vivere hic, et praesidere in Successoribus suis Petrum Apostolorum Principem,[4] cuius dignitas in indigno etiam eius herede non deficit.[5] Meminerint, Christum Dominum posuisse in hac Petri Cathedra inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum,[6] et Petro ipsi claves dedisse Regni Caelorum,[7] ac propterea orasse, ut non deficeret fides eius, eidemque

[1] Extant ea super re, praeter alia praecedentia Decreta, Encyclicae Litterae Gregorii XVI, datae postridie Nonas Maii MDCCCXLIV, quae incipiunt: *Inter praecipuas machinationes* (Cf. N. 502), cuius sanctiones Nos quoque inculcavimus in Encycl. Epist., data 9 Novembris 1846. - Cf. N. 504.

[2] Vid. Reg. 5 ex iis, quae a Patribus in Concil. Tridentino delectis conscriptae, et a Pio IV approbatae fuerunt in Const. *Dominici gregis,* 24 Mart. 1564 (Cf. N. 105, 426); et additionem eidem factam a Congr. Indicis, auctoritate Ben. XIV, 17 Iun. 1757 (quae praemitti solent Indici Libr. prohibitor.).

[3] Vid. Tridentinum, Sess. IV, in Decret. *De editione et usu Sacrorum Librorum.*

[4] Ex Actis Ephesini Concilii, Act. III et S. Petro Chrysologo, Epist. ad Eutychen.

[5] Leo M., Serm. in Anniv. Assumpt. suae.

[6] V. Matthaei XVI, 18.

[7] Matthaei XVI, 19.

mandasse, ut confirmaret in illa fratres;[1] ut proinde Petri Successor Romanus Pontifex in universum Orbem teneat primatum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor existat.[2]

16. In qua sane erga Romanum Pontificem populorum communione, et obedientia tuenda, brevis et compendiosa via est ad illos in Catholicae veritatis professione conservandos. Neque enim fieri potest, ut quis a Catholica Fide ulla unquam ex parte rebellet, nisi et auctoritatem abiiciat Romanae Ecclesiae, in qua extat eiusdem Fidei irreformabile Magisterium a Divino Redemptore fundatum, et in qua propterea semper conservata fuit ea, quae est ab Apostolis traditio. Hinc non modo antiquis haereticis, sed etiam recentioribus Protestantibus, quorum ceteroquin tanta in reliquis suis placitis discordia est, illud commune semper fuit, ut auctoritatem impugnarent Apostolicae Sedis, quam nullo prorsus tempore, nullaque arte aut molimine, ne ad unum quidem ex suis erroribus tolerandum inducere potuerunt. Idcirco hodierni etiam Dei et humanae Societatis hostes nihil inausum relinquunt, ut Italos populos a Nostro Sanctaeque eiusdem Sedis obsequio divellant; rati nimirum tum demum posse sibi contingere, ut Italiam ipsam impietate doctrinae suae, novorumque systematum peste contaminent.

17. Atque ad pravam hanc doctrinam, et systemata quod attinet, notum iam omnibus est, illos eo potissimum spectare, ut libertatis et aequalitatis nominibus abutentes, exitiosa *Communismi* et *Socialismi* commenta in vulgus insinuent. Constat autem, ipsis seu *Communismi,* seu *Socialismi* magistris, diversa licet via ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris praesertim status homines suis deceptos fallaciis, et faustioris conditionis promissione illusos, continuis commotionibus exagitent, atque ad graviora paullatim facinora exerceant; ut postmodum illorum opera uti possint ad superioris cuiusque Auctoritatis regimen oppugnandum, ad expilandas, diripiendas vel invadendas Ecclesiae primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates, ad omnia tandem violanda divina humanaque iura, in divini cultus destructionem atque in subversionem totius ordinis civilium Societatum. In tanto autem Italiae discrimine Vestrum munus est, Venerabiles Fratres, omnes pastoralis studii nervos intendere, ut fidelis populus agnoscat perversa huiusmodi placita et systemata, si ab illis decipi se patiatur, in aeternam pariter ac temporalem eius perniciem fore cessura.

13. Moneantur itaque fideles curae Vestrae concrediti, pertinere omnino ad naturam ipsam humanae societatis, ut omnes Auctoritati obtemperare debeant legitime in illa constitutae; nec quidquam commutari posse in praeceptis Domini, quae in Sacris Litteris ea super re annuntiata sunt. Scriptum est enim: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum sive regi, « quasi praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam male- « factorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut benefa-

[1] Lucae XXII, 31, 32.

[2] Ex Concilio Oecumenico Florentino in Definit. seu Decr. Unionis. - Cf. N. 51.

« cientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi « liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi « Dei ». [1] Et rursus: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: « non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. « Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, « ipsi sibi damnationem acquirunt ». [2]

19. Sciant praeterea, esse pariter naturalis atque adeo incommutabilis conditionis humanarum rerum, ut inter eos etiam, qui in sublimiori auctoritate non sunt, alii tamen aliis, sive ob diversas animi, aut corporis dotes, sive ob divitias, et externa huiusmodi bona praevaleant: nec ullo libertatis, et aequalitatis, obtentu fieri unquam posse, ut aliena bona, vel iura invadere, aut quomodolibet violare licitum sit. Perspicua hoc quoque in genere, et passim inculcata extant in Sacris Litteris divina praecepta, quibus nedum ab occupatione alienarum rerum, sed ab ipso etiam eius desiderio districte prohibemur. [3]

20. Sed meminerint insuper pauperes, et miseri quicumque homines quantum ipsi debeant Catholicae Religioni, in qua intemerata viget, et palam praedicatur Christi doctrina; qui beneficia in pauperes, vel miseros collata perinde haberi a se declaravit, ac si facta sibi ipsi fuissent: [4] atque omnibus praenuntiatam voluit peculiarem rationem, quam in die Iudicii habiturus est de iisdem misericordiae operibus, sive scilicet ad praemia aeternae vitae fidelibus tribuenda, qui illis vacaverint, sive ad illos, qui ea neglexerint, aeterni ignis poena multandos. [5]

21. Ex qua Christi Domini praenuntiatione, aliisque Illius circa divitiarum usum, earumque pericula severissimis monitis, [6] in Ecclesia Catholica inviolate custoditis, factum porro est, ut pauperes et miseri apud Catholicas gentes in longe mitiore, quam apud alias quaslibet, conditione versentur. Atque hi quidem in regionibus nostris uberiora adhuc subsidia obtinerent, nisi plura instituta, quae Maiorum pietate comparata fuerant ad ipsorum levamen, extincta nuper repetitis publicarum rerum commotionibus, aut direpta fuissent. De reliquo pauperes nostri, Christo ipso docent, meminerint, non esse cur tristes sint de conditione sua: quandoquidem in paupertate ipsa facilior eis parata via est ad obtinendam salutem, dummodo scilicet suam indigentiam patienter sustineant, et non re tantum, sed spiritu pauperes sint. Ait enim: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Coelorum ». [7]

22. Sciat etiam fidelis populus universus, veteres Reges ethnicarum Gentium, aliosque in illis publicarum rerum Praesides multo gravius frequen-

[1] S. Petri Epist. I, Cap. II, 13 seq.
[2] S. Pauli Epist. ad Romanos, XIII, 1 seq.
[3] Exodi XX, 15, 17; Deuteronomii V, 19, 21.
[4] Matthaei XVIII, 15; XXV, 40, 45.
[5] Matthaei XXV, 34 seq.
[6] Matthaei XIX, 23 seq.; Lucae VI, 4; XVIII, 22 seq.; Epist. Iacobi V, 1 seq.
[7] Matthaei V, 3.

tiusque abusos fuisse potestate sua: atque hinc Religioni nostrae sanctissimae in acceptis referendum esse cognoscat, si Principes Christianorum temporum reformidantes, Religione admonente, *iudicium durissimum,* quod *his, qui praesunt, fiet,* et destinatum peccantibus supplicium sempiternum, in quo *potentes potenter, tormenta patientur,* [1] iustiori erga subiectos populos et clementiori regimine utuntur.

23. Agnoscant denique crediti Vestris Nostrisque curis fideles, veram perfectamque hominum libertatem, et aequalitatem in Christianae Legis custodia positam esse; quandoquidem Deus Omnipotens, qui fecit *pusillum et magnum,* et cui *aequaliter cura est de omnibus,* [2] *non subtrahet personam cuiusquam, nec verebitur magnitudinem cuiusquam,* [3] ac diem statuit *in quo iudicaturus est Orbem in aequitate,* [4] in suo unigenito Christo Iesu, qui *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* [5]

24. Quod si fideles iidem paterna suorum Pastorum monita, et commemorata superius Christianae Legis mandata despicientes, a supradictis hodiernarum machinationum promotoribus decipi se patiantur, et in perversa *Socialismi* et *Communismi* systemata conspirare cum illis voluerint, sciant serioque considerent, thesaurizare se sibimetipsis apud Divinum Iudicem thesauros vindictae in die irae; nec quidquam interea ex conspiratione illa temporalis in populum utilitatis, sed nova potius miseriarum et calamitatum incrementa obventura. Non enim datum hominibus est, novas stabilire societates et communiones naturali humanarum rerum conditioni adversantes; atque idcirco conspirationum huiusmodi, si per Italiam dilatarentur, non alius esse exitus posset, nisi ut hodierno publicarum rerum statu per mutuas civium contra cives aggressiones, usurpationes, caedes labefactato funditusque convulso, pauci tandem aliqui, multorum spoliis locupletati, summum in communi ruina dominatum arriperent.

25. Iam vero ad fidelem populum avertendum ab impiorum insidiis, et in professione custodiendum Catholicae Religionis, atque ad vera virtutis opera excitandum, magna, ut probe scitis, vis est in illorum vita et exemplo, qui divinis se ministeriis manciparunt. Verum, proh dolor! non defuere per Italiam aliqui, pauci illi quidem, viri Ecclesiastici, qui ad Ecclesiae hostes transfugae non minimo illis ad fideles decipiendos adiumento fuerunt. Sed Vobis certe, Venerabiles Fratres, novo illorum lapsus stimulo fuit, ut acriori in dies studio in Cleri disciplinam advigiletis. Atque hic in futurum quoque tempus, pro eo ac debemus, prospicere cupientes, temperare Nobis non possumus, quin commendemus denuo quod in prima nostra ad totius Orbis Episcopos Encyclica Epistola inculcavimus, [6] nempe ut nemini cito manus

[1] Sapientiae VI, 6, 7.
[2] Sapientiae VI, 8.
[3] Ibidem.
[4] Actorum XVII, 31.
[5] Matthaei XVI, 27.
[6] 9 Novembris 1846. – Cf. N. 504.

imponatis,[1] sed in Ecclesiasticae Militiae delectu maiorem usque diligentiam adhibeatis. De iis praesertim, qui sacris Ordinibus initiari desiderent, inquirere et diu multumque investigare opus est, num ea doctrina, gravitate morum, et divini cultus studio commendentur, ut certa spes affulgeat fore, ut tanquam lucernae ardentes in Domo Domini, eorum vivendi ratione, atque opera aedificationem et spiritualem Vestro gregi utilitatem afferre queant.

26. Quoniam vero ex Monasteriis recte administratis ingens in Ecclesia Dei splendor atque utilitas dimanat, et Regularis etiam Clerus adiutricem Vobis in procuranda animarum salute operam navat, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, in mandatis damus, primum quidem ut religiosas familias cuiusque Dioecesis Nostro nomine certiores faciatis, Nobis peculiares aerumnas ingemiscentibus, quas multae illarum in recenti calamitoso tempore perpessae sunt, non levi interea consolationi fuisse animorum patientiam, atque in virtutis, et Religionis studio constantiam, quibus plurimi ex religiosis hominibus ad exemplum se commendarunt; etsi aliqui non defuerint, qui suae professionis obliti cum magno bonorum scandalo, et Nostro fratrumque suorum dolore turpissime praevaricati sunt: deinde vero, ut Praesides earumdem Familiarum, et superiores, ubi opus fuerit, illarum Moderatores Nostris verbis adhortemini, ut pro sui officii debito, nulli parcant curae atque industriae, quo Regularis Disciplina, ubi servatur, magis in dies vigeat et floreat, ubi vero detrimentum aliquod passa fuerit, omnino reviviscat, et redintegretur. Moneant instanter iidem Praesides, arguant, increpent religiosos illarum Alumnos, ut serio considerantes quibus se votis Deo obstrinxerunt, illa diligenter reddere studeant, suique Instituti regulas inviolate custodiant, et mortificationem Iesu in suo corpore circumferentes ab iis omnibus abstineant, quae propriae vocationi adversantur, et operibus instent, quae caritatem Dei ac proximi, perfectaeque virtutis studium praeseferant. Caveant praesertim supradicti Ordinum Moderatores, ne ulli ad religiosa Instituta aditum faciant, nisi cuius antea vitam, mores atque indolem accuratissime expenderint; ac deinde illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tyrocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cuiusque Instituti ratione procurare possint. Super his autem deliberatum fixumque Nobis est, ut ea omnino serventur, quae ad Religiosarum Familiarum bonum statuta praescriptaque sunt in Decretis a Nostra Congregatione super Statu Regularium die 25 Ianuarii superiori anno editis, et Apostolica Nostra Auctoritate sancitis.[2]

27. Post haec ad Saecularis Cleri delectum revocato sermone, commendatam in primis volumus Fraternitatibus Vestris instructionem, et educationem minorum Clericorum; quandoquidem idonei Ecclesiae Ministri vix aliter haberi possunt, quam ex illis, qui ab adolescentia et prima ipsa aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint. Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae Tyrones a teneris annis, quoad eius fieri poterit, in Ecclesiastica Seminaria recipiantur, atque inibi, tanquam novellae plantationes succrescentes in circuitu Tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque litteras et minores maioresque disciplinas, praesertim sacras addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cuiusque erroris periculo alienam.

[1] I ad Timoth., V, 22.

[2] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 831-839.

28. Quoniam vero haud facile Vobis continget Minorum omnium Clericorum eruditionem in Seminariis perficere, et ceteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem Vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, Venerabiles Fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in Vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad Catholicae doctrinae normam exigatur, et conveniens in illas iuventus ab idoneis et probitate ac religione spectatis Magistris ad veram virtutem, bonasque artes et disciplinas instituta, opportunis muniatur praesidiis, quibus structas sibi ab impiis insidias agnoscat, et exitiales eorumdem errores devitet, atque ita sibi et christianae, ac civili reipublicae ornamento et utilitati esse possit.

29. Eo autem in genere praecipuam Vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super Professoribus Sacrarum Disciplinarum, et in reliquis omnibus quae Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in his maxime, quae Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cuiusque suspicione immunes. Commonete Animarum Curatores, ut seduli Vobis adiutores sint in iis, quae scholas respiciunt infantium et iuvenum primae aetatis; quo destinentur ad illas Magistri, et Magistrae probatissimae honestatis, et in pueris aut puellis ad Christianae Fidei rudimenta instituendis libri adhibeantur a Sancta hac Sede probati. Qua in re dubitare non possumus, quin Parochi ipsi exemplo illis sint, et Vobis sedulo instantibus, in pueros ad Christianae Doctrinae primordia instruendos quotidie magis incumbant, eamque instructionem ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint.[1] Iidem vero admonendi erunt, ut in suis sive ad pueros, sive ad reliquam Plebem instructionibus habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Tridentini Concilii, et S. Pii V immortalis memoriae Decessoris Nostri iussu editum, alii porro Summi Pontifices, ac nominatim fel. record. Clemens XIII cunctis animarum Pastoribus denuo commendatum voluit, tanquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram, sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium.*[2]

30. Haud sane mirabimini, Venerabiles Fratres, si de his fusiori aliquantulum calamo scripsimus. Enimvero prudentiam Vestram minime fugit, periculoso hoc tempore Vobis Nobisque ipsis omni industria atque opera, ac

[1] Tridentinum, Sess. XXIV, 4; Bened. XIV, Const. *Etsi minime,* 7 febr. 1742. - Cf. N. 324.

[2] In Encyclicis Litteris ea de re ad omnes Episcopos datis 14 iunii 1761. - Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 2, p. 134-136.

magna animi firmitate connitendum et invigilandum esse in illis omnibus, quae Scholas, et puerorum ac iuvenum utriusque sexus instructionem et educationem attingunt. Nostis enim, hodiernos Religionis, humanaeque Societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas omnes artes conferre, ut iuveniles mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant. Idcirco etiam nihil intentatum, nihil prorsus inausum relinquunt, ut Scholas et Instituta quaelibet iuventutis educationi destinata, ab Ecclesiae auctoritate, et a Sacrorum Pastorum vigilantia omni ex parte subducant.

31. Iuxta haec firma spe sustentamur fore, ut carissimi in Christo Filii Nostri omnes Italiae Principes Fraternitatibus Vestris potenti patrocinio suo adfuturi sint, quo in supradictis omnibus muneri Vestro uberius satisfacere valeatis; nec dubitamus, quin iidem ipsi Ecclesiam, et omnia tam spiritualia quam temporalia eius iura tueri velint. Id quidem religioni congruum est, avitaeque pietati, qua se in exemplum animatos ostendunt. Illorum quoque sapientiam non latet, initia malorum omnium, quibus tantopere affligimur, a detrimentis repetenda esse, quae Religioni Ecclesiaeque Catholicae iamdiu, praesertim vero a Protestantium aetate, irrogata fuerant. Perspiciunt scilicet, ex depressa saepius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum in divinis et Ecclesiasticis praeceptis impune violandis, factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga Civilem Potestatem, et hodiernis publicae tranquillitatis inimicis planior inde pateret via ad seditiones contra Principem commovendas. Perspiciunt etiam, ex occupatis non raro direptisque, ac palam divenditis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis iure spectantibus, contigisse, ut decrescente in populis reverentia erga proprietates religionis destinatione consecratas, multi hinc faciliores praeberent aures audacissimis novi *Socialismi* et *Communismi* assertoribus, qui alias pariter aliorum proprietates occupari ac dispertiri, aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscuntur. Perspiciunt insuper recidisse paullatim in civilem Potestatem impedimenta illa, quae iamdiu multiplici fraude comparata fuerant ad cohibendos Ecclesiae Pastores, ne sacra sua Auctoritate uti libere possent. Perspiciunt denique calamitatum, quibus urgemur, nullum aliud invenire posse promptius et maioris virtutis remedium, quam ut refloreat in tota Italia splendor Religionis Ecclesiaeque Catholicae, in qua diversis hominum conditionibus, et indigentiis opportunissima praesto esse praesidia non est dubium.

32. Siquidem (verbis utimur S. Augustini) « Catholica Ecclesia non solum ipsum Deum, sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complectitur, ut omnium morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud illam medicina praepolleat. In ipsa pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exercet et docet. Ipsa feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam sobolem, et ad rei familiaris societatem casta, et fideli obedientia subiicit; et viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute subiungit, parentes filiis pia dominatione praeponit. Ipsa fratribus fratres Religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quam sanguinis, nectit, omnemque generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae, voluntatisque nexibus, mutua caritate constringit. Ipsa dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adhaerere; et dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum magis, quam coercendum propensiores facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungit. Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus exhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria ». [1]

33. Nostrum igitur Vestrumque est, Venerabiles Fratres, ut nulli parcentes labori, nulla unquam difficultate deterriti, toto pastoralis studii robore tueamur in Italis populis cultum catholicae Religionis, et non solum obsistamus alacriter impiorum conatibus, qui Italiam ipsam ab Ecclesiae sinu avellere commoliuntur, sed etiam degeneres illos Italiae filios, qui iam eorumdem artibus seduci se passi fuerint, ad salutis viam revocare annitamur.

34. Verumtamen cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum descendat, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Venerabiles Fratres, et coelestem luminum et misericordiarum Patrem publicis privatisque precibus orare suppliciter atque obsecrare non intermittamus, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi, avertens faciem suam a peccatis nostris, omnium mentes et corda virtute gratiae suae propitius illustret, ac rebelles quoque ad se compellens voluntates, Ecclesiam Sanctam novis victoriis et triumphis amplificet; quo in tota Italia, immo et ubique terrarum, merito pariter ac numero populus ei serviens augeatur. Invocemus etiam Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae praevalido apud Deum patrocinio suo quod quaerit invenit, et frustrari non potest, atque una Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum eius Paulum omnesque Sanctos Coelites, ut Clementissimus Dominus, eorum intervenientibus precibus, flagella iracundiae suae a fidelibus populis avertat; et cunctis, qui Christiana professione censentur, tribuat propitius per gratiam suam et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea quae sunt apta sectari.

35. Demum, Venerabiles Fratres, Nostrae in Vos studiosissimae voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu, Vobis ipsis et Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae Vestrae concreditis peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 198-223].

[1] S. Augustini de Moribus Cathol. Ecclesiae, Lib. I.

509.

Pius IX, allocut. *In consistoriali*, 1 nov. 1850.

1. In consistoriali Oratione, qua Vos alloquuti fuimus XIII Kalendas Iunii huius anni, [1] haud praetermisimus, Venerabiles Fratres, commemorare paucis verbis ac dolere Vobiscum, quae in Carissimi in Christo Filii Nostri Sardiniae Regis Ditione contra Ecclesiae ius gesta nuper statutaque fuerant, atque una significavimus consilium Nobis esse, ut super his accuratiorem in Consessu Vestro sermonem opportuno alio tempore institueremus. Ea vero spe sustentabamur fore, ut iniuriis illic Ecclesiae illatis aliquod interea remedium afferretur, quod annuntiare Vobis possemus. Sed quoniam longe admodum abfuit ut res ex sententia succederet, nostri tandem officii esse duximus, ut ratione in hoc negotio a Nobis adhibita ab ipsis eius rei exordiis brevissime repetita, queramur et graviori oratione reclamemus contra ea omnia, quae tum in continentibus, tum etiam in transmarinis supradictae Ditionis regionibus decreta in Ecclesiae iniuriam aut facta sunt.

2. Nostis, venerabiles fratres, solemnem Conventionem, quae die 27 Martii anni 1841 inter Pontificium et Regium Legatum inita fuit, [2] et quam sine mora tum Gregorius XVI recol. mem. Decessor Noster, tum Carolus Albertus fel. rec. Sardiniae Rex ratam habuerunt et confirmarunt; nostis scilicet hanc Conventionem eo prorsus spectasse, ut Ecclesiasticae immunitates, quae in Ditione illa ex sanctione Sacrorum Canonum diuturno multorum saeculorum decursu viguerant, quaeque recentiori tempore pactis conventis, et Romanorum Pontificum benignitate, aliqua ex parte relaxatae fuerunt, novis adhuc ac multo arctioribus limitibus continerentur. Atque hinc non defuere in Subalpinis provinciis qui de indulgentia Decessoris Nostri ea in re, quasi de nimis ampla concessione mirarentur; et Regium quoque Gubernium nonnullos annos abstinuit ab eiusdem Conventionis legibus in transmarinum suum Sardiniae Regnum inducendis. Iam vero idem Gubernium anno 1848 novam a Nobis conventionem postulavit, et die 14 Septembris eius anni Regius Legatus Legato a Nobis deputato Literas tradidit eiusmodi conventionis formulam proponentes, paucis distinctam articulis, quos prooemium quoddam haud levis sane momenti praecederet. Pervidit facile Legatus Noster postulationem ea, qua explicabatur amplitudine ac verbis admitti prorsus non posse; immo nec agi in postulatione ipsa de mutua aliqua concessione paciscenda; quandoquidem nihil in ea proponebatur, in quo Gubernium ullam, ne levissimam quidem, obligationem erga Ecclesiam contrahere videretur. Itaque Noster idem Legatus novos proposuit articulos Gubernii votis meliori, qua fieri posse censuit, ratione consentaneos, quibus et alios adiunxit in id spectantes, ut Ecclesia omni pene civilis immunitatis usu caritura hanc

[1] *Si semper antea.* – Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 224-234.
[2] Cf. Raccolta di Concordati, p. 736-738.

saltem iacturam liberiore in reliquis suae auctoritatis exercitio compensaret. Declaravit tum Regius Legatus, postulaturum se novas a suo Gubernio instructiones, ut plene ad proposita respondere posset. Ignoramus equidem an instructiones illae Romam unquam advenerint; sed coniicere licet Regium Gubernium rem distulisse propter notissimas calamitates, quae Italiam pene universam subinde afflixerunt, quaeque Nos ipsos a tota Nostra civili Ditione discedere coegerunt. Postea, tranquillatis rebus, dum prope Neapolim tempus praestolaremur, quo in Urbem redire opportunum foret, novus illuc ad Nos missus est Extraordinarius Legatus, cui mandatum inter alia erat, ut intermissam de conventione tractationem repeteret. Attamen postquam de aliis negotiis egisset, revocatum se declaravit a Regio Gubernio, ac re necdum inchoata discessit. Itaque sperare licuit, Regiis Ministris opportunius visum fuisse ut tractatio illa in tempus magis idoneum, post Nostrum scilicet in Urbem reditum, remitteretur.

3. Attamen paucos post menses accepimus, Regium ipsum Ministerium detulisse ad Regni Comitia novam Legem de Clericorum et Ecclesiarum immunitate penitus abolenda, de iudicio etiam super Patronorum nominationibus ad Beneficia Ecclesiastica Tribunalibus Laicis attribuendo, necnon de aliis nonnullis sive eodem sive posteriori tempore, contra Ecclesiae ius, aut non sine Religionis periculo statuendis.

4. Ut primum de huiusmodi Legis propositione significatum Nobis est, reclamari contra illam iussimus tum a Cardinali Nostro Pro-Secretario Status, tum etiam a Nostro Apostolico Nuntio tunc Augustae Taurinorum degente. Sed utraque reclamatione cadente in irritum, expostulare paulo post oportuit contra ipsas, quas memoravimus, novitates ab utroque legibus ferendis Consilio approbatas, et Regia statim auctoritate sancitas. In quo eius rei progressu atque exitu non illud modo dolendum, quod Sanctissima Ecclesiae iura, quae ex Canonum sanctionibus in tot saeculorum diuturnitate viguerant, facto ipso violata et proculcata fuerint, sed etiam quod plures ex Deputatis ac Senatoribus Regni, qui in publica utriusque Consilii deliberatione verba fecerunt et quorum sententia vicit, eam sibimetipsis, seu Laicae Potestati auctoritatem asserere non dubitaverint, ut solemnes Conventiones super usu illorum eorumdem iurium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante rescindere et declarare ac facere irritas valeant.

5. Videtis qualia et quam gravis momenti haec sint, Venerabiles Fratres: perspicitis cuiusmodi futura esset sacrarum rerum conditio, si suus Ecclesiae iuribus honor non sit, si despiciantur illius Canones, si nulla diuturnae possessionis ratio habeatur, si tandem neque sua stet fides pactis inter Sanctam hanc Sedem et Civilem Potestatem rite conventis. Nec porro ignoratis non solum Religionis, sed etiam Civilis Ordinis, ac publicae privataeque rei omnino interesse, ut Ecclesiasticae eaedem Conventiones sanctae atque intemeratae habeantur; quandoquidem earum vi ac iure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret.

6. Iniuriis per memoratas novas sanctiones Ecclesiae et Sanctae huic Sedi illatis aliae insuper brevi intervallo additae sunt, cum scilicet Regii Administri et Iudices Laici duos praesertim sacros Antistites Nostros venerabiles

fratres Archiepiscopum Turritanum et Archiepiscopum Taurinensem in ius vocarunt; et illum quidem domi suae carceris loco detinuerunt, hunc vero deduxerunt militari manu in Castrum Regiae Urbis, ac tandem utrumque eorum civili poena multarunt; non aliam quidem ob causam, nisi quod pro suo pastorali munere instructiones ad Parochos dederant de ratione, qua in novae Legis conspectu suae et suarum ovium Deum timentium conscientiae consulere valerent. Ita igitur id sibi arrogavit Civilis Auctoritas ut de instructionibus iudicaret, quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere ediderant.

7. Postmodum alia his eademque gravior accessit iniuria, postquam Nobilis quidam Vir, quem inter praecipuos supradictae iniustissimae Legis suasores extitisse omnes noverant, quique abnuebat a facto illo suo palam improbando, indignus Archiepiscopi Taurinensis auctoritate iudicatus est, cui extrema morientium Sacramenta administrari possent. Hac scilicet occasione et Archiepiscopus idem militari manu a sua Ecclesia avulsus atque in severioris custodiae Castrum detrusus est, et Parochus e Religiosa Familia Servorum B. M. V., qui ei pro officio paruerat, una cum Religiosis Sodalibus suis e Taurinensi Coenobio per vim expulsi, atque in alia asportati sunt: quasi vero ad Laicam Potestatem pertinere possit, ut de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernat.

8. Nec satis. Ipsa haec de Sacramentorum ministerio causa, et alia insuper de novis pro conscientiarum regula instructionibus antea iam a memorato Archiepiscopo, ex mandato etiam Nostro datis, delatae sunt ad Taurinense Appellationis Tribunal; a quo statim die 25 mensis Septembris decretum est, ut Archiepiscopus amandaretur extra fines Regiae Ditionis, atque ut omnia Archiepiscopatus bona sequestro retinerentur. Eodem fere tempore, die videlicet 21 eiusdem mensis, Tribunal Appellationum Regni Sardiniae similia decrevit contra venerabilem fratrem Archiepiscopum Calaritanum; cui crimini datum est, quod generalibus verbis (nullius scilicet expresso nomine) declaraverat Censuras Ecclesiasticas ab iis facto ipso contractas, qui Episcopalium Aedium immunitatem violando partem quandam Episcopalis Tabularii intrare per vim ausi fuerant. Horum igitur Decretorum vi iidem Antistites a possessione ac procuratione deiecti sunt temporalium bonorum reddituumque ad Sacerdotia sua pertinentium, et alter quidem in Gallias, alter vero in Nostram hanc Almam Urbem venire coactus.

9. Verum alia quoque sunt, ac non levia illa quidem, quae Subalpinum Gubernium contra Ecclesiae iura vel in Religionis detrimentum, statuit ac gessit. Inter quae non possumus non lamentari vehementer de funestissima Lege, qua inde a die 4 Octobris anni 1848 super publica institutione, et publicis privatisque seu maiorum seu minorum disciplinarum scholis editam fuisse cognovimus. Totum illarum regimen, Episcopalibus Seminariis aliqua ratione exceptis, attributum ea in Lege habetur Regio Ministro, atque auctoritatibus eidem subditis; et ita quidem attributum ut in Articulo 58 Legis eiusdem statuatur ac declaretur, nullum alii cuicumque auctoritati fore ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum

collatione, in delectu aut approbatione Magistrorum. Hinc in catholica illa Ditione scholae cuiusque generis, atque adeo cathedrae etiam sacrarum disciplinarum, quarum ea in Lege mentio fit; necnon puerorum institutio ad elementa christianae Fidei, quam eadem Lex inter minorum Ludimagistrorum officia annumerat, ab Episcoporum auctoritate subtrahuntur. Ac ne quis ea de re dubitare valeat, in memorato Articulo ipsi etiam Directores spiritus inter eos recensentur, qui a Regio Ministerio sive ab auctoritatibus ei subditis, absque ullo alterius cuiuscumque auctoritatis interventu, deligi atque approbari possunt. Igitur sacri Pastores nedum privati iniustissime sunt praecipua illa auctoritate, quam a multis retro saeculis in plurima saltem studiorum instituta ex Pontificiis Regiisque Constitutionibus, atque ex primaevae fundationis lege potiebantur, sed nec liberum ipsis est in ea advigilare, quae in scholarum regimine doctrinam Fidei, christianos mores, aut divini cultus causam attingunt.

10. Equidem sperare iuvat fore, ut saltem in executione illius Legis, aliqua Episcopalis Auctoritatis ratio habeatur. Ipsam tamen perniciosos fructus iam peperisse dignoscitur ex pestiferis opinionibus, et placitis irreformabili Ecclesiae doctrinae contrariis, quae non in liberioris tantum editionis libellis pagellisque sparguntur quotidie in vulgus, sed ab aliquo etiam in publicis scholis Doctore instillantur in mentes adolescentium et publice propugnantur. Verba desunt, Venerabiles Fratres, quibus dolorem explicemus longe acerbissimum, quem ex notitia huius rei, haud ita pridem ad Nos perlata, concepimus. Nulla quidem interposita mora providimus, ut eadem de re accuratius cognosceremus; et nihil porro a Nobis desiderari patiemur, quod ad officium pertineat custodiendae Fidei, et confirmandi in illa fratres infirmitati Nostrae divinitus attributum.

11. Novissime ut scitis, missus a Subalpino Gubernio ad Nos fuerat unus ex Primoribus spectatus Vir, ut tractationes instauraret Ecclesiasticis rebus cum Sancta hac Sede componendis. Illum tamen haudquaquam admittere potuimus ad literas Legationis suae testes consueto solemni more Nobis reddendas. Ipse enim sive cum privatim ad Nos adiit, sive in sermonibus cum Cardinali Nostro Pro-Secretario Status iterum iterumque habitis, de supradicta de Immunitatibus Lege ita loquutus est, ut Laicam Potestatem in ea contra sanctiones Canonum, et contra initarum cum Sede Apostolica Conventionum fidem promulganda suo prorsus iure usam fuisse contenderet. Hinc eorum, quae deinde contigerant, culpam transferebat in Clerum Sacrosque Antistites, maxime autem in Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Taurinensem, ob suam in pastoralibus officiis constantiam in severiori tunc custodia retentum. De hoc scilicet praestantissimo Praesule gravius querebatur, quasi de homine quietis ac tranquillitatis populi parum studioso; atque idcirco id se a Regio Gubernio in praecipuis mandatis habuisse declarabat, ut Nos induceret ad eumdem Antistitem in aliud extra Regiam Ditionem munus transferendum. Post haec opus non est ut alia explicemus, quae deinceps inter illum et Cardinalem praedictum mutuo sermone incassum tentata sunt ad aliquam rerum componendarum viam reperiendam. Interim vero tantum abfuit, ut Gubernium a sua agendi ratione cessaret; quin potius

illo ipso tempore prodierint, atque ad effectum perductae fuerint supradictae Tribunalium saecularium in ecclesiasticis causis novissimae Sententiae tum contra memoratum Archiepiscopum, tum contra Archiepiscopum Calaritanum.

12. Ceterum de supradictis Ecclesiarum Clericorumque immunitatibus notum omnibus esse volumus, Nos, qui tractationes alterum ante annum a Subalpino Gubernio propositas minime recusavimus, hodie pariter non abhorrere a Canonum sanctionibus circa immunitates ipsas pro loco ac tempore moderandis, prout scilicet opportunum in Domino visum fuerit, ac dummodo Ecclesia aliis in rebus liberiori suorum iurium exercitio potiatur. Non enim defecit in Nobis studium paternae benevolentiae, quo Romanos Pontifices Decessores Nostros inclytam Sabaudiae Domum prosequutos fuisse compertum est, dolemus insuper calamitates et aerumnas, quibus in eius ditione Fratres Filiique Nostri in his rerum adiunctis haud leviter anguntur; ideoque et prompti sumus ad opportuna in eorum levamen adhibenda remedia; ex constanti nimirum instituto Sanctae huius Romanae Ecclesiae, quae veluti amantissima mater filiis succurrere in angustia ac tribulatione positis, et Apostolica auctoritate sua ad sanandas contritiones Israel uti iugiter consuevit. Hac tamen auctoritate, quae Nobis in aedificationem non in destructionem data est, haudquaquam uti possumus, ubi non de alio agatur, nisi ut quae in Ecclesiae iniuriam; quae in contemptum Sacrorum Canonum; quae contra solemnes Conventiones, immo et ad ipsam quarumcumque Conventionum rationem labefactandam; quae tandem contra Sacerdotes et praecipuos ipsos Ecclesiae Praesules pastorali suo munere circa conscientiarum moderationem, Sacramentorumque administrationem fungentes deliberata, decreta, aut facta illic doluimus, patientia, conniventia et concessionibus Nostris approbare quodammodo videamur.

13. Absit, Venerabiles Fratres, ut auctoritate Nostra in Ecclesiae et catholicae rei detrimentum abuti unquam velimus. Immo divino praesidio nixi omnem industriam atque operam in id constanti animo collocabimus, ut Religionis utilitati prospiciamus, et sanctissima Ecclesiae iura sarta tecta habeamus. Iuxta haec igitur attollentes hodie in solemni hoc Conventu Nostram apostolicam vocem, reclamamus maiorem in modum contra ea, quae superius enarravimus, et contra alia omnia, quae sive in Continente sive in Transmarinis regionibus Summo Taurinensi Principi subditis contra Ecclesiae ius, aut in Religionis damnum gesta quomodolibet aut tentata sunt; et ab omnibus, ad quos pertinet, gravissime exposcimus, ut desistant a vexandis Ecclesiae Pastoribus sacrorumque Ministris, et illata illic Sacrae Rei damna reparare festinent.

14. Interea ne intermittamus, Venerabiles Fratres, Deo Misericordiarum Patri humiles orationes et obsecrationes offerre, et invocato etiam piissimo interventu Immaculatae Deiparae Virginis, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, ab Eo suppliciter poscere, ut dilectam illam Dominicae Vineae partem dextera sua tegat et brachio sancto suo defendat.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 251-261].

510.

Pius IX, litt. ap. *Multiplices inter*, 10 iun. 1851.[1]

1. Multiplices inter gravissimasque, quibus undique premimur, officii Nostri curas, et maximas huius temporis calamitates, quae in gliscenti rerum omnium novitate animum Nostrum sollicitant anguntque vehementer, illud accedit magnopere dolendum, quod Libri perniciosissimi e latebris Iansenistarum aliorumque huius generis hominum in diem erumpant, quibus huius saeculi filii in persuasibilibus humanae sapientiae verbis loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se. Apostolici itaque Nostri Ministerii ratio postulat, ut Libros istiusmodi solemniorem in modum ad Catholicae Religionis puritatem ac venerandam Ecclesiae disciplinam tuendam conservandamque proscribamus, et damnemus, ac Dominicum gregem a Pastorum Principe Iesu Christo humilitati Nostrae commissum ab exitiosa illorum lectione et retentione tamquam a venenatis pascuis omni sollicitudine praeservare, et avertere non praetermittamus.

2. Iam vero cum in lucem prodiisse acceperimus Librum seu Opus, sex tomis constans, hispanico idiomate exaratum, cui titulus *Defensa de la autoridad de los Gobernios y de los Obispos contra las pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima, 1848,* atque ex ipsa Operis inscriptione satis intellexerimus, auctorem esse hominem in hanc Apostolicam Sedem malevolo animo affectum, haud omisimus illud persolvere, ac facili negotio, quamvis non sine maximo cordis Nostri moerore, eumdem Librum plures Pistoriensis Synodi errores dogmatica Bulla *Auctorem Fidei*, fel. rec. Pii VI Decessoris Nostri iam confixos[2] renovantem, aliisque pravis doctrinis et propositionibus iterum iterumque damnatis undique redundantem novimus atque perspeximus.

3. Auctor enim, licet Catholicus, ac divino Ministerio, ceu fertur, mancipatus, ut indifferentismum ac rationalismum, quo se infectum prodit, securius, ac impune sequatur, denegat, Ecclesiae inesse potestatem dogmatice definiendi, Religionem Ecclesiae Catholicae esse unice veram Religionem, docetque cuique liberum esse eam amplecti ac profiteri Religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit: legem caelibatus impudenter aggreditur, et Novatorum more statum coniugalem anteponit statui virginitatis: potestatem, qua Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta Matrimonium dirimentia a principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat: Ecclesiae et personarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus consti-

[1] Damnatio et prohibitio operis in sex tomis hispanico idiomate editi sub titulo: *Defensa de la autoridad de los Gobiernos y de los Obispos contra las pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima*, 1848.

[2] Cf. N. 475.

tutam, a iure civili ortum habuisse asserit, nec illum pudet defendere, maiori aestimatione et obsequio prosequendam esse domum Oratoris alicuius Nationis quam templum Dei viventis: Gubernio laico attribuit ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: suadere nititur iis, qui clavum tenent publicarum rerum, ne obediant Romano Pontifici in iis, quae Episcopatuum, et Episcoporum respiciunt institutionem: Reges aliosque principes, qui per Baptismum facti sunt membra Ecclesiae, subtrahit ab eiusdem Ecclesiae iurisdictione non secus ac Reges paganos, quasi Principes Christiani in rebus spiritualibus et ecclesiasticis non essent filii ac subditi Ecclesiae: imo coelestia terrenis, sacra profanis, summa imis monstruose permiscens, docere non veretur, terrenam potestatem in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiorem esse Ecclesia, quae columna est et firmamentum veritatis: tandem ut alios quamplures omittamus errores, eo audaciae, et impietatis progreditur, ut Romanos Pontifices et Concilia Oecumenica a limitibus suae potestatis recessisse, iura Principum usurpasse, atque etiam in rebus fidei, et morum definiendis errasse infando ausu contendat.

4. Quamquam vero tot ac tanta in eodem Opere contineri errorum capita cuique facile innotescat; attamen Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes mandavimus, ut in Nostra Universalis Inquisitionis Congregatione praefatum Opus in examen adduceretur, ac postea eiusdem Congregationis iudicium Nobis referretur. Porro Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Inquisitores Generales, praevia eiusdem Operis censura, et perpensis Consultorum suffragiis, memoratum Opus tamquam continens doctrinas et propositiones, respective *scandalosas, temerarias, falsas, schismaticas, Romanis Pontificibus et Conciliis Oecumenicis iniuriosas, Ecclesiae potestatis, libertatis, et iurisdictionis eversivas, erroneas, impias, et haereticas,* damnandum, atque prohibendum censuerunt.

5. Hinc Nos, audita praedictorum relatione, et cunctis plene ac mature consideratis, de consilio praefatorum Cardinalium, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratum Opus, in quo doctrinae, ac propositiones, ut supra notatae, continentur, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione huc usque impressum, vel in posterum, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus, et reprobamus, atque legi, ac retineri prohibemus, eiusdemque Operis impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis arti culo constitutus, absolutionis beneficium obtinere queat, omnino interdicimus.

6. Volentes, et auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque Librum, seu Opus praedictum penes se habuerint, illud statim atque praesentes Litterae innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

7. Ut autem eaedem praesentes Litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare queat, volumus, et auctoritate praefata decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae in Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui: sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent; ipsarum autem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 280-284].

511.

Pius IX, litt. ap. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851.[1]

1. Ad Apostolicae Sedis fastigium sola miserentis Dei clementia, nullo suffragio meritorum evecti, atque a caelesti Patrefamilias vineae suae custodiendae praepositi, omnino officii Nostri, ac muneris esse ducimus, si qua noxia germina excrevisse noscamus, ea succidere, atque evellere stirpitus, ne in Dominici agri perniciem altius radices agant, ac diffundantur. Et sane quum iam inde ab Ecclesiae surgentis exordio, tamquam in igne aurum, probari oportuerit electorum fidem, idcirco Apostolus vas electionis monitos iam tum fideles voluit surrexisse quosdam, qui *convertunt, et conturbant Evangelium Christi* (ad Gal., 1), quibus falsas doctrinas disseminantibus, Fideique deposito detrahentibus, *etiamsi Angelus evangelizet, praeterquam quod evangelizatum est,* anathema diceretur. Et quamquam infensissimi veritatis hostes profligati semper victique ceciderint, nunquam tamen destiterunt assurgere, acriusque exerere vires, quibus universam, si fieri posset, Ecclesiam labefactare niterentur. Hinc profanas manus iniicientes in Sancta, Apostolicae huius Sedis praerogativas, et iura invadere, Ecclesiae constitutionem pervertere, atque integrum Fidei depositum pessumdare ausu impio contenderunt. Porro etsi Nobis magno solatio sit Christi Servatoris promissio, qua portas inferi nunquam contra Ecclesiam praevalituras edicit, non possumus tamen non intimo cruciari animi angore, gravissimam animarum perniciem considerantes, quam ex effraeni pravos libros edendi licentia, perversaque impudentia, ac scelere quidlibet contra divina, ac sacra audendi latius in dies manare comperimus.

[1] Damnatio et prohibitio Operis cui titulus: *Iuris Ecclesiastici Institutiones Ioannis Nepomuceni Nuytz in Regio Taurinensi Athenaeo Professoris.* – Itemque – *In Ius Ecclesiasticum universum Tractationes – Auctoris eiusdem.*

2. Iam vero in hac librorum undique grassantium peste, locum sibi vindicat opus sic inscriptum: *Iuris Ecclesiastici Institutiones Ioannis Nepomuceni Nuytz in Regio Taurinensi Athenaeo Professoris* itemque *In Ius Ecclesiasticum universum Tractationes Auctoris eiusdem,* cuius nefarii Operis doctrina ex una illius Athenaei Cathedra sic diffusa est, ut selectae ex eo acatholicae theses ad disputandum propositae sint prolytis ephebis, qui lauream, seu doctoris gradum consequi adspirarent. In his vero libris, ac thesibus in speciem adserendi iura Sacerdotii, atque Imperii ii traduntur errores, ut pro salutaris doctrinae praeceptis venenata omnino pocula iuventuti porrigantur. Auctor siquidem pravis suis propositionibus, earumque commentis, illa omnia, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, praesertim Ioanne XXII, Benedicto XIV, Pio VI, ac Gregorio XVI, atque a tot Conciliorum decretis, praesertim a Lateranensi IV, Florentino ac Tridentino damnata iamdiu, ac reiecta sunt, quodam fuco novitatis adspersa, atque illita Auditoribus proponere suis, ac typis edere non erubuit. Quandoquidem palam, et aperte in editis dicti Auctoris libris asseritur, « Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam, vel indirectam. Divisioni Ecclesiae in Orientalem, atque Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse; praeter potestatem Episcopatui inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili imperio vel expresse, vel tacite concessam, revocandam propterea cum libuerit a civili imperio: civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi consulere per potestatem indirectam negativam in Sacra; illi competere nedum ius, quod vocant, *exequatur,* sed vero etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis, ius Civile praevalere; nihil vetare alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad alium Episcopum, aliamque Civitatem transferri; nationalis Concilii definitionem nullam aliam admittere disputationem, et civilem administrationem, rem ad hosce terminos exigere posse: doctrinam comparantium libero Principi Romanum Pontificem, et agendi in universa Ecclesia, doctrinam esse, quae medio aevo praevaluit, effectusque adhuc manere: de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se Christianae, et Catholicae Ecclesiae filios ». Plura quoque de Matrimonio falsa asseruntur: « Nulla ratione ferri posse Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem Sacramenti; matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse: iure naturae Matrimonii vinculum non esse indissolubile: Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint: causas Matrimoniales, et Sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo iure usam, quod a civili potestate mutuata erat: Tridentinos Canones (Sess. 24, de matrim., c. 4), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos ». Quin addit, « Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere: Bonifacium VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse ». Plura denique de potestate Episcopali, de poenis haereticorum, et schismaticorum, de Romani Pontificis infallibilitate, de Conciliis temere atque audacter in hisce libris proposita occurrunt, quae persequi singillatim, ac referre in tanta errorum colluvie omnino taedeat.

3. Quapropter compertum est, Auctorem per huiusmodi doctrinam, ac sententias eo intendere, ut Ecclesiae constitutionem, ac regimen pervertat, et Catholicam fidem plane destruat; siquidem ne errantes in viam possint redire iustitiae, externo iudicio, et potestate coercitiva Ecclesiam privat, de matrimonii natura, ac vinculo falsa sentit, ac docet, et ius statuendi, vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati; denique sic Ecclesiam eidem civili imperio subditam esse per summum nefas asserit, ut ad potestatem civilem directe, vel indirecte conferat quidquid de Ecclesiae regimine, de personis, rebusque Sacris, de iudiciali Ecclesiae foro Divina est institutione, vel Ecclesiasticis legibus sancitum, atque adeo impium renovat Protestantium systema, quo fidelium Societas in servitutem redigitur civilis imperii. Quamquam vero nemo est qui non intelligat perniciosum huiusmodi, pravumque systema errores instaurare iamdiu Ecclesiae iudicio profligatos, tamen ne simplices, atque imperiti decipiantur, admonere omnes de pravae doctrinae insidiis ad Nostrum pertinet Apostolatum; expedit siquidem « ut ibi damna fidei sarciantur, ubi non potest fides sentire defectum » (S. Bern., Ep. 190). Propterea de unitate, atque integritate Catholicae fidei ex Apostolici ministerii officio solliciti, ut fideles omnes perversam auctoris doctrinam devitent, fidemque a Patribus per hanc Apostolicam Sedem columnam, et firmamentum veritatis, acceptam constanter teneant, memoratos libros in quibus recensitae nefariae opiniones continentur, ac defenduntur, accurato primum examini subiecimus, ac deinde Apostolicae censurae gladio percellere, ac damnare decrevimus.

4. Itaque acceptis consultationibus in Theologica et Sacrorum Canonum facultatibus Magistrorum, acceptisque suffragiis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Supremae et universalis Inquisitionis, motu proprio ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictos libros, tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias scandalosas, erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, Ecclesiae regimen, et divinam eius Constitutionem subvertentes, schismaticas, haereticas, Protestantismo, eiusque propagationi faventes, et in haeresim et in systema iamdiu ut haereticum damnatum in Luthero, Baio, Marsilio Patavino, Janduno, Marco Antonio De-Dominis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus, [1] aliisque ab Ecclesia pariter damnatis inducentes, necnon et Canonum Concilii Tridentini eversivas, reprobamus,

[1] Cf. N. 38, 76, 124, 475.

damnamus ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. Praecipimus idcirco, ne quisquam fidelium cuiuscumque conditionis, et gradus etiamsi specifica et individua mentione dignus esset, audeat praefatos libros ac theses apud se retinere, aut legere sub poenis suspensionis a divinis quoad Clericos, et quoad laicos excommunicationis maioris ipso facto incurrendis, quarum absolutionem et relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto tantum quoad excommunicationem mortis articulo. Mandamus quoque Typographis ac Bibliopolis, cunctisque et singulis cuiuscumque gradus et dignitatis, ut quoties praedicti libri ac theses ad eorum manus pervenerint, deferre teneantur Ordinariis sub iisdem respective poenis, nempe quoad Clericos suspensionis a divinis, quoad laicos excommunicationis maioris superius comminatis. Neque tantum memoratos libros ac theses, sed alios, aliasque quoscumque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro, aut in parte, sub iisdem poenis superius expressis damnamus, reprobamus atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus.

5. Hortamur tandem in Domino, et obsecramus, Venerabiles Fratres, quos Nobiscum pastoralis zelus et Sacerdotalis constantia coniungit, ut pro sibi commisso docendi ministerio omni sollicitudine vigilantes in custodia gregis Christi, oves suas a tam venenatis pascuis, hoc est ab horum librorum lectione avertere satagant; et quoniam « veritas cum minime defenditur opprimitur » (S. Felix III, dist. 83) murum aeneum, et columnam ferream sese constituant pro domo Dei contra vaniloquos et seductores, qui divina atque humana iura sus deque miscentes neque Caesari quae sunt Caesaris, neque quae Dei sunt, Deo ipsi reddentes, Sacerdotium et imperium committunt inter se, atque adeo impetere utrumque, atque evertere connituntur.

6. Ut autem praesentes Litterae omnibus innotescant nec quisquam illarum ignorantiam praetexere et allegare valeat, volumus ac iubemus ipsas ad valvas Basilicae Apostolorum Principis, et Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero affixas ac publicatas perinde omnes afficere, ad quos spectant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, atque intimatae fuissent. Praesentium quoque Litterarum transumptis etiam impressis, manu alicuius publici Notarii subscriptis et Sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra haberi volumus, quae eisdem his haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 285-292].

512.

Pius IX, allocut. *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851.

1. Quibus luctuosissimis perturbationibus et calamitatibus ob tristissimas rerum conversiones multos per annos inclyta Hispana Natio de catholica Ecclesia, et hac S. Sede tot illustribus, gloriosissimisque factis optime merita, miserandum in modum fuerit exagitata, quaeque gravissima, et numquam satis deploranda mala amplissimi illius Regni Ecclesiis, Episcopatibus, Capitulis, Monasteriis, cunctoque Clero, Populoque fideli incubuerint, et quae saeva deinde clades catholicam Religionem, Sacrorum Antistites, ecclesiasticosque viros afflixerit, divexarit quaeque adversus sacratiora Ecclesiae iura, eiusque bona, libertates et adversus huius Apostolicae Sedis dignitatem, auctoritatemque ibidem fuerint perpetrata, universo, qua late patet terrarum orbi ac Vobis multo magis compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Atque optime scitis quanta cura et studio rec. me. Gregorius XVI Praedecessor Noster expostulationes, querimonias, preces adhibuerit, nihilque intentatum reliquerit ut afflictis illic ac prostratis religionis rebus succurreret, mederetur et consuleret. Neque ignoratis, qua sollicitudine Nos, vix dum, licet immerentes, inscrutabili Dei iudicio in eiusdem Decessoris Nostri locum suffecti, et in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati fuimus, praecipuas paterni Animi curas, cogitationesque ad clarissimam illam Nationem convertimus, quo ecclesiasticas ibi res quantum fieri posset ad Sacrorum Canonum normam componere, et inflicta Ecclesiae vulnera sanare possemus. Quamobrem postquam certiores facti fuimus, praecipuas quasdam ac potiores conditiones et cautiones a Nobis antea praescriptas fuisse admissas ac in tuto positas, Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Elisabeth postulationibus alacri ac libentissimo animo obsecundantes ad Eam, ut probe nostis, misimus Venerabilem Fratrem Ioannem Archiepiscopum Thessalonicensem opportunis facultatibus et instructionibus munitum, qui apud ipsam Catholicam Maiestatem Apostolici Delegati, ac deinde suo tempore Nostri et huius S. Sedis Nuntii munus obiret, omnemque suam operam ecclesiasticis ibi negotiis tractandis, ordinandis, sedulo ac sollicite impenderet. Ac meministis, Venerabiles Fratres, nihil Nobis potius, nihil antiquius fuisse, quam illius Regni Ecclesias legitimo pastore a longo iam tempore pene omnes misere viduatas idoneis Antistitibus in primis committere, Nostrasque in id curas, Deo bene iuvante, et Ipsius Carissimae in Christo Filiae Nostrae opera, non levi certe animi Nostri consolatione optatum exitum habuisse.

2. Iam vero Vobis significamus, Nostras sollicitudines pro aliis sacris, ecclesiasticisque illius Regni rebus componendis susceptas, ob propensam praesertim eiusdem Carissimae in Christo Filiae Nostrae in religionis bonum voluntatem haud cecidisse irritas. Siquidem post diuturnam operosamque tractationem Conventio inter Nos, et Reginam Catholicam est inita, quam delecti ex utraque parte Plenipotentiarii subscripserunt, Nomine quidem

Nostro idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Thessalonicensis, Nomine autem Reginae Dilectus Filius Nobilis Vir Eques Emmanuel Bertran de Lis a publicis Maiestatis Suae negotiis. Quam Conventionem ab eadem Regina et a Nobis ipsis, audito consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae, iam ratam habitam, Vobis exhiberi mandavimus una cum Apostolicis Nostris Litteris, quibus Conventionem ipsam confirmavimus, ut omnia clarius et plenius agnoscere possitis. [1]

3. Illud quidem Nobis vel maxime cordi fuit ut sanctissimae nostrae religionis incolumitati, et spiritualibus Ecclesiae rebus studiosissime consuleremus. Itaque constitutum perspicietis, catholicam Religionem cum omnibus suis iuribus quibus ex divina sua institutione et Sacrorum Canonum sanctione potitur, ita unice in eo Regno, veluti antea vigere ac dominari debere, ut omnis alius cultus plane sit amotus et interdictus. Hinc cautum quoque est, ut instituendi ac docendi ratio in cunctis tum Universitatibus, tum Collegiis, tum Seminariis, tum publicis, privatisque scholis cum eiusdem catholicae religionis doctrina plane congruat atque Episcopi, aliique Dioecesani Antistites, qui ex proprii ministerii officio in catholicae doctrinae puritatem tuendam, propagandam et in christianam iuventutis educationem procurandam totis viribus incumbere debent, nullo prorsus unquam praepediantur impedimento, quominus publicis etiam scholis sedulo advigilare, et in illas pastoralis sui muneris partes libere exercere possint. Ac pari studio ecclesiasticae auctoritatis libertatem, dignitatemque asserendam curavimus. Etenim non solum statutum est, Sacrorum praesertim Antistites ad Episcopalem eorum iurisdictionem exercendam plenam libertate pollere, quo catholicam Fidem et ecclesiasticam disciplinam tueri, et morum honestatem in christiano populo tutari et optimam iuvenum, eorum potissimum, qui in sortem Domini vocantur, institutionem procurare, et alia omnia proprii ministerii munera explere valeant; verum etiam decretum est, omnes Regni Magistratus eorum operam praestare debere, quo ab omnibus ecclesiasticae auctoritati et dignitati debitus exhibeatur honor, observantia et obedientia. Accedit etiam, ut praestantissima Regina, eiusque Gubernium iisdem Episcopis valido suo patrocinio et praesidio omnem opem ferre profiteantur, cum ab ipsis pro pastorali munere illorum potissimum hominum improbitas est cohibenda et coercenda audacia, qui fidelium mentes pervertere, moresque corrumpere nefarie commoliuntur et a proprio grege detestabilis ac dira perversorum librorum pestis, atque pernicies est avertenda ac profliganda. Et quoniam relatum ad Nos est, ex nova Dioecesium divisione maiora spiritualia bona in illius Regni fideles redundare, idcirco novam huiusmodi circumscriptionem Nostra Auctoritate et ipsius Reginae consensu peragendam statuimus, atque Apostolicas de hac re suo tempore proferemus Litteras postquam ea omnia fuerint perspecta et statuta, quae ad rem ipsam perficiendam sunt necessaria. Cum autem Religiosae Familiae pie institutae ac recte administratae maximo

[1] Litt. ap. *Ad vicariam,* 5 sept. 1851. - Acta Pii IX, vol. I, p. 303-341. - Cf. etiam Raccolta di Concordati, p. 770-796.

sint Ecclesiae et civili societati usui et ornamento, quantum in Nobis fuit haud omisimus eniti, ut illic Regulares Ordines conserventur, restituantur, augeantur. Atque in eam profecto spem erigimur fore, ut propter avitam eiusdem Carissimae in Christo Filiae Nostrae pietatem et eximiam Hispanae Nationis religionem ipsi Regulares Ordines ibi pristina dignitate ac splendore fruantur. Ne quid autem Religionis bono quavis ratione officere possit, non solum constitutum est Leges, Ordinationes et Decreta quaecumque Conventioni adversantia de medio sublata omnino esse ac penitus abrogata, verum etiam sancitum ut cetera omnia, quae ad ecclesiasticas res et personas pertinent, de quibus in Conventione nulla est habita mentio, iuxta canonicam et vigentem Ecclesiae disciplinam exigi et administrari plane debeant.

4. Nec vero ea praetermisimus, quae ad temporale Ecclesiae bonum possunt pertinere. Omni enim studio et contentione vindicandum ac tuendum curavimus ius, quo Ecclesia pollet, acquirendi scilicet et possidendi quaecumque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope Conciliorum acta et Sanctorum Patrum sententiae et exempla, Praedecessorum Nostrorum Constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant. Atque utinam ubique gentium, ubique terrarum possessiones Deo, eiusque Sanctae Ecclesiae dicatae semper inviolatae fuissent, et homines debita illas reverentia essent prosequuti! Equidem haud cogeremur deflere plurima, omnibusque notissima mala et damna in civilem ipsam societatem derivata ex iniusta prorsus, et sacrilega ecclesiasticarum rerum ac bonorum spoliatione et direptione, quod ad funestissimos quoque ac perniciosissimos *Socialismi* et *Communismi* errores fovendos magna ex parte viam munivit. Iam porro in Conventione constabilitum firmatumque conspicietis Ecclesiae ius novas acquirendi possessiones ac simul sancitum, ut proprietas bonorum omnium, quae vel in praesentia possidet, vel in posterum acquiret, integra et inviolabilis omnino habeatur atque persistat. Hinc constitutum etiam fuit, ut nulla interposita mora, Ecclesiae illa omnia statim restituantur bona, quae nondum divendita fuere. Verum cum ex gravibus ac fide dignis testimoniis acceperimus, nonnulla ex iisdem bonis nondum alienatis ita in deterius esse prolapsa, et administrationis incommodis obnoxia, ut evidens constet Ecclesiae utilitas, si illorum pretium in publici aeris alieni reditus nunquam quavis alia ratione transferendos convertatur, eiusmodi permutationi indulgendum esse censuimus, postquam vero bona ipsa fuerint Ecclesiae restituta.

5. Omnem quidem dedimus operam ut Episcopi, Capitula, Seminaria, Parochi congruis ac stabilibus potiantur reditibus, qui Ecclesiae perpetuo addicti, ab ea libere erunt administrandi. Et si vero hi reditus cum antiqua Hispani Cleri dote conferri non possint, et ob temporum asperitatem minores, quam Nos optavissemus existant; tamen probe noscentes, qua singulari religione et pietate idem Hispaniarum Clerus summopere praestet, plane non dubitamus, quin ipse divina in voluntate conquiescens, et omni virtutum genere magis in dies undique refulgens in vineam Domini naviter, scienterque excolendam alacriori usque solertia et studio incumbat, cum praesertim per ecclesiasticam libertatem in Conventione sancitam iis omnibus expeditus sit impedimentis, quae antea libero sacri ministerii exercitio adversabantur atque

ita Populorum obsequium, amorem et venerationem sibi magis magisque conciliet et devinciat. Ceterum cum plenum ac liberum acquirendi ac possidendi ius fuerit sancitum ac servatum, patet Hispanis Ecclesiis aditus ad ampliores obtinendos reditus, quibus et maiori divini cultus splendori et decentiori Cleri sustentationi facilius et commodius consulatur. Atque id felicioribus temporibus ex regia Carissimae in Christo Filiae Nostrae munificentia, eiusque Gubernii studio et ex egregia ac perspecta Hispanae Nationis religione futurum Nobis pollicemur. Ex iis quae raptim, cursimque commemoravimus, intelligitis, Venerabiles Fratres, quo studio Nostras omnes curas in ecclesiasticis Hispaniae rebus instaurandis posuerimus ac futurum confidimus, ut divina adspirante gratia, in amplissimo illo Regno catholica Ecclesia, eiusque salutaris doctrina quotidie magis latissime dominetur vigeat et efflorescat.

6. Nunc vero noscatis velimus, Dilectissimum in Christo Filium Nostrum Leopoldum II Magnum Etruriae Ducem, et Lucensium Ducem pro egregia sua pietate vehementer optasse, ut vigentes in Etruria leges quodammodo ordinari, et componi possent cum iis omnibus, quae ecclesiasticas leges respiciunt. Itaque enixis precibus a Nobis efflagitavit, ut nonnulla interea temporis conciliare vellemus, cum eidem religiosissimo Principi in animo fixum, destinatumque sit, plenam cum hac Apostolica Sede in posterum inire Conventionem, qua in regionibus ei subiectis ecclesiasticarum rerum regimini et rationibus prospere consulatur. Quocirca firma ac certa spe freti fore, ut idem Dilectissimus in Christo Filius Noster eiusmodi Conventionem iuxta Nostra desideria maiori qua fieri potest celeritate sit initurus, illius votis obsecundantes aliqua capita a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus eiusdem Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae perpensa, interim constituta fuere, quae a Nobis et ab ipso Principe rata habita sunt. Quibus quidem capitibus, seu articulis inter cetera constitutum est, ut Episcopi omnem habeant libertatem in iis omnibus peragendis quae ad sacrum pertinent ministerium ac in scripta et opera, quae de rebus ad religionem spectantibus tractant, censuram ferant ut propriam eorum episcopalem auctoritatem libere adhibeant ad fideles a prava quavis lectione tum religioni tum moribus perniciosa arcendos ac simul cautum, ut omnes cum hac B. Petri Cathedra catholicae veritatis et unitatis centro libere communicare valeant, et causae omnes spirituales et ecclesiasticae ad sacrae potestatis iudicium unice et omnino spectare debeant ex sacrorum Canonum praescripto. Non levi autem iucunditate affecti fuimus, propterea quod idem Dilectissimus in Christo Filius Noster haud omisit Nobis polliceri et profiteri, se omnem suam opem et operam esse collaturum ad sanctissimam nostram religionem tutandam ad divinum cultum tuendum, et ad publicam morum honestatem fovendam, ac valido suo auxilio praesto futurum, quo sacrorum Antistites episcopalem eorum auctoritatem libere exerceant. Quocirca confidimus, ut Deo bene iuvante, earum, quar indulsimus, rerum usus in Ecclesiae utilitatem cedat, iis insuper difficultatibus penitus amotis, quae hucusque eiusdem libertati obstiterunt.

7. Denique certiores Vos facimus, Nostras iam convertisse curas ad catholicae religionis res in longinqua regione componendas, ac Nos magna spe

sustentari fore ut Conventio possit iniri, quae iuxta Nostra et vestra desideria Ecclesiae iuribus, rationibus ac prosperitati respondeat. Ac vel maxime optaremus, ut huiusmodi exemplum omnes earum dissitarum partium regiones, quarum populos praecipuo caritatis affectu in Domino prosequimur, imitari properarent, quo penitus everterentur plurima et maxima damna, quibus in nonnullis praesertim earumdem partium regionibus immaculata Christi Sponsa cum summo animi Nostri dolore affligitur ac divexatur. Atque hic haud possumus quin illis Venerabilibus Fratribus vehementer gratulemur, eisque meritas, debitasque tribuamus laudes, qui in tristissima licet conditione ibi constituti, tamen haud omittunt episcopali eorum zelo et firmitate Ecclesiae causam strenue tueri, eiusque iura impavide defendere ac dilectarum ovium saluti sollicite prospicere.

8. Haec erant, Venerabiles Fratres, quae Vobis hodierno die significanda existimavimus. Reliquum est, ut nunquam desinamus dies, noctesque in humilitate cordis Nostri, et in sinceritate fidei, firmitate spei et caritatis ardore assiduas clementissimo misericordiarum Patri adhibere preces, ut omnipotenti sua dextera, quae mari et ventis imperat, Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus iactatur, procellis eripiat, eamque a solis ortu, usque ad occasum novis ac splendidioribus triumphis exornet et augeat.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 293-302].

513.

Pius IX, ep. encycl. *Nemo certe ignorat*, 25 mart. 1852.[1]

Nemo certe ignorat, Venerabiles Fratres, qua egregia et immobili erga hanc Petri Cathedram universorum Christifidelium matrem, et magistram[2] fide, et observantia, et qua singulari animorum consensione et constantia in re catholica tuenda, et episcopali munere obeundo Hiberniae Antistites praestare semper studuerint. Hinc porro evenit, ut ipsi inter gravissimas licet procellas summa cum sui nominis laude, et huius Apostolicae Sedis consolatione ministerium suum coniunctis studiis strenue implentes, de Ecclesia praeclare sint meriti, cum nihil antiquius habuerint, quam concordissimis animis illustris Hiberniae populos sibi commissos ab erroris contagione sollicite avertere, atque in illis sanctissimae fidei nostrae, et catholicae veritatis depositum perdiligenter tueri, defendere, et custodire. Quae quidem dum non mediocri animi Nostri iucunditate, et insigni vestri ordinis honore commemorare laetamur, Venerabiles Fratres, non parum dolemus, et angimur, cum acceperimus quibus molitionibus antiquus inimicus vestram animorum concordiam labefactare, infirmare, ac dissensionem excitare in praesentia conetur. Itaque etsi ea Nobis de vestra religione insit opinio, ut plane non dubitemus, Vos inimici insidiis fortiter obsistentes maiori usque alacritate pro Dei,

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Hiberniae.
[2] Concil. Lateranen. IV, cap. 5.

eiusque Sanctae Ecclesiae causa in castris Domini constanter prudenterque esse dimicaturos, tamen pro apostolici Nostri ministerii munere, et summa illa, qua Vos et istos fideles caritate prosequimur, haud possumus, quin mutuae concordiae sensus Vobis etiam atque etiam inculcemus. « Etenim scimus, et « constat (ut ipsissimis s. Gregorii Magni Decessoris Nostri verbis utamur) quia « castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit con- « stipata, atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita dispo- « nitur, ut locus vacuus per quem hostis possit ingredi dimittatur, profecto « iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spi- « ritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per « caritatem semper uniti, atque constricti, et numquam interrupti per discor- « diam inveniamur, qui quaelibet bona in nobis opera fuerint, si caritas « desit, per malum discordiae locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos « valeat hostis intrare ». [1] Quamobrem os Nostrum ad Vos patet, Venerabiles Fratres, atque intimo Nostri cordis affectu Vos alloquimur, monemus, hortamur, et obsecramus, ut arctissimo inter Vos caritatis foedere quotidie magis devincti, atque obstricti in Dei gloria amplificanda, in catholicae Ecclesiae doctrina tuenda, eiusque iuribus propugnandis, in gregis Vobis traditi incolumitate tutanda, in hostium insidiis et erroribus profligandis, aliisque gravissimis vestri episcopalis muneris officiis implendis magis in dies sitis unanimes, ac perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia, et solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et quoniam pro vestra sapientis optime noscitis quantopere haec sacerdotalis, et fida animorum, voluntatum, et sententiarum consensio ad Ecclesiae bonum et fidelium utilitatem sit necessaria, atque proficiat, idcirco ob eximiam vestram pietatem, et virtutem Nobis persuasissimum est, Vos nihil potius unquam habituros, quam usque magis eiusmodi concordiam non solum inter Vos fovere, verum etiam cum aliis Venerabilibus Fratribus Angliae praesertim, et Scotiae Antistitibus maiorem in modum tueri, atque augere. Nam probe scitis, Vobis atque illis uno eodemque religionis studio, ac mutuae caritatis praesidio summopere esse allaborandum, et excubandum ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, nihilque magis curandum, quam sub huius Apostolicae Sedis ductu ea omnia coniunctis viribus peragere quae ad Dei gloriam et sempiternam hominum salutem promovendam pertinent. Nos quidem, Venerabiles Fratres, eo magis fore confidimus, Vos huiusmodi concordiae studiosissimos semper futuros, cum non levi certe animi Nostri gaudio recordemur, quae fuerit vestra unanimitas in subscribendis Actis Synodi a Vobis omnibus apud Thurles anno 1850 habitae ad catholicae Ecclesiae res in Hibernia tuendas. Atque hic aliquid ad eamdem Synodum pertinens raptim attingere volentes memineritis, Venerabiles Fratres, litteras a duodecim ex Vobis post illam Synodum concelebratam ad Nos die 11 mensis Septembris anni 1850 datas, atque etiam a venerabili fratre Daniele Archiepiscopo Dublinensi, quem nuper extinctum dolemus, subscriptas, in quibus de istis Reginae, uti appellant, collegiis praesertim agebatur, nec ignoratis Decreta quae

[1] S. Gregor. M. in Ezechiel., lib. I, Homil. 8, § 6.

rebus omnibus mature perpensis edita a Nobis fuerunt per Nostram Congregationem Fidei propagandae praepositam. Cum autem opportunum esse existimemus, ac vehementer cupiamus, a Vobis omnibus cognosci quomodo de hac gravissima sane re scripserimus eidem Archiepiscopo Dublinensi in Nostra familiari epistola die 17 mensis Novembris superiori anno data, hisce Nostris litteris eadem, quibus usi sumus, verba Vobis significare censuimus, quae sunt uti sequuntur. « Quod autem attinet ad Reginae Collegia, de quibus « in commemoratis tuis litteris loqueris, pro certo habe, Nobis pergratum « fuisse scire, Te, Venerabilis Frater, post decreta ab hac Apostolica Sede « de tanti momenti negotio edita promptissimo animo decretis ipsis parere « declarasse. Ac persuasum habemus, Te non solum Decreta ipsa sollicite « esse exequuturum, verum etiam omni opera, contentione et zelo curatu- « rum, ut illi antistites, quorum litteras die 11 septembris superiori anno « datas, atque a Te quoque subscriptas accepimus eadem Decreta eo, quo « par est, obsequio venerentur, et omni alacritate sedulo adimpleant. Quae « quidem Decreta Nobis summopere cordi semper fuerunt, ac vehementer « optamus et volumus, ut ea ab omnibus studiosissime ac religiosissime ser- « ventur cum in illis de catholica doctrina tuenda agatur; quo certe nihil « Nobis potius esse potest, ac debet ». Ex quo vel facile intelligitis quomodo ille Venerabilis Frater a Nobis monitus et excitatus fuerit ad suas omnes adhibendas vires, ut Decreta illa tum ab ipso, tum ab aliis diligentissime observarentur. Verum cum ipse morte praeventus perficere forsan haud potuerit, quod Nostris erat in votis, idcirco Nos ipsi Vobis omnibus maiori quo possumus studio etiam atque etiam iterum commendamus, et inculcamus, ut pro vestra religione Decreta saepius commemorata omni diligentia accuratissime ab omnibus serventur. Iam vero neminem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, eiusdem Synodi apud Thurles a Vobis concelebratae Acta, et statuta post maturum examen, nonnullis adhibitis emendationibus, a Nobis probata fuisse iam inde a die 23 mensis Maii superiori anno per Decretum a commemorata Nostra Congregatione Fidei propagandae praeposita editum ac suprema Nostra Auctoritate munitum. Cum autem eadem acta et statuta iuxta traditas emendationes solemniori modo per Nostras Apostolicas Litteras Annulo Piscatoris obsignatas, ac die 23 huius mensis datas denuo approbare, confirmare et sancire censuerimus, episcopalis vestrae sollicitudinis erit omni cura et studio advigilare, quo illa sarta tecta habeantur, atque ab omnibus diligentissime observentur. Dum vero meritas Vobis tribuimus laudes, quod in commemorato apud Thurles Concilio inter alia de salutari et catholica iuventutis institutione solliciti, provide sapienterque constituistis, catholicam in Hibernia universitatem, collatis inter Vos consiliis, quamprimum esse erigendam, ubi adolescentes absque catholicae fidei discrimine humanioribus litteris, severioribusque disciplinis imbuantur, Vobis addimus animos, Venerabiles Fratres, ut nullis neque curis, neque studiis parcere velitis, quo saluberrimum hoc opus maiori qua fieri potest celeritate ad optatum exitum perducatur. Hac sane de causa vestris postulationibus quam libentissime obsecundantes eiusdem Catholicae Universitatis fundationem praedictis Nostris Apostolicis Litteris non levi certe animi Nostri voluptate approbavimus. Ac

vehementer laetati sumus, cum noverimus Hiberniae fideles tam alacri pietate, ac liberalitate egregiis hisce vestris studiis occurrisse, ut non levia iam ad hanc rem perficiendam subsidia fuerint comparata. Quapropter dum Vobis, atque ipsis fidelibus summopere gratulamur, in eam profecto spem erigimur fore, ut catholica haec Universitas quamprimum, Deo bene iuvante, prospere, feliciterque iuxta Nostra, ac vestra desideria erigatur. Nunc vero cum nihil sit, veluti compertum exploratumque Vobis est, Venerabiles Fratres, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, ne intermittatis unquam vestram omnem industriam, et operam impendere, ut omnes in sortem Domini vocati propriae vocationis, et officii memores ab iis omnino declinent, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, et exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ut honestum clericale habitum illorum ordini, ac dignitati congruentem deferant, ac proprii ministerii partes pie, riteque obeant, ut sanctissima Ecclesiae Sacramenta, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, ea, qua par est religione, decore, et cultu fidelibus ministrent, ut orationi instent, et sacrarum praesertim disciplinarum studia sedulo colant, ac sub vestro ductu animarum saluti studiosissime inserviant. Quisque autem Vestrum apprime noscit quam vehementer in hac praesertim tanta temporum asperitate Ecclesiae intersit, idoneos habere Ministros, qui nonnisi ex Clericis optime institutis fieri possunt. Quapropter vestras omnes curas, cogitationesque in id intentissimo studio conferre nunquam desinite, Venerabiles Fratres, ut adolescentes Clerici vel a teneris annis ad omnem pietatem, virtutem, atque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac tum humanioribus litteris, tum severioribus disciplinis potissimum sacris ab omni prorsus cuiusque profanae novitatis, et erroris periculo alienis accurate erudiantur, quo virtutum omnium ornatu fulgentes, ac salutaris, solidaeque doctrinae praesidio muniti possint in tempore christianam plebem verbo, et exemplo docere, et eos, qui contradicunt arguere. Habetis, Venerabiles Fratres, quae pro impensa Nostra in Vos, et istos fideles caritate Vobis hisce Litteris significanda existimavimus, ac plane non dubitamus, quin Nostris desideriis quam cumulatissime respondere gloriemini. Siquidem ea est vestra religio, pietas, eaque erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem observantia, et episcopalis virtus, ac sollicitudo, ut omnino confidamus, Vos arctiori usque caritatis vinculo coniunctos, atque id ipsum invicem sentientes nihil unquam intentatum esse relicturos, ut auxiliante Dei gratia pergatis maiore in dies zelo, atque omni constantia et prudentia opponere murum pro Domo Israel, et gregem curae vestrae commissum ab venenatis pascuis arcere, atque ad salutaria propellere, et misere errantes ad veritatis et iustitiae semitas reducere, et omnia conari, quo omnes crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi. Nos interim in humilitate cordis Nostri haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione clementissimum misericordiarum Patrem exorare, ut uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves Vobis concreditas copiose descendant. Atque superni huius praesidii auspicem, et flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex imo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus vestrae fidei traditis peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 353-360].

514.

Pius IX, ep. *La lettera*, 9 sept. 1852.[1]

La lettera che V. M. Ci ha fatto tenere in data 25 luglio ultimo in seguito d'altra da Noi direttale, ha dato motivo di consolazione al Nostro cuore, riconoscendo in quella un'interpellazione, che un Sovrano cattolico dirige al Capo della Chiesa sul gravissimo argomento del progetto di legge sui matrimonii civili. Questa prova di rispetto verso la nostra SS. Religione, che V. M. Ci presenta, ben dimostra il retaggio glorioso, che Le fu trasmesso dagli augusti suoi Antenati; l'amore cioè alla fede da quelli professata, per cui abbiamo ferma fiducia, che V. M. saprà conservarne puro il deposito a beneficio di tutti i suoi sudditi a fronte della malvagità dei tempi che corrono.

Questa lettera Ci chiama ad eseguire i doveri dell'Apostolico Nostro Ministero, dandole una risposta franca e decisa; e ciò facciamo tanto più volentieri, in quanto che V. M. Ci assicura, che terrà questa risposta in molto conto. Senza entrare a discutere il contenuto dei fogli dei Ministri Regii che la M. V. Ci ha inviati, nei quali si pretende di fare l'apologia della legge del 9 aprile, insieme al progetto dell'altra sul matrimonio civile, facendo derivare quest'ultima dagl'impegni contratti nella pubblicazione della prima, senza rimarcare, che quest'apologia si fa nel momento stesso, in cui pendono le trattative iniziate per la conciliazione dei diritti della Chiesa violati da quelle leggi senza qualificare alcuni principii, che in detti fogli si esternano evidentemente contrarii alla sana dottrina della Chiesa, Ci proponiamo soltanto di esporre colla brevità, che conviene ai limiti di una lettera, la dottrina Cattolica su tale argomento. Da questa dottrina V. M. rileverà quanto occorre, affinchè questo affare così importante sia messo in regola; la qual cosa tanto più siamo convinti di poter ottenere, in quanto che i suoi Ministri hanno dichiarato di non consentire mai a fare una proposizione contraria ai precetti della Religione qualunque sieno le opinioni prevalenti.

È domma di fede essere stato elevato il matrimonio da N. S. Gesù Cristo alla dignità di Sacramento, ed è dottrina della Chiesa cattolica che il Sacramento non è una qualità accidentale aggiunta al contratto, ma è di essenza al matrimonio stesso, cosicchè l'unione coniugale tra i cristiani non è legittima, se non nel matrimonio Sacramento, fuori del quale non vi è

[1] Lettera data dalla Santità di N. S. a S. M. il Re Vittorio Emanuele sotto li 9 settembre 1852 sul matrimonio civile.

che un pretto concubinato. Una legge civile che, supponendo divisibile pei cattolici il Sacramento del contratto di matrimonio, pretenda di regolarne la validità, contraddice alla dottrina della Chiesa, invade i diritti inalienabili della medesima, e praticamente parifica il concubinato al Sacramento del matrimonio, sanzionando legittimo l'uno come l'altro.

Nè la dottrina della Chiesa sarebbe posta in salvo, nè bastantemente sarebbero garantiti i diritti della Chiesa stessa, ove venissero adottate nella discussione del Senato le due condizioni accennate dai ministri della M. V.: 1° cioè, che la legge tenga per validi i matrimonii regolarmente celebrati al cospetto della Chiesa; 2° che quando siasi celebrato un matrimonio, che la Chiesa non riconosce per valido, la parte che più tardi vuole uniformarsi ai suoi precetti non sia tenuta di perseverare in una convivenza condannata dalla religione. Imperciocchè in quanto alla prima condizione, o s'intendono per validi i matrimonii regolarmente celebrati avanti alla Chiesa, e in questo caso la disposizione della legge è superflua, che anzi sarebbe una vera usurpazione pel potere legittimo, se la legge civile pretendesse di conoscere e giudicare se il Sacramento del matrimonio sia stato regolarmente celebrato *in faciem Ecclesiae;* o si vogliono intendere per validi avanti la medesima quei soli matrimoni contratti *regolarmente,* cioè secondo le leggi civili, ed anche in questo caso si va a violare un diritto, che è di esclusiva competenza della Chiesa.

Per la seconda condizione poi, lasciandosi ad una delle parti la libertà di non perseverare in una convivenza illecita, stante la nullità del matrimonio, perchè non celebrato innanzi la Chiesa, nè in conformità alle sue leggi, si lascerebbe sussistere come legittima avanti al potere civile una unione che viene dalla religione condannata. Ambedue poi le condizioni non distruggendo il supposto, dal quale parte la legge in tutte le sue disposizioni, di separare cioè il Sacramento dal contratto, lasciano sussistere la opposizione di sopra ricordata tra la legge stessa e la dottrina della Chiesa intorno al matrimonio.

Non vi è pertanto altro mezzo di conciliazione che, ritenendo Cesare quello che è suo, lasci alla Chiesa ciò che ad essa appartiene. Il potere civile disponga pure degli effetti civili, che derivano dalle nozze, ma lasci alla Chiesa il regolarne la validità fra i cristiani. La legge civile prenda le mosse dalla validità, od invalidità del matrimonio, come sarà dalla Chiesa determinata, e partendo da questo fatto, che è fuori della sua sfera il costituirlo, disponga allora degli effetti civili.

La lettera poi della M. V. Ci chiama a chiarire altre proposizioni, che abbiam rilevate dalla medesima. E primieramente V. M. dice d'aver saputo da un canale, che Ella deve credere ufficiale, che la proposta della suddetta legge non fu riguardata da Noi come ostile alla Chiesa. Abbiamo voluto su questo proposito parlare prima della sua partenza da Roma col ministro di V. M. conte Bertone, il quale ci ha assicurato sull'onor suo, di avere scritto unicamente ai ministri di V. M. che il Papa non poteva nulla opporre, se conservati al Sacramento tutti i suoi sacri diritti, e la libertà che gli compete, si fossero volute fare delle leggi riguardanti solo gli effetti civili del matrimonio.

V. M. aggiunge, che queste stesse leggi, le quali sono in vigore presso certi Stati limitrofi al Regno del Piemonte non hanno impedito alla S. Sede di riguardarli con occhio di benevolenza e di amore. A questo risponderemo che la stessa S. Sede non si è mai acquietata sui fatti, che si citano, e sempre ha reclamato contro queste leggi appena ne conobbe l'esistenza, conservandosi anche adesso ne' nostri archivii i documenti delle fatte rimostranze: ma queste proteste non hanno mai impedito, nè impediscono di amare i cattolici di quelle nazioni, che furono costrette di sottoporsi all'esigenza di queste leggi. Dovremo forse non amare i cattolici del Regno di V. M., quand'anche si trovassero nella dura necessità di subire questa legge? Mai no! Diremo di più; dovranno in Noi cessare i sentimenti di carità verso la M. V. nel caso si trovasse trascinata (che Dio nol permetta mai) a sanzionarla? La Nostra carità si raddoppierebbe, e con zelo maggiore dirigeremmo più fervide preghiere a Dio, supplicandolo a non voler ritrarre la sua mano onnipotente dal capo di V. M. e a volerla soccorrere più che mai coi lumi, e colle ispirazioni della sua grazia.

Intanto però non possiamo a meno, anzi sentiamo tutto il debito che Ci corre di prevenire il male per quanto da Noi dipende, e dichiariamo a V. M. che, se la S. Sede ha reclamato altra volta contro questa legge, oggi più che mai è stretta dal dovere di farlo verso il Piemonte, e nei modi i più solenni perchè appunto il ministero di V. M. invoca gli esempi di altri Stati, dei quali funesti esempi incombe a Noi il dovere di impedire la riproduzione, ed anche perchè, procedendosi allo stabilimento di una tal legge in tempo che sono aperte le trattative per la conciliazione di altri affari, una tal circostanza potrebbe forse somministrare l'occasione di far supporre che vi fosse una qualche connivenza per parte della S. Sede. Ci sarebbe veramente penoso un tal passo, ma come esonerarcene avanti a Dio, che Ci affidò il regime della sua Chiesa, e la custodia dei suoi diritti? Solo la M. V. potrebbe arrecarci questo grande conforto nel togliercene l'occasione, ed una sola sua asserzione in proposito compirebbe la consolazione che abbiamo provato nell'essersi a Noi diretta, e quanto più sollecita sarà la sua risposta, tanto Ci riuscirà più gradita, come quella che Ci solleverà da un pensiero che assai affligge il Nostro cuore, ma che saremmo costretti di sentire nella sua piena estensione, quando uno stretto dovere di coscienza reclamasse da Noi quest'atto solenne.

Ora ci resta di chiarire l'equivoco in cui è V. M. circa l'amministrazione della diocesi di Torino. E senza trattenerla soverchiamente su questo punto Noi le dimandiamo solo di avere la pazienza di leggere due Nostre lettere a Lei dirette in data 7 settembre e 9 novembre 1849. Il suo ministro in Roma, conte Bertone ora in Torino, potrà anche riferirle a questo proposito una nostra riflessione a lui esternata, e che ora ripetiamo con tutta ingenuità a V. M. Insistendo egli sulla nomina dell'amministratore della diocesi di Torino, facemmo ad esso osservare che il ministero piemontese essendosi reso responsabile della riprovevole carcerazione e dell'esiglio di Monsignor Arcivescovo ha ottenuto un fine che non conosciamo se fosse nelle sue vedute, ha cioè ottenuto che il prelato abbia incontrato la simpatia ed

il rispetto di una grande parte del cattolicismo dimostratosi in tante maniere, per cui siamo stati oggi posti nell'impossibilità di andare incontro all'ammirazione dello stesso cattolicismo con privare Monsig. Arcivescovo dell'amministrazione della sua diocesi.

Finalmente rispondiamo all'ultima osservazione che V. M. Ci esterna addebitando ad una parte del Clero piemontese e pontificio, di far guerra al suo Governo e di eccitare i sudditi alla rivolta contro di Lei e contro le sue leggi. Una tale asserzione Ci sembrerebbe del tutto inverosimile se non ci fosse scritta da V. M., la quale assicura di averne in mano i documenti; ed in questo caso è fuori di dubbio che debbono essere puniti i rei nei debiti modi. Ci duole solo di non conoscere questi documenti per non sapere quali sieno i membri del Clero che si sarebbero accinti alla pessima impresa di eccitare una rivoluzione nel Piemonte. Questa ignoranza Ci pone nella necessità di non poterli punire; se mai però s'intendessero per eccitamento alla rivolta gli scritti che per parte del Clero sono comparsi per opporsi al progetto di legge sul matrimonio, diremo che, prescindendo dai modi che qualcuno avesse potuto adoperare, il Clero ha fatto il suo dovere. Noi scrivemmo a V. M. che la legge non è cattolica, e se la legge non è cattolica è obbligato il Clero di avvertire i fedeli anche a fronte del pericolo che incorre. Maestà, noi Le parliamo anche a nome di Gesù Cristo, del quale siamo Vicario, quantunque indegni, e nel suo santo Nome Le diciamo di non sanzionare questa legge che è fertile di mille disordini.

La preghiamo poi di volere ordinare che sia messo un freno alla stampa che ribocca continuamente di bestemmie e d'immoralità. I peccati che derivano dalla licenza di parlare e di scrivere sono senza numero. Deh! per pietà che questi peccati non si riversino mai sopra chi, avendone il potere, non ne impedisse la cagione! V. M. si lamenta del Clero, ma questo Clero è stato sempre in questi ultimi anni avvilito, bersagliato, calunniato, deriso da quasi tutti i fogli che si stampano nel Piemonte. Non si potrebbero ridire tutte le villanie e le rabbiose invettive scagliate e che si scagliano contro questo Clero. Ed ora perchè esso si accinge a difendere la verità e la purità della fede dovrà questo Clero incontrare la disgrazia della M. V.? Noi non possiamo persuadercene, e Ci abbandoniamo volentieri alla speranza di vedere dalla M. V. sostenuti i diritti della Chiesa, protetti li suoi ministri, e liberato il suo popolo dal pericolo di sottostare a certe leggi che seco portano l'impronta della decadenza della religione e della moralità negli Stati.

Pieni di questa fiducia alziamo al cielo le mani, pregando la Santissima Trinità a far discendere la benedizione apostolica sopra l'augusta sua Persona e tutta la reale Famiglia.

[Acta Pii IX, vol. II, p. 294-302].

515.

Pius IX, allocut. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

1. Acerbissimum Vobiscum, Venerabiles Fratres, hodie communicamus dolorem, quo iamdiu intime premimur ob maxima et nunquam satis lugenda damna, quibus plures ab hinc annos Catholica Ecclesia in Neogranatensi Republica miserandum in modum affligitur, atque vexatur. Quod nunquam fore putavissemus, cum omnes noscant, quibus praecipuae benevolentiae significationibus haec Apostolica Sedes illam Rempublicam fuerit prosequuta, et qua alacritate felicis recordationis Gregorius Praedecessor Noster ad religionis et spirituale illius gentis bonum omni studio procurandum, atque ad mutuae amicitiae vincula magis magisque obstringenda Rempublicam ipsam prae aliis omnibus Americae regionibus non modo primum recognoverit, sed etiam Apostolicam Nunciaturam ibi constituerit. Atque eo magis dolemus, quod adhuc irritae fuere curae omnes tum ab eodem Praedecessore Nostro, tum a Nobis ipis summa contentione apud illud Gubernium adhibitae, ut tot catholicae religioni illata amoverentur damna, ac nefariae, et iniustissimae de medio tollerentur leges ibi a civili potestate cum maximo fidelium detrimento contra divinam Ecclesiae institutionem, eiusque veneranda iura et libertatem, contra supremam huius Apostolicae Sedis potestatem, contra sacrorum Antistites et ecclesiasticos viros latae, atque sancitae. Noverat enim idem Decessor Noster, legem ibi mense Aprili anno 1845 fuisse promulgatam, qua inter alia statuitur, ut, vix dum aliqua apud illa laicae potestatis Tribunalia accusatio, adversus ecclesiasticos viros, ac vel ipsos Episcopos fuisset admissa, non solum Sacerdotes Domini, aliique Clerici, sed etiam Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, ab omni sui ministerii exercitio se abstinere, ac proprii muneris partes aliis committere debeant, constitutis quoque carceris, exilii, et aliis poenis in eos omnes, qui id agere noluissent. Quapropter ipse Praedecessor Noster, nulla interposita mora, suas eodem anno ad illius Reipublicae Praesidem misit Litteras, quibus legem illam omni certe reprehensione dignissimam vehementer improbavit, ac simul summopere expostulavit, ut eadem lex statim abrogaretur, et Ecclesiae iura sarta, tecta haberentur. Nos autem, postquam inscrutabili Dei iudicio ad hanc Principis Apostolorum cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, afflictis inibi sanctissimae nostrae religionis rebus consulere vel maxime cupientes iam inde ab anno 1847 ad eiusdem Neogranatensis Reipublicae Praesidem scripsimus Litteras. Quibus quidem Litteris significantes, quantopere de illa Dominici gregis parte solliciti et anxii essemus, et quo singulari paternae Nostrae caritatis studio opportuna vellemus adhibere remedia ad sanandas ibi contritiones Israel, lamentati sumus vehementer deplorandam conditionem, in qua versabatur Ecclesia. Neque praetermisimus iisdem Litteris inter alia summopere conqueri de binis illis praesertim iam conceptis decretis, quorum altero proponebatur, ut hac Apostolica Sede minime con-

sulta, decimae tollerentur; altero autem, ut hominibus illuc immigrantibus liceret publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere. Atque commemorata improbantes decreta etiam atque etiam efflagitavimus, ut illa nullum unquam obtinerent exitum, ut Ecclesia suis omnibus iuribus ac plena frueretur libertate.

2. Ea porro spe nitebamur fore, ut Neogranatense Gubernium has Nostras voces, monita, expostulationes, querelas, quae ex amantissimi aeque ac afflictissimi communis omnium fidelium Patris corde erumpebant, pronis vellet auribus excipere. Verum incredibili animi Nostri dolore Vobis nunciare cogimur, hostiles, violentosque in Christi Ecclesiam impetus quotidie magis, ac duobus praesertim ab hinc annis adeo esse factos, ut nova, et gravissima Ecclesiae ipsi per laicam potestatem indesinenter inflicta sint vulnera. Etenim, Venerabiles Fratres, non solum iniustissimae illae leges, de quibus dolenter loquuti sumus, minime sublatae fuerunt, verum etiam aliae ab utroque illius Gubernii consilio legibus ferendis praeposito sunt conditae, quibus sanctissima Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iura maiorem in modum violantur, oppugnantur, et proculcantur. Namque inter alia iam inde a mense Maio superioris anni lex prodiit contra Religiosas Familias; quae pie institutae recteque administratae magno christianae, et civili reipublicae usui et ornamento esse solent. Ea enim lege confirmatur expulsio Religiosae Societatis Iesu Familiae, quae illuc primum arcessita, ac tantopere exoptata de re catholica et civili illic optime merebatur, atque eadem lege vetatur, ne ulla in Neogranatensis Reipublicae territorio Societas institui possit, quae *passivae,* ut dicunt, obedientiae vinculo potissimum obstringatur. Insuper eadem lege iis omnibus promittitur auxilium, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere, ac solemnia vota frangere velint, ac Venerabili Fratri Emmanueli illius ecclesiasticae provinciae Archiepiscopo vigilantissimo, viro summis Nostris et huius Apostolicae Sedis praeconiis decorando, interdicitur exercere facultatem ei ab hac Apostolica Sede iam inde ab anno 1835 tributam, visitandi scilicet Religiosas illius regionis Familias, et regularem restituendi disciplinam. Eodem subinde mense et anno alia sancita lex est, qua Ecclesiasticum forum de medio omnino tollitur, ac declaratur, causas omnes ad idem forum pertinentes, ac vel ipsas tum Archiepiscopi, tum Episcoporum causas sive civiles sive criminales ante laicalia Tribunalia ab illius Reipublicae Magistratibus in posterum esse iudicandas. Postmodum, die nempe vigesima septima eiusdem mensis Maii anno 1851 de Parochis nominandis promulgata lex est, qua Nationalia Consilia mentitum falsumque ius designandi Parochos a Praeside illius Reipublicae ad quemdam excogitatum Parochialem Conventum, quem *Cabildo parroquial* appellant, ex cuiusque Paroeciae patribusfamilias praesertim comparatum transferunt, ut, cum aliqua Paroecia suo fuerit a Parocho orbata, ille Conventus novum Parochum nominare queat. Aliquibus insuper eiusdem legis articulis prohibentur sacrorum Antistites ullum seu sacrae visitationis, seu alio quocumque iure percipere emolumentum; atque eidem Parochiali Conventui tribuitur potestas pro suo arbitrio statuendi et immutandi tam Parochorum reditus, quam impendia sacris functionibus necessaria; et alia statuuntur, quibus ecclesiasticae proprietatis iura

violantur ac delentur. Post haec die primo mensis Iunii eiusdem anni 1851 alia sancita est lex, qua vetatur, ne Canonicales Cathedralium Ecclesiarum Praebendae conferantur, nisi postquam a maiore Provincialium cuiusque Dioecesis Consiliorum parte id pro eorum arbitrio fuerit statutum. Aliae deinde promulgatae sunt leges, quibus et omnibus data est facultas se liberandi ab onere solvendi census, qui potissimam ecclesiasticorum redituum partem constituunt, soluta dimidia pretii parte Gubernio, et Archiepiscopalis Seminarii Sanctae Fidei de Bogota bona Nationali Collegio adiudicata, ac suprema in idem Seminarium inspectio laicae potestati attributa. Neque silentio praetereundum, per novam illius Reipublicae Constitutionem postremis hisce temporibus sancitam inter alia ius quoque liberae institutionis defendi, et omnimodam omnibus tribui libertatem, ut quisque suas cogitationes ac monstruosa quaeque opinionum portenta typis quoque in vulgus edere, et privatim publiceque quemlibet cultum profiteri valeat.

3. Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam teterrimum ac sacrilegum bellum catholicae Ecclesiae a Neogranatensis Reipublicae Moderatoribus sit indictum, et quae quantaeque iniuriae eidem Ecclesiae, eiusque sacris iuribus, Pastoribus, Ministris, ac supremae Nostrae, et Sanctae huius Sedis auctoritati fuerint illatae. Cum autem enunciatae leges iam inde ab eodem anno 1851 executioni fuerint mandatae, iam tum sacrorum Antistites et Ecclesiastici viri, qui catholicis sensibus vere animati nefariis illis decretis merito atque optimo iure reclamabant, et obsistebant, summa cum fidelium populorum damno crudeliter vexati, et in gravissima quaeque adducti fuere discrimina. Siquidem et sacra Episcoporum oppressa auctoritas, et Parochorum ministerium vinculis constrictum atque irretitum, et optimi divinae legis praecones in carcerem detrusi, et cuiusque gradus Clerici ad egestatem redacti, omnibusque malis, et aerumnis obnoxii. Atque in primis Venerabilis Frater Emmanuel Iosephus de Monsquera vigilantissimus Sanctae Fidei de Bogota Archiepiscopus gravioribus fuit angustiis et laboribus exagitatus eam scilicet ob causam, quod praestantissimus ille Antistes singulari pietate, doctrina, prudentia, consilio praecellens, et apostolico zelo plane incensus pro sui muneris debito contra illas impias leges sapienter, fortiterque protestari, ac saeculi licentiae, et pravis impiorum hominum consiliis invicte resistere, ac Dei et Ecclesiae causam strenue propugnare nunquam intermisit. Quo autem potissimum praetextu Neogranatense Gubernium uti voluerit ad clarissimum illum divexandum Antistitem, accipite, Venerabiles Fratres. Cum enim in illis regionibus mos invaluerit, ut sexto quoque mense habeantur experimenta ad eorum periclitandam doctrinam, qui vacantibus parochialibus Ecclesiis sunt praeficiendi, Neogranatense Gubernium per legem ibi iamdiu contra Canonicas Sanctiones sancitam sibi temere ius arrogavit non solum cogendi Episcopos ad id sexto quoque mense redeunte peragendum, verum etiam compellendi Metropolitanum, aut viciniorem Antistitem ad idem praestandum si quis Antistes commemorato tempore eiusmodi experimenta minime habuisset. Huius igitur legis vi ipsum Gubernium anno 1851 eidem clarissimo Sanctae Fidei de Bogota Archiepiscopo denuntiare non dubitavit, ut eadem experimenta indiceret. Et quoniam idem Archiepiscopus adversae valetudinis conflictabatur incommodis,

idcirco illius Vicarius generalis Gubernio respondens sui Antistitis nomine iniustam hanc petitionem cunctando repellendam esse existimavit, veritus praesertim, ne praedictam de nominandis Parochis legem quodammodo ipse probare videretur. Ob hanc itaque rectam ac prudentem agendi rationem, omni certe laude dignam, ab illo Vicario habitam, idem ad laicalia tribunalia fuit accusatus, a proprii muneris exercitio interdictus, palam publiceque comprehensus, ac deinceps carceri per duos menses, ac per sex captivitati, seu detentioni damnatus, aliisque afflictatus poenis. Atque in hac re illud vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod Vicarius Capitularis vacantis Ecclesiae Antiochensis quae vicinior est Bogotae, Neogranatensis Gubernii sensibus, et consiliis turpiter obsequens haud timuit Kalendis Martii huius anni Edictum emittere, quo contra suum Metropolitanum insurgens, et in eius iurisdictionem invadens de illius Archidioecesis Paroeciis concursus contra Canonicas Sanctiones indixit. Ubi id Nostras pervenit ad aures, nulla interiecta mora, eidem Vicario Capitulari scripsimus Litteras, quibus tantum eis facinus gravibus, severisque, uti par erat, verbis reprehendentes, et damnantes, illi mandavimus, ut ab incepto statim desisteret, ne Nos, licet inviti, in ipsum ea cogeremur decernere, quae Sacrorum Canonum severitas, et Apostolici Nostri ministerii ratio postulabant. Interim vero ipse pientissimus Archiepiscopus suo munere provide sapienterque fungens continuo Edictum edidit, quo iustissime docebat, nullum, irritumque esse Edictum ab illo Vicario Capitulari adversus Sacrorum Canonum praescripta promulgatum, ac simul omni iure vetabat, ne quis eidem edicto suas aures ullo modo praebere unquam vellet. Tum vero illud Deputatorum Consilium in proprium Pastorem magis magisque irruens non dubitavit spectatissimum Archiepiscopum sicut violatarum legum reum accusare, et Neogranatensis Senatus haud veritus est tam iniustam, et impiam admittere accusationem. Atque ex infanda illa lege, quam, uti ab initio diximus, rec. me. Gregorius XVI Praedecessor Noster reprobaverat, denuntiatum est eidem Archiepiscopo, ut suam iurisdictionem remitteret, eamque alii ecclesiastico viro deferret. Hac tam iniqua denuntiatione accepta ille religiosissimus, doctissimusque Antistes egregius, ac strenuus rei catholicae, et Ecclesiae iurium propugnator paratus aspera quaeque propter iustitiam pati, sapientissimum, verissimumque dedit responsum, quo invicta episcopalis sui animi fortitudine clare, aperteque declaravit, se nunquam posse eam dimittere potestatem, quam sibi unice a Deo, atque ab hac Apostolica Sede collatam esse probe noscebat. Hinc Neogranatense Gubernium haud extimuit maximo cum omnium bonorum luctu, et indignatione non solum Archiepiscopalis mensae reditus sequestro ponere, verum etiam proprium Archiepiscopum de illa Archidioecesi summopere meritum, ac tot sane nominibus illustrem pellere in exilium. Qui quidem Antistes gravissimo deinde morbo correptus, cum e Neogranatensi Reipublicae territorio protinus decedere haud potuerit, in quamdam villam, quae a Bogotensi civitate iter duorum dierum distat, se recipere est coactus. Cum autem inter plurimos spectatissimos viros Minister quoque inclytae exterae Nationis ibi commorans tam indigna re commotus sua officia apud illud Gubernium interponenda curaverit, visum est Gubernium idem propendere ad id dumtaxat permittendum, ut scilicet ipse Archiepiscopus exsularet statim ac iter aggredi posset. Neque id satis. Hisce namque diebus tristissimi venerunt nuntii, ex quibus pari animi Nostri amaritudine accepimus, Venerabilem Fratrem Episcopum de Cartagena, ac Dilectum Filium Vicarium Capitularem Dioecesis S. Marthae similem de paroeciarum concursu denuntiationem ab illo accepisse Gubernio, eisque ipsissima ingruere discrimina, proptereaquod summa cum eorum nominis laude denuntiationem ipsam respuere non dubitarunt. Perlatum quoque ad Nos est, ea ipsa de causa, eamdem Venerabili Fratri Episcopo Neo-Pampilonensi impendere procellam, cum ipse etiam paratus sit ad sui muneris partes splendide obeundas, et ad Ecclesiae iura fortiter constanterque tuenda. Atque eiusmodi vexationibus, iniuriis, contumeliis subiecti quoque fuere alii illius Reipublicae lectissimi ecclesiastici viri, ac vel ipse Noster et huius S. Sedis Legatus. Etenim semel atque iterum in illis Consiliis inter maxima et horrenda cuiusque generis contra Christi hic in terris Vicarium, et hanc Apostolicam Sedem convicia propositio facta fuit dimittendi eumdem Nostrum Legatum, qui ea, qua par erat, prudentia, et fortitudine Nostro nomine tot nefariis, et sacrilegis ausis reclamare non praetermisit. Omittimus autem hic commemorare novas alias leges a nonnullis e Deputatorum Consilio propositas, quae irreformabili catholicae Ecclesiae doctrinae, eiusque sanctissimis iuribus omnino adversantur. Itaque nihil dicimus de illis conceptis decretis, quibus proponebatur, ut Ecclesia nempe a Statu seiungeretur, ut Regularium Ordinum, piorumque Legatorum bona oneri mutuum dandi omnino subiicerentur, ut omnes abrogarentur leges, quae ad Religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque iura, et officia tuenda pertinent, ut civili auctoritati tribueretur ius erigendi, et circumscribendi Dioeceses, et Canonicorum Collegia, ut ecclesiastica iis conferretur iurisdictio, qui a Gubernio nominati fuissent. Nihil dicimus de alio illo decreto, quo Matrimonii Sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, eiusque institutione, et natura prorsus ignorata, et eversa, atque Ecclesiae in Sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores, atque adversus catholicae Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis iudicarentur; cum nemo ex Catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere, et proprie unum ex septem Evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem cuiuscumque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem Matrimonium quovis modo possunt pertinere. Atque haec omnia omittimus, proptereaquod etiamsi hae leges ab aliquibus e Deputatorum Consilio fuere propositae, tamen plerique Deputati, ac Senatores, Deo bene iuvante, eas leges reiiciendas esse decrevere, et horruerunt tot iam gravibus inflictis Ecclesiae vulneribus alia nova imponere vulnera.

4 In tanta autem acerbitate Nos recreat singularis tum Bogotensis Archiepiscopi, tum aliorum illius Reipublicae Antistitum religio, pietas ac sacerdotalis fortitudo et constantia. Ipsi enim probe memores loci quem tenent, dignitatis qua insigniti sunt, sacramenti quo in solemni inauguratione se obstrinxerunt, illustribus Archiepiscopi vestigiis insistentes maxima cum eorum laude haud intermiserunt episcopalem tollere vocem contra tot illatas Ecclesiae iniurias, ac promptissimi sunt pro ipsius Ecclesiae defensione ad omnia subeunda pericula. Neque parum Nos quoque reficit egregia Neogranatensium populorum virtus, pietas, qui longe maxima ex parte summopere dolentes et indignantes tam iniqua ac tristia contra eorum religionem et Antistites facta, nihil antiquius habent quam publicis luculentisque testimoniis ostendere, sibi maxime cordi esse et catholicam profiteri religionem et suos Antistites summa observantia et amore prosequi, ac Nobis et huic Apostolicae Sedi catholicae veritatis et unitatis centro firmiter adhaerere.

5. Iam porro, Venerabiles Fratres, vix dum Nobis innotuit, tam prava et nunquam satis improbanda consilia in Neogranatensi Republica contra Ecclesiam eiusque sacra iura, bona, Pastores, Ministros suscepta ac perfecta fuisse, nunquam destitimus per Nostrum Cardinalem a publicis Nostris Negociis apud illud Gubernium iteratis expostulationibus reclamare et conqueri adversus tot gravissimas eidem Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi illatas iniurias. Attamen, dolentes et inviti dicimus, Nihil Nostrae voces, clamores et questus profecerunt, nihil illorum Antistitum querelae valuere, qui proprii ministerii munere in exemplum fungentes, Nostrisque paternis Literis confirmati haud omiserunt opponere murum pro Domo Israel. Itaque ut fideles illic degentes sciant et universus orbis agnoscat quam vehementer a Nobis improbentur ea omnia, quae ab illius Reipublicae Moderatoribus contra Religionem, Ecclesiam, Eiusque leges, Pastores, Ministros et contra huius Beati Petri Cathedrae iura et auctoritatem gesta sunt, pastoralem Nostram in amplissimo Vestro consessu vocem apostolica libertate attollentes praedicta omnia decreta, quae ibi a civili potestate tanto cum Ecclesiasticae auctoritatis et huius S. Sedis contemptu ac tanta cum Religionis et sacrorum Antistitum iactura ac detrimento sancita sunt improbamus, damnamus et irrita prorsus ac nulla declaramus. Propterea eos omnes, quorum opera et iussu illa edita sunt, gravissime monemus, ut serio reputent poenas et censuras, quae adversus sacrarum personarum et rerum, atque ecclesiasticae potestatis et libertatis violatores, profanatores et Ecclesiae, atque huius Apostolicae Sedis iurium usurpatores ab Apostolicis Constitutionibus sacrisque Conciliorum canonibus sunt constitutae.

6. Utinam vero Nostris hisce vocibus, monitis, querelis tandem aliquando illi ipsi dociles praebeant aures, quorum opera tot, tantisque malis oppressa ingemiscit Ecclesia; utinam huius moestissimae et amantissimae matris aspectu commoti illam salutifera poenitentia consolari, eiusque gravissima vulnera lacrimis abstergere ac damna statim reparare properent, atque ita haud expectare et experiri velint, quam iratus iudex Deus in illos exurgat, qui suam Ecclesiam polluere, violare et affligere audent. Nos autem, Venerabiles Fratres, nunquam intermittamus dies noctesque clementissimum misericordiarum

Patrem et Deum totius consolationis assiduis fervidisque precibus orare et obsecrare, ut divina sua gratia omnes errantes ad veritatis, iustitiae et salutis semitas reducere velit ac simul omnipotenti sua virtute efficiat, ut Ecclesia sua sancta tum ibi, tum alibi nefariis impiorum hominum consiliis tam vehementer afflicta, ac divexata ponat luctum, squalorem abiiciat, et induat vestes incunditatis suae, atque a solis ortu usque ad occasum splendidioribus in dies augeatur et exornetur triumphis.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 383-395].

516.

Pius IX, ep. encycl. *Neminem vestrum*, 2 febr. 1854.[1]

1. Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, quo paterno prorsus affectu Romani Pontifices Praedecessores Nostri ab antiquis temporibus Armeniam vestram Nationem tot sane nominibus illustrem fuerint prosequuti, et quanta cura, ac sollicitudine Nationem ipsam ad catholicam unitatem revocare studuerint. Neque ignoratis quos fructus divina adspirante gratia iidem Decessores Nostri ex impensis eorum erga vestram Nationem studiis perceperint, et qua laetitia ipsi affecti fuerint, cum obtinere potuerunt, ut multi Armenii ad catholicae unitatis professionem reversi in ea stabiles et immoti persisterent. Ac vobis compertum exploratumque est, qua admirabili virtute, et summa eorum nominis gloria Catholici Armenii luctuosissimis temporibus aspera quaeque cum ipsius vitae discrimine strenue sint perpessi in catholica fide. et unitate tuenda ac profitenda, cuius amore et studio tantopere flagrabant, et qua assidua contentione haec Apostolica Sedes suam omnem adiutricem operam Armeniis ipsis praebere nunquam intermiserit, ut spiritualibus praesertim illorum indigentiis iuxta proprium eorum ritum quovis modo occurreret, atque consuleret. Et quoniam episcopalis Armeniorum Antistitum Hierarchia iamdiu restituta in illis dumtaxat regionibus aliquo modo servari potuit, quae a persecutionis aestu aberant, idcirco Sancta haec Sedes vel maxime anxia, atque sollicita de spirituali bono Armeniorum commorantium Constantinopoli, et in finitimis provinciis, ubi Episcopi consistere haud poterant, nullis consiliis sibi parcendum esse duxit, ut eorumdem Armeniorum saluti prospiceret. Quocirca Sancta haec Sedes intentissimo studio curavit et vestrae Nationis Sacerdotes optime instituere, adhibita quoque huius Urbani Nostri Collegii opera, et illis potissimum Religiosarum Familiarum Alumnis animos addere, qui in spirituale vestrae Nationis bonum procurandum sedulo incumberent. Atque etiam probe cognoscitis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ab hac Apostolica Sede, ubi primum per temporum adiuncta fieri licuit, Armenium Antistitem Episcopali dignitate

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Primati, Episcopis, ac dilectis Filiis clericis et religiosis viris, cunctisque fidelibus Armeniae catholicae nationis Constantinopolitanae Provinciae.

insignitum in ista Constantinopolitana urbe fuisse constitutum, ac subinde, postquam Armenii catholici ob supremi Turcarum Imperatoris clementiam in rebus praesertim sacris libertate donati fuere (qua cum mutua animorum concordia religionis res maiorem in modum vigere, ac florescere possent) Archiepiscopalem Primatialem Sedem in eadem Urbe fuisse erectam pro Armeniis catholicis, eisque proprium Archiepiscopum datum, veluti lucu-lenter testantur Apostolicae Literae re. me. Pii VIII Decessoris Nostri.[1] Omnes autem norunt indefessas ac singulares curas a felicis recordationis Gregorio XVI Praedecessore pariter Nostro adhibitas ad amplissimae illius Dioecesis ordinem rite constituendum, et ad Catholicorum Armeniorum utilitatem, prosperitatemque magis in dies procurandam et fovendam. Nos vero ubi inscrutabili Dei iudicio in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati fuimus, statim universum, qua late patet, christianum orbem animo et cogitatione complexi, paternae Nostrae sollicitudinis curas in potiorem istam Armeniae Catholicae Nationis partem studiosissime convertimus. Namque opera utentes Venerabilis Fratris Innocentii Archiepiscopi Sidensis, quem extraordinarium Nostrum Legatum ad supremum Turcarum Imperatorem misimus, ut eidem Principi amicabiles animi Nostri sensus exponeret, ac simul officia Nostra deferret, haud praetermisimus ipsi potenti Othomanorum Imperatori Armenios, aliasque omnes catholicas orientales Nationes in eius Ditione degentes etiam atque etiam commendare. Cum autem Nobis summopere cordi esset maiorem Armeniae vestrae Nationis utilitatem procurare, tum eidem Venerabili Fratri commisimus, ut diligenter investigaret in quo statu Armenia ipsa versaretur Natio, atque omnia ad Nos referret, ut, rebus maturo examine perpensis, nosceremus quae potissimum consilia a Nobis essent suspicienda ad spirituale vestrae Nationis bonum magis magisque comparandum. Itaque postquam idem Venerabilis Frater delato sibi munere perfunctus accuratas rerum notitias Nobis praebuit, probavimus varia decreta a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis fidei propagandae edita, atque inter alia illud etiam quo improbata fuit *Societas Conationalis* appellata, ex qua damna plurima oritura esse merito praevidebantur. Hinc Apostolicas Nostras dedimus Literas, quibus tum ad exitum deduximus quae idem Decessor Noster Pius VIII sibi perficienda proposuerat, tum alios quinque Armenii Ritus Episcopos constituimus, inter quos magna veteris, et amplissimae Constantinopolitanae Dioeceseos pars fuit divisa.

4. Dum autem ea profecto spe nitebamur fore, ut nova ecclesiastica Armenia Provincia hisce paternis Nostris curis prospere feliciterque vigere ac florescere posset, non sine maximo animi Nostri dolore novimus, perniciosas animorum dissensiones in vestram Nationem ab inimico homine iamdiu inductas ita magis in dies invalescere, ut minime deessent, qui ad eiusmodi dissensiones fovendas vel ipsa praetexerent consilia, quibus haec Apostolica Sedes vestram Nationem iuvare vel maxime optabat. Quae nunquam satis

[1] Litt. Apost. Pii VIII, *Quod iamdiu* et *Apostolatus officium*, die 6 Iulii 1830. – Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 18, p. 113, 114.

deploranda animorum discordia graviter exarsit, ubi utraque dissidentium pars scriptis in vulgus editis de religiosis Nationis quaestionibus palam publiceque disserere ac disceptare coepit; quae quidem scripta fuere vicissim exarata ostilibus praesertim asperrimisque verbis atque sententiis, quae a christiana caritate omnino abhorrent, et iis plane adversantur, quae ad mutuam concordiam tuendam requiruntur, atque in lucem prodierunt inscia, et invita hac Apostolica Sede, quemadmodum per iteratas eiusdem Nostrae Congregationis literas declarandum esse voluimus. Quisque vestrum noscit quae exinde scandala evenerunt non sine levi vestrae Nationis damno, et quo studio Nos, nulla interposita mora, omnem Nostram operam impendere properavimus, ut omnes a Vobis amoverentur contentiones, et dissensiones, earumque germina radicitus extirparentur. Nec mediocri certe iucunditate affecti fuimus, proptereaquod primae Nostrae curae optatum habuere exitum. Namque Venerabiles Fratres Antonius vester Archiepiscopus Constantinopolitanus, et Iulianus Archiepiscopus Petrensis in partibus Infidelium ac Noster istic Vicarius Apostolicus pro fidelibus Latini ritus ad Nos venerunt, ac rebus omnibus expositis inter se concordissimis animis plane consensere, ac deinde Nobis probantibus in vulgus ediderunt quae vicissim constituerant. Atque utinam, veluti paterno Nostro cordi iucundissimum fuisset, omnes isti vestrae Nationis ordines pari alacritate iuxta illa, quae Nostra Congregatio fidei propagandae praeposita monere et insinuare haud omisit, Nostris desideriis obsecuti fuissent plane fidentes Nostris consiliis et ordinationibus, quae ad commune vestrum omnium bonum unice spectabant. Siquidem haud cogeremur tot deflere damna, et mala, quae in vos ex animorum praesertim dissensione cum summo animi Nostri moerore redundarunt.

3. Cum igitur hae funestissimae contentiones et dissidia minime cessarent, mandavimus, ut eadem Nostra Congregatio fidei propagandae praeposita maiori, qua fieri posset, celeritate accuratam cum veterum, tum recentium Armeniae Nationis quaestionum cognitionem diligentissime sibi compararet, illasque in variis conventibus VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales eiusdem Congregationis pro singulari eorum prudentia ex more sedulo examinarent, atque perpenderent. Ac de huiusmodi re vehementer solliciti uni ex hisce conventibus Nos ipsi praefuimus, et, auditis eorumdem Cardinalium sententiis, significavimus quae Nostra mens esset de potioribus quaestionum articulis, nunquam intermittentes assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare, ut omnipotenti divinae suae gratiae auxilio humilem Nostram operam ad animarum vestrarum bonum dumtaxat intentam iuvare, ac fortunare vellet. Cum vero nihil Nobis potius, quam vestrae tranquillitati, ac prosperitati statim consulere, tum res illas perficiendas curavimus, quae ad hunc tam salutarem finem conducerent. Quapropter noscentes vestrae Nationis damna vel maxime aucta fuisse ex commemoratis scriptis in vulgus editis, eadem praecipua scripta, peculiari adhibito examine, prohibenda ac damnanda mandavimus, veluti etiam vehementer improbamus alia omnia, quae ad hoc idem negotium pertinent, quaeque vel ante, vel post damnata illa scripta in lucem prodiere, ac sive armenio, sive armenio vulgari, sive italico, sive gallico, sive quovis alio idiomate sint exarata, cum mutuum prae-

sertim odium praeseferant christianae caritati omnino adversum. Omnia quoque Nostra studia convertimus, ut in isto Constantinopolitano Seminario recta et accurata Cleri institutio religiosissime quotidie magis promoveatur, utque Religiosae Familiae meliori usque ordine utantur, et congruum ab eadem Nostra Congregatione fidei propagandae Decretum proferri iussimus, quod omni ex parte diligenter observari mandamus. Ad omnem autem controversiam ac suspicionem penitus amovendam de Monachorum Mechitharistarum Venetiis degentium doctrina, sciatis velimus, a Monachis ipsis luculentam catholicae eorum fidei et doctrinae professionem, ac declarationem debitis adhibitis subscriptionibus ad Nos missam fuisse, quae summam Nobis attulit consolationem, Nostrisque desideriis quam cumulatissime satisfecit. Etenim non solum disertissimis verbis alacri libentique animo profitentur, se excipere omnes ordinationes, et decreta a Romanis Pontificibus et Sacris Congregationibus seu edita, seu edenda, ac signanter illa, quae vetant communicationem in divinis cum schismaticis, verum etiam clare aperteque declarant: « partem eorum Nationis, cuius bonum, et utilitatem praecipue, et unice « ipsorum spectat Institutum, infeliciter reperiri seiunctam a communicatione « Catholica Apostolica Romana, ac propterea declarant se amplecti, et cogno- « scere, veluti suos fratres, illos, quos Sancta Ecclesia Romana Apostolica « recognoscit uti suos filios, et Armeniorum Schismaticorum errores damnantes « fatentur, illos esse extra veram Iesu Christi Ecclesiam, et profitentur, se « numquam intermissuros orare, praedicare, ac tum factis, tum scriptis, tum « verbis curare, ut iidem errantes redeant ad solum et unicum Christi Iesu « ovile, cuius solus Summus Pastor, Caput, et centrum est Romanus Pon- « tifex Petri Apostolorum Principis Successor ». Atque etiam Vobis significamus, opportuna alia consilia a Nobis fuisse suscepta, ut omnis timor plane deponatur circa Collegia, in quibus Monachi iidem Armeniam iuventutem instituunt. Quo vero potissimum opus a Nostris Praedecessoribus inchoatum, et a Nobis ob ordinariam Episcoporum Hierarchiam ad optatum exitum istic adductam absolutum prospere progredi possit, et cum Archiepiscopi Primatis tum aliorum Sacrorum Antistitum eius Suffraganeorum electio locum habere queat, opportunas a praedicta Nostra Congregatione instructiones dari mandavimus, easque ad ipsum Archiepiscopum, aliosque Episcopos perferendas esse iussimus.

4. Quae quidem omnia satis superque ostendunt, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, quam vehementer de spirituali vestro bono Nos solliciti simus, et quo paternae caritatis studio Armeniam vestram Nationem in Domino prosequamur. Nunc vero has Nostras Vobis scribimus Literas, quibus Vos omnes peramanter alloquimur, ac summopere hortamur, monemus, et obsecramus, ut induatis vos, sicut electi Dei, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, atque arctissimo inter vos concordiae et caritatis vinculo obstricti deponatis omnes simultates, contentiones, aemulationes, iras, dissensiones, ac sequamini in omnibus pacem, et sanctimoniam, et unanimes idipsum sentientes perfecti sitis in eodem sensu, et in eadem sententia, ac solliciti servare in vinculo pacis illam spiritus unitatem, quae a Christo Domino tantopere fuit commendata et inculcata. Quibus amantissimis Nostris monitis,

hortationibus, desideriis, et postulationibus Vos pro filiali vestra erga Nos et hanc Sanctam Sedem pietate eo magis obsecuturos esse confidimus, quod tristi experientia docti scitis quot calamitates ob animorum discordiam illustris vestra Natio sit perpessa, quae secundis, faustisque rebus usa profecto fuisset, si omnes mutua voluntatum concordia devincti, et invicem diligentes ambulassent in caritate Dei. Memoria igitur repetentes quibus aerumnis propter discordiam afflicti fuistis, ac serio considerantes quod *omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit,*[1] et illud Apostoli monitum prae oculis semper habentes, scilicet, *quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consummamini,*[2] nihil Vobis omnibus in posterum potius, nihil antiquius sit, quam singulari cura et studio christianam inter Vos animorum concordiam fovere, pacem habere, et ea quae pacis sunt sectari. Omnes quidem memineritis qua paterna sollicitudine hanc concordiam Vobis quoque inculcaverit idem Decessor Noster Pius VIII, qui in ista Archiepiscopali Primatiali Constantinopolitana Sede instituenda suis Apostolicis Literis finem dedit hisce S. Leonis Magni Praedecessoris item Nostri verbis: « Connexio « scilicet totius corporis unam sanitatem, unamque pulchritudinem facit; et « haec connexio unius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue « exigit concordiam Sacerdotum ». Quae salutaria sane monita denuo pari studio repetere haud omisit alter Praedecessor Noster Gregorius XVI, ut magis magisque Vos omnes ad hanc mutuam animorum concordiam tuendam excitaret atque inflammaret.

5. Nunc vero sermonem Nostrum ad Vos praecipue convertimus, Venerabiles Fratres, istius ecclesiasticae Constantinopolitanae Provinciae Antistites, ac Vos vehementer in Domino obtestamur, ut nunquam cessetis concordissimis animis, et ingeminatis studiis qua opere, qua verbo, qua exemplo fideles Vobis commissos ad mutuam concordiam pacem et caritatem continenter hortari, inflammare et cuiusque dissensionis motus frangere atque comprimere. Omnes autem gravissimi episcopalis vestri muneris partes summa animorum, voluntatum et sententiarum coniunctione sedulo ac studiosissime obeuntes « pa- « scite, qui in Vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spon- « tanee secundum Deum... neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti « gregis ex animo ».[3] In primis vero nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus unquam parcite, ut in vestris Dioecesibus divinae fidei nostrae depositum integrum, inviolatumque custodiatur, ut Clerus rebus optimis sancte instituatur, et ad omnem virtutem atque ecclesiasticum spiritum accurate fingatur, ac disciplinis praesertim sacris ab omni cuiusque erroris periculo plane alienis erudiatur, ut fideles quotidie magis salutari catholicae religionis doctrina, eiusque sanctissimis praeceptionibus imbuantur, et per gratiarum charismata confirmentur, quo declinantes a malo, et facientes bonum crescant in scientia Dei, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et instent viam quae ducit ad vitam, ut morum honestas, vitae inte-

[1] Matth., 12, 25.
[2] Gal., 5, 15.
[3] I Petr., cap. 5, v. 2, 3.

gritas ac virtus, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiant, et in omnium animis vigeant ac dominentur. Atque in Pastorum Principis exemplum semper intuentes, qui se *mitem et humilem corde* professus est, quique reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius, nihil antiquius habeatis, Venerabiles Fratres, quam miseros errantes in spiritu lenitatis, et mansuetudinis ad rectum iustitiae et veritatis tramitem reducere, illosque ex Apostoli praescripto arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, « cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auste- « ritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas ». [1] Quod si interdum gravitatis, ac severitatis partes a Vobis sint adhibendae, quando, levioribus iam frustra adhibitis fomentis, morbi gravitas acriora remedia postulat, in delinquentes homines ex Sacrorum Canonum praescripto animadvertite temperantes cum misericordia iudicium, cum mansuetudine zelum, cum lenitate rigorem, quemadmodum Ecclesiae pastores vel maxime decet, qui se subditis suis pietate matrem, disciplina patrem exhibere debent.

6. Vos etiam omnes omnium ordinum affamur, Dilecti Filii Cleri cum Saecularis tum Regularis, qui divino ministerio mancipati elegistis iam Dominum tamquam partem haereditatis vestrae. Propriis Antistibus, uti par est, subditi, eisque obedientes ac memores vocationis et dignitatis vestrae, eam morum gravitate, vitae sanctitate exsequi ac tueri contendite, quo populus in magnum vestri ordinis amorem, venerationemque adducere, ac magnum ecclesiasticae aedificationi incrementum afferre quotidie magis possitis. Quamobrem studiosissime declinantes ab iis omnibus, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, nihil unquam admittere velitis, quod aliis offensioni esse possit, sed magis magisque curate praebere vosmetipsos exemplum bonorum operum in verbo; in conversatione, in caritate non ficta, in doctrina, in fide, in castitate. Cum vero sive necessitate, sive sacri ministerii ratione compulsi in saecularium domibus versari debetis, vestris omnibus actionibus ecclesiasticae personae dignitatem ac magnitudinem ita sustinere contendite, ut virtutum omnium ornatu fulgentes sitis bonus Christi odor. Vos autem Religiosi viri prae oculis habentes Decretum eiusdem Nostrae Congregationis die 20 augusti superiori anno iussu Nostro editum, illud religiosissime servandum curate. Nunquam vero intermittite vos omnes utriusque Cleri viri orationi instare ac Deum continenter precari, ut uberrima coelestis suae gratiae dona super Vos, et christianum populum propitius semper effundat. Ne cessetis divinarum praesertim literarum, sacrarumque disciplinarum studia assidue ac sedulo excolere, quo possitis iis respondere, qui legem de ore vestro requirunt et mandata Dei illos docere, qui ignorant et errant. Singulari vero industria ac diligentia quaerentes non quae vestra sunt, sed quae Iesu Christi sunt, studete, Dilecti Filii, omnia sacri vestri ministerii munia pie sancteque exercere, atque unanimes vestram omnem cum propriis Antistitibus operam praestare numquam intermittite, ut sempiternam fidelium salutem procurare ac sanctissimam nostram religionem,

[1] Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 1, *De Reform.*

eiusque doctrinam magis magisque promovere et discordiarum semina extirpare, atque christianae concordiae et pacis amorem omnibus ingerere possitis. Cum autem omnis sapientia a Deo, tum qui inter vos scientia pollent, ne superbiant unquam, se humillimas clementissimo bonorum omnium largitori Domino agentes gratias, doctrina ad propriam, aliorumque aedificationem semper utantur, serio meditantes, Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam et ab Ipso gravius illos iudicari, qui plus ceteris acceperint. Nam, uti sapientissime monet S. Gregorius Magnus Decessor Noster, « cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; ac propterea tanto « esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex « munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione ». [1] Nemo inter Vos unquam reperiatur, qui aliis vestri potissimum ecclesiastici ordinis viris illa dona invidere videatur, ex quibus spiritualis in proximum utilitas possit redundare.

7. Sed iam os Nostrum patet ad Vos omnes, Dilectissimi in Christo Filii Armeniae Catholicae Nationis in istis Constantinopolitanae ecclesiasticae Provinciae regionibus degentes cuiusque ordinis, aetatis, sexus et conditionis. Vos igitur pro summo paterno Nostro in Vos omnes amore etiam atque etiam in Domino monemus et hortamur, ut omnibus simultatibus, dissensionibus, aemulationibus, dissidiis depositis, mutuam inter vos concordiam et pacem habeatis supportantes invicem in caritate. Vobis autem summopere cordi sit in catholicae religionis professione quotidie magis stabiles persistere ac Nobis et huic Beatissimi Principis Apostolorum Cathedrae firmiter, constanterque ex animo adhaerere, et operibus caritatem vel in Deum vel in proximum praeseferentibus semper insistere ac singula Dei et Ecclesiae mandata sedulo exsequi et omnia peragere in nomine Domini Nostri Iesu Christi. Subditi estote et obedite vestris Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Ipsis enim vestra salus est commissa, de qua severissimam aeterno Pastorum Principi rationem aliquando sunt reddituri, ac propterea ipsis summopere advigilandum, excubandum, allaborandum, ut vos ad salutis semitam deducant ac doctrinae opportunitate et veritate infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant et verbum vitae in aeternitatis cibum vobis alendis dispendant. Quare vestras aures ipsorum Antistitum voci et auctoritati faciles praebete et nunquam eveniat ut aliquis inter vos existat, qui proprio Antistiti resistere, eique legem imopnere quodammodo velit in iis praesertim omnibus, quae ad episcopale ministerium et auctoritatem pertinent.

8. Vos modo alloquimur omnes, qui in Armenia ista catholica Natione et generis nobilitate et muneris splendore et auctoritate et opibus ceteris praestatis. Nihil certe illustri vestrae Nationi utilius, nihil praestabilius obvenire unquam poterit, quam si vos omnes uti honore ac dignitate, ita etiam virtutum splendore praefulgeatis: a vobis enim christiana plebs exempla petit quae imitetur. A Vobis igitur etiam atque etiam exposcimus, ut religionis amore ac mutuae concordiae studio quotidie magis incensi non solum nihil

[1] S. Gregor., Homil. IX in Evang.

unquam vel contra Ecclesiam, vel adversus vestros Sacrorum Antistites moliri velitis, quemadmodum agere solent, qui a catholica unitate sunt seiuncti, verum etiam ut vestra omnia consilia et studia conferatis, quo catholica Ecclesia maiora istic incrementa suscipiat et omnes debita reverentia, obsequio et obedientia prosequantur tum supremam illam, plenamque potestatem Petro eiusque Successoribus Romanis Pontificibus a Christo Domino divinitus collatam, pascendi scilicet, regendi et gubernandi universam qua late patet Ecclesiam, tum sacram ac venerandam auctoritatem, qua erga proprium gregem pollent Episcopi, quae nulli prorsus unquam civili auctoritati possunt esse obnoxiae ac subiectae. Videtis profecto quam gloriam Vobis comparare, et quam uberem a bonorum omnium retributore Deo mercedem consequi poteritis, si hisce Nostris monitis, desideriis ac postulationibus obsequentes, sanctissimae nostrae religionis utilitatem, prosperitatemque, quantum in Vobis est procurare contenderitis.

9. Antequam vero, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, scribendi finem faciamus, Vobis nonnulla clare aperteque declaranda esse censemus circa rem, in quam magna sententiarum confusio est inducta, et quae non mediocrem causam dedit dissensionibus inter Vos exortis, ut omnes ambiguitates et dubitationes de medio tollamus. Summam certe laudem ii omnes merentur qui exoptant ut illa Armeniae vestrae Nationis pars, quae adhuc in schismate misere versatur ad catholicam unitatem redeat. Etenim huiusmodi desiderium plane respondet tum ardentissimis S. Matris Ecclesiae votis, quae Deum orare et obsecrare nunquam desinit, ut omnes dissidentes filii ad suum sinum et complexum revertantur, tum indefessis huius Sanctae Sedis curis et studiis, quae ob hanc causam tantopere allaboravit atque allaborare nunquam intermittit. Ac Nos ipsi ut probe nostis vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio memorati Nostri ad Illustrem Turcarum Imperatorem Legati occasione utentes, ad Orientales Nostras dedimus Literas,[1] quibus illos amantissime aeque ac studiosissime excitavimus, ut ad catholicae unitatis professionem reverti properarent, festinarent. Atque utinam universa vestra Natio coelesti gratiae respondens, eiuratis erroribus in docilitatis et unitatis spiritu ad unicum Christi ovile rediret, a quo plane abest quicumque non consociatur cum hac Sancta Petri Sede, ex qua in omnes venerandae communionis iura dimanant,[2] ad quam omnis obedientia et honor est deferendus,[3] et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam hoc est qui sunt undique fideles.[4] Equidem incredibili Nos afficeremur consolatione et universa Ecclesia ingenti exultaret laetitia, si omnis vestra Natio ad catholicam rediret unitatem. Ex quo profecto intelligitis, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, Nos non solum probare haud posse eorum agendi rationem, qui asperis, durisque modis cum

[1] Literae ad Orientales die 6 ianuarii 1848, quae incipiunt, *In suprema Petri.* – Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 78-91.

[2] S. Ambros., Epist. 12 ad Damas., n. 2 et 4.

[3] Concilium Ephes., Act. 4.

[4] S. Irenaeus, adversus haeres., cap. 3.

vestrae Nationis schismaticis agere solent, nec debitam eorum rationem habent, verum etiam vehementer et omnino illos improbare, qui non amore et benevolentia, sed asperitate ac severitate eos etiam prosequuntur, qui a funesto schismate ad catholicam unitatem sunt conversi.

10. Verum eodem tempore tolerare non possumus, ut aliqui catholicae unionis promovendae praetextu nullum discrimen habendum esse velint quoad Schismaticorum errores atque abutentes studio, quo haec Sancta Sedes veteres sanctosque Ecclesiae Orientalis ritus tuendos curavit, existiment in hac re id prorsus omne accuratissime esse exequendum, quod a Schismaticis in praesentia agitur et arbitrentur, nonnullos quoque usus esse eliminandos, qui in catholicam vestram Nationem rite invecti fuerunt, ut solemniori modo ostenderetur, quam vehementer catholica ipsa vestra Natio ab haeresi et schismate abhorreat, et catholicae unitati firmiter adhaerescat. Atque isti homines vellent etiam, ut quaedam et opera et ecclesiasticae regulae tollerentur, quas experientia veterum Canonum disciplinae adiiciendas plane esse demonstravit, dum catholica Ecclesia ab haeresi et schismate, quae mortua sunt, longe et omnino dissimilis perpetua vigens vita, et coelestium divitiarum ditata thesauris ac veritatis magistra, et salutis index tot sanctorum operum et pulcherrimarum institutionum est fecunda parens et altrix, quibus religionem, pietatem, humanitatem, omnesque virtutes fovet et communi omnium bono, ordini, prosperitati et concordiae mire consulere nunquam desinit. At minime ignoratis, eumdem Praedecessorem Nostrum Gregorium XVI contra istorum hominum ita sentientium consilia suas Apostolicas edidisse Literas, quae die tertia februarii anno 1832 datae incipiunt: *Inter gravissimas.*[1] Illud vero singulare et admiratione dignum videtur, quod isti rituum tantopere studiosi non dubitent in aliis articulis ab ipsius Orientalis Ecclesiae Canonibus deflectere.

11. Iam vero, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, post haec omnia, quae pro impensae Nostrae erga catholicam vestram Armeniam Nationem caritatis studio Nos ipsi hisce Nostris Literis Vobis significanda et declaranda existimavimus ad omnes dubitationes et ambiguitates propulsandas in eam profecto spem erigimur fore, ut Deo bene iuvante iuxta ardentissima Nostra vota concordia et pax, ex quibus vestra eadem Natio omnem veram prosperitatem expectare potest, denuo in vestrum omnium animis reviviscant ac dominentur. Ut autem tam salutaris et exoptata tranquillitas a Vobis facilius possit obtineri, hisce Literis perpetuum et absolutum silentium imponimus super praeteritis quaestionibus et controversiis, atque omnino vetamus omnem reclamationem et sermonem, qui inter fideles Armenios pacem turbare possit, itemque expresse et severe prohibemus, haeretici vel schismatici notam illis inurere, qui cum hac Apostolica Sede communionem et gratiam habent. Si qui enim extiterint, quod nunquam futurum confidimus, qui haud recte agant vel suspiciones ingerant, debita ratione erit providendum, atque in primis res huic Apostolicae Sedi erit exponenda cum opportunis et canonicis documentis. Quapropter post eiusmodi Nostra monita et declaratio-

[1] Cf. N. 483.

nem, omnes cuiusque classis et ordinis perturbatores in posterum gravissimae culpae rei erunt, ne poterunt ullo modo et praetextu se excusare, ne debita erga ipsos adhibeatur severitas. Sed iterata ac luculenta filialis erga Nos et hanc Sanctam Sedem pietatis, amoris et obsequii testimonia, quae ex omnibus Armeniae vestrae catholicae Nationis ordinibus excepimus, in maximam porro spem Nos adducunt fore, ut ipsa vestra Natio multam Nobis consolationem, laetitiam et gaudium sit allatura. Hac igitur fiducia freti haud intermittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione clementissimum misericordiarum Patrem humiliter, enixeque exorare, ut prospera cuncta et salutaria Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, semper propitius largiri velit, atque ut *pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras, utque gratia Iesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum Vobis omnibus*. Atque horum auspicem, et studiosissimae paternae Nostrae in vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Vobis omnibus, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 561-579].

517.

Pius IX, ep. encycl. *Optime noscitis*, 20 mart. 1854.[1]

1. Optime noscitis, Venerabiles Fratres, quanta Nos laetitia et consolatione affecti fuerimus ubi primum intelleximus, Vos pro eximia vestra religione Nostris et huius Sanctae Sedis desideriis, monitisque perlibenter obsequentes in Thurlesensi Synodo, quam anno 1850 concelebrastis, inter alia decrevisse, catholicum Lyceum collatis consiliis, coniunctisque viribus quamprimum istic a Vobis esse erigendum, ubi istius illustris vestrae Nationis Nobis carissimae adolescentes absque ullo sanctissimae fidei nostrae discrimine quotidie magis ad pietatem, omnemque virtutem sedulo fingi, atque humanioribus literis, severioribusque disciplinis scienter erudiri, et imbui possent. Ac probe memineritis quomodo Nos Apostolicis Nostris Literis Annulo Piscatoris obsignatis ac die 23 martii anno 1852 editis, cum ipsius Synodi Acta, tum huius Lycei constitutionem probavimus, ac deinde Encyclicis Nostris literis die 25 eiusdem mensis et anni ad Vos datis[2] de eiusmodi saluberrimo ad religionis scientiarum incrementum suscepto consilio Vobis vehementer gratulati fuimus, ac simul meritas istis fidelibus tribuimus laudes, qui iam tunc non levia ad ipsum catholicum Lyceum in Hibernia excitandum subsidia contulerant. Cum autem vel maxime optaremus, ut catholicum hoc Lyceum, seu Universitas in Hibernia cito constabiliretur, tum commemoratis Nostris Apostolicis Literis Venerabili Fratri Paullo tunc temporis Armacano Archiepiscopo ad Nostrum, et huius S. Sedis arbitrium

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae.
[2] Cf. N. 513.

Delegati Apostolici munus prorogandum esse censuimus, qua et memoratae Synodi Thurlesensis decreta diligenter observanda, et catholici praesertim Gymnasii constitutionem in ipsa Synodo sancitam, et a Nobis confirmatam ad optatum exitum celeriter perducendam omni studio et industria curaret. Quocirca cum idem Venerabilis Frater ad Archiepiscopalem Dublinensem Ecclesiam regendam ac moderandam a Nobis fuerit translatus, opportunum esse duximus, ut eodem Delegati Apostolici munere perfungi pergeret, quemadmodum per alias Nostras Apostolicas Literas die 3 maii eodem anno 1852 sub Annulo Piscatoris datas constituimus. Ac pro certo habebamus, Vos Venerabiles Fratres, nulla interposita mora tam salutari operi manum statim admoventes, vestra omnia consilia et studia omni alacritate fuisse adhibituros ad catholicum hoc in Hibernia Gymnasium maiori celeritate excitandum, ex quo maximas in istos fideles populos utilitates divina adspirante gratia redundaturas esse confidimus. Hinc non levi certe molestia cognovimus, catholicam hanc Universitatem a Nobis et bonis omnibus tantopere exoptatam nondum fuisse constitutam, etiamsi ea omnia praesto sint, quae ad ipsam constabiliendam requiruntur. Itaque has ad Vos scribimus Literas, quibus etiam atque etiam a Vobis exposcimus, Venerabiles Fratres, ut, omni cunctatione plane remota, vestras omnes curas cogitationesque concordissimis animis, et ingeminatis studiis ad catholicam ipsam Universitatem statuendam convertere properetis. Ut autem tam pium tamque salutiferum opus celeriter perficiatur, volumus atque mandamus, ut Vos omnes intra tres menses, postquam hae Nostrae Literae ad Vos pervenerint, conventum habeatis apud Venerabilem Fratrem Paullum Archiepiscopum Dublinensem, quem huius conventus Praesidem, ac Delegatum Apostolicum constituimus, ut ibi in Domino congregati, et ad sacrorum canonum normam in unum collecti, absque ulla tamen publica solemnitate denuo collatis inter Vos consiliis, et consociatis animis ea omnia in primis statuatis, quae ad catholicam hanc Universitatem cito constituendam et aperiendam possint pertinere. In hoc autem conventu episcopalis vestrae sollicitudinis erit ea opportuna suscipere consilia, ut haec Universitas catholici, quo ornatur, nominis dignitati ac sanctitati plane respondeat. Quocirca Vestrum erit intensissimo studio prospicere, ut ibi divina nostra religio tamquam anima totius literariae institutionis habeatur, et idcirco sanctus Dei timor et cultus foveatur, promoveatur, ut fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiatur, et omnes disciplinae arctissimo cum religione foedere coniunctae progrediantur, ut omnia studiorum genera coruscantibus catholicae doctrinae radiis illuminentur, et sanorum verborum forma firmiter retineatur, ut id catholicum credatur, et excipiatur, quod ab hac Suprema Beatissimi Petri Apostolorum Principis Cathedra tutissimo totius catholicae communionis portu,[1] et omnium Ecclesiarum matre atque magistra[2] proficiscitur, et quod contra est strenue constanterque ex animo reiiciatur, ut omnes errores et profanae novitates propulsentur, atque eliminentur, ut ipsius Universitatis Professores in omnibus

[1] Hieronym., Epist. 16.
[2] Concil. Trident., Sess. VII, *De Baptism.*, can. 3.

se ipsos praebeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, nihilque antiquius habeant, quam totis viribus adolescentium animos ad pietatem, honestatem, omnemque virtutem sedulo fingere, illosque rebus optimis instituere, ac literis et disciplinis diligenter erudire iuxta documenta catholicae Ecclesiae, quae columna est, ac firmamentum veritatis. Cum autem noverimus, a Vobis iam electum fuisse Dilectum Filium Presbyterum Ioannem Henricum Newmann, ut eamdem Universitatem regat et moderetur, tum eiusmodi vestram electionem approbantes volumus, ut idem Presbyter egregiis animi ingeniique dotibus ornatus, ac pietatis doctrinaeque laude, et catholicae religionis studio praestans eiusdem Universitatis curam et regimen suscipiat, eique veluti Rector praesit.

2. Iam vero non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin in hoc eodem conventu pro pastorali vestra vigilantia, ac sacerdotali zelo alia etiam omnia unanimi consensu statuenda curetis, quae in vestris Dioecesibus quotidie magis Dei gloriam augere, Cleri disciplinam, et sanctitatem promovere, ac populorum pietatem et devotionem fovere valeant. Etenim probe intelligitis, necesse omnino esse, ut Sacri Ecclesiae Pastores hisce praesertim asperrimis ac luctuosissimis temporibus maximam et indefessam curam, industriam, diligentiam, laborem assidue adhibeant, quo omnes gravissimi ac formidandi episcopalis muneris partes sedulo possint obire. Quapropter ne omittatis in hoc quoque conventu ea inire consilia, quibus ministerium vestrum implentes possitis quotidie magis in istis regionibus et sanctissimae fidei nostrae integritatem salvam incolumemque tueri, et religionis cultum promovere, et rectam Cleri institutionem, ac sanctimoniam excitare, et fideles Vobis commissos sanctissimis augustae religionis praeceptionibus imbuere, ac per gratiarum charismata confirmare, illosque ab venenatis pascuis arcere, atque ad salutaria propellere, et miseros errantes in omni bonitate, et doctrina ad unicum Christi ovile reducere, et inimicorum hominum insidias, fraudes, errores profligare, eorumque impetus frangere. Et quoniam haud ignoratis quos laetos uberesque fructus coelesti auxiliante gratia christianis populis sacrae Missiones ab idoneis potissimum operariis habitae afferre soleant, idcirco ne praetermittatis ecclesiasticorum hominum Cleri cum Saecularis, tum Regularis societatem rite constituere, quo facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui virtutum omnium ornatu fulgentes, ac recte tractantes verbum veritatis valeant in vestris Dioecesibus salutare sacrarum Missionum ministerium ea, qua par est, ratione utiliter ac diligenter exercere. Nunc vero haud possumus, quin Vobis, Venerabiles Fratres, iterum vehementissimo sane studio inculcemus, ut vestram omnem operam, auctoritatemque impendatis, quo praedictae Thurlesensis Synodi decreta a Nobis approbata et confirmata religiosissime ab omnibus observentur, et quae in iisdem decretis sancita sunt studiosissime perficiantur. Et quo facilius consequi id possitis, Venerabiles Fratres, ne omittatis eiusdem Thurlesensis Concilii decreta solemniori modo promulgare, eorumque observantiam vehementer commendare, et praecipere in Synodis tum Provincialibus, tum Dioecesanis, quas, uti scitis, ex sapientissimis praesertim Concilii Tridentini praescriptis concelebrare debetis. Atque ea potissimum occasione serio considerantes propria cuiusque Provinciae, ac Dioecesis rerum ac temporum adiuncta, et indigentias, ne cessetis, Venerabiles Fratres, vestrum omnem episcopalem zelum provide sapienterque explicare, ut quod infirmum est consolidetis, quod aegrotum sanetis, quod fractum alligetis, quod abiectum reducatis, quod periit quaeratis, ut ex virtute, quam administrat Deus, in omnibus Ipse honorificetur per Iesum Christum Dominum Nostrum.[1] Vobis autem summopere cordi sit iuxta Apostolicas Constitutiones statutis temporibus haec veneranda Apostolorum Petri et Pauli limina praesentes visitare, ac Nobis et huic Sanctae Sedi diligenter exponere et referre vestrarum Dioecesium res, statum, negotia, ut opportuna quaeque auxilia habere possitis ad muneris vestri partes maiori usque alacritate et studio obeundas.

3. Persuasissimum Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione, ac singulari erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate, amore, et observantia quam cumulantissime esse satisfacturos hisce Nostris desideriis, monitis, postulationibus et mandatis, quae clare aperteque ostendunt, quantopere de spirituali istius vestrae Nationis salute ac prosperitate solliciti simus. Interim vero divitem in misericordia Deum humiliter enixeque oramus et obsecramus, ut in abundantia divinae suae gratiae Vobis propitius semper adesse velit, vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles Vobis concrediti magis in dies ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque horum auspicem, et praecipuae paternae Nostrae in Vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 580-586].

518.

Pius IX, allocut. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854.

1. Singulari quadam perfusi laetitia exultamus in Domino, Venerabiles Fratres, cum Vos hodierno die lateri Nostro frequentes adstare videamus, quos Nostrum gaudium et coronam iure possumus nuncupare. Vos enim pars estis eorum, quibuscum communicamus labores et curas in pascendo humilitati Nostrae concredito dominico grege universo, in tutandis iuribus catholicae religionis, eique novis adiungendis sectatoribus, qui iustitiae et veritatis Deum in sinceritate fidei colant et venerentur. Itaque quod olim Christus Dominus dixit Apostolorum Principi « tu aliquando conversus confirma fratres tuos » id ipsum Nobis, qui in eius locum licet immerentes divina benignitate suffecti sumus, hac oblata opportunitate praestandum videtur, ut Vobis nimirum, Venerabiles Fratres, verba faciamus, non ut Vos aut commoneamus officii, aut languentes excitemus, quos inflammatos studio

[1] I Petri, cap. 4, v. 11.

novimus divini Nominis gloriae propagandae, sed ut tamquam voce ipsi Beatissimi Petri, qui vivit, vivetque in Successoribus suis recreati atque novo veluti robore muniamini ad quaerendam commissarum ovium salutem ad Ecclesiae causam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam.

2. Neque vero deliberandum fuit, cuius potissimum adhibeamus patrocinium apud coelestem patrem luminum, ut eo adiuvante alloqui Vos fructuose possimus; siquidem cum ea de causa apud Nos conveneritis, ut conspirantibus animis studia curasque conferremus amplificando honori augustae Genitricis Dei Mariae, Sanctissimam ipsam Virginem Sapientiae Sedem ab Ecclesia nuncupatam iteratis precibus obsecravimus, impetrare Nobis radium velit sapientiae coelestis, qua collustrati ea Vobis loquamur, quae et incolumitati et prosperitati Ecclesiae Dei maximopere sint profutura. Iamvero ex hac tanquam arce religionis intuentibus Nobis errorum monstra, quae per catholicum orbem hac difficillima aetate grassantur, nihil opportunius visum est quam illa Vobis indicare, ut ad eadem debellanda vires exeratis vestras, Venerabiles Fratres, qui custodes praepositi estis, et speculatores domui Israel.

3. Existere etiam nunc dolendum est impium incredulorum genus, qui omnem si fieri posset exterminatum vellent religionis cultum, eisque adnumerandi imprimis sunt clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se foedere coniuncti nullas non adhibent artes, ut quibusque violatis iuribus rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris « vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri « vultis facere ». Hos si excipiamus, fatendum est praesentis aetatis homines generatim abhorrere ab incredulorum pravitate, et inclinationem quamdam animorum ostendere erga religionem et fidem. Sive enim facinorum ob atrocitatem, quae superiori praesertim saeculo perpetrata incredulis tribuenda sunt, quaeque animus meminisse reformidat, sive ob metum seditionum ac tumultuum, qui miserandum in modum convellunt, afflictant nationes et regna, sive denique divini spiritus opera, qui spirat ubi vult, imminutum esse patet perditorum numerum, qui incredulitate se iactent et glorientur; contra vero commendari audimus interdum vitae ac morum honestatem, excitatumque praeterea novimus in animis hominum admirationis sensum catholicam erga religionem, quae quidem in omnium incurrit oculos tanquam lux solis.

4. Non exiguum hoc est bonum, Venerabiles Fratres, et quidam quasi ad veritatem progressus, sed tamen multa adhuc sunt, quae a veritate plane assequenda absterrent homines et remorantur.

5. Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis praepositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanaeque societati quam maxime accommodatam, atque utilem praedicent; nihilominus eius moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum procurationem attingere, uno verbo civilis intra status limites coercere nituntur Ecclesiam, eique dominari, quae tamen sui iuris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet expediat. Et proh dolor! Dum haec loquimur, Venerabiles Fratres, in Subalpina ditione proposita lex est, qua regularia et ecclesiastica instituta de medio tolluntur, et Ecclesiae iura plane conculcantur, atque, si fieri potest, delentur. Sed tamen de re tam gravi hoc ipso loco alias agemus. Utinam vero qui libertati obsistunt catholicae religionis agnoscant aliquando quantopere publicae rei bono ipsa conducat, quae sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex coelesti quam accepit doctrina; utinam persuadere sibi tandem velint quod olim Zenoni Imperatori scribebat Sanctus Felix Praecessor Noster « nihil esse utilius Principibus, quam sinere Ecclesiam uti « legibus suis, hoc enim illis esse salutare, ut cum de causis Dei agitur « regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non prae« ferre ».

6. Sunt praeterea, Venerabiles Fratres, viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tanto pere extollunt, ut vel ipsi religioni aequiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, istae vero humana explicentur atque illustrentur ratione, qua nihil incertius, utpote quae varia est pro ingeniorum varietate, innumerisque fallaciis, et praestigiis obnoxia. Ita quidem reiecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque, reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos hic referre nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum, illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humanae rationis ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimae illi sententiae Doctoris gentium « si quis putet se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit ». Demonstrandum illis est quantae sit arrogantiae pervestigare mysteria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi, complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli eiusdem dicto captivandus est in obsequium fidei.

7. Atque huiusmodi humanae rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, eiusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quod et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus: « sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae ». Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino iustitiae atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis

periculis, atque in tanta virium infirmitate ne labatur, et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae, et gratiae coelestis auxilia? quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus huius saeculi qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et praestare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt. Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate exponentes nimirum nihil esse praestabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam prorsus esse ad salutem, utpote quod « sine fide impossibile est placere Deo, et qui non crediderit condemnabitur ».

8. Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors, et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri muneris est, Episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis solertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu miseratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole quae hebetat animam firmissime teneamus et catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout charitatis ratio postulat assiduas fundamus preces, ut omnes quaqua-

versus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Huiusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

9. Praecipuos contra errores hactenus expositos, quibus maxime hoc tempore oppugnatur Ecclesia, vestram opponite, Venerabiles Fratres, et virtutem et constantiam, ad eosque profligandos, planeque delendos habeatis Ecclesiasticos viros necesse est laboris socios et adiutores. Immortaliter quidem gaudemus catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo, ac muneri cumulate satisfaciat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disiunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obivisse quaelibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulcrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adiutandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cuius inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt.

10. Est hoc Nobis iure laetandum, Venerabiles Fratres, verumtamen illud ad animi Nostri curam grave et acerbum, quibusdam in locis non deesse ex Clero aliquos, qui non semet exhibeant in omnibus ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc deest christiano populo divini verbi pabulum, unde nutriatur ad vitam, hinc infrequens sacramentorum usus, quibus tanta vis inest ad Dei gratiam vel conciliandam vel retinendam. Monendi hi quidem sunt, Venerabiles Fratres, ac vehementius excitandi, ut sacri ministerii partes recte ad fideliter explendas curent; docendi sunt quam gravi se culpa obstringant, qui messis multa cum sit laborare detrectent in agro Domini. Hortandi sunt, ut quanta sit divinae hostiae virtus ad propitiandum Deum, et flagitiorum poenas avertendas frequenter explicent fidelibus, ut iidem salutari Missae sacrificio religiose adesse, uberesque ex illo fructus percipere studeant. Sane quidem promptiores alicubi fideles essent ad pietatis actus exercendos, si vehementiora haberent a Clero et incitamenta et praesidia. Videtis hinc, Venerabiles Fratres, ad comparandos idoneos ministros Christi quanta sit Seminariorum necessitas et opportunitas; in quibus moderandis non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Collectos ibi iuvenes in spem religionis succrescentes ad pietatem doctrinamque sedulo informetis, ut duplici quasi instructi gladio boni olim milites esse queant ad praelianda praelia Domini. Tum in

theologicis, tum vero in philosophicis etiam disciplinis probatae fidei scriptores eisdem proponatis, ne qua imbuantur opinione catholicae doctrinae minus consentanea.

11. Ita quidem Ecclesiae bono et incremento consultum per Vos erit, Venerabiles Fratres. Quo vero susceptae pro Ecclesia curae secundissimos habeant exitus summa extet concordia opus est consensusque animorum, longeque dissidia quaelibet prohibeantur, quae solvunt charitatis vinculum, quaeque fovere solet vaferrimus nostri generis inimicus utpote sibi ad nocendum opportunissima. Repetendum memoria est veteres illos catholicae fidei propugnatores de pertinacissimis haeresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tanquam cum duce suo coniuncti milites firmo animo erectoque in certamen descendissent.

12. Haec sunt, quae significanda Vobis duximus, Venerabiles Fratres, in hac cura et sollicitudine satis Apostolico Ministerio faciendi, quod divina clementia et bonitate impositum est infirmitati Nostrae. Erigimur primum, ac recreamur spe coelestis auxilii, deinde ab explorato vestro religionis ac pietatis studio non mediocre Nobis pollicemur in tantis rerum difficultatibus adiumentum. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit communibus votis Nostris, aderit praesertim si oratrix pro nobis accedat Virgo Sanctissima Dei parens Maria, cuius immunitatem ab originalis noxae macula Vobis magno cum Nostro gaudio adstantibus et plaudentibus divino adiuvante Spiritu pronunciavimus.[1] Eximium sane privilegium, quod Dei Matrem plane decebat, in communi nostri generis exitio sospitem atque incolumen evasisse. Atque huius privilegii amplitudo plurimum quidem valitura est ad eos refellendos, qui deteriorem factam esse inficiantur ex primaeva culpa hominum naturam, viresque amplificant rationis ad negandum vel minuendum revelatae religionis beneficium. Faxit tandem Virgo Beatissima, quae interemit ac perdidit universas haereses, ut hic etiam evellatur stirpitus, ac deleatur rationalismi error perniciosissimus, qui hac miserrima aetate non civilem modo societatem, sed vero etiam tantopere affligit et vexat Ecclesiam.

13. Reliquum nunc est, Venerabiles Fratres, ut quanto animi Nostri solatio summa Vos alacritate ex dissitis etiam terris properasse conspeximus ad Apostolicam hanc Sedem propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmamentum, tanto perinde amoris studio anteaquam sedes repetatis vestras omnia Vobis precemur fausta felicia ac salutaria. Arbiter ille omnium rerum et bonorum auctor Deus det Vobis spiritum sapientiae et intellectus, ut prohibeatis ab ovium pernicie ubique latentes insidias, ac quidquid ad commoditatem vestrarum Ecclesiarum vel suscepistis iam, vel eritis suscepturi, id praepotenti numine suo bonus propitiusque confirmet; permissis autem Vestrae curae fidelibus det illam mentem, ut abstrahere se nunquam velint a pastoris latere, sed vocem ipsius audiant, quoque ipse velit, accurrant. Adsit Vobis Virgo Sanctissima ab origine Immaculata; sit ipsa Vobis in dubiis rebus fidele consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium. Ad extremum levantes manus Nostras in coelum Vobis gregique

[1] Litt. ap. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854. – Acta Pii IX, vol. I, p. 597-619.

vestro ex intimo cordis affectu benedicimus. Sit porro Apostolicae huius benedictionis munus tamquam pignus certissimum charitatis erga Vos Nostrae, sit exploratissimum tamquam omen beatissimae vitae ac sempiternae, quam Vobis gregique vestro et optamus et poscimus a Supremo animarum pastore Christo Iesu, cui cum Patre et Sancto Spiritu sit et honor et laus et gratiarum actio per omnem aeternitatem.

[Acta Pii IX, vol. I, p. 620-631].

519.

Pius IX, allocut. *Probe memineritis,* 22 ian. 1855.

Probe memineritis, Venerabiles Fratres, quanto animi Nostri moerore ex hoc ipso loco Vobiscum saepe lamentati fuerimus maxima sane damna, quibus plures ab hinc annos catholica Ecclesia in Subalpino Regno miserandum in modum affligitur ac divexatur.[1] Nullam certe quidem sollicitudinis, studii, et longanimitatis partem praetermisimus, ut pro Apostolici Nostri ministerii officio tot malis mederi possemus summopere optantes aliquid tandem Vobis nuntiare, quod Nostrum, Vestrumque dolorem aliqua saltem ex parte leniret. Irritae tamen fuere Nostrae omnes sollicitudines, nihilque valuerunt tum iteratae expostulationes per Nostrum Cardinalem a publicis negotiis, tum curae per alium Cardinalem Nostrum Plenipotentiarium adhibitae, tum familiares Nostrae Epistolae ad Carissimum in Christo Filium Nostrum Sardiniae Regem Illustrem datae.[2] Namque omnes norunt plurima facta, atque decreta, quibus illud Gubernium cum summo bonorum omnium luctu et indignatione, solemnes cum hac Apostolica Sede initas Conventiones plane contemnens, non dubitavit quotidie magis et Sacros Ministros, et Episcopos, Religiosasque Familias exagitare, et Ecclesiae immunitatem, libertatem, eiusque veneranda iura laedere, violare, ac bona usurpare, et gravissimas eidem Ecclesiae ac Supremae Nostrae, et huius Sanctae Sedis auctoritati iniurias inferre, eamque plane despicere. Nuper vero, ut scitis, alia in medio posita lex est vel ipsi naturali, divino, et sociali iuri omnino repugnans, et humanae societatis bono vel maxime adversa, ac perniciosissimis funestissimisque *Socialismi* et *Communismi* erroribus plane favens, qua inter alia proponitur, ut omnes fere Monasticae, Religiosaeque utriusque sexus Familiae, et Collegiatae Ecclesiae, ac beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguantur, utque illorum bona, et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiiciantur, et vindicentur. Insuper eadem proposita lege attribuitur laicae potestati auctoritas praescribendi conditiones, quibus reliquae Religiosae Familiae, quae de medio minime fuerint sublatae, subiacere debeant.

Equidem Nobis verba desunt ad explicandam amaritudinem, qua intime conficimur, cum videamus tot vix credibilia, planeque teterrima fuisse patrata,

[1] Allocut. *Si semper,* 20 maii 1850. – Acta Pii IX, vol. I, p. 224-234. – Cf. etiam N. 509.

[2] Cf. N. 514.

atque in dies patrari contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura, contra supremam et inviolabilem huius Sanctae Sedis auctoritatem in illo Regno, ubi quamplurimi egregii existunt catholici, et ubi Regum praesertim pietas, religio, atque in hanc Beati Petri Cathedram, eiusque Successores observantia in exemplum olim vigebant, atque florebant. Cum autem res eo fuerint deductae, ut satis non sit illata Ecclesiae damna deplorare, nisi curam omnem et operam ad illa tollenda adhibeamus, iccirco muneris Nostri partes implentes, in hoc amplissimo Vestro consessu Nostram iterum vocem apostolica libertate attollimus, ac non solum omnia et singula decreta ab illo Gubernio in Religionis, Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iurium, et auctoritatis detrimentum iam prolata, verum etiam legem recens propositam reprobamus, et damnamus, illaque omnia irrita prorsus ac nulla declaramus. Praeterea tum eos omnes quorum nomine, opera et iussu ipsa decreta iam edita sunt, tum illos, qui legi nuper propositae quovis modo favere, vel illam probare, aut sancire non formidaverint, gravissime monemus, ut etiam atque etiam animo menteque reputent poenas, et censuras, quae ab Apostolicis Constitutionibus, sacrorumque Conciliorum Canonibus maxime Tridentini (sess. 22, cap. 11) adversus rerum sacrarum praedatores et profanatores, ecclesiasticae potestatis, ac libertatis violatores, et Ecclesiae, Sanctaeque Sedis iurium usurpatores constitutae sunt. Utinam tantorum malorum auctores Nostris hisce vocibus, monitisque permoti atque excitati tandem aliquando cessent a tot ausis contra ecclesiasticam immunitatem, et libertatem, ac properent reparare innumera damna Ecclesiae illata, atque ita paterno Nostro animo durissima avertatur necessitas animadvertendi in ipsos illis armis, quae sacro Nostro ministerio divinitus fuere attributa!

Ut autem catholicus orbis perspiciat curas a Nobis pro Ecclesiae causa in Subalpino Regno tuenda susceptas, ac simul cognoscat agendi rationem, quae ab illo Gubernio adhibita fuit, peculiarem rerum expositionem typis edi, et cuique Vestrum tradi iussimus.[1]

Antequam vero loquendi finem faciamus, haud possumus, quin summis meritisque laudibus efferamus Venerabiles Fratres eiusdem Subalpini Regni Archiepiscopos et Episcopos, qui propriae dignitatis, et officii memores, Nostrisque votis quam cumulatissime respondentes nunquam destiterunt singulari virtute, et constantia qua voce, qua scriptis opponere murum pro Domo Israel, ac Dei, eiusque sanctae Ecclesiae causam strenue propugnare. Atque hic gratulamur quoque ex animo tot spectatissimis laicis Viris, qui in illo Regno morantes, et catholicis sensibus egregie animati, ac Nobis et huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentes gloriati sunt sacra Ecclesiae iura tum voce, tum scriptis palam publiceque defendere.

Interim a Vobis, Venerabiles Fratres, qui in partem sollicitudinis Nostrae vocati estis, exposcimus, ut una Nobiscum potentissimo Immaculatae Virginis Mariae patrocinio suffulti assiduas, fervidasque preces Deo adhibere nunquam desinatis, ut caelesti sua ope Nostris curis, et conatibus adesse, atque omnipotenti sua virtute Ecclesiae suae sanctae causam tueri, et errantes ad veritatis, et iustitiae semitam reducere velit.

[Acta Pii IX, vol. II, p. 5-8].

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. II, p. 9-435.

520.

Pius IX, allocut. *Cum saepe*, 26 iul. 1855.

Cum saepe in hoc vestro consessu, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, non sine maximo animi Nostri dolore afflictas in Subalpino Regno sanctissimae religionis res lamentati simus,[1] tum praesertim in Allocutione die vigesimo secundo Ianuarii huius anni ad Vos habita,[2] typisque edita denuo conquesti sumus acerbissima sane vulnera, quae plures ab hinc annos Subalpinum Gubernium catholicae Ecclesiae, eiusque potestati, iuribus, sacrisque Ministris, Episcopis, ac supremae Nostrae et huius Sanctae Sedis potestati et dignitati in dies imponere non desinit. Qua quidem allocutione Apostolicam Nostram iterum extollentes vocem reprobavimus, damnavimus, et irrita prorsus ac nulla declaravimus tum omnia et singula decreta ab eodem Gubernio in religionis, Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iurium detrimentum edita, tum iniustissimam, funestissimamque legem tunc in medio positam, qua inter alia proponebatur omnes fere Monasticas ac Religiosas utriusque sexus Familias, et Collegiales Ecclesias, ac simplicia Beneficia iuris quoque patronatus penitus esse extinguenda, illorumque reditus et bona civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicienda. Neque omisimus tantorum malorum auctores, fautoresque eadem Allocutione monere, ut etiam atque etiam animo reputarent censuras, poenasque spirituales, quas Apostolicae Constitutiones, et Oecumenicorum Conciliorum decreta contra iurium, bonorumque Ecclesiae invasores facto incurrendas infligunt. Ea porro spe sustentabamur fore, ut ipsi, qui catholico nomine gloriantur, et in eo morantur Regno, in quo vel ipsum Statutum decernit, catholicam religionem esse debere solam ipsius Regni religionem, ac simul praescribit omnes proprietates sine ulla exceptione inviolabiles esse tuendas, tandem aliquando iustissimis Venerabilium Fratrum ipsius Regni praestantium Antistitum expostulationibus, ac Nostris iteratis reclamationibus, querelis, paternisque monitis commoti suas mentes, voluntatesque ad saniora consilia revocarent, atque a divexanda Ecclesia desisterent, et gravissima damna eidem allata reparare properarent. Quam spem ostendebant nonnulla potissimum promissa iisdem Episcopis facta, quibus fidem haberi posse arbitrabamur.

At, dolentes dicimus, non solum Subalpinum Gubernium nec suorum Episcoporum postulationibus, nec Nostris vocibus auditum praebuit, verum etiam graviores semper Ecclesiae, ac Nostrae et huius Apostolicae Sedis aucto-

[1] Cf. Allocut. *Si semper antea*, 20 maii 1850. - Acta Pii IX, vol. I, p. 224-234. - Cf. etiam N. 509.

[2] Cf. N. 519.

ritati inferens iniurias, ac plures Nostras protestationes et paterna etiam monita plane contemnens haud reformidavit commemoratam quoque legem, verbis licet, et specie quadam immutatam, sed re tamen, fine ac spiritu prorsus eamdem approbare, sancire, et promulgare. Equidem gravissimum, molestissimumque Nobis est, Venerabiles Fratres, debere ab ea mansuetudine ac lenitate, quam a natura ipsa hausimus, expressimus, atque ab aeterno Pastorum Principe didicimus, et quam iccirco constanti voluntate semper libentissime exercuimus, deflectere, ac severitatis partes, a quibus paternus Noster animus vel maxime abhorret, suscipere. Attamen cum videamus, omnem curam, sollicitudinem, longanimitatem et patientiam pro reparandis illic Ecclesiae ruinis a Nobis sex et amplius abhinc annos adhibitam nihil valuisse, nullamque affulgere spem fore, ut tantorum ausuum auctores velint hortationibus dociles praebere aures, quandoquidem ipsi Nostris monitis omnino despectis non cessant iniurias iniuriis cumulare, et omnia conari, ut in Subalpino Regno Ecclesiam eiusque potestatem, iura, libertatem opprimant, ac funditus evertant, cogimur in illos ecclesiastica severitate uti, ne officio Nostro deesse, et Ecclesiae causam deserere videamur. Atque hac agendi ratione, veluti probe scitis, illustribus inhaeremus exemplis tot Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, qui sanctitate ac doctrina insignes non dubitarunt degeneres, contumacesque Ecclesiae filios, eiusque iurium pertinaces violatores et usurpatores iis poenis plectere, quae a Sacris Canonibus contra eiusmodi criminum reos sunt constitutae.

Quamobrem in hoc amplissimo vestro conventu Apostolicam Nostram iterum efferimus vocem, ac tam enunciatam legem, quam alia omnia et singula facta et decreta a Subalpino Gubernio in religionis, Ecclesiae, ac Nostrae et huius Sanctae Sedis auctoritatis et iurium detrimentum edita, de quibus tum in Nostra Allocutione die vigesimo secundo Ianuarii vertentis anni habita, tum in hac praesenti dolenter loquuti sumus, denuo reprobamus, condemnamus, ac nulla prorsus et irrita decernimus. Propterea cum incredibili animi Nostri moerore cogimur declarare, eos omnes, qui in Subalpino Regno praedicta decreta et legem contra Ecclesiae et huius Sanctae Sedis iura proponere, probare, sancire non extimuerunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhaerentes, exsecutores maiorem excommunicationem, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. 22, cap. 11) decretis inflictas incurrisse. Etsi vero inevitabili muneris Nostri implendi necessitate compulsi Apostolicam adhibeamus severitatem, tamen probe noscimus, atque meminimus, Illius vicarium hic in terris Nos licet immeritos gerere operam, qui cum iratus fuerit misericordiae recordatur. Quocirca levantes oculos Nostros ad Dominum Deum nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut degeneres Ecclesiae suae sanctae filios cuiusque ordinis, gradus et conditionis tum laicos, tum Clericos sacro etiam charactere insignitos, quorum errata nunquam satis lugeri possunt, caelestis suae gratiae lumine illustrare, illosque ad saniorem mentem reducere velit, cum nihil cordi Nostro gratius, nihil optabilius, nihil iucundius esse possit, quam ut errantes resipiscant, ac redeant ad cor. Neque omittimus in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione ipsum divitem in misericordia Deum exorare, ut uberrimis quibusque divinae suae gratiae donis omnes Venerabiles Fratres Subalpini Regni Archiepiscopos, et Episcopos in tot angustiis ac tribulationibus constitutos adiuvare, et consolari nunquam desinat, quo ipsi, veluti adhuc tanta cum sui nominis laude egerunt, pergant egregia sua episcopali virtute constantia, et prudentia religionis et Ecclesiae causam strenue defendere, ac proprii gregis saluti et incolumitati studiosissime advigilare. Atque humillimas quoque, fervidasque clementissimo miserationum Domino sine intermissione offerimus preces, ut caelesti sua ope confortare dignetur non modo fidelem illius Regni Clerum, qui maxima ex parte suorum Antistitum exempla sequens proprio munere praeclare fungitur, verum etiam tot spectatissimos ipsius Regni laicos viros, qui catholicis sensibus egregie animati ac Nobis, et huic Petri Cathedrae ex animo addicti eorum operam in Ecclesiae iuribus tuendis impendere vehementer gloriantur.

[Acta Pii IX, vol. II, p. 436-440].

521.

Pius IX, ep. encycl. *Singulari quidem*, 17 mart. 1856. [1]

1. Singulari quidem animi Nostri gaudio cognoscimus, Vos, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Nostris, et Carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Iosephi Austriae Imperatoris, et Regis Apostolici desideriis cuique Vestrum uno fere eodemque tempore significatis quam libentissime obsequentes, pro egregia vestra religione, et pastorali sollicitudine statuisse convenire in istam Imperialem et Regiam Vindobonensem civitatem, quo ibi inter Vos colloqui, et consilia conferre possetis, ut rite ea omnia perficiantur, quae a Nobis cum eodem Carissimo in Christo Filio Nostro sancita sunt in Conventione, quam idem clarissimus et religiosissimus Princeps cum summa Nostra consolatione, et immortali sui nominis gloria ob Ecclesiae iura vindicata, bonis omnibus prae laetitia gestientibus, ineundam Nobiscum curavit. [2] Itaque dum Vobis, Dilecti Filii Nostri, et Venerabiles Fratres, vel maxime gratulamur, quod in hoc habendo conventu insigne ac perspectum vestrum pro Ecclesia studium impense ostenditis, Nobis temperare non possumus, quin Vos hac occasione peramanter alloquamur, et intimos Vobis animi Nostri sensus aperiamus, ex quibus maiorem in modum intelligetis, quanta Vos, et omnes amplissimi istius Imperii fideles populos curae vestrae commissos benevolentia prosequamur. Atque in primis quod attinet ad commemoratae Conventionis exsecutionem, cum optime noscatis, multos in illa esse articulos, qui a Vobis praecipue sunt exsequendi, tum vehementer opta-

[1] Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis universae Imperialis ac Regiae Austriacae Ditionis.

[2] Raccolta di Concordati, p. 821-844.

mus, ut quoad modum in eorumdem articulorum exsecutione unam eamdemque certam viam atque rationem habere velitis, ea tamen circumspectione sedulo prudenterque adhibita, quam varia diversarum latissimi Austriaci Imperii Provinciarum adiuncta postulare poterunt. Si quae autem de alicuius articuli sensu dubitatio, vel difficultas oriatur, quod non fore arbitramur, gratissimum Nobis erit, illam a Vobis ad Nos deferri, ut, collatis inter Nos, et Caesaream Apostolicam Maiestatem consiliis, veluti in tricesimoquinto eiusdem Conventionis articulo cautum est, opportunas declarationes dare possimus.

2. Iam vero ardentissima illa caritas, qua universum Dominicum gregem Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissum complectimur, et gravissimum Apostolici Nostri ministerii munus, quo omnium nationum, et populorum salutem totis viribus procurare debemus, urget Nos, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut eximiam vestram pietatem, virtutem, et episcopalem vigilantiam maiore, qua possumus, contentione etiam atque etiam excitemus, ut alacriori usque zelo pergatis omnes episcopalis vestri muneris partes diligentissime implere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus unquam parcere, quibus sanctissimae fidei nostrae depositum in vestris Dioecesibus integrum inviolatumque custodiatis, et vestri gregis incolumitati consulentes, illum ab omnibus defendatis inimicorum hominum fraudibus et insidiis. Namque probe noscitis nefarias, multiplicesque artes ac molitiones, et monstrosa omnis generis opinionum portenta, quibus callidissimi perversorum dogmatum architecti improvidos praesertim et imperitos a veritatis et iustitiae tramite avertere, atque in errorem exitiumque inducere connituntur. Neque ignoratis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, inter plurima, et nunquam satis lugenda mala, quae ecclesiasticam et civilem societatem vel maxime perturbant, atque divexant, duo potissimum nunc eminere, quae aliorum omnium quaedam veluti origo non immerito videantur. Vobis enim apprime nota sunt innumera, et funestissima sane damna, quae in christianam, et civilem rempublicam ex putidissimo *indifferentismi* errore redundant. Hinc enim omnia erga Deum, in quo vivimus, movemur, et sumus, officia penitus neglecta, hinc sanctissima religio plane posthabita, hinc omnis iuris, iustitiae, virtutisque fundamenta concussa, ac propemodum eversa. A qua turpissima sane *indifferentismi* forma haud admodum distat illud de religionum *indifferentia* systema e tenebris eruptum, quo homines a veritate alienati, veraeque confessionis adversarii, suaeque salutis immemores, et inter se pugnantia docentes, et nunquam stabilitam sententiam habentes, nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, et pacem passim cum omnibus miscent, omnibusque aeternae vitae portum ex qualibet religione patere contendunt. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent.[1] Videtis profecto, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, qua vigilantia Vobis sit excubandum, ne tam dirae contagia pestis vestras oves misere inficiant, ac perdant. Itaque ne desinatis populos Vobis traditos ab hisce perniciosissimis erroribus sedulo defendere eosque catholicae veritatis doctrina magis in dies accurate

[1] Tertull., de praescript., cap. 41.

imbuere, et illos docere, quod sicut unus est Deus Pater, unus Christus Eius, unus Spiritus Sanctus, ita una est divinitus revelata veritas, una divina fides humanae salutis initium, omnisque iustificationis fundamentum, qua iustus vivit, et sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire;[1] et una est vera, sancta, catholica, Apostolica Romana Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata,[2] extra quam nec vera fides, nec aeterna invenitur salus, cum habere non possit Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, et falso confidat, se esse in Ecclesia, qui Petri Cathedram deserat, super quam fundata est Ecclesia.[3] Nullum vero maius potest esse delictum, et nulla macula deformior, quam adversus Christum stetisse, quam Ecclesiam divino Eius sanguine partam, et acquisitam dissipasse, quam evangelicae dilectionis oblitum contra unanimem, et concordem Dei populum hostilis discordiae furore pugnasse.[4]

3. Cum autem ratio divini cultus ex hisce duobus constet, piis dogmatibus, et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus bonis accepta sit Deo, neque opera recipiat Deus a religiosis dogmatibus seiuncta, neque in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta et ardua sit via, quae ducit ad vitam,[5] tum ne intermittatis fideles vestros populos continenter monere, et excitare, ut non solum in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, verum etiam per bona opera certam suam vocationem, et electionem facere satagant. Dum autem in vestri gregis salutem procurandam incumbitis, ne omittatis in omni bonitate, patientia, et doctrina miseros errantes ad unicum Christi ovile, atque ad catholicam unitatem revocare illis praesertim Augustini verbis: venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite: dolor est, cum vos videamus praecisos ita iacere; numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum quis cui successit, videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.[6] Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.[7]

4. Verum non minori sane pernicie alter nunc grassatur morbus, cui ab elatione, et quodam veluti rationis fastu, *rationalismi* nomen est inditum. Non improbat certe Ecclesia[8] eorum studium, qui veritatem scire voluerunt, quia Deus hominis naturam veri adipiscendi cupientissimam fecit, neque improbat rectae sanaeque rationis studia, quibus animus excolitur, natura investigatur, et abditissima quaeque eiusdem arcana in apertam proferuntur lucem. Siquidem novit, ac probe tenet pientissima mater, inter col-

[1] Ad Rom., cap. 1; ad Hebr., cap. 11; Trid., Sess. 6, cap. 8.
[2] S. Cyprian., Epist. 43.
[3] S. Cyprian., de unitat. Eccl.
[4] S. Cyprian., Epist. 72.
[5] S. Cyrill. Hierosol. Cath. IV. Illuminand., n. 2; S. Leo, Serm. 5, de Nativ. Dom.
[6] In psalm. contr. part. Donat.
[7] S. Hieronym., epist. 14, al. 57, ad Damas.
[8] Lactant., Divin. institut., lib. 3, cap. 1.

lata caelitus munera[6] illud esse praeclarum, quod ratione continetur, et quo ea omnia, quae sensibus obnoxia sunt, praetergressi, insignem quamdam Dei imaginem in nobis ipsis praeferimus. Novit quaerendum esse donec invenias, et credendum quod credidisti, dum hoc insuper credas aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inveneris, et credideris quo ad a Christo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit.[2] Ecquid igitur est, quod ipsa non patitur, non sinit, et quod pro iniuncto sibi officio tuendi depositi omnino reprehendit, ac damnat? Illorum nimirum morem vehementer reprehendit, ac semper damnavit, et damnat Ecclesia, qui ratione abutentes, eam Dei ipsius loquentis auctoritati impie et stulte opponere ac praeferre non erubescunt, neque reformidant, et dum insolenter se extollunt, propria superbia, suoque tumore caecati veritatis lumen amittunt, fidem, de qua scriptum est, qui non crediderit condemnabitur,[3] superbissime aspernantur, sibique praefidentes[4] diffitentur Ipsi Deo de se credendum esse, et iis, quae cognitioni nostrae de se tribuit, obsequendum. Hi sunt, quibus constantissime opponit, aequum esse,[5] ut de cognitione Dei ipsi Deo credamus, cuius scilicet totum est, quod de eo credimus, quia utique ab homine Deus, uti oportet, cognosci non potuit, nisi salutarem sui cognitionem ipse tribuisset. Hi sunt, quos ad mentis sanitatem hisce verbis revocare contendit: quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere?[6] Atque his inculcare non desinit, fidem non rationi, sed auctoritati inniti,[7] nec enim decebat, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tamquam fides ei non haberetur, sed ut oportuit, est loquutus, quasi rerum omnium maximus iudex, cuius non est argumentari, sed pronuntiare.[8] His apertissime denuntiat unam hominis spem, unamque salutem positam esse in christiana fide, quae veritatem docens, ac divina sua luce humanae ignorantiae tenebras discutiens per caritatem operatur, et in catholica Ecclesia, quae verum retinens cultum est stabile ipsius fidei domicilium, et Dei templum extra quod, citra invincibilis ignorantiae excusationem, quisquis fuerit, est a spe vitae, et salutis alienus. Et hos gravissime monet, ac docet, quod humanae artis peritia si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet ius magisterii sibi arroganter arripere, sed veluti ancilla Dominae quodam famulatus obsequio subservire, ne si praecedit oberret, et dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimae virtutis lumen amittat

[1] Clemens Alex., Stromat., lib. 1, cap. 3; lib. 2, cap. 2; et Gregor. Thaumaturg., Orat. panegyr., cap. 7, 13.
[2] Tertull., De praescript., cap. 9.
[3] Marc., XVI, v. 16.
[4] S. Hilar., De Trinit., lib. 4.
[5] Cassian., De Incarnat., lib. 4, cap. 2.
[6] S. Bernard., Epist. 190.
[7] S. Bernard., De Considerat., lib. 5, cap. 3.
[8] Lactant., Divin. Institut., lib. 3, cap. 1.

et rectum veritatis tramitem perdat.[1] Neque existimari iccirco debet, nullum in Ecclesia Christi profectum haberi religionis. Habetur namque, idemque maximus, dummodo tamen vere profectus sit fidei, non permutatio. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, unius hominis, quam totius Ecclesiae aetatum, ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, qua intelligatur illustrius quod antea credebatur obscurius, qua posteritas intellectum gratuletur, quod vetustas non intellectum venerabatur, qua pretiosae divini dogmatis gemmae exsculpantur, fideliter coaptentur, adornentur sapienter, et splendore, gratia, venustate ditescant in eodem tamen genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia, ut cum dicantur nove, non dicantur nova.[2]

5. Neminem Vestrum mirari arbitramur, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, si pro nostro fidei primatu, et principatu[3] de luctuosissimis hisce, ac rei cum sacrae, tum publicae perniciosissimis erroribus denuo loquuti simus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam ad illos profligandos excitare censuerimus. Cum enim inimicus homo non cesset superseminare zizania in medio tritici, tum Nos, qui divina disponente Providentia dominico agro excolendo praesumus, atque uti servi fideles, et prudentes super Domini familiam constituti sumus,[4] ab iis partibus explendis desistere non debeamus, quae ab Apostolico Nostro munere separari non possunt.

6. Nunc vero a singulari vestra pietate et prudentia exposcimus, ut in hoc congressu ea potissimum inter Vos consilia provide sapienterque inire studeatis, quae in amplissimi istius Imperii regionibus ad maiorem Dei gloriam promovendam, ac sempiternam hominum salutem procurandam conducere existimaveritis. Etsi enim vehementer in Domino laetemur, cum noscamus multos existere tum ecclesiasticos, tum laicos homines, qui christianae fidei et charitatis spiritu egregie animati bonum Christi diffundunt odorem, tamen non mediocri afficimur dolore, cum haud ignoremus, in aliquibus locis nonnullos ex Clero suae dignitatis, et officii oblitos minime ambulare pro ea vocatione, qua vocati sunt, et christianum populum sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus parum instructum, gravibusque obnoxium periculis a pietatis operibus, et Sacramentorum frequentia infeliciter abstinere, atque a morum honestate, christianaeque vitae disciplina deflectere, et ad interitum ruere. Persuasissimum Nobis est, Vos pro spectata vestra episcopali sollicitudine omnes curas, cogitationesque esse collaturos, ut commemorata damna omnino eliminentur. Et quoniam optime scitis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, quantam ad ecclesiastici Ordinis disciplinam instaurandam, populorum mores corrigendos, eorumque damna avertenda vim habeant Provincialia Concilia a canonicis sanctionibus sapien-

[1] S. Petr. Dam., Opuscul. 36, cap. 5.
[2] Vinc. Lirin., Commonitor.
[3] S. Ambrosius, De Incarnatione, cap. 4, num. 32; Cassian., De Incarnatione, ib. 3, cap. 12.
[4] S. Ambrosius, De fide ad Gratian. Imperat., lib. 5, in prolog.

tissime praescripta, et a sanctis Antistitibus maximo semper Ecclesiae bono frequentata, iccirco vel maxime optamus, ut Provinciales Synodos ad sacrorum canonum normam rite concelebretis, quo communibus cuiusque ecclesiasticae istius Imperii Provinciae malis opportuna ac salutaria adhibeatis remedia. Cum autem multa et gravia in hisce Provincialibus Synodis a Vobis sint agenda, Nostris in votis est, ut pro vestra sapientia in isto Vindobonensi conventu concordissimis animis ea inter Vos suscipiatis consilia, quibus unanimes esse possitis tum circa potiores praesertim res, quae in Provincialibus Synodis erunt tractandae, ac statuendae, tum circa illa, quae uno eodemque studio a Vobis erunt praestanda, ut in omnibus istius Imperii Provinciis divina nostra religio, eiusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat, dominetur, et fideles populi declinantes a malo, et facientes bonum ambulent ut filii lucis in omni bonitate, iustitia, ac veritate. Et cum nihil sit, quod alios magis ad virtutem, pietatem, ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, ne praetermittatis omni industria inter Vos ea statuere, quibus Cleri disciplinam, ubi prolapsa est, instauretis, et accuratam illius institutionem, ubi opus fuerit, promoveatis. Quocirca Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, collatis inter Vos consiliis coniunctisque studiis diligentissime prospicite, ut ecclesiastici viri propriae dignitatis et officii semper memores ab iis omnibus declinent, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, ac virtutum omnium ornatu praefulgentes exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ut diurnas canonicas horas, qua decet, attentione, ac pietatis affectu recitent, ac sancta oratione se exerceant, et rerum caelestium meditationi instent, decorem Domus Dei diligant, sacras functiones et caeremonias iuxta Pontificale, et Rituale Romanum peragant, et proprii ministerii munia naviter, scienter, ac sancte obeant, et sacrarum praesertim disciplinarum studia numquam intermittant, et sempiternae hominum saluti quaerendae assiduam navent operam. Ac pari cura consulite, ut omnes cuiusque Metropolitani, Cathedralis, et Collegialis Templi Canonici, aliique Beneficiarii choro addicti morum gravitate, vitae integritate, ac pietatis studio undique praefulgere studeant tamquam lucernae ardentes positae super candelabrum in templo Domini, et omnes suscepti muneris partes diligenter expleant, residendi legem servent, divini cultus splendorem curent, atque alacres in excubiis Domini divinas laudes studiose, rite, pie, religiose, non vero mente vaga, non vagis oculis, non indecoro corporis statu concelebrent, memoria semper repetentes, quod ipsi ad chorum accedunt, non modo, ut sanctissimum Deo cultum, venerationemque tribuant, verum etiam, ut a Deo ipso et sibi, et aliis omne bonum deprecentur.

7. Sed quam vehementer ad ecclesiasticum spiritum tuendum, et fovendum, atque ad salutarem constantiam retinendam conferant spiritualia Exercitia, innumeris iccirco per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros ditata Indulgentiis, quisque Vestrum optime noscit. Ea proinde cunctis ecclesiasticis vestris viris etiam atque etiam commendare, et inculcare ne desinatis, quo ipsi certo dierum spatio in opportunum aliquem locum saepe secedant, ubi quavis humanarum rerum cura abiecta, omnia sua facta, dicta,

cogitata coram Deo quam diligentissime reputantes, et annos aeternos assidua meditatione habentes in mente, ac maxima beneficia sibi a Deo collata recolentes, studeant contractas de mundano pulvere sordes abluere, et resuscitare gratiam, quae ipsis data est per impositionem manuum, et expoliantes veterem hominem cum actibus suis novum induant, qui creatus est in iustitia et sanctitate.

8. Quoniam vero Sacerdotum labia custodire debent scientiam, qua et respondere possint iis, qui legem requirunt de ore ipsorum, et contradicentes revincere, iccirco, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, in rectam, accuratamque Cleri institutionem omnes vestras curas convertatis oportet. Summa igitur contentione omnia conamini, ut in vestris praecipue Seminariis optima ac plane catholica vigeat studiorum ratio, qua adolescentes Cleri vel a prima pueritia per probatissimos magistros ad pietatem, omnemque virtutem, at ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac latinae linguae cognitione, et humanioribus litteris, philosophicisque disciplinis ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis sedulo imbuantur. Atque in primis omnem adhibete vigilantiam, ut cum dogmaticam, tum moralem Theologiam ex divinis libris, sanctorumque Patrum traditione, et infallibili Ecclesiae auctoritate haustam ac depromptam, ac simul solidam divinarum litterarum, sacrorum Canonum, ecclesiasticaeque historiae, rerumque liturgicarum scientiam congruo necessarii temporis spatio diligentissime addiscant. Ac Vobis summopere cavendum in librorum delectu, ne in tanta grassantium errorum colluvie a sanae doctrinae semita ecclesiastici adolescentes temere abducantur, cum praesertim haud ignoretis, viros eruditos a Nobis in religione dissidentes, et ab Ecclesia praecisos, in vulgus edere tam divinos libros, quam Sanctorum Patrum opera, concinna illa quidem elegantia, sed saepe, quod maxime est dolendum, vitiata, ac praeposteris commentariis a veritate detorta. Neminem Vestrum latet quantopere Ecclesiae hisce praesertim temporibus intersit idoneos habere ministros, qui vitae sanctitate, et salutaris doctrinae laude praestantes, ac potentes in opere et sermone valeant Dei, eiusque sanctae Ecclesiae causam strenue tueri, et aedificare Domino domum fidelem. Nihil itaque intentatum est relinquendum, ut iuniores Clerici vel a teneris annis sancte ac docte educentur, quandoquidem nonnisi ex ipsis rite institutis utiles Ecclesiae ministri fieri possunt. Quo vero facilius pro eximia vestra religione, ac pastorali sollicitudine accuratam Cleri institutionem, ex qua Ecclesiae bonum, ac populorum salus tantopere pendet, quotidie magis promovere valeatis, ne Vos pigeat exhortari, rogare egregios vestrarum Dioecesium ecclesiasticos, laicosque viros divitiis pollentes, et in rem catholicam praeclare animatos, ut vestrum sectantes exemplum aliquam pecuniae vim perlibenter tribuere velint, quo nova etiam Seminaria erigere, et congrua dote instruere possitis, in quibus adolescentuli Clerici vel ab ineunte aetate rite instituantur.

9. Nec minori studio, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ea omnia consilia suscipienda curate, quibus vestrarum Dioecesium iuventus cuiusque conditionis, et sexus magis in dies catholico plane modo educetur. Quapropter episcopalis vestrae vigilantiae nervos intendite, ut iuventus ante omnia spiritu timoris Dei mature imbuta, ac pietatis lacte enutrita nedum

fidei elementis, sed pleniori sanctissimae nostrae religionis cognitione sedulo excolatur, atque ad virtutem, morumque honestatem, christianaeque vitae rationem conformetur, et ab omnibus perversionis, et corruptionis illecebris, et scopulis arceatur. Pari autem sollicitudine ne desinatis unquam fideles populos Vobis commissos opportunis quibusque modis ad religionem et pietatem etiam atque etiam excitare. Itaque ea omnia peragite, quibus ipsi fideles populi magis in dies salutari catholicae veritatis ac doctrinae pabulo enutriti Deum ex toto corde diligant, eiusque mandata apprime servent, Sanctuarium eius frequenter, ac religiose adeant, Sabbata eius sanctificent, ac saepe qua par est veneratione et pietate tum divini Sacrificii celebrationi intersint, tum ad sanctissima Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant, et singulari devotione Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam prosequantur, et colant, ac mutuam inter se continuam caritatem habentes, et precibus instantes ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Cum autem sacrae Missiones ab idoneis operariis peractae summopere conducant ad fidei, religionisque spiritum in populis excitandum, eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos, vehementer optamus, ut illas identidem in vestris Dioecesibus agendas curetis. Ac meritas summasque laudes iis omnibus deferimus, qui e vestro ordine in suas Dioeceses tam salutare sacrarum Missionum opus iam invexere, ex quo divina adspirante gratia uberes fructus perceptos fuisse gaudemus.

10. Haec potissimum in isto vestro conventu prae oculis habeatis oportet, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut communibus malis communibus studiis provide mederi possitis. Etenim ad praecipua cuiusque vestrae Dioecesis damna reparanda, eiusque prosperitatem promovendam, nihil frequenti eiusdem Dioeceseos lustratione, et Dioecesanae Synodi celebratione validius esse probe intelligitis. Quae duo quantopere a Concilio praesertim Tridentino sint praescripta et inculcata [1] neminem Vestrum fugit. Quamobrem pro spectata vestra in gregem Vobis commissum sollicitudine, et caritate, nihil antiquius habere velitis, quam ex canonicis sanctionibus vestras Dioeceses impensissimo studio invisere, et ea omnia accurate perficere, quae ad ipsam visitationem fructuose peragendam omnino pertinent. Quo in munere obeundo Vobis summopere cordi sit summa cura, ac paternis praesertim monitis, et frugiferis concionibus, aliisque opportunissimis modis errores, corruptelas, et vitia, si quae irrepserint, radicitus evellere, omnibus salutis documenta praebere, cleri disciplinam sartam tectamque tueri, et fideles spiritualibus praesertim quibusque subsidiis iuvare, munire, et omnes Christo lucrifacere. Nec dissimilem diligentiam impendite in Dioecesanis Synodis iuxta sacrorum Canonum normam celebrandis ea praecipue statuentes, quae ad maius cuiusque vestrae Dioecesis bonum spectare pro vestra prudentia duxeritis. Ne vero in Sacerdotibus, qui doctrinae et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea, quae

[1] Sess. XXIV, *de reform.*, c. 2, 3.

scire omnibus necessarium est ad salutem, et ministrandi Sacramenta, [1] sacrarum disciplinarum studium unquam restinguatur aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, ubi fieri possit, in omnibus vestrarum Dioecesium regionibus, instituantur opportunis regulis congressus de morum praesertim Theologia, ac de sacris Ritibus, ad quos singuli potissimum Presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositae a Vobis quaestionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis praefiniendo inter se disserere de morali Theologia, deque sacrorum Rituum disciplina, postquam aliquis ex ipsis Presbyteris sermonem de sacerdotalibus praecipue officiis habuerit. Cum autem in vestro grege procurando operam prae ceteris, manum, auxiliumque Vobis praestent Parochi, quos in sollicitudinis partem adscitos, et in arte omnium maxima obeunda adiutores habetis, eorum zelum omni studio inflammare ne intermittatis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut proprio munere ea qua par est diligentia, ac religione fungantur. Illis iccirco inculcate, ut nunquam cessent christianam plebem sibi traditam sedulo pascere divini verbi praeconio, ac Sacramentorum et multiformis gratiae Dei dispensatione, et rudes homines, ac maxime puerulos christianae fidei mysteriis, nostraeque religionis documentis amanter, patienterque erudire, et errantes ad salutis iter adducere, ut summopere studeant odia, simultates, inimicitias, discordias, scandala tollere, et confortare pusillanimes, et visitare infirmos, eosque omni praesertim spirituali ope iuvare; et miseros afflictos, atque aerumnosos consolari, omnesque exhortari in doctrina sana, et monere, ut religiosissime reddant quae sunt Dei Deo, et quae sunt Caesaris Caesari, docentes quod omnes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam Principibus et potestatibus subditi esse et obedire debent in iis omnibus, quae Dei, et Ecclesiae legibus minime adversantur. Pergite vero, ut facitis, cum summa vestri nominis laude, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, accuratam vestrarum Dioecesium relationem statutis temporibus ad Nostram Concilii Congregationem mittere, ac Nos de rebus ad ipsas Dioeceses pertinentibus diligenter certiores facere, ut maiori cum vestrae, tum earumdem Dioecesium utilitati providere possimus. Nobis autem innotuit in quibusdam germanici territorii Dioecesibus aliquas circa parochiarum potissimum collationem invaluisse consuetudines, et nonnullos ex Vobis optare, ut huiusmodi consuetudines serventur. Nos quidem propensi sumus ad adhibendam indulgentiam, postquam tamen easdem consuetudines ab unoquoque Vestrum speciatim, ac perdiligenter expositas debito examine perpenderimus, ut eas intra illos permittamus limites, quos necessitas, et praecipua locorum adiuncta suadere poterunt, cum pro Apostolici Nostri ministerii munere curare omnino debeamus, ut Canonicae praescriptiones generatim sedulo observentur.

11. Antequam finem huic Nostrae Epistolae faciamus, qua Vos omnes Auctriaci Imperii Sacrorum Antistites alloqui summopere gaudemus, Nostrum ad Vos sermonem praesertim convertimus, Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi, qui in eodem nobilissimo Imperio morantes, ac Nobiscum in

[1] Concil. Trident., sess. 23, cap. 14, *de reform.*

vera fide, et catholica unitate coniuncti, et huic Petri Cathedrae adhaerentes Orientalis Ecclesiae ritus et laudabiles consuetudines ab hac Sancta Sede probatas, seu permissas colitis. Compertum exploratumque Vobis est quo in pretio haec Apostolica Sedes vestros semper habuerit ritus, quorum observantiam tantopere inculcavit, quemadmodum luculenter testantur tot Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum decreta et Constitutiones, inter quas commemorare satis est Litteras Benedicti XIV Praedecessoris pariter Nostri die 26 Iulii anno 1755 editas, quarum initium *Allatae*[1] et Nostras die 6 Ianuarii anno 1848 omnibus Orientalibus missas, quae incipiunt *In suprema Petri Apostoli Sede.*[2] Itaque Vos etiam summopere excitamus, ut pro eximia vestra religione et episcopali sollicitudine ministerium vestrum implentes, atque ante oculos habentes ea omnia, de quibus loquuti sumus, vestram omnem curam, industriam et vigilantiam continenter impendatis, ut vester Clerus virtutibus omnibus ornatus, et optimis disciplinis potissimum sacris accurate excultus in sempiternam fidelium salutem quaerendam intentissimo studio incumbat, ut fideles populi instent viam, quae ducit ad vitam, ut quotidie magis sancta augeatur, et amplificetur catholicae religionis unio, ut sacramenta administrentur, ac divina celebrentur officia iuxta vestram disciplinam, iis tamen liturgicis libris adhibitis, qui ab hac Sancta Sede probati fuerunt. Et cum nihil Nobis optatius, quam vestris et vestrorum fidelium indigentiis quam libentissime occurrere, ne omittatis ad Nos confugere, Nobisque exponere vestrarum Dioecesium res, et illarum relationem ad Nostram Congregationem Fidei propagandae praepositam quarto quoque anno mittere.

12. Denique, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Vos obtestamur, ut intentissimo studio connitamini magis in dies conservare, fovere, et augere pacem et concordiam inter universum istarum omnium Dioecesium Clerum tum latini, tum graeci catholici ritus, ut omnes, qui militant in castris Domini, mutuo fraternae caritatis affectu se invicem honore praevenientes, Dei gloriae, et animarum saluti unanimiter, ac studiosissime inserviant.

13. Habetis quae pro impensissima Nostra erga Vos, et fideles istius vastissimi Imperii populos caritate Vobis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, nunc potissimum significanda censuimus, ac pro certo habemus, Vos pro egregia vestra virtute, religione, pietate, ac perspecta in Nos, et hanc Petri Cathedram fide et observantia hisce paternis Nostris desideriis, monitisque quam libentissime, et cumulatissime esse obsequuturos. Ac plane non dubitamus, quin vos omnes, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres Pastorum Principem Christum Iesum continenter intuentes, qui se humilem et mitem corde est professus, quique dedit animam suam pro ovibus suis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia Eius, contendatis totis viribus Illius exempla sectari, documenta obsequi, et gregi curae vestrae commisso assidue advigilare, in omnibus laborare, ministerium vestrum

[1] Cf. N. 434.
[2] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 78-91.

implere, et quaerere non quae vestra sunt, sed quae Christi Iesu, neque iam ut dominantes in Cleris, sed uti Pastores, immo Patres amantissimi, et facti forma gregis ex animo nihil tam molestum, tam impeditum, tam arduum unquam fore putetis, quod in omni patientia, mansuetudine, lenitate, prudentia ferendum, expediendum ac providendum pro vestrarum ovium salute non curetis. Nos interim in humilitate cordis Nostri haud omittimus assiduas fervidasque clementissimo luminum, et misericordiarum Patri Deo totius consolationis adhibere preces, ut uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves Vobis concreditas copiose descendant. Cuius divini praesidii auspicem et propensissimae aeque ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem Apostolicam Benedictionem ex imo corde depromptam Vobis singulis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. II, p. 510-530].

522.

Pius IX, allocut. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

1. Nunquam fore putavissemus, Venerabiles Fratres, ut magno cum animi Nostri dolore afflictas ac prostratas etiam in Mexicana Republica catholicae Ecclesiae res lamentari, ac deplorare compelleremur. Illud enim Gubernium, postquam iam inde ab anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio significaverat, suis in votis esse Conventionem inire cum hac Apostolica Sede, idipsum insequente anno per suum Ministrum Dilectum Filium Emmanuelem Larrainzar hac in urbe morantem ac debita potestate munitum enixe efflagitavit. Nos itaque spirituali illorum fidelium bono consulere et ecclesiastica illius Reipublicae negotia componere vel maxime optantes, huiusmodi postulationi perlibenter obsecundavimus, et opportunas cum eodem Mexicano Ministro tractationes suscipiendas esse constituimus. Quae quidem tractationes inchoatae fuerunt, sed absolvi et ad optatum exitum perduci minime potuere, propterea quod congruae retardabantur explicationes, quas a suo Gubernio commemoratus Plenipotentiarius Minister Romae degens postulabat, qui deinde in Mexicum fuit revocatus ob notissimam rerum conversionem et Gubernii immutationem, cui Mexicana Respublica misere fuit obnoxia.

2. Ubi autem novum extitit Gubernium, statim acerrimum Ecclesiae, eiusque sacris rebus, iuribus, Ministris bellum indixit. Postquam enim Clerum in popularibus electionibus utroque suffragio privavit, legem die vigesimo tertio mensis Novembris superiore anno condidit, qua ecclesiasticum forum de medio sustulit, quod in universa Mexicana Republica semper viguerat. Etsi vero Venerabilis Frater Lazarus Archiepiscopus Mexicanus tum suo, tum omnium illius Reipublicae Sacrorum Antistitum et Cleri nomine contra hanc legem protestari haud omiserit, tamen irrita fuit eiusmodi recla-

matio, et Gubernium minime extimuit declarare, se nunquam sua acta supremae huius Apostolicae Sedis auctoritati esse subiecturum. Atque idem Gubernium molestissime ferens indignationem, quam fidelis praesertim Angelopolitanus populus ostenderat ob eamdem legem, duo edidit decreta, quorum altero omnia Angelopolitanae Ecclesiae bona civilis auctoritatis potestati et arbitrio subiecit, adiudicavit, altero normam praescripsit, qua bona ipsa essent administranda. Cum autem Venerabilis Frater Pelagius Episcopus Angelopolitanus suo munere egregie fungens contra tam iniusta aeque ac sacrilega decreta episcopalem extulerit vocem, tum Gubernium eumdem Antistitem vexare, insectari, eumque militari manu comprehendere, et in exilium pellere minime reformidavit. Ac nihil valuere expostulationes Venerabilis Fratris Aloisii Archiepiscopi Damasceni Nostri ibi Delegati Apostolici, et Venerabilium Fratrum tum Petri Episcopi Guadalaxarensis, tum Petri Episcopi S. Aloisii Potosiensis, qui omni studio apud idem Gubernium agere non destiterunt, ut illa abrogarentur decreta. Mexicanum enim Gubernium his quoque iustissimis reclamationibus plane despectis, ulterius progrediens, et bona omnia, quae Ecclesia in tota illa Republica possidet, sibi ausu prorsus temerario, et sacrilego vindicare cupiens, aliud die vigesimoquinto Iunii huius anni edidit decretum, illudque die vigesimo octavo eiusdem mensis vulgavit, quo Ecclesiam suis omnibus in eadem Republica bonis ac proprietatibus omnino spoliare non exhorruit. Contra tam iniustum decretum suam vocem attollere haud omiserunt Venerabiles Fratres Lazarus Archiepiscopus Mexicanus, Clemens Episcopus Mecoacanus, et Petrus Episcopus Guadalaxarensis, qui suis expostulationibus eidem obsistentes decreto, Ecclesiae causam strenue propugnarunt. Mexicanum vero Gubernium huiusmodi Sacrorum Antistitum reclamationes non solum contempsit, reiecit, verum etiam decrevit, Episcopum Guadalaxarensem exilio esse mulctandum, et legem promulgatam celeriter, ac severe exsequendam. Et quo facilius ac citius sacrilega haec bonorum Ecclesiae spoliatio conficeretur, haud extimuit varias stipulari alienationes, et ecclesiasticis Coetibus permittere, ut fundos distraherent, quin adhaererent normae ab ipso Gubernio praescriptae, dummodo tamen solveretur quod sibi Gubernium arrogat ob titulum translati dominii, et aliae servarentur conditiones in eadem lege statutae.

3. Atque hic, Venerabiles Fratres, illud vel maxime dolendum quod nonnulli ex Religiosis Familiis reperti sint viri, qui propriae vocationis, officii, et instituti prorsus obliti, ac regularem disciplinam perosi non erubuere cum maximo fidelium scandalo, et bonorum omnium luctu Apostolicae Visitationi a Nobis in ipsos Regulares constitutae, et Venerabili Fratri Episcopo Mecoacano commissae impudenter resistere, adversari, et nefariis Ecclesiae hostium consiliis favere, et commemoratam legem amplecti, ac proprii Coenobii fundos divendere, gravissimis quibusque canonicis sanctionibus et poenis omnino despectis, et contemptis. Ac pari dolore dicere cogimur, aliquos etiam e Clero Saeculari fuisse viros, qui suae dignitatis, muneris, Sacrorumque Canonum immemores, et Ecclesiae causam deserere, et eadem iniustissima lege uti, et Gubernii voluntati obsequi haud veriti sunt.

4. Sed Mexicanum Gubernium, ecclesiasticis bonis direptis, alia fecit decreta, quorum uno legem de quadam Religiosa Familia in Mexicum revocanda abolevit, altero vero declaravit, se omnem opem et operam praebere iis omnibus utriusque sexus Regularium Ordinum Sodalibus, qui a suscepta religiosa vita desciscere, claustra deserere, seque a debita propriis Moderatoribus obedientia eximere vellent. Neque id satis. Namque Nationalis ille Conventus Deputatorum Consilio inter plurima contra sanctissimam nostram religionem, eiusque sacros Ministros, Pastores, et Christi hic in terris Vicarium maledicta, et convicia novam proposuit Constitutionem multis conflatam articulis, quorum plures divinae ipsi religioni, eiusque salutari doctrinae, sanctissimisque institutis et iuribus plane adversantur. Hac enim nova proposita Constitutione praeter alia, et omne ecclesiastici fori privilegium tollitur; et statuitur, neminem ullo prorsus emolumento perfrui posse, quod grave sit societati; et cuique interdicitur, ut aliqua se obligatione obstringat seu contractus, seu promissionis, seu religiosi voti causa; et ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac detestabilem, teterrimamque *indifferentismi* pestem propagandam, ac sanctissimam nostram religionem convellendam admittitur liberum cuiusque cultus exercitium, et omnibus qualisbet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi plena tribuitur potestas. Et quoniam Angelopolitanus praecipue Clerus, eiusque Vicarius Generalis illum Deputatorum Congressum impensissime rogarunt, et obsecrarunt, ut saltem articulus de libertate cuiusque religionis exercendae numquam sanciretur, iccirco plures spectatissimi, tum ecclesiastici, tum laici Angelopolitani viri, idemque Vicarius Generalis senectute licet confectus pulsi sunt in exilium, et alii etiam egregii Mexicanae civitatis sacerdotes comprehensi et in oppidum Verae Crucis exportati, ut in exteras traducerentur regiones. Ne autem ad fideles illos populos suorum Antistitum voces, et salutaria monita perveniant, qui pro pastoralis muneris officio in tanta contra Ecclesiam violentia, tantaque insectatione silere non possunt, Mexicanum Gubernium omnibus illarum regionum Gubernatoribus severissime praecepit, ut assidue speculentur, et omni adhibita ratione impediant, quominus ullo modo Pastorales Episcoporum Litterae vel vulgentur, vel circumferantur, vel in sacris aedibus legantur. Ac simul gravissimas in ecclesiasticos potissimum viros constituit poenas, qui huic iniusto non obsequentes mandato, erunt etiam a loco ubi morantur expellendi, et alio asportandi, vel in Mexicanam civitatem deducendi. Ad haec Gubernium idem iam penitus extinxit Religiosam Familiam Ordinis S. Francisci in eadem Mexicana civitate sitam, eiusque reditus ad pia legata pertinentes nationali aerario attribuit, Coenobii aedificium magna ex parte destruxit, et nonnullos eiusdem Familiae religiosos Sodales in carcerem coniecit. Atque ipsius Gubernii iussu Venerabilis Frater Clemens Episcopus Mecoacanus comprehensus, et a sua Dioecesi crudeliter divulsus in ipsam Mexicanam civitatem interim fuit relegatus. Utinam ne alii egregii Sacrorum Antistites, et ecclesiastici, laicique viri eadem exagitentur procella!

5. Ex quibus luctuosissimis sane factis, quae dolenter commemoravimus, plane perspicitis, Venerabiles Fratres, quomodo a Mexicano Gubernio san-

ctissima nostra religio fuerit perculsa et afflicta, et quantae ab ipso catholicae Ecclesiae, eiusque sacris iuribus, Ministris, Pastoribus, ac supremae Nostrae, et huius Sanctae Sedis auctoritati iniuriae fuerint inlatae. Absit vero, ut Nos in tanta sacrarum rerum perturbatione, et Ecclesiae, eiusque potestatis, ac libertatis oppressione Apostolici Nostri ministerii munus obire unquam praetermittamus. Quapropter, ut fideles ibi degentes sciant, et universus Catholicus Orbis cognoscat, a Nobis vehementer improbari ea omnia, quae a Mexicanae Reipublicae Moderatoribus contra catholicam Religionem, Ecclesiam, eiusque sacros Ministros, Pastores, leges, iura, proprietates, et contra huius Sanctae Sedis auctoritatem gesta sunt, Pontificiam Nostram in hoc amplissimo vestro consessu apostolica libertate vocem attollimus, et praedicta omnia decreta, ac cetera, quae ibi a civili potestate cum tanto ecclesiasticae auctoritatis, et huius Apostolicae Sedis contemptu, ac tanta Religionis et Sacrorum Antistitum et ecclesiasticorum praesertim hominum iactura, ac detrimento sancita sunt, damnamus, reprobamus, et irrita prorsus, ac nulla declaramus. Insuper eos omnes, quorum opera, consilio, iussu illa patrata sunt, gravissime monemus, ut serio reputent poenas et censuras, quae adversus sacrarum personarum et rerum, atque ecclesiasticae libertatis et potestatis violatores, profanatores, et huius Sanctae Sedis iurium usurpatores ab Apostolicis Constitutionibus, sacrisque Conciliorum Canonibus sunt constitutae.

6. Nunc autem haud possumus, quin ex animo gratulemur, et maximas meritasque laudes tribuamus Venerabilibus Fratribus illius Reipublicae Sacrorum Antistitibus, qui proprii episcopalis muneris optime memores singulari firmitate, et constantia Ecclesiae causam impavide propugnarunt, et invicto animo dura quaeque et aspera pro ipsius Ecclesiae defensione perpeti sunt gloriati. Debito quoque laudum praeconio illos omnes tum ecclesiasticos, tum laicos viros prosequimur, qui catholicis sensibus vere animati, et illustria suorum Antistitum exempla sectantes in idipsum suos etiam labores pro viribus conferre haud omiserunt, gravissima omnia subeuntes pericula et discrimina. Atque etiam summopere collaudamus fidelem Mexicanae Reipublicae populum, qui ex parte longe maxima vehementer dolens, et indignans tam tristia et iniqua contra suam religionem, suosque Pastores facta, nihil antiquius habet, quam et catholicam profiteri fidem, et suos Episcopos omni amore et obsequio prosequi, ac Nobis, et huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaerere. Quocirca in eam spem erigimur fore, ut dives in misericordia Deus super illam vineam suam propitiatus respiciat, et eam ab omnibus, quibus tantopere affligitur, malis eripiat.

7. Iam vero non minori moerore conficimur, Venerabiles Fratres, ob gravissima sane damna, quibus Ecclesia in plerisque meridionalis etiam Americae regionibus Hispaniarum Regno olim subiectis a civili potestate miserandum in modum premitur ac divexatur. In illis enim regionibus laica potestas, inter alia, sibi temere arrogat ius praesentandi Episcopos, et ab illis exigit ut ineant Dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam ab hac Sancta Sede institutionem, et Apostolicas Litteras accipiant. Atque in iisdem regionibus prohibentur Episcopi libere damnare acatholica scripta, nec fas est eis sine Gubernii venia vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare. Insuper coarctatur Ecclesiae libertas in acquirendis proprietatibus, et impeditur exsecutio gratiarum huius Apostolicae Sedis, et studiorum methodus in Clericorum Seminariis adhibenda civili auctoritati subiicitur, et ab ipsa laica potestate ecclesiasticae decimae vel penitus sublatae, vel publico aerario adiudicatae fuere, et iniuncta est Episcopis, ecclesiasticisque viris obligatio iurandi plures res Ecclesiae iuribus adversas, quae in civili Constitutione continentur. In una autem ex ipsis regionibus non solum haec omnia contra Ecclesiae potestatem et iura geruntur, verum etiam civile Gubernium novam de Episcopis eligendis normam praescripsit, qua disciplina ab Ecclesia statuta labefactatur, et legem sancivit, qua ecclesiastici fori privilegium, decimae, et parochorum emolumenta de medio sublata sunt. Praeterea in hac eadem regione et nativum Ecclesiae ius omnino oppugnatur, acquirendi scilicet proprietates, et non omnia admittuntur matrimonialia impedimenta ab Ecclesia statuta; et nullae prorsus declarantur gratiae a Romano Pontifice concessae, nisi per Gubernium fuerint imploratae; et proprio arbitrio immutata est aetas ab Ecclesia praescripta pro religiosa tam mulierum, quam virorum professione, et omnes Religiosae Familiae neminem sine Gubernii permissu ad sollemnia vota nuncupanda admittere possunt. Atque in aliis eiusdem Americae meridionalis regionibus laica potestas eo temeritatis devenit, ut etiam res vel maxime sacras, et spirituales, quae ab Episcoporum voluntate unice pendent, suae auctoritati subiicere audeat.

8. Quae sane omnia incredibili animi Nostri aegritudine a Nobis breviter cursimque enunciata quam vehementer improbare ac detestari debeamus, probe intelligitis, Venerabiles Fratres, cum civilis potestas nefariis hisce molitionibus divinam Ecclesiae institutionem, eiusque sanctissimam doctrinam ac venerandam auctoritatem, disciplinam, omniaque ipsius Ecclesiae iura, ac supremam huius Apostolicae Sedis dignitatem, potestatemque impetere, convellere, et conculcare connitatur. In tanta vero acerbitate mirifice Nos recreat, et consolatur eximia Venerabilium Fratrum earumdem meridionalis Americae regionum Sacrorum Antistitum virtus, religio, pietas, qui divino auxilio freti, ac proprii muneris partes implentes cum immortali sui nominis, et ordinis laude non desistunt hisce saecularis potestatis conatibus fortiter obsistere, et qua voce, qua scriptis Ecclesiae libertatem, ac iura tam iniuste occupata tueri, repetere, et confidenter profiteri paratissimi ad omnia subeunda pericula.

9. At vero minime ignoratis, Venerabiles Fratres, quam vehementer anxii, et solliciti simus de tristissima conditione, ad quam sanctissima nostra Religio redacta est in Helvetia, ac profecto memineritis, Nos in Concistoriali oratione die vigesimo sexto mensis Iulii superiore anno habita [1] raptim perstrinxisse innumera fere damna ibi a laica potestate Ecclesiae, eiusque sacrae auctoritati, iuribus, rebus, Episcopis, et ministris allata. Equidem Nobis in animo est, cum id opportunum existimabimus, peculiarem de hoc molestissimo sane argumento habere sermonem, cum praesertim in illis regionibus multiplices, et omnino detestandi contra Ecclesiam ausus magis in dies inva-

[1] *Nemo vestrum ignorat.* – Cf. Acta Pii IX, vol. II, p. 441-446.

luerint, et excreverint. Interim vero etiamsi non levi animi Nostri solatio, et consolatione noscamus, fidelem illarum regionum Clerum ex parte longe maxima inter plurimas difficultates sui ministerii munia sedulo obire, et pro viribus praeliari bella Domini, tamen Nobis temperare non possumus quin summopere doleamus, improbemus, damnemus perversam paucorum ecclesiasticorum hominum agendi rationem, qui nefariis laicae potestatis conatibus favere, et in Ticinensi praesertim pago maximum bonis omnibus Catholicis scandalum afferre, ac Dei indignationem in se concitare non horrent. Ea porro spe sustentamur fore, ut illarum regionum Moderatores tandem aliquando velint saniora inire consilia, et cognoscere, veram populorum felicitatem, prosperitatemque sine divina nostra Religione, eiusque salutari doctrina, ac debito erga veneranda Ecclesiae iura obsequio, et reverentia non posse consistere. In quam spem eo magis inducimur, quod audivimus, Episcopum ab exilio quamprimum revocatum iri. Faxit Deus, ut huiusmodi Nostrae spes minime sint fallaces.

10. Nos certe Deo auxiliante nunquam officio Nostro deerimus, et nunquam desinemus omnes perferre labores, omnes suscipere curas, omnia adhibere studia, ut Ecclesiae causam Nobis divinitus commissam pro Apostolici Nostri muneris debito viriliter tueamur ac propugnemus. Interea vero una Vobiscum, Venerabiles Fratres, levantes cor et oculos Nostros in montem excelsum et sanctum, unde omne Nobis auxilium affuturum confidimus, nunquam intermittemus dies noctesque assiduis precibus gemitibusque misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis orare, et obsecrare, ut omnipotenti sua virtute Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus tum in illis, tum in aliis regionibus afflictatur, calamitatibus defendat, eripiat, ac simul dignetur caelesti sua gratia ipsius Ecclesiae inimicorum animos, mentesque illustrare, expugnare, eosque de impietatis et perditionis via ad iustitiae ac salutis semitas reducere.

[Acta Pii IX, vol. II, p. 538-549].

523.

Pius IX, ep. encycl. *Cum nuper*, 20 ian. 1858.[1]

1. Cum nuper annua festiva celebritate sacratissimum, et ad recordationem multo iucundissimus dies rediret, quo Unigenitus Dei Filius propter nimiam, qua Nos dilexit, caritatem de caelesti sede descendens, et paterna gloria non recedens, in similitudinem hominum factus, ex immaculata beatissimaque Virgine Maria nasci voluit, vestras humanissimas accepimus Litteras quibus, Venerabiles Fratres, singularem vestram erga Nos et hanc Petri Cathedram pietatem, amorem et observantiam denuo luculenter profitentes significatis, nihil Vobis potius esse, quam assiduis fervidisque precibus Deum Optimum

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis utriusque Siciliae Regni.

Maximum orare, ut humilitatis Nostrae Personam gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine laborantem omnipotenti sua virtute adiuvet, roboret, confirmet, ac salvam incolumemque diutissime servet, omnique cumulet prosperitate ad maiorem sancti sui nominis gloriam, et animarum salutem. Qui egregii religiosissimae vestrae mentis sensus, semper Nobis gratissimi, ita paternum animum Nostrum affecerunt, ut Vobis omnibus in isto utriusque Siciliae Regno pastorale munus obeuntibus hanc Encyclicam Epistolam praecipuae Nostrae in Vos caritatis testem uno eodemque tempore scribere voluerimus, ut magis magisque intelligatis quanta Vos caritate in Domino prosequamur, et quantopere de Vobis, deque fidelibus curae vestrae commissis solliciti simus. Equidem, Venerabiles Fratres, verbis exprimere haud possumus acerbissimum sane dolorem, quo affecti fuimus vix dum novimus, superiori mense Decembri plura istius Regni oppida maximis terraemotibus adeo fuisse conquassata, ut quamplurimi cadentium moenium ruinis miserandum in modum obruti, extincti ac sepulti fuerint cum summo Carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi II Regis moerore, qui pro egregia sua christiana caritate, et in subditos sibi populos affectu nullis curis, consiliis ac sumptibus parcens omnem statim opem auxiliumque afflictis ac prostratis eorumdem oppidorum populis afferre, eorumque deplorandam conditionem sublevare non destitit. Ubi primum tristissimi de tanta calamitate nuncii ad Nos pervenerunt, nulla interposita mora levavimus oculos nostros ad Dominum divinam Eius misericordiam pro miseris illis populis in humilitate cordis Nostri impensissime implorantes, et obsecrantes, ut sanaret contritiones terrae, cuius fundamenta tam terribili modo commota et conturbata fuerunt.

2. Sed cum notissima Vobis sint divina sacrarum litterarum eloquia, quae clare aperteque docent, eiusmodi Dei flagella culpis hominum provocari, tum pro officii Nostri munere episcopalem vestram sollicitudinem etiam atque etiam in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omnes ministerii vestri partes sedulo ac strenue implentes nihil antiquius habere velitis, quam omni studio ac zelo fideles curae vestrae commissos a vitiis et peccatis deterrere, eosque ad virtutis, iustitiae ac religionis semitas adducere. Et quoniam cum maximo Nostro, vestroque luctu nonnulli in isto Regno reperiuntur ecclesiastici viri, qui propriae vocationis plane obliti improbanda, ac vituperabili eorum vivendi ratione, Dei indignationem concitant, et christiano populo causa mortis existunt, cui duces ad vitam esse deberent, iccirco invectas in Cleri mores corruptelas, abusionesque convellere, eiusque disciplinam ad sacrorum canonum normam sartam tectamque tueri ac fovere studiosissime contendite. Nihil unquam intentatum relinquite, ut iuniores Clerici vel a teneris annis ad pietatem, religionem et ecclesiasticum spiritum mature instituantur, atque ad optimas artes, et severiores disciplinas ac praesertim ad solidam incorruptamque theologicarum rerum, sacrorumque Canonum scientiam informentur. Atque in primis Apostoli praeceptum prae oculis semper habentes, diligentissime cavete, ne cito manus cuipiam unquam imponatis, et in sacris conferendis Ordinibus summam curam, cautionemque impendite. Absit, Venerabiles Fratres, ut in tanti momenti re aliquis ex Vobis sit, qui alienis officiis, studiis, gratiae, humanisque rationibus indulgens velit unquam

illos in Clerum cooptare, et ad ecclesiasticos gradus, et Ordines promovere, qui minime pollentes dotibus per sacros Canones praescriptis sunt omnino a sacro ministeriio reiiciendi. Etenim probe nostis quam gravem culpam committat, quantum Ecclesiae damnum afferat, et quam districtam, ac plane tremendam Christo Domino rationem reddere debeat, qui indignos sacris Ordinibus initiare non pavet. Quocirca, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione in admittendis, adprobandisque Clericis nihil Vobis potius sit quam sapientissimas ac providentissimas Sacrorum Canonum praescriptiones studiosissime servare, et accurata investigatione, et examine noscere ac perpendere cuiusque Clerici originem, institutionem, indolem, ingenium, doctrinam, atque eos dumtaxat sacris Ordinibus decorare, divinisque mysteriis tractandis admovere, qui sedulo diligenterque probati, virtutum omnium ornatu, ac salutaris doctrinae laude, et vero ecclesiastico spiritu spectati vestris Dioecesibus usui et ornamento esse possint, quique sedulo declinantes ab iis omnibus, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, exemplum sint fidelium *in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* In illorum autem praecipue mores, probitatem, integritatem, pietatem, scientiam ac prudentiam inquirite, quibus animarum cura, ac regimen est committendum. Ac semper advigilate, ut Parochi proprio munere naviter, scienter sancteque fungentes nunquam intermittant christianam plebem sibi traditam sedulo pascere divini verbi praeconio, Sacramentorum administratione, et multiformis gratiae Dei dispensatione, ac pueros praesertim rudesque homines sanctissimis divinae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus diligenter imbuere, eosque ad pietatem, omnemque virtutem fingere. Cognoscitis enim quomodo cum maximo rei sacrae et publicae damno mores omnino prolabantur, et christiana laxetur disciplina, et religionis cultus convellatur, et vitia omnia in populos invehantur, si Parochi vel proprium officium agere nesciant, vel illud exercere negligant. Cum autem singulari quoque vigilantia Vobis excubandum sit, ut utriusque sexus iuventus in timore ac lege Domini educetur, atque ad honestatem formetur, tum summopere Vobis cordi sit publicas privatasque scholas diligenter inspicere, et intentissimo studio curare, ut iuventus ipsa ab omni periculo amota sanam ac prorsus catholicam habeat institutionem. In id omnes pastoralis vestrae sollicitudinis nervos intendite, cum haud ignoretis, ex recta iuventutis educatione christianae et civilis reipublicae prosperitatem maxime pendere, ac simul noscatis, nefarias multiplicesque artes, quibus, in hac tanta temporum iniquitate, Dei hominumque hostes improvidam potissimum iuventutem pervertere et corrumpere connitantur. Ne omittatis pari sedulitate fideles Vobis commissos catholicae veritatis doctrina quotidie magis tum voce, tum scriptis erudire, eosque a tot serpentium errorum contagione defendere, ac monere, ut in sanctissimae nostrae fidei professione stabiles et immoti persistant, Dei, eiusque sanctae Ecclesiae leges diligentissime observent, et nunquam se decipi, et in errorem induci patiantur a perversorum dogmatum cultoribus. Cum autem pestilentissimi libri e tenebris emersi undique erumpant, quibus peritissimi fabricatores mendacii perversis pravisque cuiusque generis opinionibus omnium animos mentesque depravare, ac divina et humana permiscere, et christianae civilisque reipublicae fundamenta labefactare adnituntur, tum, Venerabiles Fratres, episcopali vestro zelo viriliter pugnate, ut hanc exitialem, teterrimamque librorum pestem a vestro grege quam longissime arceatis, ac propulsetis. Et quo facilius ac tutius sanam doctrinam, bonosque mores tueri, omnemque errori et corruptioni aditum obstruere possitis, ne praetermittatis accurate inspicere libros omnes, et illos praesertim, qui de philosophicis, theologicis sacrisque rebus, ac de iure tum canonico, tum civili agunt. Nostis autem episcopalis quoque vestri muneris esse veneranda Ecclesiae iura constanter tutari et vindicare, eiusque bona tueri, ac rectae illorum administrationi sedulo consulere, ac summopere cavere, ut pia Missarum praesertim legata, et onera accurate serventur, ac religiose impleantur, quavis fraude, turpique lucro penitus amoto. Neque Vos praeterit qua solertia ac sagacitate prospicere debetis, ut in episcopali cuiusque vestrum Curia negotia omni iustitia, aequitate et honestate tractentur. Itaque, Venerabiles Fratres, sedulo curate, et in episcopalibus vestris Curiis ii tantum versentur viri, qui vitae integritate, rerumque gerendarum peritia probati demandata sibi a Vobis munera scite, honesteque obire possint. Atque hic a Vobis vehementer exposcimus, ut ecclesiasticas causas ad vestra Tribunalia ex Sacrorum Canonum praescripto et Conventionis vi pertinentes cum maxima diligentia et examine noscatis, iudicetis, ac simul contendatis, ut sententiae debitam executionem omnino habeant, et in hunc finem, quoties opus fuerit, civilis potestatis opem auxiliumque imploretis. Iam vero cum Regulares viri Episcopis dati sint adiutores in Dominicae vineae cultura, veluti monet immortalis memoriae Benedictus XIV Decessor Noster,[1] tum quantum in Vobis est, ne intermittatis Religiosos ipsos viros monere, et exhortari, ut illustria Patrum suorum vestigia sectantes, exempla aemulantes, quae Deo voverunt, religiosissime reddere studeant, vitamque sanctissime agant, ex proprii Instituti legibus, ac Vobis, vestroque gregi, qua verbo, qua exemplo, qua precibus utilem operam navent.

3. Praecipuo etiam pastoralis vestrae sollicitudinis et caritatis studio Virgines Deo sacras respicite, quae sunt selecta pars gregis, flos ecclesiastici germinis, decus et ornamentum gratiae spiritualis, omnemque illis operam et adiumenta praebete, ut memores sanctae vocationis qua ipsas Deus vocavit, ab humanis oculos plane avertant, ad caelestia semper attollant, et quotidie magis euntes de virtute in virtutem contendant bonum Christi undique diffundere odorem. Atque ab egregia vestra religione enixe postulamus, ut semper prae oculis habere, serio considerare, et omnino exequi velitis, quae idem Benedictus XIV Praedecessor Noster provide sapienterque monet, edocet ac statuit in sua Constitutione de designandis Confessariis extraordinariis pro Monialibus.[2]

4. Denique, Venerabiles Fratres, ut sanctissimae nostrae religionis bono et commendatarum Vobis ovium saluti magis ac magis consulere valeatis, summopere optamus ut Provincialia Concilia ex Sacrorum Canonum praescripto concelebranda curetis. Etenim probe intelligitis, hoc sane pacto Vos,

[1] Constit. *Imposuit Nobis,* III Kal. Martii 1747, § 14. - Cf. N. 376.
[2] Constit. *Pastoralis curae,* Nonis Augusti an. 1748. - Cf. N. 388.

et collatis inter Vos consiliis, et rebus omnibus mature perpensis, posse facilius et consultius opportuna malis adhibere remedia, et vestrarum Dioecesium prosperitati providere, et Dioecesanas deinde cogere Synodos, quae ex Canonicis Sanctionibus a Vobis sunt habendae. Et cum in isto Regno nonnulli existant Archiepiscopi, qui suffraganeis carent, et aliqui adsint Episcopi, qui istic Metropolitanum non habent, atque iccirco Provinciale Concilium agere haud possunt, eorumdem Sacrorum Antistitum prudentiae erit omnia locorum, rerum ac temporum adiuncta diligenter ponderare, et cum illis Episcopis ad huiusmodi Concilium habendum una simul conveniant, cum quibus magis in Domino expedire censuerint, sine tamen vel minima immutatione quoad Ecclesiarum statum, ac sine ullo prorsus detrimento iurium ac privilegiorum, quibus ipsi Sacrorum Antistites legitime gaudent ac potiuntur.

5. Habetis, Venerabiles Fratres, quae pro singulari Nostra erga Vos, et fideles curae vestrae traditos benevolentia Vobis nunc prae ceteris significanda existimavimus. Ac plane non dubitamus, quin ob perspectam vestram religionem hisce Nostris paternis votis monitisque omni sedulitate eo libentius satisfacere velitis, quod Vobis Carissimus in Christo Filius Noster Ferdinandus II utriusque Siciliae Rex Illustris adiutricem suam manum nunc porrigit, qui, uti confidimus, pro spectata sua pietate efficiet, ut secundum Nostra desideria in suo Regno Ecclesia omni fruatur libertate, et omnia sua exerceat iura, quibus Ecclesia ipsa ex Dei ordinatione, et Sacrorum Canonum sanctione pollere omnino debet. Interim vero divitem in misericordia Deum humiliter, enixeque oramus et obsecramus, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis, consiliis, laboribus benedicat, quo fideles Vobis concrediti quotidie magis fortes in fide declinent a malo, et faciant bonum, et crescentes in scientia Dei et cognitione Domini Nostri Iesu Christi ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque horum auspicem, et certissimum studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 8-16].

524.

Pius IX, ep. encycl. *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858.[1]

1. Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Iesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in Catholica Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in caelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari iussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi, ac satisfaciendi vim habens « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur ».[1] Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit.[2] Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus « pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qni infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima ».[3]

[1] S. Greg. M., Dialog., lib. 4, cap. 58.
[2] Malach., cap. 1.
[3] S. Cyril. Hierosol., Cateches. 23, Mystag, 5, de sacra Liturg.

2. Cum igitur nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur, et immolatur, iccirco Sancta Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioque ipsa, pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione, devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

3. Iam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et eiusmodi obligationem ex Divino praecepto descendere iuxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat *praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* [1] Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV Decessoris Nostri Litterae die 19 Augusti anni 1744 datae, [2] quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ad Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligatione de Sacro audiendo satisfacere deberent. Non mediocri certe iucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres; cum ex relationibus, quas de vestrarum Dioecesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII Decessoris pariter Nostri, [1] et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

[1] Concil. Trid., Sess. 23, Cap. 1, De Reformat.

[2] Bened. XIV, Litt. Encycl. *Cum semper oblatas*, die 19 Augusti 1744. - Cf. N. 345.

4. Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex huiusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei Propagandae, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiariam saepissime respondere, et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

5. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus

[1] Urban. VIII, Constit. *Universa per orbem*, idib. Septemb. 1642. - Cf. N. 226.

Nostrae Congregationis Tridentinis Decretis tuendis interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

6. Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi huiusce Indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

7. Dum autem haec statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur serio considerantes uberrimam caelestium praesertim munerum, ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad huiusmodi obtinenda Indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

8. Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis quae in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, praecipimus, et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quae a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cuiusque vestrum Curiae perpetuo asservetur.

9. Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam, parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Dioecesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac caelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

10. Denique nihil Nobis gratius, Venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut maiore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

11. Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad maiorem Vestram ac Dioecesium vestrarum utilitatem procurandam concedere posse noverimus. Interim vero caelestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 17-27].

525.

Pius IX, allocut. *Ad gravissimum*, 20 iun. 1859.

Ad gravissimum, quo cum bonis omnibus propter bellum inter catholicas nationes excitatum premimur, dolorem maximus accessit moeror ob luctuosam rerum conversionem ac perturbationem, quae in nonnullis Pontificiae Nostrae ditionis Provinciis nefaria impiorum hominum opera ac sacrilego prorsus ausu nuper evenit. Probe intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos dolenter loqui de scelesta sane perduellium contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius Sanctae Sedi civilem principatum coniuratione et rebellione, quam vaferrimi homines in eisdem Nostris provinciis commorantes tum clandestinis pravisque coetibus, tum turpissimis consiliis cum finitimarum regionum hominibus initis, tum fraudolentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et invectis, tum perversis quibusque aliis fraudibus, et artibus moliri, fovere, et efficere minime reformidarunt. Nec possumus non vehementer dolere, infestam huiusmodi coniurationem primum erupisse in civitate Nostra Bononiensi, quae paternae Nostrae benevolentiae ac liberalitatis ornata beneficiis duos fere ab hinc annos, cum ibi diversati sumus, suam erga Nos et hanc Apostolicam Sedem venerationem ostendere, ac testari haud omiserat. Bononiae enim die duodecima huius mensis, postquam Austriacae inopinato discesserunt copiae nulla interposita mora coniurati homines audacia insignes, omnibus divinis, humanisque proculcatis iuribus, laxatisque improbitatis habenis, haud exhorruerunt tumultuari, atque urbanam cohortem, aliosque armare, cogere, educere, atque Cardinalis Nostri Legati aedes adire, ibique ablatis Pontificiis Insignibus eorum loco rebellionis vexillum attollere et collocare cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu, qui tantum facinus improbare, ac Nobis et Pontificio Nostro Gubernio plaudere haud extimescebant. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Nostro Legato profectio fuit denunciata, qui pro sui muneris officio tot scelestis ausibus obsistere, ac Nostram, et huius Sanctae Sedis dignitatem et iura asserere ac tueri minime praetermittebat. Atque eo sceleris et impudentiae rebelles devenerunt, ut minime veriti sint gubernium immutare, et Sardiniae Regis Dictaturam petere, et ob hanc causam suos ad eumdem Regem deputatos mittere. Cum igitur Noster Legatus haud posset tantas impedire improbitates, easque diutius ferre et intueri, solemnem tum voce tum scripto edidit protestationem contra omnia quae a factiosis hominibus adversus Nostra et huius Sanctae Sedis iura fuerunt patrata, ac Bononia decedere coactus Ferrariam se contulit.

Quae Bononiae tamen nefarie peracta sunt, eadem similibus criminosis modis Ravennae, Perusiae, et alibi flagitiosi homines communi bonorum omnium luctu agere minime dubitarunt, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis Nostris copiis reprimi ac refringi, cum illae numero paucae eorum furori et audaciae resistere minime possent. Quocirca in eisdem civitatibus a perduellibus omnium divinarum, humanarumque legum conculcata auctoritas, et suprema civilis Nostra atque huius Sanctae Sedis oppugnata potestas, et defectionis erecta vexilla, et legitimum Pontificium Gubernium de medio sublatum et Sardiniae Regis Dictatura petita, et Nostri Delegati publica emissa protestatione ad profectionem vel impulsi, vel coacti, et alia multa rebellionis admissa facinora.

Nemo vero ignorat quo isti civilis Apostolicae Sedis principatus osores semper potissimum spectent, et quid ipsi velint, quid cupiant, quid exoptent. Omnes quidem norunt singulari Divinae Providentiae consilio factum esse, ut in tanta temporalium Principum multitudine et varietate Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem nemini prorsus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex summus totius Ecclesiae Pastor nulli unquam Principi subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi, regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum, qua late patet, orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quae pro re ac tempore ad maiorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret. Infestissimi igitur Romanae Ecclesiae temporalis dominii hostes civilem eiusdem Ecclesiae, Romanique Pontificis principatum caelesti quadam rerum dispensatione, et vetusta per tot iam continentia saecula possessione, ac iustissimo quovis alio optimoque iure comparatum, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper habitum ac defensum invadere, labefactare, ac destruere connituntur, ut, Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicae Sedis, Romanique Pontificis dignitatem maiestatemque deprimant, pessundent, et liberius sanctissimae religioni maxima quaeque damna, ac teterrimum bellum inferant, ipsamque religionem, si fieri unquam posset, funditus evertant. Huc sane semper spectarunt ac spectant nequissima illorum hominum consilia, molitiones et fraudes, qui temporalem Romanae Ecclesiae dominationem convellere exoptant veluti diuturna ac tristissima experientia omnibus clare aperteque demonstrat.

Quamobrem cum Nos Apostolici Nostri muneris officio, solemnique iuramento adstricti debeamus religionis incolumitati summa vigilantia prospicere, ac iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolatasque tueri, et huius Sanctae Sedis libertatem, quae cum universae Ecclesiae utilitate est plane coniuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius Principatum defendere, quo ad liberam rei sacrae in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit, illumque integrum et inviolatum Nostris Successoribus transmittere, iccirco non possumus non vehementer damnare, detestari impios nefariosque perduellium subditorum ausus, conatus, illisque fortiter obsistere.

Itaque postquam per reclamationem Nostri Cardinalis Secretarii Status missam ad omnes Oratores, Ministros et negotiorum Gestores exterarum nationum apud Nos, et hanc S. Sedem nefarios huiusmodi rebellium ausus reprobavimus ac detestati sumus, nunc in amplissimo hoc Vestro Consessu,

Venerabiles Fratres, Nostram attollentes vocem, maiori qua possumus animi Nostri contentione, protestamur contra ea omnia, quae perduelles in commemoratis locis agere ausi sunt, et suprema Nostra auctoritate damnamus, reprobamus, rescindimus, abolemus omnes et singulos actus tum Bononiae, tum Ravennae, tum Perusiae, tum alibi ab ipsis perduellibus contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius S. Sedis Principatum quovis modo factos et appellatos, et eosdem actus irritos omnino, illegitimos, et sacrilegos esse declaramus, atque decernimus. Insuper in omnium memoriam revocamus maiorem excommunicationem, aliasque ecclesiasticas poenas et censuras a sacris Canonibus, apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. 22, cap. 11, *De Reform.*) decretis inflictas, et ulla absque declaratione incurrendas ab iis omnibus, qui quovis modo temporalem Romani Pontificis potestatem impetere audeant: in quas proinde eos omnes misere incidisse declaramus qui Bononiae, Ravennae, Perusiae, et alibi civilem Nostram, et huius Sanctae Sedis potestatem, et iurisdictionem, ac Beati Petri patrimonium opera, consilio, assensu et alia quacumque ratione violare, perturbare, et usurpare ausi sunt.

Dum vero officii Nostri ratione compulsi haec non levi certe animi Nostri dolore declarare, et edicere cogimur, miserrimam tot filiorum caecitatem illacrimantes a clementissimo misericordiarum Patre humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut omnipotenti sua virtute efficiat, ut quamprimum optatissimus illucescat dies, quo et ipsos filios resipiscentes, atque ad officium reductos iterum paterno sinu cum gaudio excipere, et omni perturbatione sublata ordinem tranquillitatemque in tota Pontificia Nostra ditione restitutam videre possimus. Hac autem in Deo fiducia suffulti ea quoque spe sustentamur fore, et Europae Principes, uti antea, ita hoc etiam tempore suam omnem operam in temporali Nostro, sanctaeque huius Sedis principatu tuendo, et integre servando consociatis studiis consiliisque impendant, cum eorum cuiusque vel maxime intersit, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, quo catholicorum conscientiae in eorumdem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit. Quae quidem spes augetur, proptereaquod Gallicae copiae in Italia degentes, iuxta ea quae Carissimus in Christo Filius Noster Gallorum Imperator declaravit, non modo nihil contra temporalem Nostram et huius S. Sedis dominationem agent, immo vero eamdem tuebuntur atque servabunt.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 84-89].

526.

Pius IX, ep. *Verbis exprimere*, 15 aug. 1859.[1]

Verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fratres, quantae consolationis Nobis fuerint et vestrae obsequentissimae Litterae die 15 septembris superiore anno datae, et ea quae de Vobis ad Nos detulit Venerabilis Fra-

[1] Venerabilibus Fratribus Alexandro Archiepiscopo Fogarasiensi, et Alba-Iuliensi et Episcopis eius Suffraganeis.

ter Antoninus Archiepiscopus Tarensis Noster, et huius Apostolicae Sedis apud Caesaream et Apostolicam Maiestatem Nuntius a Nobis eodem superiore anno ad Vos missus. Namque ex iis omnibus magis magisque novimus qua singulari fide, amore, et observantia firmiter constanterque Nobis, et huic Petri Cathedrae adhaerere gloriemini, quae, Domino disponente, super omnes Ecclesiae ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christifidelium mater et magistra, et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas, et Petrus in suis successoribus semper vivit, et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, et iudicium exercet. Intelleximus quoque maiorem in modum, Venerabiles Fratres, quomodo Vobis cordi sit salutarem catholicae Ecclesiae doctrinam omni cura studioque integram inviolatamque tueri, defendere, eamque magis in dies propagare, et omnes gravissimi vestri ministerii partes strenue diligenterque implere. Summo quidem gaudio, laetitiaque Nos affecerunt huiusmodi egregii vestri sensus catholicis Antistitibus plane digni, etiamsi iidem nec novi, nec inexpectati Nobis extiterint. Itaque dum de hisce praeclaris eximiisque vestris sensibus vehementer atque ex animo gratulamur, Venerabiles Fratres, a Vobis maiore, qua possumus, animi Nostri contentione exposcimus, ut pro perspecta vestra religione ac pietate omnem vestram curam, operam, industriam, vigilantiam adhibeatis, quemadmodum pastoralis vestri muneris officium omnino postulat, ut omnes fideles curae vestrae commissi, et eisdem vestris sensibus animentur, et in omnibus rebus veram germanamque catholicae Ecclesiae doctrinam profiteantur. Ne desinatis unquam in id potissimum episcopalem vestram sollicitudinem ac zelum intendere, Venerabiles Fratres, nullisque unquam consiliis et laboribus parcite quo vestrarum Dioecesium fideles catholica doctrina magis in dies eruditi constantissime credant ac teneant quidquid catholica docet Ecclesia, et diligentissime aversentur quidquid ab ipsa reprobatur ac damnatur Ecclesia. Atque inter alia ne omittatis fidelibus vestrae vigilantiae concreditis assidue et accurate tradere, atque inculcare catholicae Ecclesiae de Matrimonii Sacramento, deque indissolubili Matrimonii vinculo doctrinam. Neminem enim Vestrum latet iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam fidelium matrimonium ratum ante consummationem posse dissolvi per solemnem alterutrius coniugis in aliqua probata Religione professionem, vel per canonicam dispensationem, quae a Romano tantum Pontifice concedi potest, quaeque nonnisi ex gravissimis causis rarissime indulgetur. Atque etiam optime nostis, eamdem Ecclesiam iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam luculenter docere, matrimonii vinculum propter alterius coniugum adulterium, vel propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge nunquam posse dissolvi, sed perpetuo firmum, et indissolubile permanere ex notissima inspirati Adae sententia, et Christi Domini oraculo, atque Apostoli verbis, et Ecclesiae traditione, quae omnia Vos apprime scitis. Quae quidem perpetua, atque indissolubilis matrimonialis vinculi firmitas, non ex ecclesiastica disciplina profluens, tanta est in matrimonio consummato, tum ex divino, tum ex naturali iure, ut nullam ob causam ne ab ipso quidem Romano Pontifice dissolvi unquam possit, etiamsi ab alterutro coniugum fides coniugalis adulterio frangatur. Quocirca, Venerabiles Fratres, pro

sacerdotali vestra virtute, et episcopali vestro in catholica doctrina tuenda ac propugnanda studio nihil Vobis potius sit, quam studiosissime curare, ut fideles Vobis traditi haec recte addiscant, ac sedulo profiteantur, et servent. Quod si in vestris Dioecesibus aliqui existant, qui perperam arbitrentur, matrimonii vinculum adulterii causa posse dissolvi, omnis a Vobis cura, vigilantia, auctoritas prudenter, constanterque est adhibenda, ut tam perniciosus, et catholicae doctrinae vel maxime contrarius error ex illorum animis radicitus evellatur, et penitus eliminetur. Ac pro vestra sapientia probe intelligitis, Venerabiles Fratres, in tanti momenti re omnes cuiusque generis difficultates, si forte obiiciantur, esse omnino in omni patientia et doctrina vincendas, cum agatur de catholica veritate divinitus revelata, quam omnes catholicae Ecclesiae filii firmiter profiteri, ac servare tenentur. Quare iis omnibus, qui huiusmodi difficultates Vobis forsitan afferre voluerint pro episcopali vestra sollicitudine, zelo, ac scientia catholicae Ecclesiae de hac re doctrinam clare aperteque exponite, explicate, inculcate, ac simul ostendite, difficultates ipsas nullo modo contra catholicam hanc veritatem admitti, et opponi unquam posse. Insuper in illorum memoriam sedulo revocate, eorum maiores cum huius Romanae Ecclesiae unionem sincere amplexi sunt, non solum admisisse quatuor notissima puncta in Concilio Florentino definita, verum etiam declaravisse, se admittere, profiteri, ac credere quae eadem Romana Catholica Ecclesia admittit, profitetur et credit.[1] Nec cessetis unquam, Venerabiles Fratres, omni studio ecclesiasticos vestrarum Dioecesium homines, ac praesertim Parochos monere et exhortari, ut hanc Catholicae Ecclesiae de matrimonio doctrinam fidelibus assidue diligenterque explicent, evolvant, et in illorum animis alte defigant. Atque eorumdem ecclesiasticorum hominum zelum magis in dies excitate, inflammate, ut propriae vocationis semper memores, atque rationi, exhortationi, doctrinaeque instantes virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii munia naviter, scienter, sancteque obeant, et maiore usque alacritate, atque industria christianam plebem sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus imbuant, erudiant, atque in sanctam catholicam unionem servandam, promovendam, et sempiternam hominum salutem procurandam totis viribus sub vestro ductu incumbant. Plane non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro perspecta vestra pietate, ac singulari erga Nos, et hanc Petri Cathedram observantia Nostris hisce monitis quam libentissime ac studiosissime obsequi velitis. Persuasissimum autem Vobis sit, nihil Nobis gratius, nihil optatius unquam fore, quam ea omnia peragere, quae in maiorem vestram ac vestrarum Dioecesium utilitatem cedere posse noverimus. Interim vero haud omittimus in humilitate cordis Nostri assiduas, fervidasque Deo Optimo Maximo adhibere preces, ut in abundantia divinae suae gratiae Vobis semper propitius adsit, quo pergatis unanimes, et idipsum sentientes stare in uno spiritu, et custodire depositum, et loqui quae decent sanam doctrinam, et certare bonum certamen fidei. Atque superni huius praesidii auspicem et certissimum studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedi-

[1] Cf. N. 51, 52.

ctionem Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et gregibus curae vestrae commissis amantissime impertimur.[1]

[Acta Pii IX, vol. III, p. 98-102].

527.

Pius IX, allocut. *Maximo animi*, 26 sept. 1859.

Maximo animi Nostri dolore in Allocutione ad Vos die vicesimo proximi mensis[2] Iunii habita, Venerabiles Fratres, lamentati sumus ea omnia, quae ab huius Apostolicae Sedis hostibus tum Bononiae, tum Ravennae tum alibi contra civilem legitimumque Nostrum, et eiusdem Sedis principatum patrata sunt. Insuper eadem Allocutione illos omnes in ecclesiasticas censuras et poenas a Sacris Canonibus inflictas incidisse declaravimus, et omnes eorum actus nullos et irritos esse decrevimus.

Ea porro spe sustentabamur fore, ut rebelles isti filii Nostris hisce vocibus excitati ac permoti ad officium redire vellent, cum omnes praesertim noscant quanta mansuetudine ac lenitate, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio semper usi simus, et quanta alacritate studioque inter gravissimas temporum difficultates numquam intermiserimus curas omnes cogitationesque ad temporariam quoque Nostrorum populorum utilitatem tranquillitatemque promovendam convertere. Sed Nostra haec spes prorsus evanuit. Etenim ipsi externis potissimum consiliis, instigationibus et omnibus cuiusque generis auxiliis freti, atque iccirco audentiores facti nihil inausum nihilque intentatum reliquerunt, ut omnes Aemiliae provincias Pontificiae Nostrae ditioni subiectas perturbarent, easque a civili Nostro et huius Sanctae Sedis principatu distraherent. Hinc in iisdem provinciis, rebellionis ac defectionis erecto vexillo, et Pontificio sublato Gubernio primum Subalpini Regni Dictatores constituti fuerunt, qui postea Commissarii extraordinarii dicti, ac deinde Gubernatores generales appellati, quique Supremi Nostri Principatus iura sibi temere arrogantes a publicis obeundis muneribus illos amoverunt, quos ob spectatam erga legitimum Principem fidem cum pravis eorum consiliis minime consentire suspicabantur. Non dubitarunt autem huiusmodi homines in ecclesiasticam quoque invadere potestatem cum novas de Nosocomiis, Orphanotrophiis aliisque Piis Legatis, Locis, et Institutis leges ediderint. Neque timuerunt aliquos ecclesiasticos viros vexare, eosque vel expellere, vel etiam in carcerem coniicere. Apertissimo vero in hanc Apostolicam Sedem odio perciti minime reformidarunt die sexta huius mensis conventum Bononiae agere ab ipsis nationalem Aemiliae populorum appellatum, atque in illo promulgare decretum falsis criminationibus et praetextis refertum, quo populorum unanimitatem mendaciter asserentes, contra Romanae Ecclesiae

[1] Haec eadem Epistola scripta fuit ad Basilium Episcopum Magno-Varadinensem, ad Alexandrum Episcopum Lugosiensem, et ad Ioannem Episcopum Armenopolitanum, graecocatholicos.

[2] Cf. N. 525.

iura declararunt, se nolle amplius Pontificio civili Gubernio subesse. Atque insequenti die declararunt item, veluti in more nunc est, se velle Sardiniae Regis ditioni et imperio adhaerere.

Hos inter lamentabiles ausus non desinunt factionis moderatores omnem eorum artem in corrumpendis populorum moribus impendere per libros praesertim atque ephemerides tum Bononiae, tum alibi editas, quibus fovetur quidlibet audendi licentia, et Christi hic in terris Vicarius iniuriis laceratur, ac religionis pietatisque exercitationes ludibrio habentur, precesque ad Immaculatam Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam colendam, eiusque potentissimum patrocinium implorandum adhibitae irridentur. In scenicis vero spectaculis publica morum honestas, pudor virtusque offenditur, et personae Deo sacrae communi omnium contemptioni et irrisioni exponuntur.

Haec autem ab illis aguntur, qui se catholicos esse, et supremam Romani Pontificis spiritualem potestatem auctoritatemque colere ac venerari affirmant. Omnes profecto vident, quam fallax sit huiusmodi declaratio: ipsi namque talia agentes cum illis omnibus conspirant, qui teterrimum adversus Romanum Pontificem et Catholicam Ecclesiam bellum gerunt, quique omnia conantur, ut, si fieri unquam posset, divina nostra religio, eiusque salutaris doctrina ex omnium animis evellatur et extirpetur.

Quamobrem Vos praesertim, Venerabiles Fratres, qui Nostrorum laborum et molestiarum estis participes, vel facile intelligitis quo in moerore versemur, et quo una cum Vobis bonisque omnibus luctu et indignatione afficiamur.

In tanta autem acerbitate hoc solatio utimur, quod Aemiliae provinciarum populi ex parte longe maxima dolentes huiusmodi molitiones, atque ab illis summopere abhorrentes suam erga legitimum Principem fidem servent, ac civili Nostrae et huius Sanctae Sedis dominationi constanter adhaereant; et quod universus earumdem provinciarum Clerus summis certe laudibus dignus nihil antiquius habuit, quam in hoc rerum motu et perturbatione sui officii partes sedulo explere, ac luculenter ostendere qua singulari fide et observantia Nos et hanc Apostolicam Sedem prosequatur, asperrima quaeque contemnens ac despiciens pericula.

Iam vero cum Nos gravissimi officii Nostri ratione, solemnique iuramento adstricti debeamus sanctissimae nostrae Religionis causam impavide propugnare, et iura possessionesque Romanae Ecclesiae ab omni violatione fortiter tueri, civilemque Nostrum et huius Apostolicae Sedis principatum constanter defendere, illumque Nostris Successoribus, veluti Beati Petri patrimonium, integrum transmittere, haud possumus quin iterum Apostolicam Nostram attollamus vocem, ut universus praesertim catholicus orbis, atque in primis omnes Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, a quibus inter maximas angustias tot eximia et illustria immobilis eorum erga Nos et hanc Sanctam Sedem, ac Beati Petri patrimonium fidei, amoris studiique testimonia cum summa animi Nostri consolatione accepimus, cognoscant quam vehementer a Nobis improbentur, quae eiusmodi homines in Aemiliae provinciis Pontificiae Nostrae ditionis patrare ausi sunt. Itaque in hoc amplissimo vestro consessu tum commemoratos, tum alios omnes quoscumque

rebellium actus contra ecclesiasticam potestatem et immunitatem, et contra supremam Nostram huiusque Sanctae Sedis civilem dominationem, principatum, potestatem iurisdictionemque, quovis nomine actus ipsi appellentur, omnino reprobamus, illosque plane irritos et nullos esse decernimus.

Nemo autem ignorat, eos omnes, qui in praedictis provinciis suam operam, consilium, assensum memoratis actibus praestiterunt, vel alia quavis ratione illis faverunt, incidisse in ecclesiasticas censuras et poenas, quas in praedicta Nostra Allocutione commemoravimus.

Ceterum, Venerabiles Fratres, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut divini auxilii ope solatium et fortitudinem in rebus tam adversis assequamur: nec desistamus divitem in misericordia Deum assiduis fervidisque precibus humiliter enixeque orare et obsecrare, ut omnipotenti sua virtute omnes aberrantes, quorum forsitan aliqui misere decepti nesciunt quid faciunt, ad meliora consilia, atque ad iustitiae, religionis salutisque semitas reducat.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 124-128].

528.

Pius IX, litt. ap. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 mart. 1860.

1. Cum Catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae temporum conditioni ac necessitati congruerent, iccirco singulari prorsus divinae providentiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit Imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.*

2. Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae Principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae, quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianae rationibus coniungitur. Quod tamen nil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontificibus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

3. Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare multiplici insidiarum et conatuum genere contenderint: in quo tamen nefaria illorum molimina, Deo Ecclesiam suam iugiter adiuvante, in irritum serius ocius ceciderunt. Iam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis osores *abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium* hanc ipsam Sedem proculcatis divinis humanisque iuribus, civili, quo potitur, Principatu spoliare nequiter adnitantur, idque assequi studeant non manifesta quidem, uti alias, aggressione, armorumque vis, sed falsis aeque ac perniciosis principiis callide inductis, ac popularibus motibus malitiose excitatis. Neque enim erubescunt nefandam populis suadere rebellionem contra legitimos principes, quae ab Apostolo clare aperteque damnatur ita docente: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.*[1] Dum vero pessimi istiusmodi veteratores temporalem Ecclesiae dominationem aggrediuntur, eiusque venerandam auctoritatem despiciunt, eo impudentiae deveniunt, ut suam Ecclesiam ipsam reverentiam et obsequium palam iactare non desinant. Atque illud vel maxime dolendum, quod tam prava agendi ratione sese polluerit non nemo etiam ex iis, qui, uti Catholicae Ecclesiae filii, in ipsius tutelam atque praesidium impendere debent auctoritatem, qua in subiectos sibi populos potiuntur.

4. In subdolis ac perversis, quas lamentamur, machinationibus praecipuam habet partem Subalpinum Gubernium, a quo pridem omnes norunt quanta et quam deploranda eo in Regno damna ac detrimenta Ecclesiae eiusque iuribus, sacrisque Ministris fuerint inlata, de quibus in Consistoriali potissimum Allocutione die XXII Ianuarii MDCCCLV habita vehementer doluimus.[2] Post despectas hactenus Nostras ea de re iustissimas reclamationes Gubernium ipsum eo temeritatis modo progressum est, ut ab irroganda universali Ecclesiae iniuria minime abstinuerit, civilem impetens Principatum, quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad apostolici ministerii libertatem, uti animadvertimus, tuendam atque servandam. Primum sane ex manifestis aggressionis indiciis prodiit quum in Parisiensi Conventu, anno 1856 acto, ex parte eiusdem Subalpini Gubernii inter hostiles nonnullas expositiones speciosa quaedam ratio proposita fuit ad civile Romani Pontificis dominium infirmandum, et ad Ipsius Sanctaeque huius Sedis auctoritatem imminuendam. Ubi vero superiore anno Italicum exarsit bellum inter Austriae Imperatorem, et foederatos invicem Imperatorem Galliarum ac Sardiniae Regem, nihil fraudis nihil sceleris praetermissum est, ut Pontificiae Nostrae Ditionis populi ad nefariam defectionem modis omnibus impellerentur. Hinc instigatores missi, pecunia largiter effusa, arma suppeditata, incitamenta pravis scriptis et ephemeridibus admota, et omne fraudum genus

[1] S. Paul., Ep. ad Rom., c. XIII, v. 1 et seq.
[2] Cf. N. 519.

adhibitum vel ab illis, qui eiusdem Gubernii legatione Romae fungentes, nulla habita gentium iuris honestatisque ratione, proprio munere perperam abutebantur ad tenebricosas molitiones in Pontificii Nostri Gubernii perniciem agendas.

5. Oborta deinde in nonnullis Ditionis Nostrae Provinciis, quae dudum occulte comparata fuerat, seditione, illico per fautores Regia Dictatura proclamata est, statimque a Subalpino Gubernio Commissarii adlecti, qui, alio etiam nomine postea appellati, provincias illas regendas sumerent. Dum haec agerentur, Nos gravissimi officii Nostri memores non praetermisimus binis Nostris Allocutionibus die XX Iunii et XXVI Septembris superiore anno habitis[1] de violato civili huiusce S. Sedis principatu altissime conqueri, simulque violatores serio monere de censuris ac poenis per canonicas sanctiones inflictis, in quas ipsi proinde misere inciderant. Existimandum porro erat, patratae violationis auctores per iteratas Nostras monitiones ac querelas ab iniquo proposito destituros; praesertim cum universi Catholici Orbis sacrorum Antistites, et fideles cuiusque ordinis, dignitatis, et conditionis eorum curae commissi suas nostris expostulationibus adiungentes unanimi alacritate Nobiscum huius Apostolicae Sedis, et universalis Ecclesiae iustitiaeque causam propugnandam susceperint, cum optime intelligerent, quantopere civilis, de quo agitur, principatus ad liberam supremi Pontificatus iurisdictionem intersit. Verum (horrescentes dicimus!) Subalpinum Gubernium non solum Nostra monita, querelas, et ecclesiasticas poenas contempsit, sed etiam in sua persistens improbitate, populari suffragio pecuniis, minis, terrore aliisque callidis artibus contra omne ius extorto, minime dubitavit commemoratas Nostras Provincias invadere, occupare, et in suam potestatem dominationemque redigere. Verba quidem desunt ad tantum improbandum facinus, in quo plura et maxima habentur facinora. Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena iura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis iustitiae ratio subvertitur, et cuiusque civilis Principatus ac totius humanae Societatis fundamenta penitus evertuntur.

6. Cum igitur ex una parte non sine maximo animi Nostri dolore intelligamus, irritas futuras novas expostulationes apud eos qui *velut aspides surdae obturantes aures suas* nihil hucusque monitis ac questubus Nostris commoti sunt; ex altera vero parte intime sentiamus quid a Nobis in tanta rerum iniquitate omnino postulet Ecclesiae huiusque Apostolicae Sedis ac totius Catholici Orbis causa, improborum hominum opera tam vehementer oppugnata, iccirco cavendum Nobis est ne diutius cunctando gravissimi officii Nostri muneri deesse videamur. Eo nempe adducta res est ut illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus datum est; ut nimirum debita in sontes adhibeatur severitas, eaque salutari ceteris exemplo sit.

7. Itaque post Divini Spiritus lumen privatis publicisque precibus imploratum, post adhibitum selectae Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae

[1] Cf. N. 525, 527.

Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis consilium, auctoritati Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis Provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, invasionem et alia huiusmodi, de quibus in memoratis Nostris Allocutionibus die xx Iunii et xxvi Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exequentes, Maiorem Excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. XX, cap. XI, *De reform.*) Decretis inflictas incurrisse; et si opus est, de novo excommunicamus, et anathematizamus, item declarantes, ipsos omnium et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quomodolibet concessorum amissionis poenas eo ipso pariter incurrisse; nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi ac liberari posse; ac insuper inhabiles et incapaces esse qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. Iccirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione, et abolitione omnium ut supra attentatorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae, ac Nobis, et dictae S. Sedi satisfactione realiter et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium Litterarum, seu alio quocumque praetextu, minime liberos et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, eorumdem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus.

8. Dum autem hanc muneris Nostri partem, tristi Nos urgente necessitate, moerentes implemus, minime obliviscimur, Nosmetipsos Illius hic in terris vicariam operam agere, qui *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat,* quique in mundum *venit quaerere, et salvum facere quod perierat.* Quapropter in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus Ipsius misericordiam sine intermissione imploramus et exposcimus, ut eos omnes, in quos ecclesiasticarum poenarum severitatem adhibere coacti sumus, divinae suae gratiae lumine propitius illustret, atque omnipotenti sua virtute de perditionis via ad salutis tramitem reducat.

9. Decernentes, etc.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 137-147].

529.

Pius IX, allocut. *Multis gravibusque,* 17 dec. 1860.

1. Multis gravibusque vel ab ipso sui exordio iactata procellis Ecclesia miserrima hac nostra aetate tot tantisque hostium aggressionibus petita est, ut conceptum iampridem ab ipsis odium omnisque furoris maturitas in Nostri Pontificatus tempus erupisse videatur. Neque vero persequamur singula necesse est, venerabiles Fratres, quae haud ita longo annorum intervallo acerba et gravia contigerunt, quorum memoria Nostrum aeque Vestrumque animum non levi moerore perfundat. Illud vero dissimulare non possumus, pro arcano Dei iudicio nullum adhuc fuisse impositum tam multis calamitatibus modum; novas quippe dolemus ingruere tum ex fautoribus perversae doctrinae, quae a funestissimae Reformationis principiis orta publici veluti iuris robur alicubi obtinuit, tum ex impiorum hominum pravitate qui Catholicae Ecclesiae se filios praedicant, appellandi vero sunt filii tenebrarum, tum denique ex ethnicorum furore qui per Orientis regiones in caedem exitiumque fidelium vehementius efferbuit.

2. Et sane maxime est deplorandum, in quampluribus Europae partibus de Ecclesiae potestate ac iuribus perniciosissimos errores invaluisse: hinc adhibitum assidue studium ad vim omnem abiudicandam initis cum Apostolica Sede de re sacra conventionibus, hinc omnis impensa cura, ut ne conventiones aliae contrahantur in posterum ad componenda Ecclesiae negotia, utque iis componendis moderandisque civilis dumtaxat accedat auctoritas. Quod quidem non sine gravi animi Nostri molestia experti nuper sumus, Venerabiles Fratres. Pro Apostolici enim muneris officio ad relevandas in Magno Badarum Ducatu Catholicae Ecclesiae res, et extinguenda illic exorta cum civili potestate dissidia, superiore, ut scitis, anno cum Celsissimo illo Duce conventionem inivimus [1] quae quum rata fuisset habita, et vero etiam in vulgus emissa, eiusdem executionem, ut par erat, praestolabamur. Verumtamen, refragante huic rei publico illius Ditionis Consilio, a magno Duce decretum fuit editum, quo conventioni vis omnis adimitur, in eiusque locum rogata lex est Ecclesiae libertati vel maxime adversa. Id porro ex falsa protestantium doctrina derivatum intelligimus, qui autumant Ecclesiam in civili Imperio quoddam veluti Collegium existere, nullisque proinde pollere iuribus, praeter ea quae concessa illi sint atque attributa a civili potestate. Id autem quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Ecclesia namque ut vera et perfecta societas a divino auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac iura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. Nec sane aliter indicant solemnia illa Christi Domini ad Apostolos verba: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, ite docete omnes gentes ... « docentes eas servare omnia quaecumque mandavi vobis ». Quibus excitati

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 880-920.

vocibus Evangelii praecones Apostoli, repugnantibus et regibus et principibus, nullisque seu minis seu suppliciis deterriti demandatum sibi ministerium alacriter sunt executi. Nos itaque de salutaribus Ecclesiae iuribus tutandis vehementer solliciti, vix dum cogitari atque agi audivimus de eadem conventione infirmanda Nostras continuo Magno Duci dedimus litteras ad malum hoc avertendum, atque adeo per Cardinalem publicis negotiis praepositum apud Gubernium illud instandum curavimus, ut debitae executioni conventio mandaretur. Sed enim quum impensa omnia studia curaeque in irritum cesserint, quod Nostri officii est, abrogatam contra omnes iustitiae regulas sine alterius partis consensu solemnem conventionem Vestro in coetu, Venerabiles Fratres, palam conquerimur, et Catholicae Ecclesiae Sanctaeque Sedis iura violata pessumdata vehementiori quo possumus studio reclamamus. Quae Nostrae expostulationes ut ad Badense Gubernium transmittamur mandavimus, simulque declaretur Archiepiscopo Friburgensi agendi ratio tantis in difficultatibus adhibenda; cuius praeclari Antistitis eiusque etiam Cleri commendare satis non possumus in Ecclesiae libertate tuenda constantiam, a qua nunquam ipsos vel in summo rerum discrimine discessuros plane confidimus.

3. Iam vero quum ob turbatas iterum in Magno Badarum Ducatu sacras res, expositamque illic novis iactationibus Ecclesiam doleremus, alia Nobis accessit molestiae causa ex nequissimo libello nuper Parisiis edito, in quem tam multa prorsus a veritate aliena, tam multa etiam absurda atque inter se pugnantia auctor congessit, ut respuendus potius atque aspernandus, quam refutandus videatur. Illuc tamen non est ferendum, quod eo audaciae atque impietatis devenerit, ut posteaquam sacrum civilemque Ecclesiae Romanae principatum impetere non sit veritus, peculiarem quamdam novique generis sibi fingat Ecclesiam in Galliarum Imperio ex illius sententia excitandam, quae ab auctoritate Romani Pontificis subducta sit planeque divisa. Id porro quid est aliud quam distrahere ac proscindere Catholicae Ecclesiae unitatem? De qua quidem necessaria unitate ita Christus Dominus ad Patrem: « Non pro eis rogo tantum, sed pro eis etiam, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me es et ego in te ». Atqui huius unitatis vis et ratio omnino postulat, ut tamquam membra cum capite, sic universi per orbem fideles cum Romano Pontifice, qui Christi in terris Vicarius est, coniungatur et coalescant. Quamobrem ad Praedecessorem Nostrum sanctae memoriae Damasum scribebat Ecclesiae doctor Hieronymus « Beatitudini tuae hoc est Petri Cathedrae communione consocior, supra illam Petram aedificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est ». Quantam vero memorati libelli auctor infert iniuriam perillustri Galliarum genti, utpote quam Catholicae unitatis retinentissimam schismaticis putat erroribus posse implicari! Quanta illius temeritas est, quod ab obsequio ac fide erga Apostolicam Sedem abstrahendum fore confidat Clerum illum et spectatissimos praesertim Antistites, qui praedecessores inter suos Irenaeum recenseant Lugdunensis Ecclesiae Pastorem praeclara ista scribentem « Ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles »: qui nullo

fracti metu, nullo retardati periculo, tum voce tum scriptis Nostra Sanctaeque Sedis iura vindicare certaverint, Nobisque exhibere nunquam intermiserint certissima devotionis argumenta! Quorum Nos, aliorumque per orbem Antistitum dum meritis ornamus praeconiis pastoralem curam, vigilantiam, firmitatem, ipsos licet sponte sua incensos erectosque ad Catholicae fidei defensionem, hortari tamen atque excitare pro hac temporum iniquitate non praetermittimus, ut quo validiores quotidie hostiles impetus fiant, eo firmiori animo sustinendos ac frangendos curent, atque adeo commissos suae curae fideles de fallaciis insidiisque admonere non desinant, quibus avellere ipsos a Matris Ecclesiae gremio vaferrimi homines connitantur. Iam vero ex damnando illo libello quaenam tandem sint auctoris et ceterorum omnium consilia, qui civilem Sanctae Sedi principatum extorquere conantur, detracta veluti larva manifeste deprehendimus. Scilicet nihil aliud intendunt ac moliuntur, quam ut sactissimae Religionis fundamenta subvertant. Id sane per provincias a civili Nostra dominatione iniuste subreptas, id per reliquas Italiae regiones perfidissimis quibusque artibus studiose curari et videmus et ingemiscimus. Huc spectant disseminatae quaquaversus perversae sacrorum librorum interpretationes ad fidem corrumpendam, diffusa ad contaminandos iuventutis mores turpissimorum libellorum colluvies, invecta quocumque effraenis vivendi licentia, despecta proculcata Ecclesiae potestas, sacra immunitas violata, subducta ab auctoritate et vigilantia Episcoporum publica iuventutis institutio, omnisque doctrinae morumque disciplina, praepositi docendo homines de religione prave sentientes, evulgatum in Umbria decretum de cunctis ferme religiosis familiis e claustro exturbandis, de extinguendis Collegiatis Capitulis, delendisque simplicibus cuiusvis generis Beneficiis, piisque Sodalitiis eorumque bonis per summam iniuriam occupandis; huc spectant coniecti in vincula ecclesiastici viri, ipsique sacri Antistites, quos inter Venerabilis Frater Archiepiscopus Urbinas nuper septus armis in custodiam traditus, et Cardinalitia etiam dignitate fulgens Venerabilis Frater Firmanus Antistes per vim abreptus a Sede sua, alioque relegatus, et ab omni commissi gregis curatione prohibitus, ac plures etiam Antistites et Sacerdotes e Regno Neapolitano vel in carcerem missi, vel ad fugam coacti: huc spectant (nec sine acerbissimo doloris sensu memoramus) patefacta per nonnullas Italiae civitates protestantibus templa, et publicae etiam scholae institutae, ubi in perniciem Catholicae Religionis quaelibet impune tradatur doctrinae perversitas; denique promulgatum in Umbria decretum, quo matrimonium nuncupatum ab Apostolo magnum Sacramentum peculiaribus civilibus disciplinis illigatur, ac ferme subtrahitur ab Ecclesiae potestate, eo fortasse consilio ut postea civilibus dumtaxat subdatur legibus, eaque ratione, quod Deus avertat, legalis invehatur concubinatus cum extremo animarum detrimento. Atque hic, uti Apostolici Nostri muneris ratio postulat, quidquid contra Ecclesiae iura et patrimonium, contra religiosas personas earumque bona actum huc usque est, vel peragatur in posterum, damnamus, reprobamus, ac nullius vis et roboris, ac prorsus irritum palam edicimus. Quanta vero ubique sit rerum omnium tum publicarum tum privatarum perturbatio, quantus in Europa motus, quantis dissidiis flagret Italia ecquis non videat,

a Nobiscum non maxime doleat? Tam multa tamque gravia rei sacrae et civili inflicta vulnera considerantes exclamare cogimur cum Propheta « infecta est terra ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum ». Haec autem malorum congeries ab iis maxime repetenda, qui ut suam per Italiae fines ditionem extendant humana quaeque iura ac divina audacter pervertunt, qui publicae se felicitatis auctores iactant ac praedicant, quocumque tamen pervaserint, ibidem saevissimae veluti tempestates impressa relinquunt furoris excidiique vestigia. Utinam aliquando redeant insipientes ad cor, nimirum intelligant, Religione sublata, nullum humanae societati superesse praesidium tum ad stabilitatem tum ad quietem; utinam sibi aliquando persuadeant unam esse Catholicam Religionem veritatis magistram, virtutum omnium altricem, in qua civitatum, regnorum incolumitas salusque nitatur: meminerint aliquando, Apostolicam hanc Sedem nedum adversatam unquam fuisse verae ac solidae populorum felicitati, quin etiam quovis tempore de universo hominum genere fuisse egregie promeritam; per illam namque traductae ad humanitatem barbarae gentes, veraeque religionis praeceptis institutae, sedati bellorum tumultus, provectae modis omnibus bonae artes ac disciplinae, calamitosis aegrisque recreandis publica charitatis excitata domicilia, asserta promulgata et principibus et populis vel in maximis perturbationibus iustitiae atque honestatis principia. Haec atque alia quamplura per Apostolicam Sedem in bonum humanae societatis provide sapienterque peracta, multis eximiisque testata monumentis, ad omnis praedicationem temporis celebrabit historia.

4. Sed iam paternum animum Nostrum ad se revocat plurimis afflicta malis per Orientem Ecclesia, quae tamen cruentis martyrum palmis nobilitari ornarique non desinit. Loquimur nempe, Venerabiles Fratres, de regno Choreae, de Sinensium Imperio regnisque finitimis, ubi neque atrocissimis cruciatibus nec dirissimo quovis mortis genere debilitata aut victa est Christianorum in fide constantia: loquimur de Conchinchinae, ac Tonchini regionibus, in quibus ad extinctionem prorsus christiani nominis acerbissime recruduit ethnicorum immanitas. Quid enim memorabimus collegia, coenobia, templa, publicas privatasque aedes vel solo eversas, vel flammis absumptas? Quid Christifideles referemus cuiusque aetatis, conditionis, ordinis partim saevissime exagitatos, nudatosque rebus omnibus hac illac errantes vitam trahere coactos quovis supplicio acerbiorem, partim in carcerem detrusos, omnique tormentorum genere excruciatos? qui tamen in ferendis pro Christo suppliciis ac morte obeunda veterum Ecclesiae Martyrum fortitudinem retulerunt. Neque minus Nos tangit ac movet miserrima Christianorum per Syriam conditio, qui licet a crudelissimae caedis perpessione quieverint, assiduo turbantur metu ne compressus tantisper militaribus Europae copiis infidelium impetus in rapinas iterum caedesque furentius erumpat. Illorum Nos relevandis infortuniis, sin minus paternis desideriis parem, aliquam tamen pro angustis Nostris rebus pecuniae partem transmittendam curavimus, quam offerre Nobis nunquam intermisit pia Catholicarum gentium liberalitas. Quarum etiam non sine laude commemoratum volumus egregium charitatis exemplum in recreandis subsidiorum largitate afflictis per Syriam fidelibus; atque

adeo maximopere laetamur, nunquam languescere in Ecclesia virtutem illam, quam divinus Reparator praecipuum esse signum voluit Christianae Religionis.

5. Hic, quem hactenus exposuimus, sacrarum rerum publicarum status, deplorandus quidem ac luctuosus, Nos vehementer angit atque perturbat, et gravi etiam moerore complet, Venerabiles Fratres; Vosque in partem vocatos procurationis Nostrae, in partem etiam doloris venire non dubitamus. Sed tamen non concidamus animo, atque iteratis quotidie precibus levemus oculos nostros in montem, unde in tantis rerum asperitatibus opportunum expectemus auxilium. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit humilitati Nostrae, Eiusque Nos virtute roboratos ab officio et constantia Apostolici Ministerii nullus plane periculi metus, nulla deterrebit adversitas. Innocens christianorum sanguis, quo perfusa Orientalis terra est, in odorem suavitatis ascendat ad Dominum, illoque salutari velut sacrificio placatus gravissimas, quibus premimur, quaeque impendent, calamitates propitius avertat; atque accedente Sanctissimae Genitricis Dei ab origine immaculatae patrocinio, et beatissimis Apostolis Petro et Paulo suffragantibus, concedat Ecclesiae suae de acerbissimis inimicis referre victoriam. Exsurgat aliquando in iudicium Deus, hostesque sui nominis Religionis excidium anhelantes, multa et nefaria in Ecclesiam molientes in fortitudine brachii sui disperdat et conterat, vel, quod potius et optamus et poscimus, divinae gratiae lumine collustratos in viam iustitiae et veritatis dives in misericordia clementissime traducat.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 206-215].

530.

Pius IX, allocut. *Iamdudum cernimus*, 18 mart. 1861.

1. Iamdudum cernimus, Venerabiles Fratres, quo misero sane conflictu ob invicem pugnantia inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter lucem et tenebras principia, hac miserrima nostra praesertim aetate civilis exagitetur societas. Namque alii ex una parte tuentur quaedam modernae, uti appellant, civilitatis placita, alii ex altera iustitiae sanctissimaeque nostrae religionis iura propugnant. Ac primi postulant, ut Romanus Pontifex cum *Progressu*, cum *Liberalismo*, uti vocant, ac recenti civilitate se reconciliet et componat. Alteri vero merito efflagitant, ut immobilia et inconcussa aeternae iustitiae principia integra et inviolata custodiantur, et saluberrima divinae nostrae religionis vis omnino servetur, quae et Dei gloriam amplificat, et opportuna tot malis, quibus humanum genus affligitur, affert remedia, quaeque est unica veraque norma, qua filii hominum in hac mortali vita omni virtute instituti ad beatae aeternitatis portum perducuntur. Sed hodiernae civilitatis patroni huiusmodi discrimini haud acquiescunt, quandoquidem sese veros et sinceros religionis amicos affirmant. Ac Nos fidem eis adhibere vellemus, nisi tristissima sane facta, quae ante omnium oculos quotidie versantur, contrarium prorsus ostenderent. Et quidem una est vera

ac sancta super terram Religio ab ipso Christo Domino fundata et instituta, quae virtutum omnium fecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, et animorum liberatrix, veraeque felicitatis index, appellatur Catholica Apostolica Romana. Quid autem sentiendum de iis, qui extra hanc salutis arcam vivunt, iam alias declaravimus in Consistoriali Nostra Allocutione diei 9 Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti,[1] atque hic eamdem doctrinam confirmamus. Iam vero ab iis, qui pro religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus utrum facta talia sint, quae Christi hic in terris Vicarium ab Ipso ad caelestis suae doctrinae puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendas et confirmandas divinitus constitutum possint inducere, ut sine gravissimo conscientiae piaculo, et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cuius opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala, tot teterrimae opiniones, errores et principia promulgantur, quae catholicae religioni eiusque doctrinae omnino adversantur. Atque inter haec facta nemo ignorat quomodo vel ipsae solemnes Conventiones inter hanc Apostolicam Sedem et Regios Principes rite initae penitus destruantur, veluti nuper Neapoli accidit. Qua quidem de re in hoc amplissimo vestro consessu etiam atque etiam querimur, Venerabiles Fratres, et summopere reclamamus eo prorsus modo, quo contra similes ausus et violationes alias protestati sumus.[2]

2. Haec autem moderna civilitas dum cuique acatholico cultui favet, ipsosque infideles a publicis muneribus obeundis minime prohibet, et catholicas scholas illorum filiis recludit, irascitur adversus Religiosas Familias, adversus Instituta catholicis scholis moderandis fundata, adversus quamplurimos cuiusque gradus ecclesiasticos Viros amplissima etiam dignitate insignitos, quorum non pauci vitam in exilii incerto aut in vinculis misere agunt, et adversus etiam spectatos laicos viros, qui Nobis et huic Sanctae Sedi addicti religionis iustitiaeque causam alacriter defendunt. Haec civilitas dum acatholicis institutis ac personis subsidia largitur, catholicam Ecclesiam iustissimis suis possessionibus spoliat, et omnia adhibet consilia ac studia ad salutarem ipsius Ecclesiae efficaciam imminuendam. Insuper dum omnem tribuit libertatem quibusvis verbis et scriptis, quae Ecclesiam omnesque ipsi ex corde devotos aversantur, ac dum licentiam animat, alit et fovet, eodem tempore se omnino cautam moderatamque exhibet in reprehendenda violenta et immiti interdum agendi ratione contra eos adhibita, qui optima vulgant scripta; et omnem in puniendo exercet severitatem, si ab his moderationis fines vel leviter praeteriri arbitretur.

3. Huiusmodi igitur civilitati posset ne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur, et haec Sancta Sedes sibi semper constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones

[1] Cf. N. 518.
[2] Cf. N. 509, 519, 529.

veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, numquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum huiusmodi civilitate convenire. *Quae enim,* uti sapientissime clamat Apostolus, *participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?*[1]

4. Qua igitur probitate perturbatores, et seditionis patroni suam vocem attollunt ad exaggerandos conatus frustra ab ipsis adhibitos, ut se cum Romano Pontifice componant? Hic enim, qui suam omnem vim haurit ex aeternae iustitiae principiis, quonam pacto posset illa unquam deserere, ut sanctissima debilitetur fides, atque adeo Italia in discrimen adducatur amittendi maximum suum splendorem et gloriam, qua undeviginti ab hinc saeculis refulget ob centrum et sedem, qua praestat, catholicae veritatis? Neque obiici potest, hanc apostolicam Sedem in rebus civilis principatus clausas habuisse aures illorum postulationibus, qui liberiorem administrationem exoptare significarunt. Ut vetera omittamus exempla, de hac nostra infelici aetate loquemur. Ubi enim Italia a legitimis suis Principibus liberiores institutiones obtinuit, Nos paternum animum gerentes filiorum partem Pontificiae Nostrae ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen prudentiae modis ordinatas, ne munus paterno animo concessum per malorum hominum operam veneno inficeretur. At vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est, et Aulae, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa qui beneficium concesserat. Quod si recentissimis hisce temporibus consilia circa civilem procurationem Nobis data fuerunt, haud ignoratis, Venerabiles Fratres, illa a Nobis admissa fuisse, eo tamen excepto ac reiecto, quod non ad civilem administrationem respiciebat, sed eo spectabat, ut spoliationis parti iam patratae assentiremur. Nihil vero est cur de consiliis bene acceptis, deque Nostris sinceris ad illa exsequenda promissis loquamur, cum usurpationum moderatores alta voce profiterentur, se non quidem reformationes, sed absolutam rebellionem, omnemque a legitimo Principe seiunctionem omnino velle. Atque ipsi erant gravissimi facinoris auctores et antesignani, qui suis clamoribus omnia replebant, non vero populos, ut de illis merito dici possit quod Venerabilis Beda de Pharisaeis et Scribis Christi inimicis aiebat:[2] *Non haec aliqui de turba sed Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut Evangelistae testantur.*

5. Sed Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili principatu omnino privetur, sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et, si fieri unquam posset plane tollatur salutaris catholicae religionis virtus: ac propterea impetit Dei ipsius opus, redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quae pretiosissima est haereditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha con-

[1] Epist. II, *ad Corinth.*, c. VI, v. 14, 15.
[2] Lib. 1, c. 48, in c. 11 Lucae.

summatum est. Atque ita se rem habere satis superque demonstrant tum commemorata iam facta, tum ea quae in dies evenire videmus. Quod enim in Italia Dioeceses ob illata impedimenta suis Episcopis orbatae, plaudentibus modernae civilitatis patronis, qui tot christianos populos sine pastoribus derelinquunt, et illorum bonis potiuntur, ut ea in pravos etiam usus convertant! Quot sacrorum Antistites in exilio versantur! Quot (cum incredibili animi Nostri dolore dicimus) apostatae, qui non Dei sed Satanae nomine loquentes, ac impunitate ipsis a fatali regiminis systemate concessa fidentes, et conscientias exagitant, et infirmos ad praevaricandum impellunt, et misere lapsos in turpissimis quibusque doctrinis obfirmant, et Christi vestem lacerare contendunt, cum minime reformident Nationales, uti dicunt, Ecclesias, aliasque id genus impietates proponere ac suadere! Postquam vero ita religioni insultaverint, quam per hypocrisim invitant ut cum hodierna civilitate conveniat, non dubitant pari cum hypocrisi Nos excitare ut cum Italia reconciliemur. Scilicet, cum omni fere civili Nostro principatu spoliati gravissima Pontificis et Principis onera sustineamus piis Catholicae Ecclesiae filiorum largitionibus quotidie amantissime ad Nos missis, cumque gratis invidiae et odii signum facti simus eorum ipsorum opera, qui conciliationem a Nobis postulant; id vellent praeterea, ut palam declararemus, usurpatas Pontificiae Nostrae ditionis Provincias in liberam usurpatorum proprietatem cedere. Qua sane audaci et hactenus inaudita postulatione quaererent, ut ab Apostolica Sede, quae semper fuit et erit veritatis iustitiaeque propugnaculum, sanciretur, rem iniuste violenterque direptam posse tranquille honesteque possideri ab iniquo aggressore; utque ita falsum constitueretur principium, fortunatam nempe facti iniustitiam nullum iuris sanctitati detrimentum afferre. Quae postulatio iis etiam repugnat solemnibus verbis, quibus in magno et illustri Senatu nuperrimis hisce diebus declaratum est, *Romanum Pontificem esse Repraesentatorem praecipuae vis moralis in humana societate.* Ex quo illud consequitur, eum nullo modo posse vandalicae spoliationi consentire, quin fundamentum violet illius moralis disciplinae, cuius ipse veluti prima forma et imago dignoscitur.

6. Iam vero quicumque vel errore deceptus vel timore proculsus praebere velit consilia iniustis perturbatorum civilis societatis votis consentanea, necesse est ut hisce potissimum temporibus sibi omnino persuadeat, illos nunquam contentos fore, nisi viderint omne auctoritatis principium, omne religionis frenum, omnemque iuris iustitiaeque regulam de medio tolli. Atque huiusmodi subversores in civilis societatis calamitatem illud iam tum voce tum scriptis assequuti sunt, ut humanas mentes perverterint, moralem sensum debilitaverint, et iniustitiae horrorem eripuerint; atque omnia conantur ut cunctis persuadeant, ius ab honestis gentibus invocatum nihil aliud esse, nisi iniustam voluntatem quae debeat omnino contemni. Heu! vere *luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.* [1]

[1] Is., cap. 24, v. 4, 5.

7. Verum in tanta tenebrarum obscuritate, qua Deus inscrutabili suo iudicio gentes sinit offundi, Nos omnem Nostram spem fiduciamque plane collocamus in ipso clementissimo misericordiarum Patre et Deo totius consolationis, qui Nos consolatur in omni tribulatione Nostra. Ipse namque est, qui Vobis, Venerabiles Fratres, concordiae et unanimitatis inter Vos spiritum ingerit, et quotidie magis ingeret, ut Nobiscum arctissime aeque ac concordissime coniuncti parati sitis una Nobiscum sortem illam subire, quae arcano divinae suae providentiae consilio cuique nostrum reservata sit. Ipse est, qui caritatis vinculo inter se et cum hoc catholicae veritatis et unitatis centro coniungit sacrorum christiani orbis Antistites, qui fideles sibi commissos evangelicae veritatis doctrina instituunt, eisque iter in tanta caligine tuto sequendum monstrant, nuntiantes virtute prudentiae populis sanctissima verba. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, et acatholicis haequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant iudicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissimi ostendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc Beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, lucem terrarum orbis, quae magistra veritatis et nuntia salutis semper docuit, et usque ad consummationem saeculi immutabiles aeternae iustitiae leges doces nunquam desinet. Tantum vero abest, ut Italiae populi ab hisce luculentissimis filialis erga Apostolicam hanc Sedem amoris et observantiae testimoniis abstinuerint, ut immo quamplura centena ipsorum millia Nos amantissimis litteris adiverint non eo quidem consilio ut conclamatam a veteratoribus reconciliationem peterent, sed ut Nostras molestias, poenas, angores summopere dolerent, suumque erga Nos affectum omnimode confirmarent, et nefariam sacrilegamque civilis Nostri eiusdemque Sedis principatus spoliationem etiam atque etiam detestarentur.

8. Cum porro ita se res habeant, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et hominibus clare aperteque declaramus, nullam prorsus adesse causam quare cum quopiam Nos reconciliari debeamus. Quoniam vero, licet immerentes, Illius hic in terris vice fungimur, qui pro transgressoribus rogavit veniamque petiit, probe sentimus a Nobis parcendum iis qui Nos oderunt, ac pro ipsis orandum ut divinae gratiae auxilio resipiscant, atque ita illius, qui Christi hic in terris vicarium gerit operam, benedictionem promereantur. Libenter utique pro illis oramus, iisque, statim ac resipuerint, ignoscere ac benedicere parati sumus. Interim tamen non possumus inertes haerere, veluti qui nullam de humanis calamitatibus curam capiunt; non possumus non vehementer commoveri et angi, ac uti Nostra non reputare maxima damna et mala iis nequiter illata qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Quocirca dum intimo moerore conficimur, Deumque obsecramus, gravissimum supremi Nostri Apostolatus munus implemus loquendi, docendi et damnandi quaecumque Deus eiusque Ecclesia docet et damnat, ut ita cursum Nostrum consummemus, et ministerium verbi, quod accepimus a Domino Iesu, testificari Evangelium gratiae Dei.

9. Itaque si iniusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia, illam ultro libenterque, uti nuper declaravimus, impertiemur. Ut autem huiusce veniae verbum eo proferamus modo, qui Pontificiae Nostrae dignitatis sanctitatem omnino decet, flectimus ante Deum genua, et triumphale nostrae redemptionis amplectentes vexillum, Christum Iesum humillime deprecamur, ut Nos eadem sua repleat caritate, et eo prorsus modo ignoscamus quo Ipse suis pepercit inimicis, antequam sanctissimum suum spiritum in aeterni Patris Sui traderet manus. Atque ab Ipso impensissime exposcimus, ut quemadmodum post veniam ab Eo tributam, inter densas tenebras, quibus universa terra fuit obducta, inimicorum suorum mentes illustravit, qui horrendi facinoris poenitentes revertebantur percutientes pectora sua, ita in hac tanta nostrae aetatis caligine velit ex inexaustis infinitae suae misericordiae thesauris caelestis ac triumphatricis suae gratiae effundere dona, quibus omnes errantes ad unicum suum ovile redeant. Quaecumque autem futura sint investigabilia divinae suae providentiae consilia, ipsum Christum Iesum Ecclesiae suae nomine rogamus, ut Vicarii sui causam, quae Ecclesiae suae causa est, iudicet, eamque contra hostium suorum conatus defendat, ac gloriosa victoria exornet et augeat. Ipsum item exoramus ut perturbatae societati ordinem tranquillitatemque restituat, et optatissimam pacem tribuat ad iustitiae triumphum, quem ab Eo unice expectamus. In tanta enim trepidatione Europae totiusque terrarum orbis, et eorum, qui arduo funguntur munere moderandi populorum sortes, Deus unus est, qui Nobiscum et pro Nobis pugnare possit: *Iudica nos Deus, et discerne causam nostram de gente non sancta: da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus Noster.*

[Acta Pii IX, vol. III, p. 220-230].

531.

Pius IX, const. *Romani Pontifices*, 6 ian. 1862.

Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare Fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione infectos ad catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae maiori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in Orientalis quoque Ecclesiae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis magnorumque recte factorum et sanctitatis gloria insignes.

Et sane ut in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque Ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit donata et plura convocarunt Concilia, et varias edidere Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut Orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum, et huius Sanctae Sedis erga orientales populos studium et amor semper viguit, ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut in Oriente catholica servaretur, et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus immo maior in Ecclesiam ipsam splendor et maiestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo numquam habuere orientales gentes ad ritum latinum ducere, verum etiam, quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate, et Sanctorum Patrum auctoritate commendatos destruere vel immutare, sed unice velle ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum: vel ecclesiasticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV Decessor Noster copiose demonstravit suis Encyclicis Litteris ad orientales Missionarios die 26 Iulii anno 1755 datis, quarum initium *Allatae sunt.*[1] Quod si orientales ritus alicuius arbitrio aliquando immutati fuerint, id numquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum.

Maiores vero, ac potissimae post funestissimum, et nunquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum cum in eodem Concilio sancta catholica unio iamdiu tam vehementer expetita fuerit restituta.[2] Cum vero Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius huiusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura et Missionarii ad Orientales gentes missi, et orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Cardinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII Pontificatum specialis instituta fuit Congregatio *de rebus Graecorum*, ac alia deinde sub eodem Pontifice erecta *super negotiis fidei et religionis catholicae*, paulo post appellata *de Propaganda Fide*, quae tum Graecorum, aliorumque Orientalium negotia, tum fidei propagationem in occidentalibus regionibus curaret Atque haec Congregatio eumdem habebat finem, quem deinde habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo *Propagandae fidei* insignita

[1] Cf. N. 434.
[2] Cf. N. 51, 52, 54.

et a Gregorio XV Apostolicis Litteris die 22 iun. anno 1622 datis et incipientibus *Inscrutabili* erecta[1] cum munere *praesidenti Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam.*

At vero, inspecta Orientalium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis generalis de Propaganda Fide institutionem, necesse esse ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negotia, quae maiori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis eiusdem Congregationis generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII Pontifice, qui in locum Gregorii XV fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata *super dubiis Orientalium,* altera *super correctione Euchologii Graecorum.* Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur, et studia pro Euchologio Graecorum commissa omnes Orientalium libros complecterentur, nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuit a Clemente XI *super correctione librorum Orientalium* proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus theologis virisque orientalium rituum et linguarum peritis. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis, seu Congregationibus S. R. E. Cardinalium eiusdem Congregationis de Propaganda Fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos Melchitas, Armenios, Cophtos, Maronitas, Ruthenos, aliasque orientales nationes respiciebant.

Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Litteris constituere existimavimus. Cui enim arcano Divinae Providentiae consilio in hac Petri Cathedra licet immerentes collocati pastoralis Nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes cognoscant solum Deum verum, et quem misit Iesum Christum, et omnes occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei vitam habeant, et abundantius habeant, iccirco vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad Orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant, qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad illud redire properent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orientalium conditionem, et noscentes, in ali-

[1] Cf. N. 200.

quibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare, et iccirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem Orientalium bono et necessitatibus maiorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis proponeret quae potiora essent suscipienda consilia ad Orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cardinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter linguae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur, ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes eiusdem Congregationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, divina adspirante gratia, in America septentrionali, in Indiis orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari eiusdem Congregationis opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Episcopalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi persuaserunt, eamdem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultatibus Orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad huiusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregationis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, instituetur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus, tum disciplinae orientalium Ecclesiarum negotia tractanda ac dirigenda, unice curaret. Quamobrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Congregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cuiusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis eiusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a Generalis ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores, ac proprios Officiales. Nos igitur de maiori Orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia hisce Litteris auctoritate Nostra Apostolica praedictam specialem Congregationem pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litteris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus.

Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis Decessoris Nostri Gregorii XV Litteris *Inscrutabili* aliorumque Romanorum Pontificum Constitutionibus ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in negotia latini ritus, et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a Nobis instituta omnia

Orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione Latinos attingant, tractare debebit, nisi eadem Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit. Atque haec Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus orientalis, cui praeerit Cardinalis Praefectus Congregationis Propagandae Fidei, constabit ex sufficienti numero Cardinalium ipsius Congregationis Fidei Propagandae, et proprios habebit Consultores, ac distinctum Secretarium, et Secretariam cum suis propriis Officialibus. Ut autem huic Congregationi a Nobis statutae praesto sint viri, qui Ecclesiarum orientalium linguas, ritum ac disciplinam calleant, in hanc almam urbem Nostram nonnullos arcessivimus ecclesiasticos viros doctrina, et orientalium rerum peritia spectatos, qui suis studiis, et scientia eidem Congregationi a Nobis erectae auxilio sint in iis praesertim, quae orientalium Ecclesiarum ritus ac disciplinam, et orientalium librorum emendationem respiciunt.

Haec autem Congregatio retinebit titulum *De Propaganda Fide* cum hac tantum accessione *Pro negotiis ritus orientalis*, et eodem utetur sigillo, quo Congregatio Fidei Propagandae utitur. Cum autem inter omnia orientalia negotia huic Congregationi a Nobis commissa contineatur etiam quidquid ad eiusdem ritus librorum emendationem spectat, iccirco declaramus iam nunc extinctam Congregationem hac de causa a Clemente XI institutam, veluti per has Litteras auctoritate Nostra Apostolica plane supprimimus et abolemus. Volumus tamen, ut in eadem Congregatione hisce Nostris Litteris constituta existat Cardinalis *Ponens* a Nobis, et a Nostris Successoribus stabili modo semper eligendus, qui munere fungatur sedulo dirigendi studia, quae necessaria sunt ad colligendos Ecclesiae orientalis canones et ad examinandos, ubi opus fuerit, omnes orientales libros cuiusque generis sint, sive huiusmodi libri respiciant Sacrorum Bibliorum versiones, sive catechesim, sive disciplinam.

Praeterea volumus, ut Cardinales huiusve novae Congregationis a Nobis hisce Litteris delecti in primo conventu dividant inter se propria cuiusque orientalis nationis negotia. Atque huiusmodi divisio ita efficiatur, ut unusquisque Cardinalis stabili modo penes se habeat negotia unius vel plurium orientalium nationum, prout ei in divisione contigerit. Cum vero eveniat, ut aliquis Cardinalis suscepto munere perfungi non amplius queat, volumus, ut huius novae Congregationis Cardinales in ipsius Congregationis conventu praesentes optionis iure potiantur, ita ut ultimus ex praedictis Cardinalibus post peractam optionem, illius orientalis nationis negotia procuranda suscipiat, quae Cardinalis curatione vacaverint, quo omnes orientales nationes suum semper habeant Cardinalem Relatorem, qui Congregationem accuratissime certiorem faciat de iis negotiis, in quae ipse incumbit.

Iam vero cum haec Congregatio praescripto modo a Nobis excitata pars sit Congregationis Fidei Propagandae, tum eidem novae Congregationi, eiusque omnibus Officialibus concedimus et impertimur omnes facultates et privilegia Congregationi Fidei Propagandae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris attributa ea plane ratione, qua eadem privilegia et facultates in praesentia vigent. Huius autem Congregationis, cui praeerit pro munere, quo fungitur, Praefecti generalis Congregationis de Propaganda Fide, Dilectus Filius Noster Alexander Presbyter Cardinalis Barnabò, Cardinales eligimus et nominamus Venerabiles Fratres Nostros Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, ac Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem, itemque Dilectos Filios Nostros Camillum Di Pietro S. Ioannis ante Portam Latinam, Carolum Reisach S. Caeciliae, et Antonium Mariam Panebianco SS. XII Apostolorum Presbyteros Cardinales, nec non Dilectos Filios Nostros Petrum Marini S. Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobum Antonelli S. Agathae ad Suburram, et Prosperum Caterini S. Mariae de Scala Diaconos Cardinales, ex quibus destinamus *Ponentem* pro cognoscendis orientalium Ecclesiarum libris, earumque canonibus colligendis, veluti supra constituimus, Cardinalem Carolum Reisach.

Quod si quaelibet ecclesiastica Congregatio semper habuit Consultores doctrina praestantes, qui graviora ac difficiliora negotia sedulo perpenderent, eaque prudenti sapientique Cardinalium examini, consilio iudicioque exponerent, ac subiicerent, id vel maxime memoratae Congregationi a Nobis pro Orientalium negotiis institutae est necessarium ob idiomatum praesertim, ac rituum varietatem, sine quarum rerum cognitione nec accuratum iudicium, nec opportuna consilia suscipi possunt. Atque iccirco volumus, ut huic Congregationi semper praesto sint sufficienti numero Consultores non solum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium peritia instructi, aliisque dotibus ornati, quibus eidem Congregationi utilitati et auxilio esse valeant. Cum vero inter negotia Congregationi latini ritus, et illa orientalis ritus mutua communicatio, et vinculum intercedere interdum possit, tum statuimus ac decernimus, ut alterius Congregationis Secretarius sit alterius Congregationis Consultor. Ut autem praedictae Congregationi nunquam desint viri, qui orientalium linguarum rerumque scientia praediti Consultoris munus exerceant, eidemque Congregationi quovis modo utilem operam praebeant, Cardinalis Praefectus Congregationis Fidei Propagandae Nobis, Nostrisque Successoribus proponet eo, quo fieri potest, numero ecclesiasticos viros delectos, seu ex illis, qui Urbaniani Collegii fuerunt alumni, sive ex variis Religiosis Familiis, ut Romam venientes omnia eorum studia commemoratum in finem sedulo conferant. Interim vero huius novae Congregationis Consultores nominamus Venerabiles Fratres Alexandrum Franchi Archiepiscopum Thessalonicensem S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretarium, Iosephum Cardoni Episcopum Cariatensem, ac Dilectos Filios Aloisium Ferrari Pontificiarum caeremoniarum Praefectum, Dominicum Bartolini SS. Rituum Congregationis Secretarium, Iosephum Fessler iuris Canonici in Universitate Vindobonensi Professorem Antistites Domesticos, et Bonifacium Haneberg Ordinis S. Benedicti Abbatem Monasterii S. Bonifacii ac Professorem S. Scripturae in Universitate Monacensi, Aloisium Vincenzi linguae Hebraicae, Paulum Scapaticci linguae Siro-Chaldaicae, Philippum De Angelis iuris canonici in hac Romana Universitate Professores, Carolum Vercellone Procuratorem Generalem Congregationis CC. RR. SS. Pauli et Barnabae Apostolorum, I. Baptistam Franzelin S. I. Sacrae Theologiae in Collegio Romano Professorem, Augustinum Theiner Presby-

terum Oratorii S. Philippi Nerii, I. Baptistam Pitra, Pium Zingerle, Bernardum Smith sodales Ordinis S. Benedicti. Volumus etiam, ut nonnulli ex Romano Clero iuvenes, qui eorum ingenio, et studiorum curriculo cum laude exacto maiorem felicis exitus spem ostendunt, in ecclesiasticarum orientalium rerum studia, aliquo Consultore duce, naviter incumbant, quo ipsi Consultoris munus in tempore sustinere possint; itemque volumus, ut qui ex eisdem ecclesiasticis cum progressu huiusmodi studiis vacaverint, praeferantur, dum ecclesiastica beneficia erunt conferenda.

In eadem Congregatione, uti constituimus, proprius Secretarius existere debet, qui omnia eiusdem Congregationis munia exerceat eo prorsus modo, quo alter Secretarius Congregationis latini ritus exercet, et eadem omnino tum in tractandis orientalis ritus negotiis, tum in novae Congregationis conventibus habendis, methodo servata, quae in praesentia a Congregatione Fidei Propagandae adhibetur. Ad hoc autem Secretarii officium deligimus et nominamus Dilectum Filium Ioannem Simeoni Protonotarium Apostolicum. Ut autem uterque Secretarius probe noscat omnia tum latini, tum orientalis ritus negotia, iubemus, ambos Secretarios interesse Conventibus utriusque Congregationis, ita tamen, ut Secretarius Congregationis generalis Fidei Propagandae alterum Congregationis pro negotiis ritus orientalis ratione officii praecedat, et Protonotarius Apostolicus post utrumque Secretarium sedeat. Quod autem attinet ad novae Secretariae Officiales volumus, ut in ea sufficienti numero Officiales existant, prout opus fuerit temporis decursu. Ambae Congregationes eodem Tabulario, eademque Typographia omnino utentur. Cum vero ex huius novae Congregationis institutione impendia augeantur Congregationis Fidei Propagandae, iccirco congruos assignavimus fundos.

Atque hic levantes oculos Nostros ad miserationum Dominum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut divinae suae gratiae divitias super orientales nationes copiose effundens, efficiat, ut tot olim illustres in Oriente Episcopales Cathedrae Apostolorum auctoritate constitutae, quae nunc, heu miserum! a petra, cui Ecclesiae innititur, seiunctae et collapsae iacent, denuo pristino exornatae splendore reviviscant, atque uti antea vigeant, floreant fideliter custodientes fidei depositum, morumque disciplinam.

In eam profecto spem erigimur fore, ut bonorum omnium auctor et largitor Deus Nostris hisce curis propitius benedicere velit, utque omnes orientales qui catholicam veritatem profiteri gloriantur, hisce paternis Nostris studiis magis in dies respondeant, nihilque antiquius habeant, quam ut arctiori usque amoris et obsequii vinculo huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaereant, ac miseros errantes ad catholicam unitatem reducere contendant.

Haec volumus, statuimus, praecipimus et mandamus decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi,

limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus ea restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac praedictae novae Congregationi pro negotiis ritus orientalis, nec non personis, quarum favorem praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus commemoratis Apostolicis Litteris Gregorii XV incipientibus *Inscrutabili*, itemque Clementis XI aliisque omnibus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, nec non de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, itemque Congregationis Propagandae Fidei etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis expressa, specifica et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, eorum totis tenoribus et formis, praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 402-416].

532.

Pius IX, const. *Ad universalis*, 7 febr. 1862.

Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem, animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique Instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Iccirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per Litteras encyclicas die XIX Martii MDCCCLVII

a Ven. Fratre Archiepiscopo Philippensi memoratae Nostrae Congregationis Secretario signatas publicatum est.[1] In praefatis autem Litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines, ac Instituta ex Nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere scilicet: « *Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum ordinis a S. Sede adprobatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem quae forsan a Statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII incipiente* " In Suprema „[2] *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis super statu Regularium incipientia* " Romani Pontifices, *et* Regulari Disciplinae „ *anno MDCCCXLVIII promulgata*[3] *omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum, et professionem votorum simplicium* ». Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae Familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum Familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittantur statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Bene-

[1] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 853-855.
[2] Cf. Bull. Rom., tom. 5, II, p. 409, 410. – Cfr. etiam N. 189.
[3] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 831-839.

dicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, et in universitatibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cuiusque Ordinis, Congregationis, et Instituti etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica ed individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras Litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, ac inane esse et fore volumus, et declaramus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 417-420].

533.

Pius IX, ep. encycl. *Amantissimus*, 8 apr. 1862.[1]

1. Amantissimus humani generis Redemptor Christus Dominus Unigenitus Dei Filius volens, ut optime nostis, Venerabiles Fratres, omnes homines a daemonis captivitate, et a peccati iugo vindicare, eosque de tenebris in admirabile lumen suum vocare et salvos facere, cum delesset, quod adversus nos erat, chirographum decreti, affigens illud cruci, catholicam Ecclesiam suo sanguine acquisitam tamquam unam *Domum Dei vivi,*[2] unumque *regnum caelorum,*[3] vel unam *civitatem supra montem positam,*[4] aut *unum ovile*[5] et *unum corpus uno spiritu* consistens vigensque, et una fide, spe, caritate, et unis eisdemque sacramentorum, religionis, doctrinaeque vinculis compactum et coagmentatum[6] conformavit, constituit, et rectoribus a se nominatis ac delectis instruxit, eamque ita a se conformatam et constitutam, quamdiu mundus ipse non intereat et concidat, permanere, et omnes universi terrarum orbis populos, nationes complecti decrevit, ut cuiusvis gentis homines divinam suam religionem et gratiam acciperent, quam ad extremum usque spiritum retinentes aeternam adipiscentur salutem et gloriam. Ut autem haec fidei, doctrinaeque unitas semper in sua servaretur Ecclesia, Petrum ex omnibus selegit unum, quem Apostolorum Principem, suumque

[1] Ad Episcopos Orientales.
[2] I ad Timoth., III.
[3] Matth., XIII, ac saepe alias.
[4] Matth., V.
[5] Ioan., X.
[6] Ephes., IV, tum alibi.

in terris Vicarium, et inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum et caput constituit, ut cum honoris gradu, tum omni praecipuae auctoritatis, potestatis et iurisdictionis amplitudine ceteris omnibus quam maxime praestans pasceret oves et agnos, confirmaret Fratres, atque universam regeret et gubernaret Ecclesiam. Cum autem Christus hanc suam Ecclesiam unam, et immaculatam usque ad consummationem saeculi permansuram voluerit, et unam fidem, unam doctrinam, ac regiminis formam servandam esse mandaverit, tum quae Petro dignitatis potestatis ac iurisdictionis amplitudo, fideique integritas, ac stabilitas data, eadem prorsus eiusdem Petri successoribus Romanis Pontificibus est tradita, qui in hac Romana ipsius Petri Cathedra collocantur, et quibus in persona Beatissimi Principis Apostolorum ab ipso Christo Domino suprema totius Dominici gregis cura divinitus est commissa, ac supremum universalis Ecclesiae regimen demandatum. Ac Vobis apprime compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, quomodo hoc divinae nostrae religionis dogma unanimi ac perenni Synodorum Patrumque mente ac voce fuerit semper praedicatum, defensum, et inculcatum. Siquidem ipsi numquam cessarunt edocere « unum esse Deum, unum Chri« stum, unam Ecclesiam, et cathedram unam super Petrum Domini voce « fundatam, [1] cui tamquam petrae, lapidique firmissimo tota quanta est chri« stianae reipublicae moles divinitus est superinstructa. [2] Enimvero haec « Petri Cathedra et dicta semper et habita, quae unica est et prima de « dotibus, [3] quae per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, [4] « quaeque radix et matrix unde unitas sacerdotalis exorta, [5] quae omnium « Ecclesiarum non modo caput sed mater et magistra, [6] ac pietatis metro« polis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta stabilitas, [7] et « in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus, [8] quaeque illi « innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae, [9] et cui « totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, [10] ex qua in omnes « venerandae communionis iura dimanant, [11] ad quam omnis obedientia et « honor est deferendus, [12] quam qui deserit in Ecclesia frustra esse confidit, [13] « extra quam qui comederit agnum profanus est. [14] Atque insuper Petrus,

[1] S. Cyprian., Epist. 40.
[2] S. Cyrill. Alexandr., in Ioan., Lib. II, c. 42.
[3] S. Optat. Milevit., lib. II cont. Parmen.
[4] Synod. Nicaen. II, Act. 2.
[5] S. Cyprian., Epist. 15 et 55.
[6] Pelag. II, Epist. I. Ad Episcop. Oriental. et Synod. Tridentin., Sess. VII, de Baptism., can. 3.
[7] Litter. synodic. Ioan. Constantinopolit. ad Hormisd. Pont. et Sozom., Histor., lib. III, cap. 8.
[8] S. Aug., Epist. 162.
[9] S. Aug., in psalm. contra part. Donat.
[10] Tertull., de praescript., c. 36.
[11] S. Ambros., Epist. 12 ad Damas.
[12] Conc. Ephesin., Act. IV.
[13] S. Cyprian., de unit. Ecclesiae.
[14] S. Hieronym., Epist. 51 ad Damas.

« qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veri« tatem, [1] Petrus qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus « vivit, et iudicium exercet, [2] ipse per Leonem loquutus est [3] Romanus « Pontifex, qui in universum orbem tenet primatum, Successor est Beati « Petri Apostolorum Principis, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae « Caput, et omnium christianorum Pater et Doctor existit », [4] et alia fere innumera ex luculentissimis testibus deprompta, quae clare aperteque edocent, ac declarant quanta fide, religione, observantia et obedientia hanc Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem ii omnes prosequi omnino debent, qui ad veram, unicam, sanctamque Christi Ecclesiam pertinere volunt, ut aeternam assequantur salutem.

2. Iam vero catholicae Ecclesiae unitati nihil plane adversatur multiplex sacrorum, legitimorumque rituum varietas, quin immo ad ipsius Ecclesiae dignitatem, maiestatem, decus ac splendorem augendum maxime conducit. Neminem autem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, quomodo nonnulli incautos praesertim et imperitos decipere, et in errorem inducere nitantur hanc Sanctam calumniantes Sedem, perinde ac si ipsa dissidentes Orientales ad catholicam fidem excipiens velit, ut ii proprium deserant ritum, ac illum latine Ecclesiae amplectantur. Quod quidem quam falsum sit, et a veritate alienum evidentissime ostendunt, ac testantur tot Decessorum Nostrorum Constitutiones et Apostolicae Litterae ad ecclesiastica Orientalium negotia spectantes, quibus iidem Praedecessores Nostri non solum constanter declararunt, id sibi in animo numquam fuisse, verum etiam professi sunt, se omnino velle, ut Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem, vel morum honestatem irrepsisset error, sarti ac tecti haberentur. Quibus repetitis clarissimisque Decessorum Nostrorum declarationibus plane respondent tum vetera, tum recentia facta, cum dici nunquam possit, hanc Apostolicam Sedem, vel sacrorum Antistitibus, vel ecclesiasticis viris, vel populis Orientalibus ad catholicam unitatem reversis praecepisse, et suum legitimum ritum mutarent. Atque universa Constantinopolitana civitas nuper vidit, quomodo Venerabilis Frater Meletius Archiepiscopus Dramensis, qui cum summa animi Nostri consolatione, et omnium bonorum gaudio ad catholicae Ecclesiae gremium rediit, proprio ritu, ac solemnibus caeremoniis et pompa rem divinam magna populi frequentia peregerit. Itaque, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra episcopali sollicitudine ne desinatis vestrarum Dioecesium Clero etiam atque etiam inculcare, ut opportunis quibusque modis detegere ac refellere studeat calumniam, qua malevoli homines imperitorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra hanc Apostolicam Sedem excitare conantur.

3. Nos porro cum in hac Petri Cathedra arcano divinae providentiae consilio collocati ad supremum universae Christi Ecclesiae regimen evecti

[1] S. Petrus Chrysol., Epist. ad Eutich.
[2] Synod. Ephes., Act. 3.
[3] Synod. Chalced., Act. 2.
[4] Conc. Florent., in Decreto union. Graecorum. – Cf. N. 51.

simus Nostram omnem spem et fiduciam in Christo Jesu habentes Apostolici Nostri ministerii partes implere contendimus, veluti a Nobis postulat instantia quotidiana, et sollicitudo omnium Ecclesiarum. Siquidem divino Illius auxilio freti, cuius vicariam hic in terris licet immerentes gerimus operam, et qui dixit « ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi », et confirmavit, inferi portas contra Ecclesiam suam nunquam esse praevalituras, nihil metuimus tot nefarias sacrilegasque molitiones, conatus et impetus, quibus in hac tanta temporum iniquitate inimici homines catholicam religionem, si fieri unquam posset, funditus evertere connituntur, sed spirituali omnium gentium bono et saluti consulere non desistimus. Etenim charitas Christi urget Nos, ac nihil Nobis potius esse potest, quam ut omnes curas, labores, consilia libentissime suscipiamus, quo omnes populi occurrant in unitatem fidei, et crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi, « qui est via et veritas et vita; « via scilicet conversationis sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beati- « tudinis sempiternae ».[1] Neque vero Vos ignoratis, Venerabiles Fratres, quo singulari amore, et assiduo studio paternas Nostras curas ad istam electam Dominici gregis partem vestrae vigilantiae commissam, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio contulerimus, atque ex recentissimis Nostris Litteris Annulo Piscatoris obsignatis, et VII Idus proximi mensis Ianuarii editis[2] magis magisque intelligere potuistis, quam vehementer Nobis cordi sit istarum Orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas ac prosperitas. Namque iisdem Litteris peculiarem ex Congregatione Fidei propagandae conflatam Congregationem constituimus, quae eidem Congregationi Fidei propagandae tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae maiori sit auxilio, quaeque operam ab ipsa Fidei propagandae Congregatione hactenus omni studio, ac summa cum laude praestitam ita exerceat, ut omnia Orientalium Ecclesiarum negotia unice tractanda et expedienda curet. Ea profecto spe sustentamur fore, ut, Deo bene iuvante, ex huiusmodi Nostro consilio et sollicitudine in omnes Orientales nationes spiritualis utilitas quotidie magis redundet. Etenim plane confidimus, hac novam specialem Congregationem nuper a Nobis institutam nihil unquam iuxta Nostra desideria intentatum esse relicturam, quod in vestris tractandis negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad vestrarum Ecclesiarum felicitatem augendam, ac vestrorum legitimorum rituum integritatem tuendam, atque ad maiorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo possit pertinere.

4. Verum ut haec Congregatio omni cura et industria demandatum sibi a Nobis munus exercere, suosque labores et studia in maiorem istarum Ecclesiarum prosperitatem conferre possit, opus omnino est, ut optime noscat spirituales Orientalium nationum indigentias, quibus opportune ac provide sit consulendum. Et quoniam Vobis, Venerabiles Fratres, apprime nota est conditio et status gregis curae vestrae traditi, iccirco pro vestra sapientia probe nostis, maxime oportere, ut de rebus omnibus, quae vestras

[1] S. Leo, Serm. II, de Resurrect. Domini.
[2] Cf. N. 531.

Ecclesias, vestrumque gregem respiciunt, maiore, qua fieri potest, celeritate Nos diligentissime certiores facere velitis, et accuratam de vestrarum Dioecesium statu relationem mittatis, in qua sedulo exponatur quidquid ad ipsas Dioeceses spectet, quo fidelium in eisdem Dioecesibus degentium necessitatibus omni cura prospicere possimus. Summa certe erit Nostra consolatio, si quisque Vestrum, Venerabiles Fratres, omnes suae propriae Dioecesis res sedulo ad Nos referens significaverit, quot fideles in ipsa versentur Dioecesi, quot sint ecclesiastici viri, qui proprii ministerii munia obeuntes ipsis fidelibus adsistant, quae eorumdem fidelium agendi ratio, tum quoad fidem, tum quoad morum honestatem, qua doctrina clerus sit praeditus, quaeque ipsius cleri educatio, et quomodo populus ad sanctissimam nostram religionem, morumque disciplinam instituatur, et qua ratione populus idem ad pietatem morumque probitatem quotidie magis conformari et excitari queat. Optamus etiam summopere agnoscere qualis sit vestrarum scholarum conditio, et qua frequentia illas iuventus adire soleat. Cum vero probe sciatis, Venerabiles Fratres, omnes rei cum sacrae, tum publicae spes positas esse in recta, salutari ac religiosa puerorum educatione, iccirco maxime interest, ipsos vel a teneris annis catholicas celebrare scholas, quo divinae nostrae religionis veritatem, ac praeceptiones sedulo discentes a periculo amoveantur, ne tenerae eorum mentes pravis imbuantur principiis. Neque omittatis Nobis manifestare si libris indigeatis, ac simul exponere qui potissimum libri ex vestra sententia et cleri doctrinae curandae, et populi institutioni promovendae, et acatholicorum placitis confutandis, et fidelium pietati fovendae magis opportuni esse possint. Insuper cum acceperimus, in aliquibus locis liturgicos, ac rituales adhiberi libros, in quos vel aliquis irrepsit error, vel aliqua ab arbitrium invecta immutatio, Vestrum erit Nobis patefacere qui libri apud Vos adhibeantur, itemque dicere, si huiusmodi libri aliquo tempore fuerint ab hac Sancta Sede approbati, vel si ex vestro iudicio errores corrigendos contineant, atque etiam si quae dubia dirimenda habeatis, vel adsint abusiones tollendae. Atque etiam praecipue expetimus a Vobis accipere quos in vestris Dioecesibus progressus habeat sancta catholica unio, quae impedimenta eidem obstent, quibusque opportunioribus modis huiusmodi impedimenta amoveri possint, ut ipsa unio magis in dies promoveatur et augeatur.

5. Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quanto amore, quantoque studio istas orientales prosequamur Ecclesias, et quam vehementer optemus, ut in orientalibus populis sanctissima nostra fides, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiat, ac vigeat efflorescat. Ac certi sumus, Vos pro episcopalis vestri ministerii munere, et pastorali zelo vestras omnes curas cogitationesque in divina nostra religione tuenda et propaganda, atque in vestri gregis salute curanda studiosissime impendere. Cum vero inimicus homo hisce praesertim luctuosissimis temporibus non cesset in Dominico agro superseminare zizania tum pestiferis libris et ephemeridibus, tum monstrosis quibusque opinionum portentis, quae catholicae fidei ac doctrinae plane adversantur, iccirco probe intelligitis quanta sollicitudine, vigilantia, et constantia Vobis sit allaborandum et excubandum, ut fideles Vobis commissos

ab hisce venenatis pascuis arceatis, et ad alia salutaria propellatis, eosque catholicae Ecclesiae doctrina maiorem in modum imbuatis. Ut autem id facilius assequi valeatis, animarum Curatorum praesertim zelum assidue excitare ne intermittatis, Venerabiles Fratres, ut ipsi suo munere diligenter fungentes nunquam desinant evangelizare Dei evangelium sapientibus et insipientibus, et omni sacrorum ope christianam plebem sibi commendatam iuvare, ac pueros praesertim, et rudes homines catholicae fidei documenta, morumque disciplinam patienter, amanterque docere, omnesque continenter exhortari iu doctrina sana, ne circumferantur omni vento doctrinae. Omnes quoque vestrarum Dioecesium Presbyteros semper monete, ut animo serio reputantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud sedulo implendum curent, ut virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, orationi instent, ac sacras praesertim disciplinas assidue excolant, et in sempiternam fidelium salutem procurandam totis viribus incumbant. Atque ut facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui in vinea Domini excolenda auxiliariam Vobis operam in tempore exhibere valeant, nullis parcite curis, nullisque consiliis, Venerabiles Fratres, ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per lectissimos magistros ad pietatem, verumque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praecipue sacris ab omni cuiusque erroris periculo omnino alienis diligentissime erudiantur. Equidem haud ignoramus, Venerabiles Fratres, quae quantaeque sint difficultates, quibus in episcopali vestro ministerio exercendo obnoxii estis. Sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius memoria repetentes, Vos pro Christo legatione fungi, qui tradidit animam suam pro ovibus suis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.

6. Nemo vero ignorat quanto usui et ornamento catholicae Ecclesiae in Oriente fuerint Religiosae Monachorum Familiae. Namque ipsae vitae integritate, morumque gravitate, ac religiosae disciplinae laude spectatae, et bonorum operum exempla fidelibus exhibere, et iuventutem instituere, et litteras ac disciplinas excolere, et auxiliariam utilemque Sacrorum Antistitibus operam navare studebant. Tristissimis autem rerum ac temporum vicibus hae sacrae Familiae de christiana et civili republica egregie meritae in aliquibus locis vel a proprii Ordinis disciplina declinarunt, vel omnino extinctae fuerunt. Cum autem magnum emolumentum sanctissimae nostrae afferretur religioni, si hae Sacrae Familiae, ubi praesertim interierunt, denuo reviviscerent, et inter orientales nationes pristino fulgerent splendore, iccirco a Vobis exposcimus, ut Nobis significetis quid de hac re sentiatis, et qua ratione huiusmodi Sacrarum Familiarum instauratio effici possit.

7. Persuasissimum Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, non solum hisce Nostris desideriis ac postulationibus alacri ac libentissimo animo esse satisfacturos, verum etiam singulari diligentia expositurus alia omnia, quae ex vestra ad maiorem in istis regionibus sanctissimae nostrae religionis ac tum cleri, tum populi fidelis utilitatem procurandam sint peragenda. Cum autem ex Encyclica Cardinalis Praefecti Nostrae Concilii Congregationis epistola noveritis, gratissimum Nobis fere Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum praesentia frui in solemni plurium Sanctorum Canonizatione, quam

proximo Pentecostes die, Deo favente, celebraturi sumus, tum ea spe nitimur fore, ut hac occasione, si vestrarum Dioecesium rationes permittant, vos praesentes intueri, amanterque complecti, et a Vobis ipsis earumdem Dioecesium relationes accipere possimus. Interim vero pro eximia vestra pietate, et episcopali zelo pergite, Venerabiles Fratres, maiore usque alacritate et contentione ministerium vestrum implere, et omni studio vestrorum fidelium saluti prospicere, eosque etiam monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, et omnia Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae mandata religiose custodiant, et ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Consueta autem vestra benignitate eos paterno affectu excipite, qui cum ingenti animi Nostri laetitia ad catholicae Ecclesiae gremium redeunt, et omnem impendite curam, ut illi magis in dies amanter enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati in sancta vocatione immobiles permaneant, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, atque instent viam, quae ducit ad vitam. Ac pro egregia vestra religione nunquam desinite omnia conari, ut in omni bonitate, patientia, doctrina, mansuetudine, lenitate miseros errantes Christo lucrifacere, atque ad unicum eius ovile reducere, et in spem aeternae haereditatis restituere possitis. Inter angustias vero et difficultates, quae hisce potissimum asperrimis temporibus ab episcopali vestro munere abesse non possunt, confidite in gratia Domini Nostri Iesu Christi prae oculis habentes, quod qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Denique, Venerabiles Fratres, pro certo habeatis velimus, praecipuam esse, qua Vos in Domino prosequimur, benevolentiam. Atque interim haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a Deo Optimo Maximo humiliter enixeque petere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vigilantiae vestrae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et propensissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 424-436].

534.

Pius IX, allocut. *Maxima quidem*, 9 iun. 1862.

1. Maxima quidem laetitia affecti fuimus, Venerabiles Fratres, cum Sanctorum honores et cultum, Deo bene iuvante, septem et viginti invictissimis divinae nostrae religionis heroibus hesterno die decernere potuerimus,[1] Vobis lateri Nostro adstantibus, qui egregia pietate ac virtute praediti, et in sollicitudinis Nostrae partem vocati in hac tanta temporum asperitate strenue

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 445 450.

dimicantes pro Domo Israel summo Nobis solatio et consolationi estis. Utinam vero dum huiusmodi perfundimur gaudio, nulla moeroris, luctusque causa Nos aliunde contristaret. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum videamus tristissima, et nunquam satis deploranda mala ac damna, quibus cum permagno animarum detrimento catholica nunc Ecclesia, et ipsa civilis societas miserandum in modum premitur ac divexatur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, teterrimum sane bellum contra rem catholicam universam ab iis hominibus conflatum, qui inimici Crucis Christi sanam non sustinentes doctrinam, ac nefaria inter se societate coniuncti quaecumque ignorant, blasphemant, ac pravis cuiusque generis artibus sanctissimae nostrae religionis, et humanae societatis fundamenta labefactare, immo, si fieri unquam posset, penitus evertere, omniumque animos mentesque perniciosissimis quibusque erroribus imbuere, corrumpere et a catholica religione avellere moliuntur. Nimirum callidissimi isti fraudum artifices, et fabricatores mendacii non cessant monstrosa quaeque veterum errorum portenta iam sapientissimis scriptis toties profligata ac depulsa, gravissimoque Ecclesiae iudicio damnata e tenebris excitare, aeque novis, variis ac fallacissimis formis verbisque expressa exaggerare, et modis omnibus usquequaque disseminare. Hac funestissima ac diabolica prorsus arte rerum omnium scientiam contaminant, deturpant, mortiferum ad animarum perniciem virus diffundunt, effrenatam vivendi licentiam, et pravas quasque cupiditates fovent, religiosum ac socialem ordinem invertunt, et omnem iustitiae, veritatis, iuris, honestatis et religionis ideam extinguere conantur, et sanctissima Christi dogmata, doctrinam irrident, contemnunt, oppugnant. Horret quidem refugitque animus, ac reformidat vel leviter attingere praecipuos tantum pestiferosque errores, quibus huiusmodi homines miserrimis hisce temporibus divina et humana cuncta permiscent.

2. Nemo Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, ab huiusmodi hominibus plane destrui necessariam illam cohaerentiam, quae Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est, itemque ab ipsis omnino immutari, subverti, deleri propriam, veram germanamque divinae revelationis indolem, auctoritatem, Ecclesiaeque constitutionem et potestatem. Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et ius divinae originis audacissime denegare non metuant. Siquidem haud erubescunt asserere, philosophicarum rerum, morumque scientiam, itemque civiles leges posse et debere a divina revelatione, et Ecclesiae auctoritate declinare, et Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem plane liberam, nec pollere suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis esse definire, quae sint Ecclesiae iura et limites, intra quos eadem iura exercere queat. Hinc perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice supremo totius Ecclesiae Pastore divinitus constituto libere ac mutuo communicent, ut plane dissolvatur necessaria et arctissima illa coniunctio, quae inter membra mystici corporis Christi, et adspectabile suum Caput ex divina ipsius Christi Domini institutione esse omnino debet. Nihil vero timent omni

fallacia ac dolo in vulgus proferre, sacros Ecclesiae ministros, Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium iure ac dominio esse omnino excludendos.

3. Summa praeterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam revelationem esse imperfectam, et iccirco subiectam *continuo* et *indefinito* progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde iactare, prophetias et miracula in sacris Litteris exposita et narrata esse poetarum commenta, et sacrosancta divinae fidei nostrae mysteria philosophicarum investigationum summam, ac divinis utriusque Testamenti libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, horribile dictu! mythicam esse fictionem. Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem. Insuper inficiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eamdemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere. Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium ius tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat.

4. At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut caelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinctum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et iccirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac proinde spiritum cum materia, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi et excogitari unquam potest. De auctoritate autem et iure ita temere effutiunt, ut impudenter dicant, auctoritatem nihil aliud esse, nisi numeri, et materialium virium summam ac ius in materiali facto consistere, et omnia hominum officia esse nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habere.

5. Iam porro commenta commentis, deliramenta deliramentis cumulantes, et omnem legitimam auctoritatem, atque omnia legitima iura, obligationes, officia conculcantes nihil dubitant in veri legitimique iuris locum substituere falsa ac mentita virium iura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere. Neque alias vires agnoscunt, nisi illas quae in materia positae sunt, et omnem morum disciplinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, et pravis quibusque voluptatibus explendis. Atque hisce nefariis abominandisque principiis reprobum carnis spiritui rebellis

sensum tuentur, fovent, extollunt, illique naturales dotes ac iura tribuunt, quae per catholicam doctrinam conculcari dicunt, omnino despicientes monitum Apostoli clamantis « si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis ». [1] Omnia praeterea legitimae cuiusque proprietatis iura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur ius quoddam *nullis circumscriptum limitibus,* quo reipublicae Statum pollere existimant, quem omnium iurium originem et fontem esse temere arbitrantur.

6. Dum vero hos praecipuos infelicissimae nostrae aetatis errores dolenter ac raptim perstringimus, recensere omittimus, Venerabiles Fratres, tot alias fere innumerabiles falsitates et fraudes Vobis apprime notas ac perspectas, quibus Dei hominumque hostes rem tum sacram tum publicam perturbare et convellere connituntur. Ac silentio praetermittimus multiplices gravissimasque iniurias, calumnias, convicia, quibus sacros Ecclesiae ministros, et hanc Apostolicam Sedem dilacerare et insectari non desinunt. Nihil loquimur de iniqua sane hypocrisi, qua funestissimae in Italia praesertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle, Ecclesiam sua gaudere libertate, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius Ecclesiae iura et leges quotidie magis proculcant, eiusque bona diripiunt, et Sacrorum Antistites, ecclesiasticosque viros suos munere praeclare fungentes quoquo modo divexant, et in carcerem detrudunt, et Religiosorum Ordinum Alumnos, ac Virgines Deo sacras e suis coenobiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquunt, ut ipsam Ecclesiam in turpissimam redigant servitutem, et opprimant. Ac dum singularem certe ex optatissima Vestra praesentia voluptatem percipimus, Vos ipsi videtis, quam libertatem nunc habeant Venerabiles Fratres Sacrorum in Italia Antistites, qui strenue constanterque praeliantes praelia Domini minime potuerunt cum summo animi Nostri dolore, adversantium opera, ad Nos venire, et inter Vos versari, atque huic adesse conventui, quod summopere optavissent, quemadmodum infelicis Italiae Archiepiscopi et Episcopi suis Litteris summi erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amoris et obsequii plenissimis significarunt. Neminem etiam ex Sacrorum in Lusitania Antistitibus hic adesse cernitis, ac non parum dolemus, inspecta difficultatum natura, quae obstiterunt, quominus ipsi romanum inter aggredi possent. Recensere autem omittimus tot alia sane tristia et horrenda, quae ab hisce perversarum doctrinarum cultoribus cum incredibili Nostro ac vestro, et omnium bonorum luctu patrantur. Nihil item dicimus de impia conspiratione, et pravis cuiusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem huius Apostolicae Sedis principatum omnino evertere ac destruere volunt. Iuvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis Sacrorum Antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis huiusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctae Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae providentiae consilio datum,

[1] Ad Rom., c. 8, v. 13.

illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac maiori eiusdem Ecclesiae, et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit.

7. Quae hactenus lamentati sumus, Venerabiles Fratres, luctuosum plane exhibent spectaculum. Quis enim non videt tot pravorum dogmatum iniquitate, ac tot nequissimis deliramentis et machinationibus magis in dies christianum populum misere corrumpi, et ad exitium impelli, et catholicam Ecclesiam, eiusque salutarem doctrinam ac veneranda iura et leges, sacrosque ministros oppugnari, et iccirco omnia vitia et scelera invalescere ac propagari, et ipsam civilem societatem exagitari?

8. Nos itaque Apostolici Nostri ministerii probe memores, ac de spirituali omnium populorum bono et salute Nobis divinitus commissa vel maxime solliciti, cum « aliter » ut sanctissimi decessoris Nostri Leonis verbis utamur « Nobis commissos regere non possimus, nisi hos, qui sunt perditores et perditi, zelo fidei Dominicae persequamur, et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus », [1] in hoc amplissimo Vestro consessu Apostolicam Nostram attollentes vocem omnes commemoratos praesertim errores non solum catholicae fidei ac doctrinae, divinis ecclesiasticisque legibus, verum etiam ipsi sempiternae ac naturali legi et iustitiae, rectaeque rationi omnino repugnantes et summopere adversos reprobamus, proscribimus atque damnamus.

9. Vos autem, Venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, et Dominici gregis custodes, ac pastores, etiam atque etiam excitamus et obtestamur, ut pro eximia Vestra religione et episcopali zelo pergatis, veluti adhuc cum summa Vestri Ordinis laude fecistis, omni cura, sedulitate et studio fideles Vobis traditos ab hisce venenatis pascuis arcere, et qua voce, qua opportunis scriptis tot perversarum opinionum monstra refellere et profligare. Optime enim scitis de summa re agi, cum agatur de sanctissimae fidei nostrae, ac de catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae causa, de populorum salute, et humanae societatis bono ac tranquillitate. Itaque, quantum in Vobis est, ne desinatis unquam a fidelibus avertere tam dirae pestis contagia, idest ab eorum oculis manibusque perniciosos libros et ephemerides eripere, ipsosque fideles sanctissimis augustae nostrae religionis praeceptionibus assidue imbuere et erudire, ac monere et exhortari, ut ab hisce iniquitatis magistris, tamquam a facie colubri effugiant. Pergite Vestras omnes curas cogitationesque in id potissimum conferre, ut Clerus sancte scienterque instituatur, omnibusque virtutibus fulgeat, ut utriusque sexus iuventus ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem sedulo formetur, ut salutaris sit studiorum ratio. Ac diligentissime advigilate et prospicite, ne in humaniores litteras, severioresque disciplinas tradendas aliquid unquam irrepat quod fidei, religioni, bonisque moribus adversetur. Viriliter agite, Venerabiles Fratres, et ne animo unquam concidatis in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, sed divino auxilio omnino

[1] Epist. VII ad Episc. per Ital., c. 2, Edit. Baller.

freti, ac *sumentes in omnibus scutum inexpugnabile aequitatis et fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei,* ne intermittatis omnium catholicae Ecclesiae, ut huius Apostolicae Sedis hostium conatibus obsistere, eorumque tela retundere et impetus frangere.

10. Interim vero dies noctesque, sublatis ad caelum oculis, non desistamus, Venerabiles Fratres, clementissimum misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis, qui de tenebris facit lucem splendescere, quique potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, in humilitate cordis nostri ferventissimis precibus indesinenter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi velit christianae et civili reipublicae auxiliariam porrigere dexteram, omnesque disperdere errores et impietates, ac divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustrare, illosque ad se convertere et revocare, quo Ecclesia sua sancta optatissimam assequatur pacem, et ubique terrarum maiora in dies incrementa suscipiat, ac prospere vigeat et efflorescat. Ut autem quae petimus et quaerimus, facilius consequi possimus, ne cessemus adhibere primum deprecatricem apud Deum Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae misericordissima et amantissima nostrum omnium mater cunctas semper interemit haereses, et cuius nullum apud Deum praesentius patrocinium. Petamus quoque suffragia tum sancti eiusdem Virginis Sponsi Iosephi, tum sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, omniumque caelitum, et illorum praesertim, quos nuper Sanctorum fastis adscriptos colimus et veneramur.

11. Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis temperare non possumus, quin iterum testemur et confirmemus, summa Nos uti consolatione, dum iucundissimo Vestrum omnium conspectu fruimur, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, pietate et observantia Nobis et huic Petri Cathedrae firmiter obstricti, ac ministerium. Vestrum implentes maiorem Dei gloriam, et animarum salutem omni studio procurare gloriamini, quippe concordissimis animis, atque admirabili sane cura et amore una cum aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis et fidelibus Vestrae et illorum curae commissis gravissimas Nostras angustias et acerbitates modis omnibus lenire et sublevare non desinitis. Quocirca hac etiam occasione amantissimi aeque ac gratissimi animi Nostri sensus erga Vos, et alios omnes Venerabiles Fratres, et ipsos fideles amplissimis verbis palam publiceque profitemur. A Vobis autem exposcimus, ut cum ad Vestras redieritis Dioeceses velitis eisdem fidelibus Vestrae vigilantiae concreditis hos animi Nostri sensus Nostro nomine nuntiare, illosque certiores facere de paterna Nostra in illos caritate, deque Apostolica Benedictione, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et eisdem fidelibus impertire vehementer laetamur.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 451-461].

535.

Pius IX, ep. *Quo graviora,* 8 iul. 1862. [1]

Quo graviora ex nefariis adversariorum machinationibus sanctissimae nostrae religioni, et fidelium incolumitati imminent mala, eo alacriorem in iis propulsandis operam impendere debent Episcopi, a quibus omni studio ipsa religio est propugnanda, et fidelium salus procuranda. Itaque inter maximas, quibus premimur, acerbitates summo certe afficimur dolore noscentes, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, in qua deploranda sane conditione catholicae Religionis et Ecclesiae res in isto regno versentur, quin pateat, eam a Vobis in gravissimo episcopali munere obeundo adhiberi vigilantiam et fortitudinem, quam si semper, in hac praesertim tanta temporum iniquitate, et ipsius vestri muneris officium, et catholicae Ecclesiae causa, et fidelium Vobis commissorum salus omnino exposcunt. Quocirca de spirituali istorum fidelium bono vehementer anxii ac solliciti pro Apostolici Nostri ministerii debito non possumus, quin Vos etiam atque etiam excitemus et hortemur, ut summa cura et constantia omnes episcopalis vestri muneris partes studiosissime implere velitis. Ad Vos enim, qui in partem sollicitudinis, cuius plenitudo Nobis commissa fuit, adsciti estis, maxime pertinet sanctissimae fidei, sacraeque doctrinae depositum integrum, inviolatumque custodire, et catholicae Ecclesiae, atque huius Apostolicae Sedis causam iura ac leges strenue tueri, defendere, ac toto animo illis fortiter obsistere, qui ipsam Ecclesiam et Sedem, earumque iura legesque oppugnare conantur. Vestrum est assidue advigilare, ut Cleri disciplina sarta tecta servetur, et omnes ecclesiastici viri ab iis declinantes, quae Clericis vetita, quaeque ipsos nequaquam decent, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ac proprii ministerii munia naviter, scienter sancteque obeant, et in animarum salutem curandam totis viribus incumbant, et sacras praesertim disciplinas sedulo excolant, quo possint omnes exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, revincere. Ignorare autem minime potestis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, quam vehementer Ecclesiae intersit hisce potissimum luctuosissimis temporibus idoneos habere ministros, qui nonnisi ex Clericis optime institutis fieri possunt. Atque iccirco vestras omnes curas, cogitationesque in id praecipue intendatis oportet, ut adolescentes Clerici in vestris Seminariis vel ab ineunte aetate per magistros pietatis, sanaeque doctrinae laude spectatos ad ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praesertim sacris ab omni cuiusque profanae novitatis et erroris periculo alienis diligentissime erudiantur. Ac summopere cavete, ne in theologicarum praesertim rerum, et iuris canonici

[1] Dilecto Filio Nostro Emmanueli Benedicto S. R. E. Presbytero Cardinali Rodrigues Patriarchae Lisbonensi, et Venerabilibus Fratribus Iosepho Ioachimo Archiepiscopo Bracarensi, Iosepho Antonio Archiepiscopo Eborensi eorumque Suffraganeis in Lusitania Episcopis.

scientia tradenda ii adhibeantur libri, quibus falsae opiniones, et errores verae germanaeque catholicae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis doctrinae repugnantes et adversi continentur. Summa etiam vigilantia et sollicitudine Vobis omnino est curandum, ut religiosae vitae disciplina in monasteriis accuratissime servetur, et, ubi prolapsa fuerit, restituatur, utque ecclesiasticae de Monialium clausura leges nunquam violentur, sed perdiligenter custodiantur. Pari autem contentione a Vobis est allaborandum, ut utriusque sexus iuventus, qua omnis christianae, civilisque reipublicae spes continetur, et sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus sedulo imbuatur, atque ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem instituatur. Neminem autem Vestrum latet quo teterrimo sane bello nunc catholica divexetur Ecclesia, quibusque pravis omnis generis artibus, insidiis, pestiferisque scriptis Dei hominumque hostes omnium animos mentesque corrumpere et a sanctissima nostra religione avellere connituntur. Nullis igitur curis, nullis consiliis nullisque laboribus parcere debetis, ne dilectae oves Vobis commissae vestra incuria fiant in devorationem omnium bestiarum agri. Itaque, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ne sitis canes muti non valentes latrare, sed qua voce, qua salutaribus opportunisque scriptis ne cessetis inimicorum hominum insidias detegere, errores refellere, eorum impiis conatibus impavide obsistere. Ac nunquam desinite perniciosos, obscenos, impiosque libros et ephemerides de vestrorum fidelium manibus eripere, et ipsos fideles monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione quotidie magis stabiles et immoti persistant, ac nunquam se decipi, et in errorem induci patiantur a fabricatoribus mendacii et perversorum dogmatum cultoribus. Et quoniam miseros facit populos peccatum, omnem episcopalem vestram sollicitudinem et zelum in vitiis flagitiisque radicitus extirpandis impendite, et nunquam intermittite singularem adhibere vigilantiam, ut fideles Vobis concrediti quotidie magis enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati recedant a malo et faciant bonum, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et omnia Dei, eiusque sanctae Ecclesiae mandata religiosissime observent iisque omnibus instent operibus, quae caritatem vel in Deum, vel in proximum praeseferant. Quantum autem industria, consilio, auctoritate eniti et efficere potestis, nihil unquam intentatum relinquite, ut miseros errantes ad salutis tramitem reducere, et Christo lucrifacere valeatis. Ac Parochorum praesertim zelum indesinenter excitate et inflammate, ut proprio munere diligentissime fungentes nunquam cessent christianam plebem sibi commissam ab venenatis pascuis avertere, atque ad salutaria deducere, eamque continenter pascere divini verbi praeconio, et Sacramentorum, ac multiformis gratiae Dei dispensatione, et nunquam eos pigeat aegrotos visitare, illosque omni sacrorum ope sedulo iuvare, et omnes sana doctrina erudire; et quod caput est, ac vel maxime interest, documenta fidei, morumque disciplinam leniter admodum patienterque puerulos, rudesque homines docere, ne quando in ipsos Parochos exprobratio illa cadat: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*[1] Cum autem ad spirituale Dioecesium bonum procurandum,

[1] Ierem., Thr. IV, v. 4.

earumque mala avertenda Pastorum oculi magnam vim habere soleant, iccirco, dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ne omittatis vestras Dioeceses accurate invisere et Cleri populique mores sedulo agnoscere, atque omni diligentia et studio quae corrigenda sunt emendare et convellere, et flagitia, si quae sint, eliminare pravasque amputare consuetudines, peccandique occasiones tollere, et ubique locorum christianam institutionem, et sacramentorum usum, quo nihil christiano populo est salubrius, promovere, et dierum festorum cultum, ac templorum reverentiam inculcare, et Clerum ad propria officia sedulo obeunda excitare, et populum ad omnes christianas exercendas virtutes inflammare. Atque episcopali, uti par est, fortitudine, iis omnibus resistite quae contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura et leges istic impune patrantur. Etenim haud ignoratis, debitam civili potestati obedientiam praestari oportere in iis tantum omnibus, quae Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae egibus minime adversantur. Nihil praetermittite, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, quod ad ministerium vestrum diligenter implendum quovis modo pertinet, ne quando gravissimis illis verbis Vos Dominus exprobret « quod infirmum fuit non consolidastis, quod aegrotum non sanatis, quod « confractum non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod « perierat non quaesistis ».[1] Quocirca omni virtute et constantia exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, praedicate, ut in persona Timothei discipuli sui tantopere Vobis inculcat Apostolus Paulus, instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina. Neque Vos quidquam unquam deterreat, quominus pro Dei gloria, pro Ecclesiae tutela, pro animarum Vobis commissarum salute Vosmetipsos in omnes obiiciatis dimicationes. Recogitate Eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeatis audaciam actum iam est de Episcopatus vigore, et fortitudine, ac de sublimi, et divina Ecclesiae gubernandae potestate. Iam vero hac occasione dissimulare non possumus, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, non parum Nos doluisse, propterea quod neminem Vestrum videre potuerimus in solemni plurium Sanctorum Canonizatione a Nobis VI Idus proximi mensis Iunii celebrata,[2] ad quam tot universi catholici orbis Sacrorum Antistites ex disiunctissimis etiam regionibus cum summo animi Nostri gaudio confluere gloriati sunt. Atque etiamsi aliquae extiterint difficultates, ob quas ad Nos venire minime potueritis, tamen nemo impedire Vos potuit, quominus vestras ad Nos scriberetis Litteras quibus vestram erga Nos, et hanc Petri Cathedram catholicae unitatis centrum fidem, pietatem et observantiam declararetis, quemadmodum cum summa sui nominis laude, et Nostra consolatione fecerunt tum Italiae, tum aliarum Ecclesiarum Sacrorum Antistites, quibus romanum iter suscipere minime licuit. Ea porro spe sustentamur fore, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ut Vos serio considerantes in conspectu Domini gravissima officii vestri munera, durissimumque iudicium, quod omnibus quidem, qui praesunt, sed maxime speculatoribus Domus Israel

[1] Ezech., c. XXXIV, v. 4.
[2] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 445-450.

est subeundum, hisce Nostris monitis, hortationibus, votis ac postulationibus aures alacri libentique animo praebentes velitis episcopali zelo incensi catholicam religionem pro viribus tueri, eamque ab impiis hostium insidiis et molitionibus impavide defendere, vestri gregis saluti studiosissime consulere, et maiora etiam iis, quae scripsimus, praestare. Hac spe admodum erecti caelestium omnium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Vobis ipsis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres vestraeque fidei concreditis Clericis Laicisque fidelibus peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 463-469].

536.

Pius IX, ep. encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10 aug. 1863.[1]

1. Quanto conficiamur moerore ob saevissimum sacrilegumque bellum in omnibus fere terrarum orbis regionibus catholicae Ecclesiae hisce asperrimis temporibus allatum, ac praesertim in infelici Italia ante Nostros oculos a Subalpino Gubernio plures abhinc annos indictum, et magis in dies excitatum, quisque Vestrum vel facile cogitatione assequi potest, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres. Verum inter gravissimas Nostras angustias, dum Vos intuemur, maximo afficimur solatio et consolatione. Siquidem Vos quamvis omnibus iniustissimis, violentisque modis miserandum in modum vexati, et a proprio grege avulsi, in exilium eiecti, atque etiam in carcerem detrusi, tamen virtute ex alto induti nunquam intermisistis qua voce, qua salutaribus scriptis Dei, eiusque Ecclesiae, et Apostolicae huius Sedis causam, iura, doctrinam strenue tueri, vestrique gregis incolumitati consulere. Itaque Vobis ex animo gratulamur, quod vehementer laetamini pro nomine Iesu contumeliam pati, ac meritis Vos laudibus efferimus utentes Sanctissimi Nostri Decessoris Leonis verbis: « Licet laboribus dilectionis vestrae, quos « pro observantia catholicae fidei suscepistis toto corde compatiar, et ea quae « Vobis... illata sunt, non aliter accipiam, quam si ipse pertulerim, intelligo « tamen magis esse gaudii, quam moeroris, quod, confortante Vos Domino « Iesu Christo, in evangelica apostolicaque doctrina insuperabiles perstitistis... « Et cum Vos inimici fidei christianae ab Ecclesiarum vestrarum sede divel- « lerent, maluistis peregrinationis iniuriam pati, quam ulla impietatis ipsorum « contagione violari ».[2]

2. Atque utinam Vobis tantarum Ecclesiae calamitatum finem nuntiare possemus! Sed nunquam satis lugenda morum corruptela undique ingravescens, et irreligiosis, nefandis obscoenisque scriptis, ac scenicis spectaculis, et meretriciis domibus fere ubique constitutis, ac aliis pravis artibus promota, et monstrosa omnium errorum portenta quaquaversus disseminata, et abominanda vitiorum omniumque scelerum increscens colluvio, et mortiferum *incredulitatis* ac *indifferentismi* virus longe lateque diffusum, et ecclesiasticae potestatis, ac sacrarum rerum, legumque contemptio, despicientia, et iniusta ac violenta bonorum Ecclesiae depopulatio, et acerrima, ac continua contra sacros Ministros, ac Religiosarum Familiarum Alumnos, Virginesque Deo devotas insectatio, ac diabolicum prorsus adversus Christum, eiusque Ecclesiam, doctrinam, et hanc Apostolicam Sedem odium, et innumera fere alia, quae ab infensissimis rei catholicae hostibus patrantur, et quotidie lamentari cogimur, videntur optatissimum illud protrahere ac differre tempus, quo plenum sanctissimae nostrae religionis, iustitiae, ac veritatis triumphum videre possimus. Qui quidem triumphus deesse non poterit, etiamsi Nobis datum non sit noscere tempus eidem triumpho ab omnipotenti Deo destinatum, qui omnia admirabili divina sua providentia regit ac moderatur, et ad nostram dirigit utilitaten. Etsi vero caelestis Pater Ecclesiam suam sanctam in hac miserrima et mortali peregrinatione militantem, variis aerumnis et calamitatibus affligi et vexari permittit, tamen cum ipsa a Christo Domino supra immobilem et firmissimam petram sit fundata, non solum nulla vi, nulloque impetu convelli, et labefactari unquam potest, verum etiam ipsis « persecu- « tionibus non minuitur, sed augetur, et semper dominicus ager segete ditiori « vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur ».[1] Quod, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, luctuosissimis etiam hisce temporibus singulari Dei beneficio evenire conspicimus. Nam quamvis immaculata Christi Sponsa impiorum hominum opera in praesentia vehementer afflictetur, tamen de suis hostibus agit triumphum. Enimvero ipsa suos triumphat hostes, et mirifice splendescit tum singulari vestra, et aliorum Venerabilium Fratrum totius catholici orbis Sacrorum Antistitum erga Nos, et hanc Petri Cathedram fide, amore, observantia, et eximia constantia in catholica unitate tuenda, tum tot pientissimis religionis, et christianae caritatis operibus, quae, Deo auxiliante, magis in dies multiplicantur in catholico orbe, tum sanctissimae fidei lumine, quo magis in dies tot illustrantur regiones, tum egregio Catholicorum erga ipsam Ecclesiam, ac Nos, et hanc Sanctam Sedem amore et studio, tum insigni et immortali martyrii gloria. Nostis enim quomodo in Tunkini, et Cocinchinae praesertim regionibus Episcopi, Sacerdotes, laicique viri, ac vel ipsae imbelles mulieres, ac teneri adolescentuli et adolescentulae veterum martyrum exempla aemulantes animo invicto, et heroica virtute crudelissimos quosque cruciatus despicere, et exultantes pro Christo vitam profundere vehementer laetantur. Quae sane omnia non levi Nobis, Vobisque consolationi esse debent inter maximas, quibus premimur, acerbitates.

3. Verum cum Apostolici Nostri ministerii officium omnino postulet, ut Ecclesiae causam Nobis ab ipso Christo Domino commissam omni cura studioque defendamus, illosque omnes reprobemus, qui Ecclesiam ipsam, eiusque sacra iura, Ministros, et hanc Apostolicam Sedem oppugnare et conculcare non dubitant, iccirco hisce Nostris Litteris denuo ea omnia et singula confirmamus, declaramus, ac damnamus, quae in pluribus consistoria-

[1] Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Italiae.

[2] S. Leo, Epist. 154, ad Episcopos Aegyptios, edit. Baller.

[1] S. Leo, Serm. 82, in natal. Apost. Petri et Pauli.

libus Allocutionibus, aliisque Nostris Litteris cum ingenti animi Nostri molestia lamentari, declarare, et damnare coacti fuimus.[1]

4. Atque hic, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, iterum commemorare et reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui homines in erroribus viventes, et a vera fide, atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum Nobis, Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem, eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis, et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate, et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate, atque a Petri Successore Romano Pontifice, cui *vineae custodia a Salvatore est commissas,*[2] pertinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem. Clarissima enim sunt Christi Domini verba: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publi« canus »:[3] « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, qui « autem me spernit, spernit eum, qui misit me »:[4] « Qui non crediderit con« demnabitur »:[5] « Qui non credit, iam iudicatus est »:[6] « Qui non est mecum, « contra me est, qui non colligit mecum, dispergit ».[7] Hinc Apostolus huiusmodi homines dicit *subversos, et proprio iudicio condemnatos,*[8] et Apostolorum Princeps illos appellat « magistros mendaces, qui introducunt sectas per« ditionis, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem ».[9]

5. Absit vero, ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui eisdem fidei caritatisque vinculis, Nobiscum minime sunt coniuncti, quin immo illos sive pauperes, sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis afflictos omnibus christianae caritatis officiis prosequi adiuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere

[1] Allocut. 20 Iunii 1859 (cf. N. 525); 26 Septemb. 1859 (cf. N. 527); 13 Iulii 1860 (cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 165-171); 28 Septemb. 1860 (cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 180-189); 17 Decemb. 1860 (cf. N. 529); 18 Mart. 1861 (cf. N. 530); 30 Septemb. 1861 (cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 281-287); 9 Iunii 1862 (cf. N. 534). - Epist. Encycl. 18 Iunii 1859 (cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 82-83); 19 Ian. 1860 (cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 129-136). - Apostol. Litt. 26 Mart. 1860 (cf. N. 528).

[2] Concil. Oecum. Chalcedonen., in Relat. ad Leonem Papam.

[3] Matth., c. 18, v. 17.

[4] Luc., 10, v. 16.

[5] Marc., c. ult., v. 16.

[6] Ioan., c. 3, v. 18.

[7] Luc., c. 11, v. 23.

[8] Ad Tit., c. 3, v. 11.

[9] Epist. 2, c. 2, v. 1.

atque ad catholicam veritatem, et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos amanter tendere, eosque ad suum sinum revocare nunquam desinit, ut in fide, spe, et caritate fundati, ac stabiles, et in omni opere bono fructificantes, aeternam assequantur salutem.

6. Nunc autem, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, silentio praeterire non possumus alium perniciosissimum errorem, et malum, quo hac nostra infelicissima aetate hominum mentes animique misere abripiuntur, ac perturbantur. Loquimur nempe de effraenato ac damnoso illo proprio amore et studio, quo non pauci homines, nulla plane proximi sui ratione habita, proprias utilitates, et commoda unice spectant et quaerunt; loquimur de insatiabili illa dominandi et acquirendi cupiditate, qua, honestatis iustitiaeque regulis omnino posthabitis, divitias quovis modo cupidissime congerere, et cumulare non desinunt, ac terrenis tantum rebus assidue intenti, et Dei, religionis, animaeque suae immemores suam omnem felicitatem in comparandis divitiis et pecuniae thesauris perperam collocant. Meminerint huiusmodi homines, ac serio meditentur gravissima illa Christi Domini verba: « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae « detrimentum patiatur? »[1] et animo sedulo reputent quae Apostolus Paulus docet: « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum dia« boli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in inter« itum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam « quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis ».[2]

7. Equidem homines iuxta propriam ac diversam cuiusque conditionem suis laboribus necessaria vitae praesidia sibi comparare debent seu in litteris, ac scientiis excolendis, seu in artibus tum ingenuis, tum vulgaribus exercendis, seu in publicis, privatisque muneribus obeundis, seu in rerum commercio habendo, sed omnino oportet, ut omnia cum honestate, iustitia, integritate et caritate agant, et Deum prae oculis semper habeant, eiusque mandata, ac praecepta diligentissime observent.

8. Iam vero dissimulare non possumus, acerbissimo Nos angi dolore, cum in Italia nonnulli ex utroque Clero reperiantur viri, qui adeo sanctae suae vocationis sunt obliti, ut minime erubescant exitialibus etiam scriptis falsas disseminare doctrinas ac populorum animos contra Nos, et hanc Apostolicam Sedem excitare, ac civilem Nostrum et ipsius Sedis principatum oppugnare, et nequissimis catholicae Ecclesiae, eiusdemque Sedis hostibus omni opera studioque impudenter favere. Qui ecclesiastici viri a suis Antistitibus, et a Nobis, atque ab ac Sancta Sede desciscentes, et Subalpini Gubernii, eiusque Magistratuum favore, et auxilio freti eo temeritatis devenerunt, ut ecclesiasticis censuris et poenis plane spretis, minime extimuerint, quasdam omnino improbandas Societates *Clerico-liberali, Di mutuo soccorso, Emancipatrice del Clero italiano* vulgo appellatas, aliasque eodem pravo spiritu animatas constituere, et quamvis a propriis Antistitibus merito inter-

[1] Matth., c. 16, v. 26.

[2] Epist. I ad Timoth., c. 6, v. 9, 10.

dicti a sacro ministerio obeundo, tamen minime pavent illud, veluti intrusi, in pluribus Templis perperam et illicite exercere. Quapropter et commemoratas detestandas societates, et improbam eorumdem ecclesiasticorum hominum agendi rationem reprobamus, damnamus. Atque eodem tempore hos infelices ecclesiasticos viros etiam atque etiam monemus, hortamur, ut resipiscant, et redeant ad cor, propriaeque saluti consulant, serio considerantes, quod « nullum ab aliis magis praeiudicium, quam a Sacerdotibus tolerat « Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla « pravitatis cernit », [1] ac diligenter meditantes, districtam ante tribunal Christi rationem aliquando esse reddendam. Faxit Deus, ut hi miseri ecclesiastici homines paternis Nostris monitis obtemperantes velint Nobis eam adhibere consolationem, quam Nobis afferunt illi utriusque Cleri viri, qui misere decepti, et in errorem inducti ad Nos in singulos dies confugiunt, poenitentes, ac supplici prece errati veniam, et a censuris ecclesiasticis absolutionem humiliter enixeque implorantes.

9. Optime autem noscitis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, impia omnis generis scripta e tenebris emissa, ac dolis, mendaciis, calumniis, et blasphemiis plena, et scholas acatholicis magistris traditas, et templa acatholico cultui destinata, ac multiplices alias diabolicas sane insidias, artes, conatus, quibus Dei hominumque hostes in misera Italia catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus evertere, ac populos, et improvidam praesertim iuventutem quotidie magis depravare, corrumpere, et ex omnium animis sanctissimam nostram fidem religionemque radicitus extirpare conituntur. Itaque nihil dubitamus, quin Vos, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi pro egregio vestro episcopali zelo pergatis, ut adhuc cum maxima vestri nominis laude fecistis, concordissimis animis et ingeminatis studiis constanter opponere murum pro Domo Israel, et certare bonum certamen fidei, et ab adversariorum insidiis fideles curae vestrae commissos defendere, illosque assidue monere, et exhortari, ut sanctissimam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, et quam a Christo Domino per Apostolos tenet ac docet catholica Ecclesia, constantissime teneant, ac stabiles et immoti permaneant in divina nostra religione, quae una est vera, aeternamque parat salutem, ac civilem etiam societatem vel maxime sospitat atque fortunat. Quapropter ne desinatis per parochos praesertim, aliosque ecclesiasticos viros vitae integritate, morum gravitate, ac sana solidaque doctrina spectatos tum divini verbi praedicatione, tum catechesi populos curae vestrae traditos veneranda augustae nostrae religionis mysteria, doctrinam, praecepta, disciplinam continenter et accurate docere. Etenim apprime scitis, ingentem malorum partem ex divinarum rerum, quae ad salutem necessariae sunt, inscitia plerumque oriri, ac propterea probe intelligitis, omnem curam industriamque esse adhibendam, ut huiusmodi malum a populis depellatur.

10. Antequam vero huic Nostrae Epistolae finem faciamus, Nobis temperare non possumus, quin meritas Italiae Clero laudes tribuamus, qui ex

[1] S. Gregor. M., Homil. 17, in Evangel.

parte longe maxima Nobis et huic Petri Cathedrae, ac suis Antistitibus ex animo adhaerens a recta via minime declinavit, sed illustria suorum Antistitum exempla sequens, et asperrima quaeque patientissime perferens munere suo egregie perfungitur. Ea profecto spe nitimur fore, ut Clerus idem, divina auxiliante gratia, digne ambulans vocatione, qua vocatus est, splendidiora suae pietatis, ac virtutis specimina exhibere semper contendat.

11. Debito quoque laudum praeconio prosequimur tot Virgines Deo sacras, quae a propriis Monasteriis violenter exturbatae, ac suis redditibus spoliatae, et ad mendicitatem redactae haud tamen fregerunt fidem, quam Sponso dederunt, sed omni constantia tristissimam suam conditionem tolerantes non cessant diurnis nocturnisque precibus levare manus suas in sancta, Deum pro omnium et suorum etiam persecutorum salute obsecrantes, et misericordiam a Domino patienter expectantes.

12. Meritis etiam laudibus Italiae populos ornare gaudemus, qui catholicis sensibus egregie animati tot impias contra Ecclesiam molitiones detestantur, et filiali Nos, et hanc Sanctam Sedem, ac suos Antistites pietate, observantia, et obedientia prosequi vehementer gloriantur, quique gravissimis licet difficultatibus, ac periculis praepediti singularis sui erga Nos amoris, studiique significationes modis omnibus quotidie exhibere, et maximas Nostras, et Apostolicae huius Sedis angustias tum collatitia pecunia, tum aliis largitionibus sublevare non desistunt.

18. In tantis autem acerbitatibus, tantaque contra Ecclesiam excitata tempestate, ne despondeamus unquam animum, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, cum « consilium nostrum, et fortitudo sit Christus, ac sine « quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus, qui confirmans praedi- « catores Evangelii, et Sacramentorum ministros, ecce ego, inquit, vobiscum « sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi », [1] et cum certo sciamus, inferi portas nunquam esse praevalituras adversus Ecclesiam, quae semper stetit, stabitque immota, custode et vindice Christo Iesu Domino Nostro, qui eam aedificavit, et qui fuit *heri, et hodie, ipse et in saecula.* [2]

14. Ne desinamus autem, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, ardentiore usque studio in humilitate cordis nostri orationes et postulationes Deo per Iesum Christum dies noctesque offerre, ut, hac turbulentissima tempestate depulsa, Ecclesia sua sancta a tantis calamitatibus respiret, et ubique terrarum optatissima pace ac libertate fruatur, et novos ac splendidiores de suis inimicis agat triumphos, utque omnes errantes divinae suae gratiae lumine perfusi ab erroris via ad veritatis, iustitiaeque iter revertantur, ac dignum poenitentiae fructum facientes perpetuum sancti sui nominis amorem et timorem habeant. Ut autem dives in misericordia Deus ferventissimis nostris precibus facilius annuat, invocemus potentissimum Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae patrocinium, ac suffragia petamus Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Beatorum Caelitum, ut validis suis apud Deum deprecationibus implorent omnibus misericordiam

[1] S. Leo, Epist. 167, ad Rustic. Narbon. Episcop.
[2] S. Paul., Epist. ad Hebr., c. 13, v. 8.

et gratiam in auxilio opportuno, et omnes calamitates et pericula, quibus Ecclesia ubique, ac potissimum in Italia affligitur, potenter avertant.

15. Denique certissimum singularis Nostrae in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, et gregi curae vestrae commisso peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 609-621].

537.

Pius IX, ep. encycl. *Incredibili*, 17 sept. 1863.[1]

1. Incredibili afflictamur dolore, et una Vobiscum ingemiscimus, Venerabiles Fratres, cum noscamus quibus nefariis, dirisque modis a Neogranatensis Reipublicae Gubernio catholica impetitur, perturbatur, ac dilaceratur Ecclesia. Equidem verbis satis exprimere haud possumus multiplices sacrilegosque ausus, quibus Gubernium idem gravissimas Nobis, et huic Apostolicae Sedi iniurias afferens sanctissimam nostram religionem, eiusque veneranda iura, doctrinam, cultum, sacrosque Ministros conculcare ac destruere contendit. Namque idem Gubernium duos praesertim ab hinc annos infandas edidit leges et decreta, quae catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae, auctoritati, iuribusque vel maxime adversantur.[2] Hisce enim iniquissimis legibus ac decretis inter alia, sacri Ministri prohibiti sunt ecclesiasticum ministerium exercere sine civilis potestatis venia, et omnia Ecclesiae bona usurpata, divendita, ac propterea parochiae, et Religiosae utriusque sexus Familiae, et Clerus, ac Valetudinaria, Domusque refugii, piaeque Sodalitates, Beneficia, et Cappellaniae etiam iuris patronatus suis redditibus spoliatae. Atque per easdem iniustissimas leges, et decreta legitimum Ecclesiae acquirendi, ac possidendi ius omnino oppugnatum, et cuiusque acatholici cultus libertas sancita, et omnes utriusque sexus Religiosae Familiae in Neogranatensi territorio morantes de medio sublatae, earumque existentia plane interdicta, et vetita etiam omnium Litterarum, et cuiusque Apostolicae huius Sedis Rescripti promulgatio, et exilii poena ecclesiasticis viris, laicis vero multae et carceris indicta, si huic ordinationi obedire recusaverint. Insuper eisdem detestandis legibus ac decretis statuitur, ut utriusque Cleri viri exilii poena afficiantur, qui legi circa bonorum Ecclesiae spoliationem obtemperare detractaverint, utque omnes ecclesiastici homines sacri ministerii munia obire minime queant, nisi primum iuraverint, se Neogranatensis Reipublicae constitutioni, cunctisque illius legibus Ecclesiae tantopere adversis iam editis, et in posterum edendis obsequi, ac simul exilii poena iis omnibus infligitur, qui huiusmodi impium illicitum-

[1] Venerabilibus Fratribus Antonio Archiepiscopo S. Fidei de Bogota, et Episcopis eius Suffraganeis in Neogranatensi Republica.

[2] Cf. Pius IX, allocut. *Meminit unusquisque*, 20 sept. 1861. - Acta Pii IX, vol. III, p. 281-287.

qui iusiurandum praestare minime voluerint. Haec et alia multa omnino iniusta et impia, quae singillatim commemorare taedet, contra Ecclesiam a Neogranatensis Reipublicae Gubernio, proculcatis omnibus divinis, humanisque iuribus, sunt constituta.

2. Cum autem vos, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione, et virtute haud omiseritis tum voce, tum scriptis constanter obsistere tot iniquis sacrilegisque eiusdem Gubernii ausibus, et decretis, atque Ecclesiae causam et iura impavide propugnare, tum eiusdem Gubernii furor in Vos, omnesque ecclesiasticos viros Vobis addictos, ac proprii officii, et vocationis memores, et in omnia, quae ad Ecclesiam pertinent, saevire non destitit. Quapropter Vos fere omnes miserandum in modum afflicti, ac militari manu comprehensi a vestro grege violenter distracti, in vincula coniecti, in exilium pulsi, et in pestiferi aeris regiones amandati, et ecclesiastici viri, ac Religiosarum Familiarum alumni pravis Gubernii ordinationibus merito obstantes vel in carcerem detrusi, vel exilio multati mortem occubuere, vel in silvis vitam agere coacti sunt. Cum vero omnes Virgines Deo devotae ab ipso Gubernio furenter, crudeliterque a propriis Monasteriis expulsae, et ad rerum omnium inopiam redactae, fuerint a piis fidelibus tristissima illarum conditione vehementer commotis humaniter in proprias domos receptae et admissae, id aegerrime ferens Gubernium minitatur, velle illas ex eorundem fidelium domibus expellere ac disperdere. Hinc sacra Templa et Coenobia nudata, spoliata, polluta, et in militarium stationum usum commutata, eorumque sacra supellex, et ornamenta direpta, hinc sacrorum cultus sublatus, et christianus populus legitimis suis pastoribus orbatus, omnibusque divinae nostrae religionis praesidiis misere destitutus, cum summa Nostra, Vestraque aegritudine in maximo aeternae salutis discrimine versatur. Ecquis catholicis, humanisque sensibus animatus non vehementer ingemiscet, cum videat a Neogranatensi Gubernio tam gravi, tamquam crudeli persecutione catholicam Ecclesiam, eiusque doctrinam, auctoritatem, sacrasque personas oppugnari, ac tantas ab ipso supremae Nostrae, et Apostolicae huius Sedis auctoritati iniurias et contumelias inferri?

3. Atque illud vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod nonnulli ecclesiastici homines existere potuerint, qui pravis ipsius Gubernii legibus et consiliis obsequi, favere, et commemoratum illicitum obedientiae iuramentum praestare non dubitarunt cum maximo Nostro, vestroque moerore, et bonorum omnium admiratione ac luctu.

4. In hac igitur tanta rei catholicae clade, tantaque animarum pernicie Apostolici Nostri officii probe memores, ac de omnium Ecclesiarum bono vel maxime solliciti, et Nobis, uti olim Prophetae, indictum existimantes « Clama ne cessas, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo « scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum »,[1] hisce Litteris Apostolicam Nostram attollentes vocem, omnia gravissima damna et iniurias a Neogranatensi Gubernio Ecclesiae, eiusque sacris personis ac rebus, et huic Sanctae Sedi illatas incessanter querimur, et gravissime exprobramus. Atque

[1] Isaias, c. 58, v. 1.

omnia et singula, quae sive in his, sive in aliis rebus ad Ecclesiam, eiusque ius spectantibus ab eodem Neogranatensi Gubernio, et ab inferioribus quibusque illius Magistratibus decreta, gesta seu quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, et leges ac decreta ipsa cum omnibus inde sequutis eadem Nostra auctoritate abrogamus, et irrita prorsus, ac nullius roboris fuisse, et fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores etiam atque etiam in Domino obtestamur, ut tandem ali quando suos oculos aperiant super gravissima vulnera Ecclesiae imposita, ac simul recordentur, serioque considerent censuras et poenas, quas Apostolicae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta contra Ecclesiae iurium invasores facto ipso incurrendas infligunt, et iccirco animae suae misereantur prae oculis habentes « quoniam durissimum iis, qui praesunt, fiet iudicium ».[1] Atque etiam omni studio illos ecclesiasticos viros, qui Gubernio faventes a proprio officio misere declinarunt, monemus, et exhortamur, ut sanctam suam vocationem animo reputantes in iustitiae, veritatisque viam redire properent, et illorum ecclesiasticorum hominum exempla aemulentur, qui etiamsi infeliciter lapsi praescriptum a Gubernio obedientiae iuramentum praestiterunt, tamen cum ingenti Nostro, ac suorum Antistitum gaudio idem iusiurandum retractare, ac damnare gloriati sunt.

5. Interim vero amplissimas meritasque Vobis tribuimus laudes, Venerabiles Fratres, qui laborantes sicut boni milites Christi Iesu, ac strenue in agone certantes singulari constantia et fortitudine, quoad per Vos fieri potuit, seu voce, seu Litteris Ecclesiae causam, eiusque doctrinam, iura, libertatem defendere, vestrique gregis saluti accurate consulere, eumque contra impias inimicorum hominum molitiones, et circumstantia religionis pericula praemunire haud omiseritis, gravissimas omnes iniurias, molestias, et asperrima quaeque episcopali robore tolerantes. Itaque dubitare non possumus, quin pari studio et contentione, quantum in Vobis est, pergatis, ut adhuc cum maxima vestri nominis laude fecistis, divinae nostrae Religionis causam propugnare, et fidelium saluti prospicere.

6. Debitas quoque laudes deferimus fideli Neogranatensi Reipublicae Clero, qui suae vocationis servantissimus, et Nobis, atque huic Petri Cathedrae, suisque Antistitibus addictus propter Ecclesiam, veritatem et iustitiam tam vehementer exagitatus immanem omnis generis insectationem patientissime est perpessus et patitur.

7. Non possumus quin admiremur et laudemus tot Virgines Deo sacras, quae etiamsi a suis monasteriis violenter expulsae, et ad tristem egestatem redactae, tamen caelesti Sponso firmiter adhaerentes, ac miserrimam, in qua versantur, conditionem christiana virtute perferentes, non cessant dies noctesque effundere corda sua coram Deo, Eumque humiliter enixeque pro omnium, ac suorum etiam persecutorum salute exorare. Collaudamus item catholicum Neogranatensis Reipublicae populum, qui ex parte longe maxima in veteri suo erga catholicam Ecclesiam, ac Nos, et hanc Apostolicam Sedem, et erga suos Antistites amore, fide reverentia et obedientia perseverat.

[1] Sap., 8.

8. Ne cessemus autem, Venerabiles Fratres, adire cum fiducia ad thronum gratiae, et humillimis ac ferventissimis precibus misericordiarum Patrem ac Deum totius consolationis sine intermissione orare et obsecrare, ut exurgat et iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus istic, et ubique fere orbis premitur, calamitatibus eripiat, eamque opportuno auxilio soletur, et optatissimam diu in tot tantisque adversis serenitatem, et pacem clementissime largiatur, omniumque misereatur secundum magnam misericordiam suam, atque omnipotenti sua virtute efficiat, ut omnes populi, gentes, nationes Ipsum, et Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Iesum Christum una cum Sancto Spiritu agnoscant, adorent, timeant, ac ex toto corde, anima ac mente diligant, et omnia divina mandata ac praecepta religiose observantes, ut filii lucis ambulent in omni bonitate, iustitia, et veritate.

9. Demum omnium caelestium munerum auspicem, et certissimum praecipuae Nostrae in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex imo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et gregi vestrae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 622-628].

538.

Pius IX, ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.[1]

Tuas libenter accepimus Litteras, die 7 proxime elapsi mensis Octobris datas, ut Nos certiores faceres de Conventu in ista Monacensi civitate proximo mense Septembri a nonnullis Germaniae Theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, quae ad theologicas praesertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent. Ex Litteris Tibi Nostro iussu scriptis a Venerabili Fratre Matthaeo Archiepiscopo Neocaesariensi Nostro, et Apostolicae huius Sedis apud istam Regiam Aulam Nuntio vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus Nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito Conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus quomodo commemorati Theologi, et viri ad huiusmodi Conventum invitati et congregati fuere. Nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo huius Conventus auctores, fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes catholici viri doctrina praestantes, collatis consiliis, coniunctisque viribus, germanam catholicae Ecclesia scientiam promoverent, eamque a nefariis, ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus conatibusque vindicarent, et defenderent. Sed in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra licet immerentes collocati asperrimis hisce temporibus, quibus Sacrorum Antistitum auctoritas, si unquam alias, ad unitatem et integritatem catholicae doctrinae custodiendam vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non potuimus non vehementer mirari videntes memorati Conventus

[1] Venerabili Fratri Gregorio Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi.

invitationem privato nomine factam et promulgatam, qui ullo modo intercederet impulsus, auctoritas, et missio ecclesiasticae potestatis, ad quam proprio, ac nativo iure unice pertinet advigilare ac dirigere theologicarum praesertim rerum doctrinam. Quae sane res, ut optime noscis, omnino nova, ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque iccirco voluimus, Te, Venerabilis Frater, noscere hanc Nostram fuisse sententiam, ut cum a Te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus probe iudicari posset de scopo per Conventus programma enuntiato, si nempe talis esset, ut veram Ecclesiae utilitatem afferret. Eodem autem tempore certi eramus, Te, Venerabilis Frater, pro pastorali Tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibiturum, ne in eodem Conventu tum catholicae fidei ac doctrinae integritas, tum obedientia, quam omnes cuiusque classis et conditionis catholici homines Ecclesiae auctoritati ac magisterio praestare omnino debent, vel minimum detrimentum caperent. Ac dissimulare non possumus, non levibus Nos angustiis affectos fuisse, quandoquidem verebamur, ne huiusmodi Conventu, sine ecclesiastica auctoritate congregato exemplum praeberetur sensim usurpandi aliquid ex iure ecclesiastici regiminis, et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano Pontifici, et Episcopis in unione et consensione cum ipso S. Petri Successore, atque ita, ecclesiastico ordine perturbato, aliquando unitas, et obedientia fidei apud aliquos labefactaretur. Atque etiam timebamus, ne in ipso Conventu quaedam enunciarentur, ac tenerentur opiniones et placita, quae in vulgus praesertim emissa et catholicae doctrinae puritatem, et debitam subiectionem in periculum ac discrimen vocarent. Summo enim animi Nostri dolore recordabamur, Venerabilis Frater, hanc Apostolicam Sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse ultimis hisce temporibus censura notare, ac prohibere nonnullorum Germaniae scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio, seu methodo falsae scientiae, aut hodiernae fallacis philosophiae, praeter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimae fidei nostrae dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia iam damnatos e tenebris excitarunt, et propriam divinae revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt. Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci, et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit obedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis, ac Nostrarum Congregationum decreta declamant, ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra, et vindex fuit constituta. Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam, et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. Haec sane omnia pro gravissimi supremi Nostri Apostolici ministerii munere, ac pro singulari illo amore, quo omnes Germaniae catholicos, carissimam Dominici gregis partem, prosequimur, Nostrum sollicitabant, et angebant animum tot aliis pressum angustiis ubi, accepto memorati Conventus nuntio, res supra expositas Tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad Nos relatum fuit, Te, Venerabilis Frater, huiusce Conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem Conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem Conventu iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam habitas fuisse, et postquam ipsius Conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam Nostram imploraverunt Benedictionem, nulla interposita mora, piis illorum votis obsecundavimus. Summa vero anxietate Tuas expectabamus Litteras, ut a Te, Venerabilis Frater, accuratissime noscere possemus, ea omnia, quae ad eumdem Conventum quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a Te acceperimus, quae scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore, ut huiusmodi negotium, quemadmodum asseris, Deo auxiliante, in maiorem catholicae in Germania Ecclesiae utilitatem cedat. Equidem cum omnes eiusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum, et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt, ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere, ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes, ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus, et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes, ac profitentes uno eodemque tempore plane reiicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab

ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum, et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus, et ex naturalibus suis principiis intelligenda, aut demonstranda. Eiusdem vero Conventus viros debitis prosequimur laudibus, proptereaquod reiicientes, uti existimamus, falsam inter philosophorum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad Te scriptis[1] loquuti sumus, noverunt, et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, qua ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici Magistri, ac Scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat Dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides, et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum, aut Romanorum Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, iccirco eiusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferentur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus viros, qui commemorato Monacensi interfuere Conventui, ullo modo potuisse, aut voluisse abstare doctrinae nuper expositae, quae ex verae theologiae principiis in Ecclesia retinetur, quin immo ea fiducia sustentamur fore, ut ipsi severioribus excolendis disciplinis velint ad enunciatae doctrinae normam se diligenter conformare. Quae Nostra fiducia praesertim nititur iis Litteris, quas per Te, Venerabilis Frater, Nobis miserunt. Siquidem eisdem Litteris cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo Conventu mentem nunquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quae ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur, noluisse eumdem dimittere Conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam, ac filialem pietatem, qua Nos et hanc Petri cathedram catholicae unitatis centrum posequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis potestatem, auctoritatemque ipsi recognoscant, ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi, ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinae pascuis, et continenter advigilandi, ne sanctissima fides, eiusque doctrina ullum unquam detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis, tradendis, sanaeque doctrinae tuendae operam navantes uno eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exsequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis, quae circa doctrinam a suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur. Haec autem omnia Tibi communicamus, ac summopere optamus, ut ea iis omnibus significes viris, qui in memorato Conventu fuere, dum, si opportunum esse censuerimus, haud omittemus alia Tibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniae Sacrorum Antistitibus hac super re significare, postquam Tuam, et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de huiusmodi Conventuum opportunitate. Demum pastoralem Tuam sollicitudinem, ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, ut una cum aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania, Antistitibus curas omnes, cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conferas. Neque omittas omnibus inculcare, et profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiae libertatem, eiusque non solum verum profectum, sed etiam errores tamquam progressus impudenter iactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura, et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiae progressus, qui, sanctissima ac divina fide duce, et magistra, in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas praesertim disciplinas excolant secundum principia, et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi Doctores immortales sibi nominis laudem, et maximam Ecclesiae, et scientiae utilitatem, ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo catholici viri in scientiis excolendis poterunt, Deo auxiliante, magis in dies, quantum homini fas est, noscere, evolvere, et explanare veritatum thesaurum, quas in naturae et gratiae operibus Deus posuit, ut homo postquam illas rationis fidei lumine notaverit, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in aeternae gloriae claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, Eoque felicissime in aeternum perfrui et gaudere. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te caritatem. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 636-645].

[1] *Gravissimas inter*, 11 dec. 1862. – Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 548-556.

539.

Pius IX, ep. *Quum non sine*, 14 iul. 1864.[1]

1. Quum non sine maxima animi Nostri aegritudine ex pluribus nunciis accepimus, in magno isto Badensi Ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinationes, quae variis modis christianam iuventutis institutionem, et educationem in magnum adducunt discrimen, proptereaquod illas a salutari catholicae Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent, nihil dubitavimus, quin Tu, Venerabilis Frater, pro eximio Tuo in animarum salute curanda studio, ac pro perspecta Tua in Ecclesiae libertate, eiusque iuribus tuendis constantia fortiter iis omnibus obsisteres, quae vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis Tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt Tuae Litterae super hoc tanti momenti negotio ad Nos datae, et commentarius eidem adiectus. Ac vehementer laetamur, cum videamus, Te, Venerabilis Frater, licet aetate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare eadem illa fortitudine, qua in episcopalis Tui ministerii decursu summopere praestitisti, ac Nostras, et huius Sanctae Sedis laudes merito, optimoque iure Tibi comparasti. Equidem inter maximas, quibus affligimur, acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus Sacrorum Antistites eo maiore divinae suae gratiae auxilio roboret ad Christi Iesu gregem tuendum, quo graviora in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus damna inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

2. Nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis Institutionibus, ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima eius vis coangustetur, ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate cum maximo christianae civilisque reipublicae damno undique maiorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum veritates a Deo revelatae impudenter denegentur, vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur, eorumque cogitationes actionesque ad materialium, fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia quae columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines, eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat,

[1] Venerabili Fratri Hermanno Archiepiscopo Friburgensi in Brisgovia.

iccirco pravarum doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur, ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis Instituta exercere debet vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant, et ipsa Instituta pleno civilis, politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita, et ad volubilium aetatis opinionum rationem.

3. Nihil vero mirum si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae, tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas, eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis, tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris, mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae, morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota, et impulsa maximas tum privatis familiis, tum reipublicae affert calamitates.

4. At vero cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio seiuncta a catholica fide, et ab Ecclesiae potestate maximo sit hominibus, et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in scholis publicisque Institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem, morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione, et educatione locum habere, ac dominari debet, ut aliarum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem, et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, iccirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem, et vigilantiam prae ceteris educationis Institutis sibi merito, atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia, conatusque arcendi

a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae, ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere, aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem, sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis, segionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tum Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

5. Tibi autem, Venerabilis Frater, summopere gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae quod iuventutis institutionem educationemque firmiter inhaerens, Tuo commentario omnibus opinionibus ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto Magno Badarum Ducatu propositae fuere circa popularium scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum Nobis est, Te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione, et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare, aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur, et augetur. Summa vero afficimur consolatione, cum istius Tuae Dioecesis Clerus suae vocationis et officii probe memor una Tecum suam omnem in Ecclesiae, eiusque catholici populi iuribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, proptereaquod iste fidelis populus optime sentiens de catholica suae prolis educatione, nihil antiquius habeat, quam ut eadem proles omnino instituatur in scholis, quae a catholica dirigantur Ecclesia. Iam vero levantes oculos Nostros ad Dominum Deum Nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantiam divinae suae gratiae Tibi, Venerabilis Frater, et isti Clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes caelesti ope roborati pro Ecclesiae sue sanctae causa Tuo doctu strenue dimicare pergant. Atque superni huius praesidii auspicem, et peculiaris, qua Te in Domino complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis laicisque fidelibus Tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 650-656].

540.

Pius IX, litt. Ap. *Ubi Urbaniano*, 30 iul. 1864.[1]

Ubi Urbaniano in Collegio christianae fidei propagandae huius almae Nostrae urbis die 24 proximi mensis Aprilis invicto Christi martyri S. Fideli a Sigmaringa sacro vehementer lamentati sumus, Venerabiles Fratres, miseram, et numquam satis deplorandam Poloniae Regni conditionem, et male consultum motum ibi contra Potentissimum Principem excitatum, significavimus etiam, Nos in publicis ephemeridibus legisse severissima sane consilia a Russico Gubernio suscepta non solum ad eumdem motum comprimendum, verum etiam ad catholicam religionem eodem in Regno sensim extirpandam. Atque eodem tempore manifestavimus, oportere huiusmodi tristissimo nuncios indubitato modo, ac maiore auctoritate comprobari, quandoquidem publicis ephemeridibus plena fides adhiberi semper nequit. Nunc vero ex pluribus variisque fide dignis testimoniis ad Nos perlatis cum incredibili animi Nostri dolore agnovimus, Venerabiles Fratres, verissimas esse acerbitates, quibus a Russico Gubernio catholica Ecclesia eiusque ministri, et cultores magis in dies divexantur ac lacerantur. Etenim certo scivimus, idem Gubernium iamdiu catholicae Ecclesiae summopere infensum, omnesque ad funestissimum schisma pertrahere exoptans, excitatae perturbationis praetextu sanctissimam nostram religionem, omnesque catholicos quibusque modis acriter insectari. Hinc, Conventione cum Nobis, et hac S. Sede inita numquam plenae executioni mandata, ac publicis pactis de catholica religione in Poloniae Regno tuenda plane despectis, plurimisque editis legibus et decretis rei catholicae maxime adversis, Gubernium idem nunquam intermisit catholica scripta interdicere, et libros, ephemeridesque catholicae doctrinae omnino repugnantes, et in Christi hic in terris Vicarium, et Apostolicam hanc Sedem summopere iniuriosas, atque ad Polonum praesertim populum depravandum accommodatas disseminare, et communicationem cum Nobis, et hac Apostolica Sede praepedire, et iuramentum divinis legibus contrarium praescribere, et populum contra catholicos sacerdotes excitare, et prohibere, ne praedicari ac doceri queat discrimen, quod inter catholicam veritatem et schisma intercedit, et gravissimis constitutis poenis impedire, quominus aliquis ex infelici schismate emergere, et ad catholicae Ecclesiae sinum redire possit. Hinc religiosi viri ex suis Coenobiis deturbati, eorumque monasteria militaribus stationibus destinata, et catholici Episcopi a sua Dioecesi abrepti, et exilio multati, et innumeri fere catholici graeci ritus subdolis quibusque machinationibus iamdiu in schisma violenter tracti, et impediti ad redeundum in catholicae Ecclesiae gremium; veluti exoptarent, ac innumerabiles etiam latini ritus catholici per mixta praesertim matrimonia

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis in Poloniae Regno, et Russici Imperii regionibus morantibus gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

catholicae Ecclesiae erepti, et pueri catholicis parentibus orbati, sub tutelae praetextu, in longinquas regiones amandati, a catholico cultu avulsi, et in schismatis discrimen adducti. Hinc innumeri cuiusque generis, aetatis, sexus et conditionis catholici summopere afflicti, et in remotissimas terras transducti, et catholicorum templa direpta, polluta, ac in cultum acatholicum, vel in militares stationes conversa, et catholici sacerdotes miserandum in modum vexati, suisque bonis spoliati ad tristem paupertatem redacti, ac vel in exilium pulsi, vel in carcerem detrusi vel etiam necati, propterea quod in acie vulneratis, morientibusque sacri ministerii opem, auxiliumque ferre haud omiserunt. Accedit etiam, ut cum Presbyteri, tum laici in exilium missi omni sanctissimae nostrae religionis solatio, praesidioque carere debeant, utque Lithuaniae catholicis optio dat fuerit vel exsules abeundi in disiunctissimas regiones, vel deficiendi a catholica religione. Haec et alia sane lugenda a Russico Gubernio contra catholicam Ecclesiam indesinenter patrantur. Equidem Nos immenso moerore confecti lacrimas continere non possumus, cum videamus, Vos, Venerabiles Fratres, ac dilectos filios fideles catholicos omnibus illis gravissimis insectationibus obnoxios, quibus commemoratum Gubernium catholicam fidem et religionem tum in Poloniae Regno, tum in aliis praesertim illius Imperii regionibus ad ultimum discrimen adducere conatur.

At etiam in hoc acerrimo bello a Russico Gubernio catholicae Ecclesiae, eiusque sacris iuribus, ministris, rebusque illato, alium novum prorsus in Ecclesiae fastis, et ante hunc diem inauditum ausum lamentari, et exprobrare cogimur, Venerabiles Fratres. Siquidem Gubernium idem non solum Venerabilem Fratrem Sigismundum egregium, omnique laude dignum Varsaviensem Archiepiscopum a suo grege divulsum in longinquas regiones amandavit, verum etiam non dubitavit decernere, eumdem Venerabilem Fratrem episcopali in Varsaviensem Dioecesim auctoritate et iurisdictione esse privatum, et neminem e sua Dioecesi cum ipso posse communicare, et in eius locum sufficere, veluti Dioecesis administratorem Dilectum Filium Paulum Rzewuski eius Vicarium Generalem, et Episcopum Prusensem in partibus Infidelium iam a Nobis electum a Suffraganeum eiusdem Varsaviensis Antistitis designatum. Verba quidem desunt, Venerabiles Fratres, ad huiusmodi factum reprobandum ac detestandum. Ecquis enim non vehementissime mirabitur, cum sciat eo devenisse Russicum Gubernium, ut perperam autumet et audeat, Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, sacra eorum auctoritate ipsis a Deo tradita, et nullo prorsus modo laicae potestati unquam obnoxia privare, eosque a propriae Dioecesis regimine et procuratione amovere? Dum autem haec reprobamus et damnamus, eodem tempore clare aperteque declaramus, neminem memoratae ordinationi posse obedire, omnesque Varsaviensis Dioeceseos fideles debere eidem Venerabili Fratri Sigismundo sedulo obtemperare, qui verus, legitimusque est Varsaviensis Antistes.

Nihil vero dubitamus, quin idem Dilectus Filius Paulus Rzewuski sui officii probe memor huiusmodi Russici Gubernii mandato minime obsequens pergat Vicarii Generalis munere fungi sibi commisso a Venerabili Fratre Sigismundo Archiepiscopo Varsaviensi suo legitimo Antistite, eique in omnibus diligentissime obedire.

Iam vero, Venerabiles Fratres, dum caelum ac terram testes invocando, de omnibus, quae in Poloniae regno, aliisque Russici Imperii regionibus contra catholicam Ecclesiam, eiusque sacrorum Antistites, ministros, iura, patrimonium, ac dilectos ipsius Ecclesiae filios gesta sunt et geruntur, vehementer expostulamus, et etiam atque etiam querimur persecutionem, quam Russicum Gubernium contra Ecclesiam gerere non desinit, absit, ut ullo modo probare velimus male consultos motus in Polonia misere excitatos. Omnes enim norunt quanto studio catholica Ecclesia semper inculcaverit, ac docuerit, omnem animam subditam esse potestatibus sublimioribus, omnesque civili auctoritati subiectos esse, debitamque obedientiam praestare omnino debere in iis omnibus, quae Dei, eiusque Ecclesiae legibus non adversantur. Equidem summopere dolendum, huiuscemodi motus Russico Gubernio ansam dedisse ad catholicam quotidie magis divexandam, et opprimendam Ecclesiam.

Dum autem eiusmodi christianae, civilique reipublicae funestissimos motus reprobamus ac damnamus, haud possumus, quin omnibus summis populorum Principibus vehementer inculcemus, ut quantum in ipsis est, omnia conentur, ne in eos gravissima illa cadant divinae sapientiae ad reges verba: « Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, « qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam cum « essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem « iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis; horrende et cito « apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet, « exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta « patientur ».[1] Atque etiam omnes summos Principes maiore, qua possumus, animi Nostri contentione hortamur et rogamus, ut aliquando intelligere, animadvertere, ac noscere velint quod populi, cum a sanctissima nostra religione, eiusque salutari doctrina, atque a debita erga Deum, eiusque Ecclesiam, et leges obedientia, et a libera cum hac Sancta Sede communicatione amoti fuerint, tum perniciosissimis quibusque erroribus vitiisque depravantur, et iccirco evenit, ut iidem populi, timore et pietate erga Deum sublata, suavique religionis iugo exuto, et plane abiecta obedientia, quae Deo, eiusque Ecclesiae et legibus omnino debetur, in effrenatam vivendi, agendique licentiam misere prolabantur, et ambulantes secundum sua desideria in impietatibus dominationem spernant, maiestatem blasphement, et contra Principes insurgant eisque obedire recusent.

In summa vero animi Nostri moestitia ob tantam malorum congeriem, quae Vos, Venerabiles Fratres, et fideles curae vestrae commissos premit, non parum certe Nos reficit et consolatur egregia vestra in Ecclesia tuenda, tantisque in laboribus, aerumnisque propter catholicam fidem perferendis virtus et constantia. Et quoniam optime nostis, beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ac pulcherrimum et gloriosissimum esse pro nomine Iesu contumeliam pati, eumque salvum fieri, qui perseveravit usque in finem, iccirco nihil dubitamus, quin Vos, Venerabiles Fratres, confortati

[1] Sap., c. 6, v. 4, 5, 6, 7.

in Domino, et in potentia virtutis eius pergatis animo invicto pro Dei, eiusque sanctae Ecclesiae defensione, animarumque salute fortiter dimicare, memoria repetentes « quod non sunt condignae passiones huius temporis ad « futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ».[1] Atque iccirco has Vobis scribimus Litteras, quibus Episcopalem vestram in tantis tolerandis angustiis fortitudinem, et in grege vestrae curae concredito vigilantiam magis magisque in Domino excitamus, ut nullis curis, nullis consiliis, nullisque laboribus parcere unquam velitis, quo fideles Vobis commissi abstinentes se ab omni specie mali nullisque deterriti periculis in catholicae fidei et religionis professione quotidie magis stabiles et immoti permaneant, et nunquam ab eiusdem fidei, religionisque hostibus se decipi, et in errorem induci patiantur. Ac ipsos fideles Vobis concreditos, Nobisque carissimos omni paterni animi Nostri affectu et studio monemus, exhortamur, et obtestamur, ut catholicam fidem, religionem ac doctrinam, quam singulari Dei beneficio acceperunt, constantissime profitentes, et cetera omnia posteriora existimantes per semitas mandatorum Dei sedulo ambulent, iisque omnibus instent operibus, quae caritatem vel in Deum, vel in proximum praeseferunt, quaeque catholicae Ecclesiae filios omnino decent.

Persuasissimum autem Vobis sit, Nos in humilitate cordis Nostri ferventissimas diu noctuque sine intermissione clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis offerre preces, ut Vos induat virtute ex alto, ac divina sua dextera protegat, custodiat, defendat, et exurgens iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus istic divexatur, calamitatibus eripiat, et inimicorum suorum superbiam elidat, eorumque contumaciam omnipotenti sua virtute prosternat, et uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos et fideles Vobis traditos propitius semper effundat. Atque horum auspicem, et certissimum peculiaris, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis laicisque fidelibus vestrae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 657-664].

541.

Pius IX, ep. encycl. *Maximae quidem*, 18 aug. 1864.[2]

Maximae quidem consolationi Nobis fuerunt inter gravissimas, quibus affligimur, curas et angustias, vestrae gratissimae Litterae quas XIII Kalendas huius mensis ad Nos dedistis, Venerabiles Fratres, in congressu a Vobis Bambergae habito, ut collatis inter Vos consiliis; ea statueretis, quae hisce praesertim asperrimis temporalibus ad Catholicae Ecclesiae causam, doctrinam, iura tuenda, et

[1] Rom., c. 8, v. 18.

[2] **Venerabilibus Fratribus Gregorio Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi, Michaeli Archiepiscopo Bambergensi, et Episcopis eorum Suffraganeis in Bavaria.**

ad istorum fidelium salutem procurandam quotidie magis conducere possint. In eisdem enim Litteris undique enitet egregia et explorata Vestra erga Nos, et hanc Petri Cathedram fides, amor et observantia, ac mirum sane studium, quo incensi istis ad omnia peragenda, ut fideles vestrae potissimum vigilantiae commissi summa ac debita reverentia, et obedientia Nos et eamdem Petri Cathedram prosequantur, quae catholicae unitatis est centrum, omniumque Ecclesiarum non modo caput, sed mater et magistra, quaeque erroris tenebras undique dispellit, et omnium fluctuantium tutissimus est portus. Itaque hac eximia vestra episcopali virtute et sollicitudine vehementer gaudemus, Vobisque maiorem in modum gratulamur, Venerabiles Fratres, quod vestro facto, vestrisque pastoralibus ad istos fideles cuiusque vestrum curae concreditos datis Litteris haud omiseritis debitis, meritisque laudibus efferre arctissimam illam et admirabilem omnium totius catholici orbis Sacrorum Antistitum coniunctionem, quae luctuosissimis hisce temporibus cum Christi hic in terris Vicario, et hac Apostolica Sede singulari Dei beneficio tantopere viget ac tot splendidissimis factis magis in dies refulget. Ac vel maxime laetamur de conventu, quem Bambergae habuistis, in quo, Vos omnes, Venerabiles Fratres, concordissimis animis pro gravissimi episcopalis vestri ministerii officio ea suscepistis consilia, quae hisce potissimum temporibus magis opportuna esse existimastis ad Ecclesiae causam tutandam, eiusque rationes curandas, atque ad nefarios inimicorum hominum reprimendos conatus, qui unanimi constantique Episcoporum studio ac vigilantia sunt profligandi. Et sane, si unquam alias, hac praecipue nostra tristissima aetate Episcoporum est, veluti apprime intelligitis, contra sanctissimae nostrae religionis hostes strenuissime pugnare. Quocirca Sacrorum Antistites divino auxilio freti debent intentissimo studio episcopalem suam attollere vocem, et omnibus praedicare evangelium ac sapientibus et insipientibus aeternas divinae fidei nostrae veritates, et augustae religionis dogmata, doctrinam, praeceptiones nuntiare, tradere, explicare, et inculcare. Ac pari contentione iidem Sacrorum Antistites tenentur exponere, et ostendere tum Summis Principibus, tum Gubernii funestissima et nunquam satis deploranda mala et damna, quae in populos et in ipsos Principes redundant ex hodierno religionis contemptu, et incredulitatis spiritu, qui sub fallaci socialis progressus specie e tenebris emissus, cum maximo christianae, civilisque reipublicae detrimento ubique magis in dies invalescit ac dominatur, et hominum mentes animosque miserandum in modum pervertit et corrumpit. Atque iccirco gratissimum Nobis fuit agnoscere Vos, Venerabiles Fratres, isti Carissimo in Christo Filio Nostro Bavariae Regi Illustri vestras pro sanctissimae nostrae Religionis eiusque iurium defensione misisse Litteras, et ea spe nitimur fore, ut idem Serenissimus Princeps pro animi Sui pietate, iustitia, aequitate iustissimis vestris desideriis, postulationibusque perlibenter obsecundare studeat. Neque vero ignoratis, Venerabiles Fratres, esse praeterea aliud, quod Sacri Pastores omnibus studiis et contentionibus agere debent. Siquidem oportet, ipsos summa constantia et fortitudine defendere catholicae Ecclesiae libertatem, quae ei Suo Sanguine peperit Unigenitus Dei Filius ipsius Ecclesiae sponsus, ac viriliter propugnare omnia veneranda ipsius Ecclesiae iura ei divinitus tributa. Opus quoque est, ut Episcopi nun-

quam cessent qua voce qua scriptis ad omnium memoriam revocare, Ecclesiam ipsam semper fuisse, et esse salutari sua doctrina et vi ac sapientissimis suis legibus et institutis non solum virtutum omnium matrem et magistram, omniumque vitiorum expultricem, verum etiam verae omnium gentium humanitatis, honestatis, civilitatis, libertatis, progressus, prosperitatis, tranquillitatisque conditricem ac moderatricem, et ipsam solam posse firmiter constabilire et servare publicum humanae societatis ordinem, qui impietate et rebellione hisce diebus ubique tam vehementer perturbatur. Debitas autem meritasque laudes Vobis tribuimus, Venerabiles Fratres, quod vestris Litteris ad istud Gubernium scriptis de popularium scholarum bono et regimine maxime solliciti catholicae Ecclesiae hac super re doctrinam, auctoritatem et iura omni rationum genere scite ac strenue propugnastis eo sensu, quo Nos in Nostra Epistola ad Venerabilem Fratrem Hermannum Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia die 14 iulii huius anni missa[1] coacti fuimus eiusdem Ecclesiae iura in tanti momenti negotio sarta tecta tueri et vindicare contra Ecclesiae hostium conatus, et molitiones, qui in Magno Badensi Ducatu eo iam pervenerunt, ut leges proponerentur, quae christianam scholarum indolem plane destruunt, ac delent. Etsi vero in pretio habeamus causas, quibus, Venerabiles Fratres, Ecclesiae iura quoad populares tantum scholas nunc propugnanda curastis, tamen haud possumus, quin hac occasione egregiam vestram episcopalem sollicitudinem etiam atque etiam excitemus, ut sedulam strenuamque operam detis quo eadem Ecclesiae iura recognoscantur quoque ac serventur circa superiores litterarum, severiorumque disciplinarum scholas. Etenim pro vestra sapientia optime nostis, ex eisdem scholis ab Ecclesiae doctrina, auctoritate, et vigilantia amotis graviora oriri damna et mala, quandoquidem erroribus falsisque doctrinis ii praesertim honestioris classis homines inficiuntur qui ad publica gubernii munera obeunda destinantur, quique ad communem civilis societatis spiritum formandum tantopere valere solent. Atque hic, Venerabiles Fratres, a Vobis exposcimus, ut prae oculis habere velitis quae Nos isti Venerabili Fratri Gregorio Archiepiscopo Monacensi per Nostram Epistolam die 21 Decembris anno superiore significavimus de philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis,[2] ac Vos impensissime hortamur, ut vestras omnes curas cogitationesque in accuratam Cleri institutionem educationemque quotidie magis promovendam indesinenter conferatis, nihilque intentatum relinquatis, ut vester Clerus plenam illam, solidamque habeat institutionem, quae ex puris incontaminatisque fontibus hausta, et communi Catholicae Ecclesiae docendi ratione innixa illa omnia removeat pericula, quibus nova hodierna docendi systemata super scientiae libertatem vel potius licentiam fundata, ac tantopere iactata sunt necessario obnoxia. Quamobrem vel maxime optamus, Venerabiles Fratres, ut memoria repetere, et exsequi velitis ea omnia, quae iam alias vel omnibus, vel singulis vestri Episcopalis Ordinis significavimus vehementerque commendavimus quoad Clericorum Seminaria ex providentissimis Concilii Tridentini praescriptis erigenda et moderanda.[3]

[1] Cf. N. 539.
[2] Cf. N. 538.
[3] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

Persuasissimum autem Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra religione, et episcopali zelo naviter esse defensuros alia Ecclesiae iura, quae nondum in Bavaria plene sunt recognita, et pro quibus Bavariae Sacrorum Antistites in Frisingensi praecipue conventu suas protestationes emittere haud omiserunt. Ac propterea summopere probamus consilium a Vobis susceptum habendi quotannis inter Vos congressus. Id vero nullo modo impedire debet, quominus, Venerabiles Fratres, omnia conemini, ut quamprimum, veluti Nostris in votis est, Provinciales Synodos ex Sacrorum Canonum praescripto concelebrare possitis, quemadmodum alii in Germania Sacrorum Antistites in suis ecclesiasticis provinciis com summo animi Nostri gaudio, et suorum fidelium utilitate egerunt. Nihil certe Nobis gratius erit quam in hac re omnem Vobis opem auxiliumque ferre. Denique pro certo habeatis velimus, peculiarem esse, qua Vos prosequimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque Fidelibus, cuiusque Vestrum curae commissis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 674-679].

542.

Pius IX, ep. encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864.[1]

1. Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereser et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disci-

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis universis gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus.

plina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

2. Iam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima encyclica Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta,[1] binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854,[2] altera vero 9 iunii 1862[3] in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

8. Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris.[4] Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ».

[1] Cf. N. 504.
[2] Cf. N. 518.
[3] Cf. N. 534.
[4] Gregor. XIV, Epist. Encycl. *Mirari*, 15 aug. 1832. - Cf. N. 485.

Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant, « optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet ». Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam,[1] nimirum « libertatem conscientiae, et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant ». Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis*[2] praedicant, et quod « si humanis persuasionibus semper discep« tare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare « et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam « vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa « Domini Nostri Iesu Christi institutione cognoscat ».[3]

4. Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, « voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere ». Verum ecquis non videt, planeque sentit hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI Decessor Noster docebat, « regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evan« gelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam « Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos « super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt « societates ».[4] Atque etiam impie pronunciant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem « qua eleemosynas christianae caritatis causa palam

[1] Eadem Encycl. *Mirari*. - Cf. N. 485.
[2] S. Aug., Epist. 105, al. 166.
[3] S. Leo, Epist. 14, al. 133 § 2, edit. Ball.
[4] Epist. ad Card. De la Rochefoucault 10 martii 1791.

*

erogare valeant », ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur », fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis, educationisque curandae ». Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque Clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum « utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum ».

5. At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subiicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas,[1] quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi;

[1] Clement. XII, *In eminenti* (cf. N. 299); Benedict. XIV, *Providas Romanorum* (cf. N. 412); Pii VII, *Ecclesiam* (cf. N. 479); Leonis XII, *Quo graviora* (cf. N. 481).

conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, ac Familiis Religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare ». Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim « Ecclesiasticam potestatem non iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis ». Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt « illis Apostolicae Sedis iudiciis, et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari et absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura ». Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

6. In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

7. Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispesas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui Satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Iesum Christum negare, eiusque divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

8. Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae, et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus

« non colit, quia non sunt plantatio Patris ».[1] Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius.[2] Docete « catholicae Fidei fundamento « regna subsistere,[3] et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam « expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere « quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra iam a Domino « nihil quaeramus, idest, auctoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos osten- « damus liberos, abiuremus.[4] Atque etiam ne omittatis docere regiam pote- « statem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium « esse collatam,[5] et nihil esse quod civitatum Principibus, et Regibus maiori « fructui, gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque « alter Praedecessor Noster s. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Eccle- « siam catholicam.... sinant ut legibus suis, nec libertati eius quemquam « permittant obsistere.... Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, « ut, cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem « Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre ».[6]

9. Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quo circa omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Eiusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Eius ambulent, digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, iccirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

10. Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium « Arcano Divinae Providentiae consilio »,[1] et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, eorumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri iussimus.

11. « Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio... unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit ».[2] Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater « tota suavis est..... ac plena misericordiae,..... « omnibus sese exhorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium « necessitates amplissimo quodam miseratur affectu »,[3] atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate nihil est, quod ab eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

12. Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. III, p. 687-700].

[1] S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.
[2] Psal. 143.
[3] S. Caelest., epist. 22 ad Synod. Ephes., apud Coust., p. 1200.
[4] S. Innocent. I, epist. 39 ad Episc. conc. Carthag. apud Coust., pag. 891.
[5] S. Leo, Epist. 156, al. 124.
[6] Pius VII, Epist. Encycl. *Diu satis*, 15 maii 1800 (cf. Bull. Rom. Cont., tom. 11, p. 21-25.

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 25-31.
[2] S. Cyprian., Epist. 11.
[3] S. Bernard., Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex Verbis Apocalyp.

543.

Pius IX, Syllabus errorum (a. 1864).[1]

Propositiones.

§. I. - *Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.*

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

4. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Epist. Encycl. *Singulari quidem,* 17 martii 1856 (Cf. N. 521).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

5. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

6. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. 534).

[1] Complectens praecipuos nostrae aetatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX.

7. Prophetiae, et miracula in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesu Christus est mythica fictio.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

§ II. - *Rationalismus moderatus.*

8. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.
Alloc. *Singulari quadam perfusi,* 9 decembris 1854 (Cf. N. 518).

9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.
Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 decembris 1862.[1]
Epist. ad eumdem *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.
Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 decembris 1862.[2]
Epist. ad eumdem *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

12. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.
Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.
Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.
Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).
N. B. - Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 548-556.
[2] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 548-556.

Eximiam tuam, 15 iunii 1847,[1] et in epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri,* 30 aprilis 1860.[2]

§ III. - *Indifferentismus, Latitudinarismus.*

15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

16. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Ubi primum,* 17 decembris 1847 (Cf. N. 506).
Epist. encycl. *Singulari quidem,* 17 martii 1856 (Cf. N. 521).

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.
Alloc. *Singulari quadam,* 9 decembris 1854 (Cf. N. 518).
Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 augusti 1863 (Cf. N. 536).

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.
Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum,* 8 decembris 1849 (Cf. N. 508).

§ IV. - *Socialismi, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.*

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novemb. 1846 (Cf. N. 504); in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 april. 1849 (Cf. N. 507); in Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum,* 8 decembr. 1849 (Cf. N. 508); in Allocut. *Singulari quadam,* 9 decembris 1854 (Cf. N. 518); in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 augusti 1863 (Cf. N. 536).

§ V. - *Errores de Ecclesia eiusque iuribus.*

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.
Alloc. *Singulari quadam,* 9 decembris 1854 (Cf. N. 518).
Alloc. *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860 (Cf. N. 529).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

[1] Cf. Acta S. Sedis, vol. VIII, p. 445-448.
[2] Cf. Acta S. Sedis, vol. VIII, p. 443-444.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.
Alloc. *Meminit unusquisque,* 30 septembris 1861.[1]

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram Religionem.
Litt. Ap. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.
Epist. Ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).
Epist. Encycl. *Incredibili,* 17 septembris 1863 (Cf. N. 537).

27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas Litteras promulgare.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 281-287.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

32. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.
Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque,* 29 sept. 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.
Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 decembris 1863 (Cf. N. 538).

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

35. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 521).

31. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

37. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.
Alloc. *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860 (Cf. N. 529).
Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 martii 1861 (Cf. N. 530).

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

§ VI. - *Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.*

39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.
Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Quibus quantisque,* 20 aprilis 1849 (Cf. N. 507).

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur,* sed etiam ius *appellationis,* quam nuncupant, *ab abusu.*
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

42. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1841 (Cf. N. 511).

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes Conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.
Alloc. *In Consistoriali,* 1 novembris 1850 (Cf. N. 509).
Alloc. *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860 (Cf. N. 529).

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.
Alloc. *In Consistoriali,* 1 novembris 1850 (Cf. N. 509).
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.
Alloc. *In Consistoriali,* 1 novembris 1850 (Cf. N. 509).
Alloc. *Quibus luctuosissimis,* 5 septembris 1851 (Cf. N. 512).

46. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.
Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 iulii 1864 (Cf. N. 539).

48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario spectet.
Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 iulii 1864 (Cf. N. 539)

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

51. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).

52. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

53. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).
Alloc. *Probe memineritis,* 22 ianuarii 1855 (Cf. N. 519).
Alloc. *Cum saepe,* 26 iulii 1855 (Cf. N. 520).

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

55. Ecclesia a statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).

§ VII. - *Errores de Ethica naturali et christiana.*

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).
Epist encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 augusti 1863 Cf. N. 536).

59. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.
Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

61. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.
Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 martii 1861 (Cf. N. 530).

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu.*
Alloc. *Novos et ante,* 28 septembris 1860. [1]

63. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.
Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504).
Alloc. *Quisque vestrum,* 4 octobris 1847. [2]
Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum,* 8 decembris 1849 (Cf. N. 508).
Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia,* 26 martii 1860 (Cf. N. 538).

64. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.
Alloc. *Quibus quantisque,* 20 aprilis 1849 (Cf. N. 507).

§ VIII. - *Errores de matrimonio christiano.*

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 180-189.
[2] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 64-69.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.
Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

70. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

71. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).
Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852 (Cf. N. 514).
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).
Alloc. *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860 (Cf. N. 529).

74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).
N. B. - Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846 (Cf. N. 504), posterior in litt. apost. *Multiplices inter,* 10 iunii 1851 (Cf. N. 510).

§ IX. - *Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.
Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851 (Cf. N. 511).

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.
Alloc. *Quibus quantisque,* 20 aprilis 1849 (Cf. N. 507).

N. B. - Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 aprilis 1849 (Cf. N. 507); in Alloc. *Si semper antea,* 20 maii 1850;[1] in Litt. apost. *Cum Catholica Ecclesia,* 26 mart. 1860 (Cf. N. 528); in Alloc. *Novos et ante,* 28 sept. 1860;[2] in Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 mart. 1861 (Cf. N. 530); in Alloc. *Maxima quidem,* 9 iunii 1862 (Cf. N. 534).

§ X. - *Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.*

77. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.
Alloc. *Nemo vestrum,* 26 iulii 1855.[3]

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.
Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).

79. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.
Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856 (Cf. N. 522).

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliari et componere.
Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 martii 1861 (Cf. N. 530).
[Acta Pii IX, vol. III, p. 701-717].

544.

Pius IX, allocut. *Multiplices inter,* 25 sept. 1865.

Multiplices inter machinationes artesque, quibus Christiani nominis hostes adoriri Ecclesiam Dei, eamque irrito licet conatu labefactare, atque excindere ausi sunt, recensenda procul dubio est, Venerabiles Fratres, perversa illa hominum societas, quae *Massonica* vulgo nuncupatur, quaeque in latebris primum, tenebrisque coacta in communem exinde perniciem religionis, humanaeque societatis erupit. Cuius insidias ac fraudes ubi primum detexerunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pastoralis officii memores, nihil morae interponendum existimarunt, quominus sectam illam scelus anhelantem, multa

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 224-234.
[2] Cf. Acta Pii IX, vol. III. p. 180-189.
[3] Cf. Acta Pii IX, vol. II, p. 441-446.

ac nefaria rei sacrae et publicae molientem auctoritate sua coercerent, ac damnationis sententia tamquam iaculo confoderent et profligarent. Enimvero Clemens XII Praedecessor Noster Apostolicis suis Litteris [1] eamdem sectam proscripsit reprobavit, ac fideles universos ab illa nedum ineunda, sed vero etiam quovis modo promovenda iuvandaque deterruit, indicta excommunicationis poena ipso facto incurrenda, et per Romanum dumtaxat Pontificem relaxanda. Quam porro iustam ac debitam damnationis sententiam Benedictus XIV edita Constitutione [2] confirmavit, summosque Catholicos Principes haud excitare praetermisit, ut ad convellendam perditissimam sectam, et a communi periculo propulsandam vires omnes curasque conferrent. Atque utinam supremi iidem Principes Decessoris Nostri vocibus aures praebuissent; utinam in causa tam gravi non remissius egissent, numquam certe fuissent deplorandi nostra patrumque memoria tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. Iamvero quum improborum furor minime conquiesceret, recens ortam *Carbonariorum* sectam in Italia praesertim longe lateque propagatam Pius VII Praedecessor Noster anathemate perculit, [3] parique incensus animarum studio Leo XII tum superiores, quas memoravimus clandestinas societates, tum quascumque alias quovis tandem nomine appellatas, quae contra Ecclesiam, civilemque potestatem conspirarent, Apostolicis suis Litteris [4] condemnavit, atque universis fidelibus sub gravissima excommunicationis poena prohibuit. Attamen impensa haec Apostolicae Sedis studia haud illum habuerunt exitum, qui fuisset expectandus. Neque enim domita, et cohibita umquam est *Massonica* haec, de qua loquimur, secta, verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicumque gentium impune se iactet, atque audacius efferatur. Quam rem inde Nos repetendam magna ex parte existimavimus, quod plerisque ignorantia fortasse iniquorum consiliorum, quae in clandestinis iis coetibus agitantur, falsa insederit opinio innoxium hoc esse societatis genus, atque institutum, quod in adiuvandis hominibus, eorumque relevandis aerumnis unice versetur; nihil proinde contra Ecclesiam Dei ex illo esse pertimescendum. Id vero quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Quid enim sibi vult illa hominum cooptatio cuiuscumque tandem religionis et fidei sint? Quid illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum iusiurandum ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, numquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? Quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devovent, si forte a iuramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet, quae diem lucemque tantopere reformidat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Iamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium Societates, quae in Catholica Ecclesia florescunt. Nihil in eis retrusum atque aditum, patent omni

[1] Cf. N. 299.
[2] Cf. N. 412.
[3] Cf. N. 479.
[4] Cf. N. 481.

bus leges, quibus reguntur, patent quae iuxta Evangelii doctrinam exercentur opera caritatis. Atqui Catholicas huiusmodi Sodalitates tam salutares, tam excitandae pietati, recreandisque pauperibus opportunas oppugnari alicubi, et vero etiam deleri non sine dolore videmus, dum contra fovetur, vel saltem toleratur tenebricosa *Massonica* societas tam Ecclesiae Dei inimica, tam periculosa etiam securitati regnorum? Illud vero graviter Nos et acerbe ferimus, Venerabiles Fratres, quod in huiusmodi reprobanda secta iuxta Decessorum Nostrorum Constitutiones, segnes nonnullos esse, et quasi indormientes videamus, quos in re tam gravi commissi muneris et officii ratio excitatissimos poscit. Quod si qui in hac opinione versantur, Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores sub poena anathematis editas, nullam habere vim iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur, ii certe vehementer errant, ac Nos pravae huius doctrinae commentum alias, ut scitis, Venerabiles Fratres, reprobavimus, [1] iterumque hodierno die reprobamus et condemnamus. Numquid enim suprema illa pascendi regendique universi dominici gregis potestas, quam in persona Beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, ac supremum inde quod exercere in Ecclesia debent magisterium, a civili pendeat potestate, aut aliqua ratione coerceri ab illa possit et coarctari? Quae cum ita sint, ne minus cauti homines, iuvenesque in primis decipiantur, ac ne ex Nostro silentio aliqua tuendi erroris arripiatur occasio, Apostolicam attollere vocem decrevimus, Venerabiles Fratres; atque hic in consessu Vestro memoratas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmantes, *Massonicam* illam, aliasque eiusdem generis Societates quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinentur auctoritate Nostra Apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, gradus ac dignitatis, et ubicumque terrarum sint, tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis, quae in memoratis Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus continentur. Nunc, quod reliquum est, pro paterni animi Nostri studio monemus, et excitamus fideles, qui forte eiusmodi sectis nomen dederint, ut ad saniora se consilia recipiant, funestosque illos coetus et conventicula deserant, ne in sempiternae ruinae baratrum prolabantur; reliquos vero fideles omnes, pro sollicita qua urgemur animarum cura, vehementer hortamur, ut a dolosis sectariorum labiis caveant, qui quamdam honesti speciem praeseferentes contra Christi religionem et legitimos principatus inflammato odio feruntur, idque unum spectant atque agunt, ut iura quaeque tam divina quam humana pessumdent. Noverint, hos sectarum gregales tamquam lupos esse quos ovium pelle contectos ad exitium gregis venturos praedixit Christus Dominus; noverint in eorum numero esse habendos a quorum consuetudine, congressuque sic Nobis interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit. Faxit nostrum omnium precibus exoratus dives in misericordia Deus, ut auxiliante gratia sua redeant insipientes ad cor, errantesque in viam iustitiae reducantur; faxit

[1] Cf. N. 542, 543.

ut compresso perditorum hominum furore, qui per supra memoratos coetus impia, ac nefaria moliuntur, a tam multis, tamque inveteratis malis recreari aliquando tum Ecclesia tum humana societas possint. Quae ut Nobis ex votis succedant deprecatricem apud clementissimum Deum adhibeamus Sanctissimam Virginem Dei ipsius matrem ab origine immaculatam, cui datum est Ecclesiae hostes, atque errorum monstra confringere; nec non patrocinium imploremus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum glorioso cruore Alma haec Urbs consecrata est. Horum ope atque auxilio, quod a divina bonitate flagitamus, facilius Nos assecuturos confidimus.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 23-28].

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA
právnické fakulty UJEP
BRNO

REV15

ÚK PrF MU
3129S34833